UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ezechielis Spanhemii Dissertationes De Praestantia Et Usu Numismatum Antiquorum

Spanheim, Ezechiel

Amstelodami, 1671

urn:nbn:de:hbz:466:1-12878

Visual Library

S VI. 24.
Bl
Th. 5934.
ERZBISCHÖFL.
AKADEMISCHE
BIBLIOTHEK
LEOSTR. 21
PADERBORN

FERDINANDO

Ad. Paderam. Et. Visurgim. Antistiti
Ad. Luppiam. Designato. Pontifici
Sacerdotii. Et. Principatus. Dignitate
Splendidissimo
Musarum. Herculi. Et. Patrono
Patriæ. Antiquitatis. Restitutori
Omnis. Humanitatis. Et. Elegantiæ
Principi
Pro. Aureo. Poematum. Munere
Hoc. Rude. Prisci. Aeris. Monumentum
Offert. Auctor.

Dum · CHISIVM et priscæ celebras miracula Romæ,
Quæque tuos decorant signa vetusta lares;
Tu allor! an ad Paderæ fontes, famulumque Visurgin
Aonii transferr culmina sacra iugi:
Et Tiberim totamque simul Permessidos undam
~~Ducis~~ ad Amisiæ nobile murmur aquæ.

Thracia quid memoras plectrum immortale Poetæ,
Omnigenas traxit quo prius ille feras?
Et aliquid saxa et pecudes ~~silvasque~~ movisse canoro
~~Plus est~~ Maius est, quod Pindi Luppia fonte fluens ~~manat~~.

ALIUD

Aurea dum mittis mihi munera, sola rependo
Aerea, me quis non dicat in ære tuo?

EZECHIEL SPANHEMIUS SERENISSIMO ELECTORI PALATINO
A CONSILIIS STATUS ET P.T. IN TRACTU INFERIORIS RHENI RESIDENS.

Viva pollicitus sub imagine reddere pictor
Quod priscæ Veneris Roma, quod Atthis habet:
Promissam nec dextra fidem miranda fefellit.
Hic, qui Spanhemium cernis, utramque vides.

Nicolaus Visscher Dors. fil.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

EZECHIELIS SPANHEMII

DISSERTATIONES

DE

PRAESTANTIA

ET USU

NUMISMATUM

ANTIQUORUM.

EDITIO SECUNDA,

Priori longe auctior, & variorum Numismatum iconibus illustrata.

Ex legato Celsi Principis FERDIN. Epi Paderb. et Monaster. Ao 1688.

Eberh. 21565.
Dieses geschenkt v. Feldau
Bd.

AMSTELODAMI,
Apud DANIELEM ELSEVIRIUM.
cIↃ IↃC LXXI.

Collegij Soc. IESU Paderb.

COSMO III
ETRURIÆ
MAGNO DUCI
OPTIMO PRINCIPI
LITTERARUM PATRONO

EZECHIEL SPANHEMIUS.

COgitanti mihi jam olim, quæ divinitus data sint, ad perpolienda interiorum litterarum studia, duo continuo occurrebant, quorum alterum voluntatis, alterum fortunæ videbatur. Primum equidem, ut peracri ingenio & studio flagranti homines, ad revocandam oblitteratam aut prope evanescentem, injuria temporum an posterorum incuria, antiquitatis memoriam, parem animi propensionem ac diligentiam conferrent. Alterum, ut iidem in statores ac patronos optimarum artium in-

a cide-

ciderent, qui non modo Reipubl., ſed doctrinarum inſuper ac litterarum procuratione feliciter ſuſcepta, idoneis adminiculis inſtructos, in tanti boni poſſeſſionem mitterent. Etenim quum obviis non ſolum, ſed abditis præterea è fontibus hauriendæ ſit omnis illa ſapientiæ veterum ubertas ac præſtantia, nequidquam ſane aderit egregia & incenſa ſtudio etiam incredibili voluntas, ni ſimul ad fontes ipſos, unde illæ manant, adeundi copia & facultas ſubſequatur. Adeo ut dum vel deſunt frequenter litteris ingenia, aut ingeniis patroni, minus mirum videatur, curſum illum, quo ferri eadem ſtudia videbantur, ſubinde retardatum; aut multa etiamnum ſupereſſe, unde ille aliquando incitari propius ad metam poſſit. Quamquam nec diſſimulare liceat, quanta vel noſtra memoria in omni diſciplinarum genere acceſſio facta ſit; ſive eam reputemus, quæ ſaluti corporis ac integritati conſulit; ſeu quæ ſtructuram ejuſdem ac artificium rimatur; aut quæ oculorum aciem, intentam illam nec caligantem, ad ſidera convertit; aut quam non adeo Deæ Telluris, quam Veritatis canonem, & initiandi occultis quibuſque myſteriis ducem ac magiſtram dixeris; aut denique quæ tota in perſcrutandis penitius naturæ arcanis, earumque cauſſis & rationibus verſatur; dum adſunt etiamnum, bono litterarum ac ſcientiarum fato, qui commoda præbeant, juvent opibus, exemplo

plo excitent; qui nullum deesse vel præsidium vel ornamentum patiuntur. Quo in genere ornandarum artium, ea quæ ex variis artibus ac disciplinis collecta, vulgo uno eruditionis nomine appellatur; qua omnis antiquitatis memoria, omnis jucunditas studiorum ac elegantia continentur, vel præcipuam in se curam & cogitationem haud immerito convertit. Nam quum pœne infinita sit copia & varietas subsidiorum, ex quibus illa comprehensio tot rerum abstrusarum ac simul scitu dignissimarum paratur, quis non videt rem haud immensi solum laboris, ac inexhaustæ diligentiæ, sed singularis præterea felicitatis suscipere, qui hujus nominis mensuram implere pro dignitate cogitat? Unde mihi quidem nulli satis eruditi videntur, quibus non jam nostra, juxta Tullium, sed antiqua illa ignota sunt; seu ea jam felix aliorum solertia detexerit, seu nondum è superiorum temporum caligine ac tenebris emerserint. Adeo ut qui arctioribus finibus eruditionis nomen circumscribunt; qui illam tam amplam & late patentem doctrinæ ac elegantiæ veterum supellectilem, velut in medio positam, ac jam totam è priscis ruderibus ac monumentis erutam putant, nihil hic aliud quam suam inopiam ac insciti am prodant. Longe cautius itaque ac sapienter meo judicio faciunt, qui in viam illam semel ingressi, quæ ad arcem doctrinæ ac eruditionis tendit, omnia quibus prodita in hoc gene-

re veterum industria, præsidia ac adjumenta studiose conquirunt; ac modo ad Lapides & Saxa, sed ut viæ indices, non vero ut ad scopulos adhæresçunt; modo vetusti Æris, Argenti, Auri defossas etiamnum opes, velut ad Metalla, sed quam cupide ac jucunde damnati, perscrutantur; modo jam congestos multorum annorum spatio ac sumptu, sed adhuc reconditos id genus Thesauros, ad illustrandas ornandasque litteras, large liberaliterque conferunt. In quo equidem proposito, arduo juxta & laudabili, ne continuo deficiant, facit omnino eximia & plane singularis eorum beneficentia, qui fovendis ingeniis & locupletandis bonis artibus nati, se viæ duces, etsi multis obstructæ difficultatibus præbent; ac non modo plausu eos & cohortatione excitant, sed insuper gratia, opibus, & patrocinio, ad optatam metam alacres & incolumes perducunt. Cujus vero gentis hæc laus potior, quam Tuæ, PRINCEPS OPTIME (patieris enim, ut eodem titulo Te compellem, quo maximum fortunatissimumque Cæsarem sua ac postera ætas, & ea, quam hoc opere celebramus, memoria coluit) quæ licet decoribus aliis ac ornamentis largiter sane adfluens, tamen hanc laudem, quæ à restitutis vel ornatis litteris petitur, ut peculium suum, ut lautissimum idemque maxime dilectum patrimonium, suo quodam jure sibi vindicat. Quis enim adeo in intima barbaria consenuit,

nuit, ut neſciat hanc unam eſſe gentem MEDICEAM, quæ Majorum noſtrorum memoria, profugas & egentes Muſas, domum feliciter deduxit; neque ut hoſpites ſolum tecto decoro non minus quam ſplendido, ſed velut ab antiquo familiares, in intimum contubernium & curarum levamentum continuo accepit, immo imperii in parte eaque non infima, neque vero id dementer aut improvide, collocavit. Errabant ſcilicet miſeræ ac nudæ virgines, patriis laribus pulſæ ab inimica gente & barbara, multiſque inde jactatæ littoribus, donec Italiam & in ea Etruriam juſſæ divinitus capeſſere, ad Arni Tui ripam ſecundo curſu appellerent; ubi ſedem fortunarum ſuarum, ubi tabernaculum vitæ conſtituerent; ubi tandem CUSTODES AC NUTRITORES DEOS nactæ, non lucem modo ac alimenta, ſed decus in poſterum & ſplendorem omnem recuperarent. Quod admirandum beneficium quoties animo reputo, toties occurrit auctor divini hujus conſilii, gentilis Tuus, immo aſtrum illud Tuæ gentis ſplendidiſſimum, LAURENTIUS MEDICES, nullis tacendum ſæculis, quod omnia ſæcula immortalibus meritis ſibi devinxit, nomen. Cum quo viro vel Heroë (quid enim illi ad Heroïs fortunam aut virtutem defuit?) quem ex antiquis conferam, qui vel in Reipubl. procuratione omnes implerit numeros optimi regendæ civitatis ducis; aut in doctrina-

rum ac optimarum artium ſtudiis, auctoritate ac patrocinio magis eluxerit, haud equidem reperio. Si enim Conditores & Conſervatores urbium, aut Artium inventores ac patronos, ut dignos ſempiterna hominum memoria, divinis honoribus colendos ſibi antiquitas credidit; quis illo Heroë, ſi utramque laudem ſpectes, immortali gloria, & ÆTERNA ſæculorum MEMORIA, ſæpe hoc ære expreſſa, dignior? Ut mittam patriam eo moderante conſtitutam ſapienter, & temperatam præclaris legibus ac inſtitutis; aut pacatam ejus conſiliis & auctoritate Italiam; nonne ejus auſpiciis deducta illa nova Græcorum Colonia, quæ Reſurgentes in Italia Athenas condidit? quæ propagatis mox trans Alpes finibus, humanitatem omnem ſtudiorum & ingenii cultum, depulſis ignorantiæ ac inſcitiæ tenebris, in Orbem quaſi poſtliminio reduxit? Quis alius proinde (ut hoc mihi rurſus ex hac priſci æris uſura mutuari liceat) non ſolum URBIS SUÆ, aut vero ITALIÆ, ſed etiam Græciæ ſeu ACHAIÆ, meliori quam Hadrianus aut Maxentius titulo, RESTITUTOR vel CONSERVATOR audiet? quis juxta Severum, ſed quam Severo humanior! FUNDATOR non PACIS duntaxat, ſed artium ac diſciplinarum, quibus Pacis commoda effloreſcunt? quis cum Pio, AMPLIATOR non modo CIVIUM, ſed omnium paſſim liberalium ingeniorum? quis deni-

denique, quod Honorio tribuit eadem memoria, TRIUMFATOR GENTIUM, seu rectius, mentium BARBARARUM dici meruit? Quando vel major aut jucundior illuxit, post longam tot sæculorum noctem, post sævas etiam tempestates, post illuviem ac sordes superiorum ætatum, FELICITAS & LÆTITIA TEMPORUM; BEATA TRANQUILLITAS; NOVUM SÆCULUM, immo GLORIA ET REPARATIO TEMPORUM? & quam justius ejus imaginem ornaret illa publici gaudii significatio, PRINCIPIS PROVIDENTISSIMI SAPIENTIA; aut unius nominis commutatione, GLORIA SÆCULI VIRTUS LAURENTII? Quamquam quis uberiorem fructum divinæ illius beneficentiæ ac virtutis tulit, liberis ac gentilibus, vel summo rerum imperio potitis; vel ditionum amplitudine, opibus, potentia, adfinitatibus, honoribus, auctoritate, prudentia, summam inter homines gloriam & felicitatem consequutis? Quotam proinde partem laudis, quam & vivus obtinuit, & post funera à grata posteritate meruit, Etruscus ille Augusti familiaris vel adeptus est jam olim, vel commeruit? Sed contineo me in celebrandis ejus laudibus, quas præclara illa, quæ in gloriam temporum ac litterarum decus, fovit & aluit quondam ingenia, æternitati scriptorum suorum dudum consecrarunt. In ea solum conquiescam, quæ hujus loci quodammodo

pro-

propria, & qua factum, ut eodem illo ſtudio incenſus, quo in reſtituendis litteris ac reparanda vetuſtatis memoria, flagrabat incredibili, ſuam in conquirendis per Orbem Terrarum antiquis Nummis, celebratam jam in hoc ipſo opere, & adſertam luculenter à domeſticis juxta ac peregrinis teſtibus, induſtriam ac liberalitatem convertit. Ille ille Princeps fuit, qui ſe vindicem neglectæ hujus aut ignotæ vetuſtatis tulit; qui ſe priſcæ illius MONETÆ, neque vero unius gentis aut memoriæ, ad inſtar maximorum quondam Cæſarum, RESTITUTOREM profeſſus, inhiare reconditis opibus, præclarum, nec in vulgari laude poſitum cenſuit. Hinc ut optimorum & antiquiſſimorum codicum, ſic Auri, Argenti, Æris veterum ſignati immenſa vis & copia ab eo cupide collecta; & deinceps ejus exemplo excitati, vel auctoritate commoti, viri ſuarum quique civitatum vel nationum principes, aut elegantiæ fama conſpicui, qui geminam ſupellectilem, prout tempora aut facultates ferebant, delectatione vel reverentia antiquitatis, aut ad decus & ornamenta ſuorum temporum, ſtudioſe compararent. Adeo ut ex qua olim provincia, ornamenta dignitatis & inſignia ſummi honoris ac imperii, urbs gentium domina mutuata primum legitur; ex eadem rurſus, monumenta priſci Romanorum ſplendoris & gloriæ, ab interitu ac oblivione tandem aliquando vindicata

dicata reperias. Quum autem non adeo Tuorum popularium, quam propria sit & peculiaris hæc laus Tuæ gentis, & quasi per manus tradita à majoribus hæreditas, cuinam alii quam Tibi inscribi debuit hic liber, qui illius æris commendatione defungitur? Quamquam & alia sunt adhuc propiora, neque magis in rem præsentem, quæ me ad publicam hujus officii & gratæ mentis significationem, mira quadam consensione impellebant. Ac præ cæteris quidem possem memorare, natam mihi quodammodo primam ponendæ in hoc argumento opere fiduciam, ex quo versare licuit Gazam Tuam, omni hoc antiquæ supellectilis genere ad miraculum locupletem; dum ante annos aliquot agerem in illa verè florentissima ditionum Tuarum Metropoli. Quam uberem enim & copiosam notationum segetem mihi affatim suppeditare videbantur, tot abstrusæ, quæ mihi tunc patebant, opes; tot incisæ à sæculis pœne innumerabilibus antiquitates ac memoriæ? Quanta me proinde voluptate perfusum putas? quum ad studium, quo flagrabam sane haud mediocri, cognoscendæ percipiendæque vetustatis, tantam mihi repente oblatam facultatem, tam insperatum gaudium, vix jam illius compos agnoscerem. Cujus rei equidem ac felicitatis meæ, vel abunde, ut arbitror, nostris hominibus, ac forte etiam posteris, fidem faciet hic liber, passim Gazæ illius Tuæ opibus locupletatus, neque aliunde

ſane uberioribus aut præſtantioribus præſidiis inſtructus; ut vel eo nomine, quocunque oculos circumferrem, haud alii quam Tibi deberetur. Quid jam referam non proprias modo hujus libri, aut argumenti, in quo verſatur, ſed alias inſuper, eaſque graves variaſque rationes meas; quarum mihi eſſe non poteſt nonniſi perjucunda & perhonorifica recordatio? Neque enim ita ſum omni ambitione vacuus, ut non mirifice recreer memoria illius temporis, quo me in Domus Tuæ clientelam, præter communem mihi cum Muſarum alumnis & cultoribus ſortem, ſumma Parentis Tui (quod nomen omnes honorum titulos complectitur,) ſumma Patrui, ſumma etiam Tua benignitas coram non ſemel conteſtata tradidit. Ac Parentis quidem Tui nuper admodum è numero hominum exempti, ſapientiam incredibilem; juſtitiam ſummam; divinam rerum ac perſonarum memoriam; prudentiam, quanta in Rectorem cadere poteſt, mira inſuper urbanitate, facilitate, humanitate conditam; omnium denique, quibus Reipub. utilitas ac felicitas paratur augeturque, providam & peritam mentem, gratulabatur ſibi nuper juxta Italiam reliquam, immo juxta Europam univerſam Etruria. Cujus proinde interitu, acerbo ſibi & luctuoſo, angeretur mirum in modum, neque lugendi finem reperiret; ni omnem illam moleſtiam jucundus Tui adſpectus continuo abſtergeret; ni moderandi ac regendi

gendi sui traditas Tibi habenas, ac ideo eadem bona, quorum possessione beata nuper & felix audiebat, sarta sibi tectaque intelligeret. Singularis enim hæc Tuæ familiæ ac simul populorum Tuorum felicitas, ut in sublatorum è vivis Heroum locum ac fortunam, Heroës filii ac nepotes continuo succederent; atque ita in sinum Tuum & complexum, orba Parente publico Respubl. opportune confugeret; omnes curas doloresque in Tui incolumitate deponeret; ac FORTUNAM OBSEQUENTEM, nova gaudia, non divinatione, ceu ex veteri haruspicum suorum disciplin, aut futuri præsentiens, sed velut jam eorum conscia & compos sibi polliceretur. Quæ enim alia à Te poterat expectare, aut præsidia salutis, aut ornamenta dignitatis; quem à prima ætate tantam ad res optimas propensionem voluntatis adferentem; ita saluberrimis, neque iis pervulgatis regnandi artibus imbutum; ita omnibus doctrinis ac disciplinis excultum, quæ regendæ Reipubl. scientissimos decent, aut efficiunt; ita mirifica quadam virtutis indole, ab ineptiis omnibus, aut illecebris, quibus illa vel ætas, vel fortuna capitur, alienum, omnesque adeo voluptatum aditus sibi studiose intercludentem; ita denique per Majorum suorum vestigia, non citato solum gressu, sed expedito cursu decurrentem, ut sane quocunque Te converteres, haud alius Princeps juventutis, fortunæ juxta ac animi bonis paratior

inveniretur. Memini equidem, quum primum exorientis illius Tuæ lucis fama ac splendore inductus, Tui conspectu & collocutione cupidissime fruerer; tam lætam ac efflorescentem laudum segetem; tot ornamenta virtutis & gloriæ, populis primum ac ditionibus Tuis, dein bonis artibus ac earum cultoribus continuo gratulatum; & hujus etiam mei vel gaudii, vel judicii conscios ac testes, clarissimos & amplissimos viros habuisse, ad quos illius sensus propius quodammodo pertingebat. Dicam ingenue, neque ad Tuarum voluptatem aurium, quæ hoc acroama refugiunt: neque ad æmulationem exempli; quam dispar enim semper aut inferior remanebit! sed dicam ad gloriam hujus ætatis sempiternam. Mirabar scilicet tam excellentis naturæ præstantiam, quæ inter tot delectationum aucupia, & fortunæ splendidissimæ indulgentissimæque, undique Te quiescentem etiam ac dormientem ambientis amplexus, Te ad vigilias & sudores revocabat; ad verum decus; ad omnes illas curas & cogitationes, in quibus demum magnus, immo major fortuna sua animus acquiescit. Nihil molle proinde ac muliebre in cultu; nihil in moribus diffluens; nihil in laboribus remissum; in contentione otiosum; in otio languidum: omnia graviter; verecunde; industrie; attente; fortiter: sicut partim accipiebam à viris gravissimis, pueritiæ Tuæ paullo ante moderatoribus; partim

tim ipse coram intuebar. Dicam quod majus est; juvat enim meminisse: non jam stupebam vulgata quondam, sed annosis fabulis, utinam historiis & annalibus nostrorum temporum, obturatas scilicet aures ad Sirenum cantus; oculos ad Circes haud unius præstigias clausos; animum ad questus amantis, aut si quid adhuc dulcius, inconcussum: aut alioquin pectus ad vitium ætatis, mollitiem cœli, insidias Aularum, licentiam denique Floralium inaccessum: Non hæc, inquam, stupebam amplius; quamquam non protrita certe, non in alia horridioris etiam cœli, aut cujuscunque tandem ordinis juventute facile hodie conspicua. Verumenimvero stupebam totus, quum viderem rursus idem pectus (illis enim intereram HILARITATIBUS Tuorum TEMPORUM) concessis etiam cœlitus gaudiis; optata, sed quæ vota superaret, felicitate; influentibus in sinum quovis auro pretiosioribus bonis; quæ alias & temperantes commovent, & fortes emolliunt, & currentes remorantur; sic tamen incalescens, sic adfectum, sic iis indulgens, ut nihil simul de gravitate propositi, de cursu laudis, de contentione laboris; de amore, consuetudine, patrocinio veterum & avitarum necessitudinum, castissimarum scilicet virginum, remittendum sibi aut detrahendum putaret. O FIDEM & CONSTANTIAM, ita jam tum reputabam, non AUGUSTAM solum, sed invictam!

Ô SAPIENTIAM PRINCIPIS, hodie propemodum exclamem, pluſquam Mediceam! immo Ô TEMPORA, ſed quam FELICIA! Ô Mores, ſed quam laudabiles! quam vere digni prædicatione omnium gentium & linguarum! Et hæc tamen, etſi tam præclara ac inuſitata, laterent adhuc forte intra Apennini Tui ambitum, aut eos demum adficerent, qui ejuſdem mecum felicitatis compotes evaſiſſent: quamquam quid de ORIENTE vel AUGUSTO, vel certe Auguſtis proximo, & in hoc altiſſimo gradu poſito, non ubique gentium diffuſum, non expoſitum oculis longe etiam diſſitorum? At poſtquam Te nuper ad perluſtrandas regiones exteras, heroïcus quidam animi motus impulit; poſtquam inſtar clariſſimorum Cæſarum, quam ſæpe memorant hæc monumenta, PROFECTIONEM trans Alpium juga, & ad disjunctas multis marium ac terrarum ſpatiis gentes, cupide ſimul ac animoſe ſuſcepiſti; cui non nota jam & explorata illa Tua, immo Etruriæ Tuæ bona, illum divinum animum Tuum reddidiſti? Quid vero tam præter conſuetudinem noſtrorum aut ſuperiorum etiam temporum? quid tam inuſitatum in Tui ordinis ac nationis Principe? quam tantos curſus conficere; tot adire pericula; quam teſtes advocare omnes oras atque omnes exteras, cultiores certe ac humaniores gentes, maria omnia, Tuæ illius aviditatis immenſæ,

sæ, Tuæ celebrandæ omnium sæculorum memoriâ, voluntatis ac industriæ. Excivit enim Te novo & singulari exemplo, non alterius cœli clementia; ubi enim major cœli temperies, quam in Tua Italia? non alibi spectanda locorum amœnitas & elegantia; quænam enim cum Floræ Tuæ venustate ac splendore, aut cum villarum Tuarum magnificentia conferenda? non omnium rerum, quas vitæ cultus paratusque flagitat, ubertas; quid enim in ea re eximium, quid appetendum delicatissimi etiam fastidii hominibus, quod ista Tua Regia affatim & large non suppeditaret? non quietis desiderium; ubi enim locus quietis & tranquillitatis plenior eo, in cujus sinu & gremio adolevisti? non ut in majori quadam hominum aut locorum celebritate versareris; ubi enim major ac illustrior, quam in Italiæ Tuæ luce, quam in illa frequentia popularium Tuorum ac advenarum florenti, occurrebat? non ut Te externis moribus oblineres; quid enim jam Tuis cultius aut emendatius? non scientiæ denique, ex qua regendæ Reipubl. peritia paratur, adipiscendæ cupiditas; ubi enim uberior, quam in Tuos Penates, quam in Majorum Tuorum Imagines, quam in Parentis Tui vitam & facta intuenti, copia illius & usura suppetebat? Una Te excivit, COSME SAPIENTISSIME, (nescio enim quam lubentius in Te cognomina virtutis ac industriæ, quam fortunæ ac potentiæ venerer,) divini

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vini consilii vis quædam incredibilis; ut non adeo per gentes exteras novus hospes, quam per animos hominum scrutator intimus peragrares; ut ad Rempubl. capessendam, non scientiam magis domi partam, aut alienis præceptis in otio ac umbra disciplinæ imbutam mentem, quam usum per Te foris quæsitum, immo Tuis maximis periculis ac laboribus collectum conferres; ut non adeo per pressa Majorum Tuorum vestigia, obvio jam & facili, ut rebaris, gressu procederes, quam ipse novam viam & laudis & honoris & virtutis, quæ Tua esset tota & propria, in cujus societatem nemo se offerret, contento illo studio & cursu conficeres. Dicamne adeo, ut non tam externos ritus, cærimonias, ac consuetudines locorum (quamquam neque hoc supervacaneum) curiose circumspiceres; quam ut de inclinationibus rerum ac imperiorum; de vario cultu habituque ingeniorum; de finibus utilis ac honesti, quos sibi præscribunt populi multiplices varioque, & universo genere virtutum ac officiorum, unde pendet omnis bene beateque vivendi disciplina, scienter judicares; ut proinde non Tuorum solum familiarium, aut cæteroquin qui in Tua fide acquiescunt, sed indiscriminatim omnium ætatum, ordinum, nationumque mentes sensumque pertractares. Ita nihil in procuratione civitatis egregium; nihil consilio & sapientia excellens; nihil præclarum in arte,

aut

aut scientiæ & virtutis opinione eximium, aut elegantia conspicuum; nihil in investigandis rerum caussis & rationibus occultum, quo non oculos illos Tuos vere lynceos oblectare; non animum insatiabilem pascere; non percontando, indagando, perscrutando, intime & enucleate nosse volueris. Et hæc quidem tanti videbantur, ut Te à Tuis penatibus, focis, caritatibus, suavitatibus omnibus distraheres; ut non jam Apennini Tui pruinas ac nives perferre, sed altissimorum montium juga æterno gelu obsessa, aut nivibus impervia superare; adire modo ad asperas & incultas terras, inhospitales oras; algere; æstuare; turbines ac tempestates, quasi obsecundare Tuæ laudi & gloriæ cogerentur, subire; Oceanum, quo nihil longius, nihil ultra, nihil magis clausum populares olim Tui noverant, prope ut angustum, certe ut pervium Tibi ac apertum navigare; omnes denique molestias longæ ac difficilis peregrinationis suscipere, ludus Tibi & jucunditas fuerit. Qua in re utique Hadriani, doctissimi providentissimique Principis, videris mihi haud valde dissimilis; cujus cum in omnium artium ac minutissimarum etiam rerum cognitione exquisitam quandam sedulitatem ac industriam prædicant historiæ; tum studium in peragrando Orbe Terrarum, quo omnes retro Principes vicit, abunde etiamnum contestantur tot regionum, quas adiit,

ADVENTUS, huic memoriæ opportune consignati. Neque de Tuis sane ulla ætas aut memoria conticesceret. Manent fixa ubique eorum vestigia; neque adeo ære, columnis, tabulis, aliisque publicis & magnificis operibus, quam monumentis litterarum sempiternis, posteritati propagata. Neque Tu proinde expectas, aut ego tantum mihi adsumo, ut tanquam unus præ cæteris delectus LÆTITIÆ PUBLICÆ tot populorum interpres, plausus hic & acclamationes referam, quibus Te tantum ac tam insperatum hospitem; tot Heroum (nec vana fides) progeniem & expressam simul imaginem; spem ac lumen Italiæ, immo amplissimarum PROVINCIARUM SALUTEM, subsidium, columen; tot adfluentem fortunæ bonis; tot cumulatum animi dotibus excepit studiis forte & consiliis divisa, sed Tui amore & cultu, & referendæ gratiæ cupiditate conjunctissima Europa. Non dicam proinde, quod jam Fastis ac Annalibus omnium pœne gentium traditum; qua frequentia hominum; quo concursu omnium ordinum; qua festivitate locorum; quo apparatu (ubi scilicet vetare Tibi non licuit) Magistratuum; quo maximorum etiam Regum splendore, Tuum ADVENTUM eundemque FELICISSIMUM, Transalpinæ nationes certatim sibi celebrandum duxerint. Reputarem forte lubentius eruditorum ac præstantium passim ingeniorum ora atque

que oculos in Te conversos, immo inusitata gaudia & admirationem summam; dum missis aliis, quæ Te circumfluunt decoribus, clarissimum in Te MEDICEÆ gentis sidus, Musarum proinde delicias ac præsidium, PATRIUM ac propitium litterarum DEUM; eumque modo in Academiæ spatiis, modo in circulis suis & umbraculis, Museis, Bibliothecis, in colloquiis & congressibus litterariis, præsentem ubique & manifestum, alacritate ac pietate pari intuebantur. Videbas concurrentes undique, aut quasi duci suo ac imperatori obviam procedentes laureatos milites, qui currum Tuum faustis ominibus, & vocibus, non contumeliosis illis aut indicibus militaris licentiæ, sed plenis gaudii & amoris, sed totidem Tuæ laudis & gloriæ, Tui illius cursus ac itineris præconibus, incredibili studio & contentione prosequerentur. Immo egressas vidisti passim delubris suis mansuetiores Deas, non tam ut clientes patronum debito pridem cultu, quam ut familiares jucundis aliquando officiis necessarium suum complecterentur; neque eas adeo commotas ad Tui conspectum, antiquæ necessitudinis & grati animi fideli memoria, quam spe & exspectatione erectas, ampliorib̃us per Te commodis, in summa tranquillitate & otio perfruendi. Ita Te tot maximis gratulationibus, nec minoribus periculis perfunctum; tot spo-

liis onuſtum, non quidem devictarum gentium, quod commune Tibi cum Alexandris & Pompeiis cognomen adſereret, at vero ſcientiæ rerum nobiliſſimarum; patientiæ laborum invictæ; conſtantiæ; veræ fortitudinis; quæ non jam MAGNOS, ſed MAXIMOS præſtant: non opibus etiam aut potentia, quæ bona jam in Te ſuperfluebant, gloria tamen & celebritate auctum, REDUCEM excepit patria, cujus mox ſaluti & incolumitati provideres; cujus imminentem orbitatem Tui conſpectus, Tua TUTELA ſolaretur; in cujus decus & ſplendorem conferres lumen illud animi, virtutis, conſiliique; adeo inſignem regendæ Reipubl. partam domi & foris auctam, ac jam tantis tamque ornatis politioris Orbis judiciis teſtatam comprobatamque facultatem. Cujus equidem felicitatis cogitatione non poſſum non vehementer adfici, quam Tibi undique potentiſſimi Reges Cæſareſque, quos proxima neceſſitudine adtingis, congratulantur; qua Provinciæ Tuæ ſe efferunt & exultant, ac illa in primis fortunatiſſima pulcherrimaque Tuarum Provinciarum Metropolis. Delectat enim me incredibiliter REDUX, ſeu verius conſtans & MANENS urbis illius FORTUNA, in qua bono ac ſingulari meo fato, ſedem mihi aliquamdiu locare licuit; & quam non ut eloquentiæ ſolum in Italia principem, procreatricem, ac populari gloria dudum

dum inclytam; sed vel maxime ut domum humanitatis; urbanitatis sedem; Musæum Italiæ; officinam prudentiæ; exemplar bene moratæ & bene constitutæ civitatis; ut Florem denique omnis venustatis ac elegantiæ, & absens suspiciebam pridem, & coram facile intellexi. Tangit me tot excellentium ingeniorum, quibus eadem abundare consuevit, tot clarissimorum civium, qui eam jugiter illustrant, perennis quædam ac jucunda recordatio; in quorum ego consuetudine plena officii, elegantiæ, suavitatum, vel præcipuum peragratæ nuper Italiæ fructum collocare semper soleo. Sed adficit me vel inprimis ac recreat Patrui Tui, LEOPOLDI Cardinalis, intuitus; Tibi, sat scio, non minus cognatione sanguinis, quam consiliorum societate ac fide conjuncti. Quanta enim sunt, (quæ nec aliena ducis à Tua laude) quæ illum circumdant ornamenta gloriæ? quanta sapientiæ, gravitatis, temperantiæ, prudentiæ, decorum denique omnium, quæ tantæ amplitudini conveniunt, immo quam pœne incredibilis ubertas ac adfluentia? Quis in tanto splendore generis ac fortunæ, vel graviora onera rerum publicarum leviori pondere sustinet? vel qualecunque otium honestioribus oblectamentis transigit? vel dignitati & gloriæ, traducto ab omni alia cogitatione animo, liberalius ac fidelius servit? Quis in eo potissimum, quod mirabili quadam

dam contentione ſuſcepit, litterarum patrocinio, ac Medicea de interioribus doctrinarum ſtudiis & laborioſis doctorum hominum vigiliis bene merendi conſuetudine, majorem vel diligentiam, vel auctoritatem, vel beneficentiam præſtat? Cujus etiam & perpetuæ quidem voluntatis obſides totidem, nemo, ut opinor, infitiabitur, ejuſdem auſpiciis in lucem è tenebris, è ſitu certe ac tineis educta, præclara veterum aut recentium ingeniorum monumenta. Quo in numero vel primas tenent ea, quorum divulgata nuper notitia, induſtrio ac felici calamo familiaris Tui, Laurentii Magalottii, præter ſummam elegantiam, ornati plurimis & exquiſitis artibus, non modo præclara & ignota antea naturæ arcana; nova & pulcherrima inventa; ſed viam etiam non contritam & materiam uberem, ad occultiſſimarum rerum cognitionem perveniendi, ſtudioſis hominibus patefecit. Adeo hoc unum ſupereſſe videbatur conteſtandæ inuſitatæ popularium Tuorum induſtriæ, ut unde adſcenderant noſtra ætate novi perſcrutatores orbium cœleſtium, qui velut jam SIDERIBUS RECEPTI, motus eorundem & naturam propius indagarent, numerum inirent accuratius; neque jam ficto ſpectaculo (quamquam & in hac Nummorum memoria obvio) unum aliquod Julium ſidus, ſed plures Stellas MEDICEAS, nube, quæ illas per tot ſæcula ob-

te-

texerat, discussa, toti Orbi manifesto conspiciendas darent; ex ea, inquam, urbe prodirent hodie, qui elementorum ac rerum infra illos cœli vertices & globos defixarum vim, adfectiones & mutationes varias ac mirabiles, sublata, qua involutæ fuerant hactenus, caligine, Etrusci illius GENII & AUSPICIS ductu, in aperta ac manifesta luce collocarent. Quam incitatum præterea ejus & flagrans, quod hic sine piaculo præterire non licet, in vetustatis reliquiis colligendis ac reparandis studium? quanta in priscis Marmoribus, Signis, Statuis; quanta potissimum in antiquis Numismatibus congerendis, quibus jam Gazam instruxit pari copia ac delectu nobilem, cupiditas ac solertia! Immo quam liberalis eorundem custodia! quanta in iisdem non delectationis solum caussa, aut ad Musei ornamentum & admirationem antiquitatis, in quo tamen acquiescit multorum & maxime beatiorum hominum industria, sed ad quæstum Musarum uberrimum, seu ad usum & elegantiam studiorum conferendis, alacritas & beneficentia? Quid enim, ne aliunde arcessam ejus rei probationem, ab eo prætermissum, quo transmissis veterum, eorumque haud vulgarium Nummorum ectypis, ornatior hic liber in hominum manus denuo perveniret? aut cæteroquin, quod humanitatis ac benevolentiæ genus (dicam verecunde, quia ad laudem meam facit insigni-

ſigniter) derelictum; immo non ultro & frequenter, non blande ſimul occupatum, quo me aut ornaret præſentem, aut abſenti qua litteris, qua litterariis etiam muneribus, ſummam ſtudii ac beneficæ voluntatis propenſionem declararet? Vel quam familiaris illa, neque hic reticenda ſalutatio, qua me nuper ex Urbe Æterna, per Ludovicum Strozzam, omni laude abunde cumulatum, quæ vel virum ingenio, judicio, ac rerum uſu cum paucis præſtantem, vel cæteroquin res maximi Regis in Aula Tua procurantem decent, mihi autem perenni quadam officiorum neceſſitudine conjunctum, impertiri voluit; ac ſimul certiorem reddi, ſe in ea Urbis habitatione, non dimiſſurum è manibus oblatam continuo facultatem, Muſeum ſuum nova ſelectiſſimorum Numiſmatum acceſſione ſubinde locupletandi. O non jam Gazam, ſed mentem auream! O ſplendorem etiam inſolitum! quippe non jam quæſitum vel hauſtum è concha Tyria, aut Tiaris (etſi utrumque hæc penus quoque ſuppeditat) gentilibus, aut aliis etiam conſpicuis, quæ illum undequaque ambiunt, & laudis & honoris inſignibus, ſed ex Gazis immenſis, immo ex luce omnium retro gentium ac ætatum. Adeo ut vel hoc uno auſpice ac auctore, non metuendum amplius videatur, ut ea ſtudia, quæ morbum alii ac inſaniam vocant, quam vere ac ſapienter ipſi viderint; ille vero tum præ-

præsidium litterarum, tum remissionem animi omnium honestissimam ac liberalissimam statuit, debita laude ac sperato fructu deinceps careant. Quis enim audeat impune sugillare, aut resarcientem sollicite tam pretiosas haud unius naufragii, quo tot antiquitatis Thesauri perierunt, Tabulas, non jam VICTRICIBUS sed victis quasi FATIS ereptas; aut colligentem cupide hæc sola RELIQUA VETERA, tot incendiis, ruinis, casibus nondum ABOLITA; aut consulentem diligenter, non jam Etruscæ seu popularis quondam disciplinæ, futuri scilicet divinatricis, Oracula; sed artem seu MEMORIAM verius præteriti temporis LUCIFERAM; sed APOLLINEM MONETALEM; sed FIDEM anteactarum rerum MAXIMAM; FELICEM denique ac PERPETUAM RESTITUTÆ vetustatis, ceu tot personarum, tot actorum, tot operum CUSTODEM, REPARATIONEM, SALUTEM. Ita quocunque me vel animo vel cogitatione converto, non suadent modo singula, sed compellunt, ut non alteri, quam MEDICEÆ genti dicaretur hic liber, illeque in Tuo nomine, MAGNO, seu verius MAXIMO ejusdem gentis simul & imperii STATORE appareret; quo incolumi liberalibus disciplinis, antiquitatis studiis, honestis artibus perfugium, asylum, domicilium; immo splendorem, decus, æternitatem, non spondere jam sed gratulari licet. Ita vigeas

ac floreas, PRINCEPS OPTIME, jucunda Nepotum Tui ſimilium, hoc eſt, qui per Tuum illum curſum conſilii gloriæque grădiantur (quid autem vel ad fortunam majus, vel ad naturam melius, vel ad utramque optatius precari iiſdem licet!) multitudine circumfuſus; & quæ in auſpicatiſſimis hiſce principatus Tui exordiis, miro omnium ordinum conſenſu, SUSCEPTA ſunt VOTA, ea DECENNALIBUS, ſeu quod paſſim priſco ære haud minus ſignatum noſti, VICENNALIBUS ac TRICENNALIBUS MULTIPLICATA grata SOLVAT poſteritas. Pr. Id. Decemb. cIↃ IↃ CLXX.

LE-

LECTORI.

QUum Romæ essem ante sexennium, natus ac editus simul in ea luce primus partus hujus libri. Vix domum ex Italia reducem rogavit continuo, qui tum apud nos agebat, typographus, ut eundem hic loci quoque divulgandi copia sibi fieret. Neque enim delatum in has oras quidquid hujus fœtus in Urbe Æterna prodierat; cujus videndi desiderio multi tamen è nostratibus aliisque transalpinis hominibus tenerentur, quibus vellet hac in parte satisfactum. Annui facile, ut eadem opera meliorem illum, saltem auctum novis incrementis darem. Id enim à me efflagitare videbantur, partim judicia doctorum hominum, quæ jam publice exstabant de eo quamquam immaturo partu, ornata illa valde ac benevola; partim privati amicorum hortatus, ut quod in me jam ante receperam, dependerem; partim studium vel ita juvandi bonarum artium disciplinas incredibile. Ita factum, ut vix elapsis aliquot à reditu meo mensibus, jam pars operis haud contemnenda typis describeretur; ut sperarem brevi integrum, qualecunque illud erat, in novam lucem emittendum. Sed aliter res cecidit. Dum enim ea tempora repente apud nos exorta, quæ me totum aliis curis distraherent, typographus vero de sedis mutatione ac alio vitæ genere instituendo cogitat, jacuit liber aliquamdiu, donec occasione itineris herili mandato ad Bredanos de Pace Conventus, & inde in Bataviam ante triennium, & quod excurrit suscepti, Elsevirius noster eum elegantibus suis formis totum denuo transscribendi provinciam opportune in se receperet. Sed neque ita omnis hæc res tam cito, ut ego equidem speraveram, ac spem simul aliis feceram; confecta; dum aut rursus alia mihi suscipienda itinera; aut domum reditionem excepit longi & molesti morbi pertinacia; aut libri ipsius ratio, vel propter cælaturam nummorum eidem inserendorum aliasque difficultates, cursum operarum & simul exspectationem meam in longum protraheret. Quæ ideo præfanda hoc loco censui, ut omnibus ratio con-

staret longioris moræ, & facerem iis satis, qui aut editionem urgebant quotidianis ferme convitiis; aut fidem datam subinde interpellabant; aut omne illud tempus aliis curis transactum, in ejusmodi opere limando politius, male consumptum possent arbitrari. Ita enim hodie vivitur. Ubi ultro ac sponte tuam ad aliquam materiam illustrandam locasti industriam, continuo quasi ad dictum vocaris, neque ullum comperendinatum indulgent morosi creditores, quin velut nexum sibi & vadatum sisti è vestigio jubeant. Adeo quidem, ut per eos non liceat tibi amplius, non dicam otiari, sed aut alia agere haud paullo graviora, certe quæ tui muneris cursus & ratio postulat; aut etiam valetudini tuæ consulere; aut vero lucubrationes tuas, non dicam in decimum, sed ne quidem in unum aut alterum annum perpolire. Aliter quidem illi veteres, qui sibi aliisque gnavi ac industrii homines videbantur, præclare utique de suis ac posterorum temporibus meriti, si per plures Olympiadas gestarent ejusmodi fœtus, quos intra decimum diem mira hujus sæculi fecunditas parturiret. Sed nolo hic tecum expostulare, mi LECTOR, *cujus gratiam mihi haud uno nomine ambiendam novi. Quid saltem boni ex ea mora, huic secundæ fœturæ interposita, contigerit, disces. Factum scilicet opportune, ut dum medio illo tempore, binæ in Galliam obitæ legationes facultatem mihi largiuntur videndi quidquid in eo genere eximium ac selectum recondit in splendidissima illa Galliæ metropoli vere regia & admirabilis maximi Regis Gaza, aut aliorum etiam Musea, quorum nomina plena dignitatis ac industriæ alibi enarramus, haud levis vel pœnitenda accessio huic operi contigerit. Ut nihil dicam de subministratis subinde ex Italia à viris summæ amplitudinis nec minoris humanitatis aut elegantiæ veterum Nummorum eclypis, quæ ornarent hunc librum, ego ea vicissim mea explanatione illustrarem. Non deprædicabo hic singulorum beneficentiam, suis locis à me haud obscure quidem vel parce celebratam, sed tamen longe infra tam propensam ac perpetuam in me aut in hæc studia voluntatem. Adeo ut hanc moram, quæ alioquin ingrata mihi*

hi ac forte itidem tibi contigerat, non sine fœnore, aut etiam anatocismo compensatam scias. Neque tamen hoc agam operose, ut vel industriam meam tibi glorioſè prædicem; vel de instituto hujus libri multis te præmuniam, quod vel ex proximi breviarii intuitu constare tibi poterit; vel ea etiam sollicitè diluam, quæ mihi aut gratiam tuam, aut patrocinium forte possent obstruere. Equidem non vereor, quicunque tandem aliter sentiant, ne has antiquitates nimis magnificè extulisse videar, haud dissimilis illorum nundinalium circumforaneorum, qui expellendis morbis omnibus unum pharmacum venditant; aut cæteroquin non infrequentium id genus hominum, qui dum artem aliquam sibi ornandam suscipiunt, hoc unum agunt, ut eam non solum omnibus aliis anteponant, sed ex eâ cæteras omnes, etiam alienissimas profluere, multâ contentione ac studio adfirment. Ut jam in proscenium non adducam sacros illos oratores, quos, (lepida quippe capita,) ego ac tu non semel risimus; qui Divi alicujus ceu Herois laudationem adgressi, reliquos omnes suo loco ac gradu motos, velut vilem turbam, in ordinem cogunt. Ne ego hujus culpæ adfinis deprehenderer, videbar mihi bellè toto hoc opere cavisse; immo quàm sejuncta hic ab iis, quos modò enumeravi, omnis mea ratio fuerit, statim sub initium libri, plenè satis ac dilucidè declarasse. Neque verò illos moror, qui cùm suæ tantùm circumspiciant; in iis se jactent, quæ se scire aut docere profitentur, alia omnia, quæ ignorant, nullâ contentione animi, nulla saltem valde laboriosâ animadversione digna arbitrantur. Fruantur sane illi suis delitiis, suis amoribus; neque nos habebunt repugnantes, aut vero infitiantes valde præclara esse & laudabilia, in quibus eorum se exercet industria. Sapiant etiam soli, si velint, modò nos sinant insanire cum viris hujus aut superioris memoriæ longè clarissimis & gravissimis; neque nostra nobis otia, nostra oblectamenta ad unum nutum suum & arbitrium præscribere aut recoquere cogitent. An inania sint, an infructuosa, annon laboriosis multorum vigiliis, an verius somniis anteponenda; an omni non jucunditate solùm, quam forte largien-

tur, sed utilitate quadam pæne incredibili, quam omnino denegabunt, vacua, hoc libro conati sumus demonstrare. Verum de eorum judiciis haud valde nos decet laborare; utpote omnium eorum opinione, quibus cara est elegantia studiorum ac litterarum salus, abolitis pridem ac damnatis. Quam justius angor ea cura, ne iis fecerim satis, qui forte nonnisi exquisita & mirabilia de hoc opere sibi pollicebantur; quippe jam gnari aut facile intelligentes, quam multa contineat hæc memoria in cærimoniis veterum occulta; in historia nobilissimarum gentium mutila; in litteris interioribus ignota; in omni antiquitate recondita. Quam multa inde educi possint, si non ad principia scientiæ naturalis ac civilis haurienda, ad morum tamen ac regendæ Reipubl. normam & leges, ad historiam quoque plantarum aut animalium illustrandam spectantia; ad notitiam præterea temporum, Romanorum fastos, æras variarum gentium; ad urbium ac regionum appellationes, origines, prærogativas, sacra, ludos, fœdera, conventus, magistratus; ad ortus & imagines tantæ ac tam antiquæ nobilitatis, & clarissimorum omnis memoriæ civium, opportuna valde ac unice quidem comparata: quam multa denique modo expressa & fixa, modo pressa leviter vestigia eadem industria suppeditet, unde ulterius in eo litterarum cursu procedere, aut digitos ad veros fontes intendere continuo liceat. Quorum omnium specimina quædam, haud vulgaria illa vel contrita, hoc opere exhibere contendimus. Videbam quippe apertum & patentem campum, novam laudis ac industriæ semitam, per quam progredi continuo liceret ad notitiam multarum rerum adhuc abstrusarum, certe quæ nondum pro earum pretio ac litterarum dignitate fuerunt hactenus pertractatæ. Quotusquisque enim est ex eorum numero, si duos tresve ad summum excipias, qui vel nostra vel patrum memoria, in congerendis aut exponendis his antiquitatibus laborarunt, quem (dicam libere, quia de mortuis loquor) liberalior quidam genius adflaverit; qui eximium aliquid ac singulare præstiterit, quod diligentiæ non solum haud vulgaris & multi usus harum rerum, quorum utrumque plures suo jure sibi vindi-

vindicant, sed præterea eruditionis paullo reconditioris, ac ingenii interioribus litteris non tincti solum sed imbuti laudem possit apud posteros obtinere? Versantur quidem in omnium manibus soli ferme, qui hactenus studiosos antiquitatis his mysteriis initiant, Antonii Augustini Dialogi, viri, si quisquam alius sua ætate, Romanæ & antiquitatis & jurisprudentiæ studiis exculti egregie & perpoliti, judicii autem, quod pluris adhuc facio, exacti valde ac limati. Verum, quamquam culti sint illi valde ac luculenti: annon tamen sitim potius horum studiorum excitant, quam explent? annon toti ferme in Romanis, iisque, qui hodie pro vulgaribus habentur, aut vero patriis nummis enarrandis versantur, infinitam autem illorum sylvam, seu eos non viderit, (etsi jam tum Romæ, ubi diu floruit, ac alibi in Italia magna extaret eorum copia) seu plures demum postea reperti, qui Græcas, Asiaticas, Africanas antiquitates ac memorias recondunt, non attingunt iidem, ne dum exponunt aut illustrant? Neque verò tantum ego mihi tribuo, ut me hic exquisitum aliquid præ cæteris & suis omnibus numeris absolutum perfecisse mihi videar. Nescirem ipse primas hujus industriæ leges, & quomodo comparatum sit omne hoc studiorum genus, varietate quadam & comprehensione infinitum, si tale quid animo insedisset meo. Viam tantùm sum ingressus, quæ paullo longius tendit, in quam plures semitæ confluunt, & quæ plures etiam comites secum trahit, sed per quam alii procedent post me felicius, quibus cùm eadem quæ mihi, aut major etiam opportunitas, tum uberior instructus eruditionis, aut in immortalibus illis litterarum ac doctrinarum studiis consenescendi largius otium ac perpetua quædam felicitas contigit. Amorem in bonas artes mirificum; diligentiam præterea, quanta per alias curas aut invaletudinem licuit, præstitisse me non negabo, ne plane tuam exspectationem frustraretur hic liber; & cujus etiam rei testes proferre possem tot venerandæ antiquitatis monumenta, è superiorum temporum caligine, in qua adhuc delitescebant, eruta hic tandem & enarrata. Modestiam certe & æquitatem nemo æquus, ut opinor, desiderabit, dum à viris magnis, aut cæteroquin

harum

harum deliciarum ante nos promis condis, dissentimus; sed procul ab omni pruritu obtrectationis, invidiæ, æmulationis, aut cujuscunque tandem gloriolæ inde captandæ studio, ducente nos eò rerum tractandarum serie; idque ut frequenter, sic dissimulatis ferme nominibus, aut iisdem debitâ laude & prædicatione ornatis. Neque illæ fateor de summis Christianæ fidei capitibus, de justitiâ aut injustitiâ, de summo bono, aliisque id genus gravissimis rebus disputationes, è quibus salus hominum ac fortunæ pendeant, de iis tamen, quæ ad omnem litterarum ac eruditionis ubertatem & elegantiam pertinent, & in quibus, ut proclive à scopo aberrare, ita paratior veniæ locus, nec internecina odia metuenda continuò veniunt. Neque verò ab eo proposito me deterrere debuit clarissimorum nominum splendor; in quorum quippe vestigia, etiam ubi à verâ semitâ deflectunt, pedem solent illico ponere iisdem studiis dediti, qui ideo in rectam viam veniunt comiter deducendi. In quo ita versati sumus hactenus, ac versabimur in posterum, quamdiu mens sana nobis supererit, ut omni aliâ industriæ ac eruditionis laude carere lubenti animo cogitemus, modò illa humanitatis ac pudoris nobis constet; & mihi cùm à naturâ ingenitæ, tum ab optimo parente inditæ, tum perpetuo quodam meo studio cultæ, singularis nempe erga litterarum ac scientiarum principes, voluntatis & observantiæ. Neque ægrè ferrent, qui ex iis ad plures abiêre, quod ea quæ procul ab eorum oculis fuere submota, meliore ea in re fato usi, patefecerimus; in quæ si ante nos incidissent, Deus bone! quantùm inde luminis, quantum adjumenti, ad omne litterarum genus illustrandum adtulissent. Nobis uberem quendam operæ fructum tulisse videbimur, si nostro qualicunque labore, aliorum exacuerimus industriam, quò paullo diligentius incumbant in eadem studia; ac inde non mirificam solum voluptatem ob imagines tot illustrium omnis memoriæ hominum, aut exquisitam artificum elegantiam, capiant; sed præterea penum suam doctrinæ ac eruditionis insigniter locupletandam norint. Quid cæteroquin novâ istâ hujus libri editione à nobis præstitum, qua accessione eadem aucta, haud opus, ut arbitror, hic pluribus

ribus

ribus commemorare. Pro una Dissertatione, quia ita nimis longa videri potuisset, novem exhibemus, servata nihilominus eadem ordinis & materiarum serie, sed simul novis singula & luculentis, prout equidem speramus, certe ut voluimus ac laboravimus, observationibus testata comprobataque. Multa proinde aut plenius pertractata, quæ leviter antea adtigeram; aut emendata interdum, quæ, prout homines sumus, secus forte ac properanter notaveram; aut primum neque parce hic inserta, quæ omnino in prioribus omiseram. Additæ etiam passim variæ Nummorum veterum icones, ita rogante typographo, qui primus secundæ hujus fœturæ in lucem edendæ onus in se receperat; etsi ego ab iis abstinere omnino constitueram. Aberant enim à Romana editione, & diversa hic nobis consilii ratio ab iis, qui dum aut antiqua id genus numismata in loculis suis habent recondita, aut provinciam sortiti ea de alieno Museo divulgandi, optimo horum studiorum fato & cum æterna sua laude, eadem proferunt in publicos & communes usus singulorum, qui his antiquitatibus delectantur. Nobis neque hactenus licuit esse tam beatis; neque tale quidpiam ab initio operis propositum. Unus hic scopus, ut quid de toto hoc studiorum genere esset statuendum; quantum præter dignitatem *aut* jucunditatem *quandam incredibilem, per omnem doctrinarum ac litterarum varietatem,* utilitatis *haberet reconditum; quam plus contineret in recessu, quam vulgo hactenus creditum; quam immerito proinde neglectum jaceret passim aut ignoratum, non verbis tantum, sed documentis omni exceptione majoribus declararem; idque iis maxime, quæ inspecti nobiliores in hoc genere Thesauri, at vulgo parum noti, suppeditare nobis videbantur. Ad quos equidem mihi quum pateret aditus, singulari meo & incredibili studio, percellebat continuo oculos tantus defossi Auri, Argenti, Æris, tot reconditarum divitiarum fulgor; quas in tua etiam commoda, & litterarum ornamentum, quocunque tandem modo erogandas arbitrabar. Illud quidem eum, quo inflammabar, ardorem, subinde reprimebat, quod dum aut multa fugiente quasi oculo,*

aut aliud etiam agendo, pro custodum nempe vel comitum ingenio aut dignitate, aut pro angustia temporum, intueri compellerer; aut alioqui præcopia & varietate in delectu & notatione singulorum laborarem, nunquam large satis meam cupiditatem explere, aut satis idonee ac attente eo spectaculo, quo ad ficiebar mirifice, perfunctus mihi viderer. Unde etiam veniam haud difficulter, ut spero, largieris, mi LECTOR, *si dum aut petenti concessa, aut ultro etiam transmissa Nummorum id genus signata quædam simulacra, eaque ex vetustis illis quidem & sinceris, quos videram antea, sed attritis sæpe & exesis archetypis expressa, inde à cælatore haud valde illo præstanti in hac arte, sed qualem loci ratio ferebat, cusa, minus elegantiæ ac venustatis, aut vero accurationis interdum habere videantur. Major utique fateor eorum, & quam iis gratulamur felicitas, qui domi possident eas opes; quibus proinde recurrere continuo ad prototypos licet; inde emendare, restituere, & majori adeo cura, fide, diligentia cælatos divulgare conceditur. Cujus notæ, ut de iis nihil dicam, quæ & patrum & nostra & recenti adhuc memoria prodiere, & luculento Patini nostri, quo largiter ac splendide ornabit has artes, opere, alia insuper ex mirabili Gaza illa* REGIA PARISIENSI, *in quam ut in vastum mare aliæ minores aquæ quotidie influunt, brevi itidem, ut speramus, habiturus es,* LECTOR, *felicibus eorum curis, in quos incumbit hodie ejus custodia; qui nempe Regis longe maximi fortunatissimique gloriam iis etiam monumentis ad decus nostrorum temporum sibi propagandam putant. Et habebunt ista quidem, regiis utpote auspiciis ac impensis, summis autem & perennibus studiis viri, ut alia mittam decora, fidei ac industriæ pœne incredibilis, quo non usu magis ac præstantia, quam splendore ac venustate singulari, oculorum tuorum simul ac animi voluptati admirabiliter serviant. Unde ne omnino inferior ea laude Germania quoque nostra censeatur, curabunt quandoque admirandis* DOMUS AUGUSTÆ *aliorumque hujus Imperii Procerum præpositi, seu quos Tullius hic vocat, mysta-*

mystagogi; & juxta eos vir pluribus doctrinis excultus, Ericus Mauricius, juris in Academia patria antistes, his quoque studiis valde deditus; qui felici, ut coram nuper referebat, fato, plures veterum eorumque selectissimorum Numismatum centurias nactus, accuratissimo studio & artificio superiori sæculo depictas ab homine, sicut eidem videbatur, summe talium avido ac perito, idque ex nobilissimis quibusque, quæ tum florebant, antiquitatum id genus promptuariis. In cujus etiam laudis societatem veniet suo jure Belgium, quamdiu aut superstites in eodem erunt Goltziorum, Chiffletiorum & Rubeniorum æmuli ac hæredes; aut in horum lucubrationibus divulgandis suam industriam conferet, qui propriis opibus abundat, Johannes Georgius Grævius; vir non singulari solum humanitate, facilitate, ingenio, sed, quod te jam non fugit, inter Atlantes hodie, qui cœlum illud litterarium in iis oris alacriter fulciunt. Neque vero suas, quas possidet etiamnum, opes invidebit nobis diutius horum studiorum parens & procreatrix Italia; non diligentes illi custodes Gazæ, puta aut MEDICEÆ, *aut* ESTENSIS, *aut* FARNESIANÆ, *aut in Urbe Æterna* REGIÆ *rursus seu Heroïdis* CHRISTINÆ, BARBERINÆ, BUONCOMPAGNI, CAMILLI MAXIMI, *aliorumque id genus* πλουσίων, *de quorum inexhausta quadam opulentia vel fidem tibi abunde faciet hoc opus inde passim locupletatum. Quo ita conspirantibus studiis & operis tandem aliquando restituantur illæ artes, quæ quondam in honore florebant & celebritate hominum versabantur, ac unde liberalibus artibus ac doctrinis, novus quidam splendor, nova continuo accrescent incrementa. Neque minus interea nostram hanc qualemcunque de tuis studiis bene merendi voluntatem, tua benevolentia, tuo etiam patrocinio complecti dubitabis; & eo quidem lubentius, quod his præsidiis & adjumentis destituto alia omnino consilii ratio fuerit ineunda, quo his antiquitatibus prodesse m, earumque studium pro virili parte promoverem. Accedit, quod præter cusos illos Nummos, quos aut casus mihi obtulit, aut diligentia mea ac aliorum benigni-*

tas ſuppeditavit, magnam hic habeas præterea ac prope immenſam aliorum copiam, ex omni antiquitate ac memoria petitam; eamque non æri quidem inciſam, quod neque licuit nobis, neque adeo ſemper aut peræque neceſſarium, etſi præclarum ſemper, hic primum tamen, quod unum erat reliquum, in tuos ac litterarum uſus à nobis haud perfunctorie deſcriptam ac enarratam. Adeo ut vel eo nomine lectorem poſſit hic liber adlicere, ac varietate quadam majori delectare; dum, quod ferme aliorum, qui hactenus in ea palæſtra ſe exercuere, inſtitutum fuit, non unius gentis aut ætatis, Græcos puta aut Barbaros ante Romanorum Imperatorum tempora ſignatos, aut Conſulares, quos vocant, aut Cæſarianos, eoſque vel unius generis aut metalli paſſim hic leges; verum omnium illorum temporum, nationumque, nullo notæ & magnitudinis diſcrimine, ſuo tamen ordine & loco partim expreſſos, partim explanatos. Qua in re equidem, lubrica valde aliorum veſtigiis, id diligenter ac ſollicite egimus, ut nullos Nummos, niſi vetuſtos & probos, eoſque vel à nobis inſpectos, accurate, quantum per negotiorum aut occaſionum momenta licebat, deſcriptos; vel interdum ab iis, quorum aut publice teſtata, aut alioquin abunde perſpecta nobis fides ac induſtria, ſubminiſtratos, non vero ex promiſcuis aut perperam expreſſis, ut ſæpe experti ſumus talium antiquitatum indicibus & commentariis depromptos, vulgaremus. Occurrent proinde inter noſtros frequenter ab aliis jam cuſi, aut enarrati, prout certe ratio hujus operis omnem illam memoriam, ſeu adhuc deliteſcentem, ſeu jam repertam promiſcue efflagitabat; qui tamen hic aut emendatiores divulgati, aut novis obſervationibus aucti, aut à pravis interpretationibus vindicati reperientur. Qua occaſione etiam haud injucundum tibi, aut ſtudiis tuis omnino infructuoſum cenſui, ſi varia neque ea ignobilia auctorum veterum loca, varioſque ritus & conſuetudines cultiſſimarum gentium, quæ adhuc in quadam obſcuritate verſari videbantur, majori certe luce indigere, paullo diligentius, quam hactenus factum, explanarem ac illuſtrarem. Sed de his plus ſatis, ac ſane præter inſtitutum

indu-

induſtriæ noſtræ hic tibi adeo magnifice venditandæ. Conſultius utique & opportunius foret, æquitatem hic tuam interpellare, ſi in griphis & ænigmatibus ſolvendis, non OEdipum me ubique aut vatem χρησμολόγον præſtiterim; quod neque mihi ſemper licuit per aciem ingenii haud valde perſpicacis, neque per recondita alicujus, quæ in me eſſet, doctrinæ ſupellectilem. Neque vero illos errores tango, quos fatalis vel deſcriptorum vel operarum incuria huic libro ſubinde etiam adſperſit; qui nec frequentes adeo, pro ratione editionis me abſente & procul poſito procuratæ; neque ita leves interdum, ut non tenebras legenti offundant, quas conſultus in fine operis elenchus haud magno labore diſcutiet. Interim vale, mi LECTOR, *& quibus verbis te jam Romæ compellaſſe memini, hic loci haud minus adpoſite repetendis,* PRÆSTANTIAM *hujus mercis, non ex inſtitoris præconio, ſed ex* USU *ejuſdem æſtimare adſueſce.*

SERIES ET ARGUMENTA
DISSERTATIONUM.

DISSERTATIO I. Occasio & scopus Operis. pag. 1

Prima Commendatio Numismatum à DIGNITATE 1. ob *Antiquitatem*. Veterum Reliquiæ quales & quanti jam olim habitæ. 2. ob *Durationem*. Comparatio Nummorum cum aliis monumentis. 3. ob *Argumenti Nobilitatem*. 4. ob *Splendorem* & *Auctoritatem* Nummos tractantium Cæsarum, Regum, Principum, & Illustrium virorum per Italiam, Siciliam, Hispaniam, Germaniam, Belgium, Galliam, Angliam &c. 4

Altera à VOLUPTATE 1. de *Materia* Nummorum. 2. ob *Artis* seu cœlaturæ præstantiam. 3. ob *Imagines* Illustrium Græcorum, & Barbarorum, quorum series obiter traditur. Item Romanorum. De Nummo Ovidii Nasonis. 4. ob alia *Vestigia* prisci ævi. 30

DISSERT. II. Commendatio Tertia ab UTILITATE. 49

Primo in GRAMMATICIS 1. Circa *Formas* litterarum Græcarum, Romanarum. Selecta quædam de iis. Item Phœnicum, Hebræorum, Samaritanorum, Gotthorum, aut Hispanorum veterum. 51

2. Circa *scribendi* rationem antiquam apud Græcos. 68

3. Circa *Adfectiones* & *Permutationes* litterarum. Unde illæ ortæ. Exempla è Nummis Græcis & Romanis. 4. Circa *Compendia* litterarum. 72

5. Circa *Orthographiam*. Varia Nomina Græca & Romana è selectis Nummis emendata. De Edessa ad Catarractam contra Tristanum, Salmasium. Alia. 81

II. In MORALI & CIVILI scientia Symbola Virtutum in Nummis. Augustarum & Principum *Officia* & *Artes* ex iisdem Nummorum symbolis & Inscriptionibus deductæ & illustratæ. 93

DISSERT. III. III in NATURALI Scientia, ad Historiam *Animalium* & *Plantarum*. 122

1 Circa *Proprietates* Animalium. De *Columbis* in Nummis Erycinorum, *Elephante* Λυχνοφόρῳ in aliis &c. 123

2. Circa *Formas* eorundem. Selecta quædam ex Nummis & Auctoribus de *Hippopotamo* Nili & Ægypti Symbolo; *Elephante* phalerato; *Camelis* Saginariis & Dromadibus. *Rhinocerote*; *Monocerote*, an in Nummo P. Ligorii. Judicium de operibus ejusdem Ligorii. Item de *Hyæna*; *Crocodilo* ac variis ejus Speciebus; *Alce*; *Caprino* genere, *Pygargis*, *Capris Indicis*; *Damis Africanis*; *Ariete Sylvestri*; *Cervo Cornuto*; *Panthera* & *Pantheriſco*, Bacchi symbolis; *Bisonte*, an in Nummis Andriorum, contra virum doctum; *Draconibus* & *Serpentibus* alatis & terrestribus, in variis Nummis Ægypti, Græciæ, Macedoniæ, Thraciæ, &c. *Glaucone* seu Æsculapio in Nummo Abonoteichitarum; Æsculapio *Epidaurio*; *Aspide*; *Paguro*. 129

Item de Piscibus, seu *Delphinis*, cum variis sessoribus in Nummis; *Pelamidibus*; *Polypo* &c. *Apro Marino*, *Phagro*. 192

3. Circa *Fabulosa* Animalia. De *Capricorno*; *Sphinge Ægyptia*, ac ei adhinibus Cebis, Satyris, Sphinge *Thebana*, & cur eadem in Nummis Chiorum. De *Sirenibus*, earum etymon indicatum. De *Stymphalide* noviter declarata in nummo; *Scylla*; *Cerbero*; *Chimæra*; *Hydra*; *Gry-*

Grypho; *Pegaso*; *Centauris*; *Minotauro*; *Phœnice*. 208

4. Circa *Monstra* & Hieroglyphica Animalia in Nummis. Exempla è singulari Nummo Nicæensium declarato, & aliis. Testimonia Aldrovandi & Bocharti de Utilitate Nummorum in historia Animalium. 245

Dissert. IV. Utilitas in *Plantarum* Historia. De *Silphio* Cyrenaïco; *Loto* Ægyptia, & variis ejusdem symbolis ac insignibus in Nummis Ægyptiis; *Nuce Pinea*, & ejus usu in Mysteriis Gentilium; *Laricibus*; *Rosa* vel *Balausto* seu flore Punici sylvestris ac ejus usibus, locis φιλανύμοις; Rhodiorum symbolis &c. Item de *Malo Medico* & *Arcu Parthico*, in singulari nummo; de *Malis Hesperidum*, & qualia eadem. 253

Item selecta quædam de *Ramis Palmæ*, eorum usu, appellatione Σαρίς. Item de *Palmis* varii generis in Nummis, Siculis, Creticis, aliisque plantis Cretæ, ac nummis Hierapytnæ & Camaræ in eadem: item *Palmis* Cypriis Alexandrinis, Thebaïcis, Syriacis, Phœniciis, & harum nominibus explicatis Σύκαις, Σωγδαλάνοις, *Thamar*, Τερμήσσοι, Δακτύλοις. Quando & unde isti de palmulis. Item de *Palmis* Judaïcis, iisque Communibus & Caryotis, seu Nicolais. Etymon utriusque vocis expensum. De Vinis Palmeis. De *Prunis Damascenis*. 299

Item de *Manna* & *Virga* Aaronis; *Ramo Thuris*; *Calamo Odorato*; *Hypogloss*ō seu *Lauro Alexandrina*; *Ficu Ruminali*; *Ilice* cum sue Lanuvina, *Nymphæa Alba*; *Apio* Selinuntiorum; Herba *Commagene*. 333

Dissert. V. Utilitas IV. in Historia, & Causæ ejusdem. 340

1. In *Historia Externa* Græcorum & Barbarorum, Circa *Natales* Regum. De Origine Macedoniæ Regum ab Hercule. Cur *Cornua* in Nummis tributa Alexandro & Successoribus: Item quibus Diis, Oceano, Fluviis, Heroibus; eaque Arietina, Taurina, Hircina. Ratio & exempla singulorum explicata & illustrata. De *Mose* Cornuto, & Filia Jobi *Keren Happuc*. De ludicra *Cornuum* appellatione. 343

Circa Nummos *Seleucidarum* & *Lagidarum* cum variis Cognominibus *Nicatoris*, *Nicephori*, *Soteris*, *Epiphanis*, *Ceraunî*, *Dionysi*. Aliqui primum è selectis Nummis eruti. Item de Cognomine ΘΕΟΥ seu *Dei* & *Deæ* in variis nummis Græcis & Romanis, eoque Regibus, Reginis, Romæ, Senatui, Cæsaribus concesso. Origo, exempla, & ratio singulorum noviter ostensa & illustrata. 373

De Nummis *Antiochi* & *Abgari* cum cognomine *Magni*. Unde posterior ita dictus. De Nummis *Arsarcidarum* cum Comâ, Tiarâ; de *Mitra* Arabum; *Pileis* Parthicis. Iidem cum cognominibus *Regis Regum*, *Philellenis*. Unde & quibus eadem tributa. De cognomine *Philoromæi* in Nummis Ariarathis & Ariobarzanis &c. Item *Philoclaudii* in Nummo Herodis. De nummo Agrippæ Junioris cum *Festis Tabernaculorum* & *Pentecostes* &c. De Nummo Herodis *Ethnarchæ*. 420

De Nummis *Tigranis* & *Tryphonis*, cum cognomine ΒΑΣΙΛΕΩΣ·ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ, ac unde. De *Tiara* in Nummo Tigranis; seu *Cidari* Persarum, Christianorum, &c. 450

De

De variis Nummis Regum & Reginarum, *Ponti & Bosphori*, Mithridatis, Pharnacis, Asandri, Sauromatis, Amastris. Singularia quædam de postrema. Item Regum *Thraciæ, Pergamenorum, Siciliæ*; usu & origine *Diadematis* apud Græcos & Romanos: *Carum* Cassandri & Hidrici; de *Attalo Bianoria*. 460

De Nummis *Regum* aut *Illustrium* adhuc *ignotorum*; *Heroum* seu Conditorum; Solymi; *Eurypyli*, Pergamenorum cum Fluviis singulares Nummi declarati. *Sapientum* item, ut *Homeri*; ejusdem Nummi ac Marmor antiquum: *Pythagoræ*. Item de aliis *Insignibus* aut *Prærogativis* in Nummis urbium Græciæ aut Asiæ. De *Prytanibus* Smyrnæorum. 476

DISSERT. VI. Utilitas in *Historia Romana* ante Cæsares. De usu Nummorum *Consularium* & opere F. Ursini. 496

1. Ad *Notitiam* Familiarum seu Gentium Romanarum, earumque discrimen. 2. *Prænominum* & *Cognominum* earundem Familiarum. De *Proprio* Nomine apud Romanos; Prænominibus *Mulierum*; Usu & varietate *Prænominum* Romanorum; *Nominum* apud Græcos, *Cognominum* Romanorum. Item de *Origine* Cognominum, Nummis *Pompeii*, *Chrysippi*, *Arati*, *Sullæ Felicis* & *Epaphroditi*. Singula è Nummis deducta & illustrata. 3. ad *Originem* Familiarum. De insignibus Gentilitiis in Nummis. 497

4. Ad *Magistratus* & *Dignitates* Quiritum. De more addendi eadem Gentilitiis aut Cognominibus. Selecta quædam de *Tribunitia* Potestate; *Pontifice Maximo* & Græca Ἀρχιερεὺς appellatione &c. aliisque Sacris, Urbanis, Patritiis, Plebeiis, Extraordinariis, Militaribus, Maritimis imperiis. Speciatim de *Legatis Propratore* seu *Augusti*; *Proconsulibus*, Cypri, Bithyniæ, Achaiæ, Africæ, Asiæ; *Legatis Consularibus*, Syriæ &c. *Provinciis Consularibus*; *Consulari Potestate*. De Titulis Ἡγεμόνος Διοικητοῦ. 533

5. Ad *Gesta* Illustrium Romanorum. De falsis Imaginum titulis; Tropæis; Triumphis Fort. P. R. Ludis Apollinaribus, Cerealibus, Floralibus, Templorum dedicationibus; Basilica Æmilia; Rostris; Puteali, aliisque. 573

De *Legum* latarum titulis, Tabellariæ &c. in Nummis, ac unde. De aliis *Operibus* publicis instauratis aut refectis, Viis, Pontibus, Arcubus. De *Legionibus* M. Antonii, Nummis ejusdem & Cleopatræ. *Sellis Curulibus* cum Coronis, & quibus aut quare dicatæ. 579

DISSERT. VII. Utilitas in *Historia Augusta*. 1. Ad *Seriem Cæsarum* & *Augustorum*. De Nummis Clodii Macri, Pescennii Nigri, Gordianorum, Q. Herennii Etrusci. De Gallienis; XXX Tyrannis. Item Herennio & Timolao; Waballatho; Domitio Domitiano &c. Carausio, aliis. De Delmatio; Tiberio & Sebastiano Tyrannis; Glycerio; Theodeberto. 589

11. Ad *Seriem* & *Historiam Augustarum*. De appellatione *Augustæ*, *Consularis*, *Cæsarissæ*; ac honoribus Mulierum apud Romanos. 602

Augustarum series è nummis illustrata. De Livia seu Julia; Augusta Juliæ Augusti filia; Antonia *Sacerdote*, & *sacerdotiis* Mulierum; Caii sororibus, Julia Drusilla filia; Agrippina Matre, *Mulis* iisque albis in luxu Mulierum; Agrippina, Messalina

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

sina Claudii; Octavia, Poppæa Neronis; Domitilla Vespasiani; Julia Titi filia; Domitia Longina Domitiani. 606

De Nummis sequentium *Augustarum*, & speciatim de Nervæ uxore; Faustinis & Lucilla cum habitu Cybeles; Titianâ Pertinacis; Julia Domna Severi, & de cognomine *Domni* & *Domnæ*; Plautilla Caracallæ; Elagabali Matre & Uxoribus; Cognomento *Juliæ*, & à quibus Augustis usurpatum. De Sallustia Barbia Orbiana nova sententia ex Nummis. De Paulina vulgo Maximini; Sabinia Tranquillina Gordiani; Otacilia Severa Philippi; Salonina Chrysogone Gallieni; Zenobia; Julia Procla *Heroide*; Helena & Fl. Theodora Constantii; Flavia Max. Constantini; Constantina Galli; Honoria Valentiniani III Sorore; Euphemia Justini &c. 621

III. Ad alias *Necessitudines* Augustorum. De Caio, Lucio, Marcello, filiis aut nepotibus Augusti; M. Antonii liberis; Juba; Agrippa *sub Armis*; Druso & filio Germanico; Nerone & Druso Germanici liberis; Druso Tiberii filio; Drusi ejusdem gemellis; Claudii liberis & nummis Britannici; Vitellii liberis; Domitiani infante Cæsare; Trajani & Hadriani Parentibus *Divis*; Antinoo *Heroë*, item *Deo Bono* seu *Propitio*; Galerio Pii, Vero Marci filiis; Commodi liberis; Valerianis Junioribus &c. 640

DISSERT. VIII. IV. Ad *Titulos* & *Honores* Augustorum. 660

I. Circa *Titulos secundi Fastigii*, seu *Cæsaris*; *Principis Juventutis*; *Nobilissimi*, *Sacerdotis Cooptati in Omnia Collegia*, seu de *Sacerdotiis* Candidatorum imperii. Singulorum Origo & ratio è nummis & auctoribus declarata. 661

II. Circa *Titulos primi Fastigii*. Mos eos conferendi. De Titulis *Cæsaris*, *Augusti*. Unde & quando iste tributus, quomodo Græcis dictus. Singularia quædam de *Diademate* Augustorum, item Cæsarum; de appellationibus ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ & ΣΕΒΑΣΤΟΥ. De Titulo *Imperatoris*, Βασιλέως; quot modis ille tributus Augustis, an & Cæsaribus. 674

De Titulo *Pontificis Maximi*; conjunctis Sacerdotii & Imperii Juribus; de *Asiarchis* & *Sacerdotibus* Asiæ, eorum muneribus, numero, appellationibus. De *Flaminibus perpetuis*, seu ἀϊδίοις, & sacerdotiis *hæreditariis*. De Pontificatu Cæsarum. Ἀρχιερεῖς Christianorum. 691

De Titulo *Tribunitiæ Potestatis*, & ejus Prærogativis. De *Consulatu* Augustorum perpetuo, *Processu* & pompa *Consulari* è Nummis & Auctoribus. De *Proconsulatu* Cæsarum, qualis & unde declaratus; in Nummis signatus contra Casaubonum. De Titulo *Patris Patriæ* cum adfinibus *Patris hominum*; *Patris* instar Jovis; *Patris Orbis*, *Castrorum*, *Exercituum*, *Senatus*; *Matris Senatus*, *Castrorum*, *Patriæ*. *Filio Castrorum*, &c. De Titulo *Pii* & varia ejus acceptione. Item *Pietatis Augustæ*, *Romanæ*, *Senatus*. De *Pii* cognomine in Antonino. Πεῖος in Nummis Græcis. De Titulo *Felicis*, *Felicitatis Temporum*, *Reipubl.* frequenti in Nummis Cæsarianis; Item Romæ, Coloniarum, Daciæ. De nummo Græco Commodi. 700

De Titulo *Domini*, quando in Nummis Augustorum signatus. De Titulo *Dominæ* uxoribus tributo. De *Dominicis* Palatiis Cæsarum. De Titulo

Censoris sub Cæsaribus & nummo L. Vitellii. Ejus tituli ratio ab Augusti temporibus declarata. De *Præfectis morum*; *Censoria Potestate*; *Censore Perpetuo*; Censoriæ Domus prærogativis; Silentio de Censoribus in historia Augusta & libris Jurisconsultorum; Censurâ Valeriani; Vitellio bis Censore. Qualis Censura Cæsarum. De Censoribus Municipiorum. 729

De Titulis Augustorum à *Diis* petitis, ut *Olympii*, *Herculis*, *Romani*, *Romuli*, *Jovis* & *Herculii*, item *Jovis* & *Herculis*. Eorum exempla è selectis nummis Hadriani, Pii, Commodi, Diocletiani, Maximiani, Licinii. De Titulis *Victoriarum* seu devictarum Gentium, *Germanici*, &c. De Titulis *Francici* & *Alemanici*; de *Francia* in nummo Constantini & etymo illius nominis contra Libanium. Item de Titulis *Domitoris*, *Triumphatoris* aut *Exuperatoris* Gentium. De Titulis *Adfinitatis* aut *Adfectus*, ut Antoninorum, seu *Divi Antonini* in libris Jurisconsultorum, Severi *Pertinacis*, ejusdem *Marci Filii*, Maxentii *Patre*, *Socero*, *Cognato*. 742

Dissert. IX. Utilitatis veterum Lapidum & Nummorum brevis comparatio. 757

Circa *Acta* Augustorum in Nummis contenta. De nummis vulgo *Spintriis Tiberianis*, nova de iis conjectura. De Schematis Philænidis &c. Philænidis Samiæ Epigramma. 760

De *Coloniis* deductis sub prioribus XII Augustis, cum appellationibus *Juliæ*, *Augustæ*, *Claudiæ*, *Flaviæ*; iisque in Hispaniâ, Macedoniâ, Thracia, Ponto, Palæstina, Africa &c. De *Flavia Neapoli* Samariæ, Justini Martyris Patria, aliis. De *Coloniis* sequentium Augustorum, cum appellationibus *Ulpiæ*, *Ulpianæ*, *Trajanæ*, *Æliæ*, *Hadrianæ*, *Severianæ*, *Septimiæ*, *Antoninianæ*, *Alexandrinæ*. De *Rhesaina*, *Nesibi*, *Alexandria Troade*, *Bostris*, *Constantiniana Daphne*, aliis. Judicium de Commentariis Tristani Sanctamantii. Mos Urbium in adoptandis nominibus Imperatoriis. Singula è selectis Nummis deducta obiter & illustrata. 765

De aliis *Prærogativis* Urbium, seu de *Sacris* & *Asylis* Urbibus, Templis, Agris; à quibus hæ & unde in Nummis signatæ. De Nummis Doræ & Sidonis Ναυαρχίδων, aut postremæ cum Europâ Tauro vecta. De *Liberis* Urbibus, Amiso, Cæsarea Palæstinæ, Laconibus, Rhodiis, Tarso, Seleucia ad Calycadnum, Smyrna &c. Exempla è selectis Nummis. De *Autonomis* Urbibus, unde ita in Nummis toties appellatæ. De Tyriis & Antiochensibus Autonomis, & Æris locorum inde petitis. De Omonoia seu *Concordia* itidem signata in variis nummis Urbium Græciæ & Asiæ. Exempla ex iisdem. Ratio & Causæ expensæ & declaratæ. 778

De *Munificentia* Augustorum in abolitione Vectigalium, Tributorum, aut aliorum onerum. De *Quadragesima Remissa* à Gallia, juxta ejus Nummum; aut à Caio *Ducentesima*. De Vicesimis & vectigalium Redemptoribus. 796

De *vehiculatione Italiæ Remissa* à Nerva juxta ejus Nummum. Idem sigillatim expensus. Selecta quædam de *Rei Vehicularis* apud Romanos nominibus, origine, modo, præpositis, oneribus, remissione, cautelis, animalibus. De *Calumnia Fisci Judaici*, in alio

alio nummo Nervæ. 800
De *Reliquis Abolitis* ab Hadriano, juxta ejus Nummum. Idem sigillatim expensus; de Indulgentiis Cæsarum, seu Tributorum relaxationibus, Indictionum origine; exemplis & more ejusmodi abolitionum. De *Liberalitatibus* & *Congiariis* Cæsarum: mos & exempla è nummis adserta. Occasiones eorundem indicatæ. De *Largitione* Constantii, in ejus nummo. 811
De *Profectionibus* seu *Adventu* Augustorum in Provinciis. Festa inde & Gratulationes. De *Restitutis* Provinciis. Exempla è selectis Nummis. De *Regibus Datis* ab Augustis, juxta alios Nummos; à Pio Quadis. De Lazis. 825
De *Expeditionibus* Cæsarum; Provinciis Devictis; Victoriâ Germanica, Carpica; Triumpho Quadorum; Constantii de Magnentio; *Fatis Victricibus* in nummo Diocletiani. De *Adlocutionibus* Augustorum. De More earundem, & prærogativæ primi Fastigii. *Exercitus* varii in selectis nummis, *Dacicus*, *Germanicus*, *Britannicus*, *Syriacus*, *Cappadocicus*, *Mauretanicus*, *Noricus*, *Hispaniensis*, *Illyricianus*, *Vaccensis*, *Iscanicus*. Item *Virtus*, *Gloria*, *Fides*, *Consensus Exercituum* in aliis. De *Vallo* Romano in nummo Licinii. 834
De *Pace Augusti* in variis Nummis, *Pace Publica*, *Fundata*, *Pace Germanici Vitellii* in selecto nummo. De *Ludis Saecularibus*; Philippus Augustus, Christianus an Gentilis. De *Operibus* Cæsarum publicis; Ædibus Deorum & Dearum: Templo Jovis Capitolini sub Vespasiano refecti, item Divi Augusti, Pacis. De Arcubus Trajani Pontibus, aliisque ejus operibus. De Amphitheatro sub Gordiano refecto. De Arcu vulgo *Portugallia*. 848
Specimen Utilitatis in CHRONOLOGIA 1. ad *Fastos* & *Acta* Cæsarum ordinanda. 2. ad *Seriem* & *Æras* Regum Barbarorum. De Annis Regni Ariarathis, Ariobarzanis, Agrippæ junioris, è selectis Nummis. 3. ad *Æras Seleucidarum*; item Æras variarum Urbium, ut *Antiochia*, *Ascalonis*, *Gazæ*, *Gadarorum*, *Aradi*, *Amisi*, *Tyri*, *Sidonis*. Earum origo & ratio è nummis illustrata. 4. ad *Æras Imperatorum*, & *Periodos Decennales* eorundem. 5. ad *Æras Coloniarum*. Exempla è Nummis. De *Colonia Tyro* in Actis Concilii Calchedonensis. Locus eorundem noviter expensus, & declaratus, contra Scaligerum. 6. ad peculiares *Æras*, ut à *Novo Templo* Jovis Capitolini, in aliquot nummis Græcis sub Flaviis. 859
Specimen Utilitatis in GEOGRAPHIA 1. ad *Origines*, *Historiam* & *Privilegia* locorum. De *Conditoribus* Urbium in nummis & eorum Apotheosi. Selecta quædam de *Primatu* & jure *Metropoleos* Urbium; de discrimine aut communione utriusque; de *Primis Metropolibus* Asiæ, Lydiæ, &c. Singula è præclaris nummis obiter illustrata. 2. ad *Situm* locorum cum adscriptis *Fluviorum*, *Maris*, *Montium*, *Regionum*, ad quas aut in quibus posita eadem loca, nominibus. Ratio & exempla è selectis itidem Nummis ostensa: ac speciatim de *Magnesia à Sipylo*; *Argæo* monte; *Cæsarea sub Paneo*, aliis. 3. ad *Notitiam* locorum obscuriorum, aut

aliunde etiam ignotorum. Exempla iterum è selectis Nummis. 4. ad *Orthographiam* locorum. Depravatio nominum Geographicorum, ac XL nomina id genus è Nummis obiter restituta. 5. ad *Formationem* Ἐθνικῶν seu Gentilium. Exempla è nummis. Sex *Canones* circa scripturam nominum Geographicorum in Nummis observandi, ad quos omnis eorundem ratio & diversitas debeat exigi. Iidem *Canones* sigillatim deducti & illustrati. 882

Conclusio operis, cum laude Italiæ & illustrium in ea ingeniorum. 914

DIS-

DISSERTATIO PRIMA.

DE

PRÆSTANTIA ET USU NUMISMATUM ANTIQUORUM.

OCTAVIO FALCONERIO

S. D.

EZECHIEL SPANHEMIUS.

ROgasti me aliquoties, pro nostra consuetudine, OCTAVI FALCONERI, ut quid de Nummis Veterum sentirem, mandare litteris non dubitarem. Quum enim videres, me hac omni priscæ illius ætatis memoria non leviter delectari; hinc de ejus vel usu, vel pretio differendi, haud una hic in Urbe sese obtulit occasio. Præbuit vero illam sæpius ipsa Nummorum, quos te vel comite, vel duce, nonnunquam inspexi, contemplatio; qua inter alia itineris Italici oblectamenta, oculos animumque, tanquam jucundissimo spectaculo, subinde licuit explere. Ea quippe mihi contractæ tecum necessitudinis ratio & felicitas fuit; ut cum alias, tum hic quoque, plurimum te sensus illius voluptatis adficeret, quam me longe maximam & prope incredibilem percipere, prædicabam. Quod vero frequenter suadebas, ut eam diffundi latius paterer, in eo sane haud illibenter obsequi tuæ voluntati cogitabam: qui ut amantes solent, iis quibus uterque no-

ſtrum capiebatur illecebris, ſuum apud omnes pretium conſtare cupiebam. Ita factum, ut hic multa verſari mihi ante oculos confidentius adfirmarem; quibus nullo vel levi certe negotio poſſem eos à ſententia dimovere, qui omnem hanc operam, ut inutilem aut otioſam derident. Quamquam me non ab ea quidem de his noſtris ſtudiis fiducia, ſed tamen ab omni de iiſdem apud vos diſputandi conſilio, haud una quædam ratio deterrebat. Equidem, ut ingenue quod res eſt fatear, à ludibrio parum abeſſe judicabam, ſi in ipſa luce & ſede hujus induſtriæ, tot exercitatis in ea ingeniis, & quibus paſſim univerſa, quos vocant, Antiquariorum natio adſurgit, ego uſu longe & peritia inferior, quidpiam de ea commentari adgrederer. Idem quippe mihi videbatur incumbere, quod prudentiſſimo viro apud Tullium in ſimili cauſſa occurrebat, *ut ſi jam mihi diſputandum ſit de his noſtris ſtudiis, nolim equidem apud ruſticos, ſed multo minus apud vos.* Accedebat viatoris intuitus, hoc eſt muſeo & omni litteraria ſua ſupellectile exulis; quotidianæ & potiores forte interpellationes; publici, quod ſalutare propter viam nefas ſemper judicavi, reverentia; ipſa denique inſtituti itineris, ad capiendum, non ad oſtentandum ingenii cultum, ſalubrior quædam & opportuna recordatio. Ita non omittere quidem, ſed premere omne illud propoſitum cogitabam, quo pudori tuo ſimul ac meo ſapienter conſulerem; ni vis major acceſſiſſet, quæ mihi omnem noviſſimi hujus conſilii rationem conturbavit. Fas enim mihi ſit, uno CHRISTINÆ AUGUSTÆ imperio, ab omni me reprehenſionis moleſtia liberare, & in ſola obſequii gloria, univerſam inſtitutæ hujus commentationis vel laudem vel veniæ ſpem collocare.

Lib. II. de Oratore.

Variæ

Variæ ſunt, ut noſti, & ſicut fieri amat in æſtimandis priſcæ ætatis reliquiis, ita de Nummis veterum longe inter ſe diſcrepantes hominum ſententiæ. Alii enim incredibili illorum ſtudio incenſi, ac proinde in colligendis iis aſſidui, nulli nec ſumptui, nec diligentiæ parcunt, ut luculentum quendam illorum vel numerum, vel delectum inſtituant. Unde poſtea eoſdem, tanquam pici aurum ſuum, adſervant; immo eorum poſſeſſione, non ſecus ac ingentis Theſauri cuſtodia, continuo efferre ſeſe ſolent ac oblectare. Alii vero, quibus geminam felicitatem, aut peculium domeſticum non conceſſit, aut loci ratio invidit, eoſdem tamen ad ornamentum veteris elegantiæ, & varietatem quandam litterarum, aliquo uſu edocti, plurimum conferre non diffitentur. Major autem pars, quod ultro fateor nec indignor, omnem hanc operam in coacervandis, vel excutiendis id genus monumentis poſitam, ut inanem, aut etiam importunam, longe à ſe abeſſe patiuntur. Horum vero duo ſunt genera: Unum eorum, qui recentis ſolum monetæ avidi, veteris incurioſi, omnem Glauci & Diomedis permutationem averſantur, & æreos aliquot ac ærugine obſitos, ſplendidis aureis redimere, abſonum & inconſultum ducunt. Alterum eorum, qui de temporis potius, quam pecuniæ jactura ſolliciti, univerſam in Nummis id genus excutiendis contemplationem & curam, ut omni cum delectatione, tum utilitate vacuam, conſulto prætermittunt. Ad ejuſmodi vero ſententiam, non una quoque hos vel ratio, vel cauſſa impellit; Prior, inſita illa humanis, & frequentius maximis etiam ingeniis, conſuetudo dicam an labes, ut quæ ignorant, contemtu ſtrenue ulciſcantur; & ea ſolum apud eos commendationem habeant, ad quæ vulgo illos,

los, aut vitæ institutum, aut naturæ propensio revocavit. Diversa rursus aliorum ratio est, qui vel usu, vel opportunitate ad tractanda id genus monumenta destituti, non contemtu, sed mera ignoratione reconditæ in iis utilitatis, in sequiorem sententiam de illis eorumque æstimatoribus adducuntur. Cum postremo hoc hominum genere, hic mihi rem esse, & me in eorum gratiam, quidquid hoc est laboris suscipere, ingenue hic in limine profiteor. Nec enim priorum arcæ, aut peculio, modum statuere vel debeo, vel possum; aut alias homines, omnis remotæ Antiquitatis contemtum professos, ad meliorem sententiam, vel mentem potius revocare constitui. Minus quoque id mihi propositum hoc loco, ut immodica aut præpostera hujus æris æstimatione, cæteris litterarum præsidiis ac ornamentis suum detraham pretium; vel ut hoc industriæ genus, ceu necessarium vitæ instrumentum, singulis hominum ordinibus, tractandum & excolendum promiscue suadeam. Unus hic mihi scopus, ut præclaram antiquitatis partem ab interitu, & eorum judicia, qui plurimum illi solent tribuere, à ludibrio vindicem; tum ut ab iis, qui veteris elegantiæ & eruditionis amore vel studio ducuntur, egregiam & laudabilem in eadem versanda operam collocari posse ac debere, apertum manifestumque faciam.

COMMENDATIO A DIGNITATE.

1. *Ob Antiquitatem.*

ATQUE ut hinc initium ducam, unde Nummis pretium continuo accedit, ipsa hujus industriæ DIGNITAS, mirum quam multiplici nomine se commendet. Si *Antiquitatis* enim habenda hic ratio, quem non moveat clarissimis monumentis testata consignataque vetustas? Quamquam non is ego sum, qui præsentium fastidio, vete-

veterum tantum desiderio tenear, & jacentes quasque ac sepultas vetustatis reliquias, pro reconditis Thesauris continuo habendas putem. Nimia hic nonnunquam, fateor, aut supervacanea quorundam cura, quibus venusta omnia quæ vetusta, & sola antiquitas aut rubigo pretium, non usus aut elegantia conciliat. At si Rudera tamen varia, Columnæ, Statuæ, Lapides, Urnæ, Pateræ, Fibulæ, Lampades, Simpula, Annuli, Tesseræ, aliaque veteris Romanorum vel Elegantiæ, vel Supellectilis monumenta commendationem adhuc habent; quid de Nummis statuendum sit, in quibus non muta illa ferme aut mortua, sed spirans adhuc quasi & rediviva universa sese offert Antiquitas, facile per se quisque potest arbitrari.

Antiquæ supellectilis pretium apud ipsos veteres.

Magna utique, Octavi eruditissime, antiquitatis in omni hoc Monumentorum genere reverentia, non hujus solum, aut superioris ætatis, sed remotioris etiam cujusque mentes incessit. Hinc Annales veterum evolventi, tot passim sese offerunt studiose quæsita jam olim, & retenta cupidius priscæ omnis memoriæ vestigia. Qualia frequenter quidem legimus, Ossa Gigantum, Arma reliquamve Heroum supellectilem vel memoriam, Belluarum Membra, Victoriarum præmia aut instrumenta; quibus vel Deorum Templa, vel Prætoria Principum, vel elegantiorum hominum Atria passim exornabant. Apud Gaditanos Pygmalionis aurea Oliva; apud Argivos Atrei Phiala; apud Arcadas Corium Apri Caledonii; apud Beneventinos Dentes ejusdem animalis; apud Delphos Pindari Sella; apud Metapontinos Sedes Pythagoræ; apud Tingitanos Parma Antæi; apud Olympios Arca Cypseli; apud Agrigentinos Taurus Phalaridis; apud Lacedæmonios Ovum Ledæ, aut Hasta Agesi-

lai, apud Thurinos Sagittæ Herculis; apud Lemnios Thorax & Arcus Philoctetis; apud Athenienſes Ancora à Mida Gordii filio reperta; apud alios Pelopis Enſis; Teucri Baltheus; Achillis Haſta; Enſis Memnonis; Timothei Cithara; Torquis Helenæ; Iphigeniæ Gladius; Monile Eriphyles; Sella Dædali; Lucerna Epicteti; Roſtra navium, tanquam errorum Uyſſis monumenta; Niciæ Clypeus; Scutum Euphorbi; Magni Alexandri Scuta & Thoraces; aliaque id genus diligenter & religioſe adſervata leguntur, quæ ex Tullio, Strabone, Mela, Joſepho, Plutarcho, Athenæo, Pauſania, Æliano, Juſtino, Philoſtrato, Dione, Gellio, liceret hic pluribus commemorare: ſcilicet

Relliquias, veterumque vides monumenta virorum.

Nec alia fuit jam olim, ut noſti, Æternæ urbis Religio, circa Heroum ſuorum memoriam ac monumenta; qui Navim Æneæ, Ficum Ruminalem, Caſam Romuli ſtramentitiam, Lituum, Cotem Nævii Auguris, ut alia mittam, haud minus cupide vel accurate à Majoribus veſtris recondita meminiſti; adeo etiam ut iidem Procopio tradantur alicubi præ aliis ejuſmodi rerum ſtudioſi. Immo vero haud aliter ac Vatum parentis olim Patria, ſic id genus quoque Reliquiæ, acri haud unius urbis æmulatione multiplicatæ nonnunquam; unde apud Dionem legas duas Cappadociæ civitates, utramque Comanæ nomine, gladium Iphigeniæ habere & oſtentare, quem verum illius eſſe autumant. Agnoſcis, ut opinor, incunabula illius moris, qui haud abſimiles Reliquias, ceu totidem monumenta Chriſtianorum veterum, pari ſtudio & cultu, ac eodem nonnunquam in iis venditandis & multiplicandis fato, paulatim concreavit. Neque vero ut vides, Urbs una forte aut Regio, ſed communis quaſi Gentium conſenſus, ſuum olim

otth. lib. v. cap. 22.

ib. xxxv.

olim antiquariæ ſupellectili pretium appoſuit. Græcos quidem homines, qui cæteris ad humanitatem & elegantiam præluxere, omni illa vetuſtatis memoria præ cæteris etiam delectatos, lætum quippe antiquitatibus genus, ipſi veteres ſatis ſuperque tradidere. Hinc non ſemel prædicant illorum in iis colligendis induſtriam; in dedicandis religionem; in viſendis alacritatem; in conſervandis ſtudium; in retinendis conſtantiam; adeo ut nullum ex priſcis id genus ornamentis, vi aut pretio eripi ſibi volentes paterentur: *Nulla unquam civitas*, inquit Tullius, *tota Aſia & Græcia ſignum ullum, tabulam pictam, ullum denique ornamentum urbis, ſua voluntate cuiquam vendidit.* Urbem nempe integram unum aliquod vetuſtum opus nobilitabat; unde propter ſolum Cupidinis ſignum viſebantur olim Theſpiæ; *nam alia viſendi cauſſa nulla eſt.* Immo quid dicerent hodie urbani homines, ſi novi Romæ hoſpites, omiſſa omni aliorum illius decorum commemoratione, in laudanda ærea & equeſtri M. Aurelii Statua potiſſimum acquieſcerent? At audiant urbanitatis omnis parentem, agentem de urbe Græcarum omnium nobiliſſima pulcherrimaque, Syracuſis nempe, apud quas pictura quadam perantiqua equeſtris Agathoclis *nihil nobilius, nihil quod magis viſendum putaretur.* Non quæ alibi idem Orator extollit illius urbis ornamenta; non celebris Arethuſa; non fora maxima; non pulcherrimæ porticus; non ornatiſſima prytanea; non ampliſſima curia; non egregia templa; non amœniſſimus portus; non ipſe ex omni aditu vel terra vel mari præclarus ad adſpectum ſitus, (qui ante biennium nimio opere me delectavit) parem loco celebritatem aut gratiam conciliarunt. Una picta vetuſti operis tabula idonea viſa eſt, quæ præ decoribus aliis, advenarum oculos

In Verrem V.

In Verrem I V.

oculos in se converteret. Hinc certum jam olim illud hominum genus in celebrioribus oppidis, qui novos hospites ad visendas res vetustate aut raritate notabiles deducerent; easdemve explicarent, quos ἐξηγητὰς aut τῶν ἀπιχωρίων ἐξηγητὰς passim vocantem videas Pausaniam. Alias Siculis dictos eosdem Mystagogos, ex Tullio insuper discimus: ut qui vulgo hic in Urbe aut in aliis Italiæ oris funguntur eo munere, dignitatem hinc suam ac titulos discant; *Hi qui hospites*, inquit, *ad ea quæ visenda sunt ducere solent, & unumquodque ostendere, quos illi Mystagogos vocant.* Ita sugillat forte aliquis, aut recentius putat eorum institutum, qui domos hodie & pinacothecas, instructas omni antiquaria supellectile exornant summo studio, nec minoribus impendiis; qui in Sacrariis recondunt; qui peregrinos & hospites ad eadem ultro ac libenter admittunt. Eadem fuit jam olim sollicitudo nobilissimorum cujusque urbis civium, ut domos haberent ornatissimas omni hoc veteris elegantiæ genere; ut vasibus vel Corinthiis vel Deliacis, gemmis, signis æneis, marmoreis, eburneis, pictis tabulis aut textilis operæ, aliisve ornamentis prisci & elegantis operis, famam loco, & sibi laudem apud exteros pariter ac cives conciliarent. De Sthenio Thermitano civitatis suæ nobilissimo Tullius: *Etenim Sthenius ab adolescentia paullo studiosius hæc comparârat, supellectilem ex ære elegantiorem & Deliacam, & Corinthiam, tabulas pictas, etiam argenti benefacti, prout Thermitani hominis facultates ferebant satis; quæ cum esset in Asia adolescens studiose ut dixi comparabat, non tam suæ delectationis causa, quam ad invitationes adventusque nostrorum hominum amicorum suorum atque hospitum.* Idem alibi de Heii principis Mamertinorum domo plena vetustissimorum signorum; *Messanam ut quisque nostrum venerat, hæc visere solebat,*

In Verrem IV.

In Verrem II.

In Verrem IV.

bat, omnibus hæc ad viſendum patebant quotidie; domus erat non domino magis ornamento quam civitati. Nonne credas deſignari, aut Palatium Farneſianum vel Barberinum; (ut tot alia hic mittam præclaris id genus Cimeliis inſtructa) aut Florentiæ Pinacothecam Maximi Principis, aut Mutinæ Gazam Heroum Eſtenſium, aut Mediolani Muſeum Manfredi Septalæ, viri ornatiſſimi, quæ ut referta omni hoc veteri ornamentorum genere, & omnibus ad viſendum patent quotidie, & ſingularem quandam domino non ſolum, ſed loco etiam celebritatem commodant. Ne vero artis olim aut materiæ, non autem vetuſtatis præcipuam quandam rationem habitam quis putet, en locupletem tibi teſtem eundem Tullium, in ea Oratione qua expilatam à Verre Siciliam conqueritur. In id enim videas Oratorem incumbere totis viribus, ut ſpoliatione vetuſti cujuſque operis, ceu immanium criminum ſerie, invidiam reo potiſſimum creet; *Nam domus*, inquit, *erat ante iſtum prætorem nulla paullo locupletior, quæ in domo hæc non eſſent, etiamſi præterea nihil eſſet argenti; Patella grandis cum ſigillis ac ſimulacris Deorum: patera qua mulieres ad res divinas uterentur; thuribulum: hæc autem omnia* ANTIQUO OPERE *& ſummo artificio facta.* Alibi, ut in vetuſtate id genus monumentorum præcipuam religionem poſitam oſtenderet; *Sthenius vero non ſolum negavit, ſed etiam oſtendit id fieri nullo modo poſſe,* UT SIGNA ANTIQUISSIMA *monumenta P. Africani ex oppido Thermitanorum incolumi illa civitate, imperioque populi Romani tollerentur.* In Verrem II. Item alio loco; *Qui acceſſiſtis Ennam vidiſtis ſimulacrum Cereris è marmore, & in altero templo Liberæ; ſunt & perampla atque præclara, ſed* NON ITA ANTIQUA. *Ex ære fuit quoddam modica amplitudine ac ſingulari opere cum facibus* PERANTIQUUM, *omnium illorum quæ ſunt in eo fa-*

no, multo ANTIQUISSIMUM; *id sustulit*. Consule Plinium: ars cælandi apud Romanos ubi paullatim exoleviſſet, ſua tamen ætate, ut ille refert, vel SOLA VETUSTATE *cenſebatur*. Et poſt duos togatos prodeat palliatus Carthaginenſis; *quædam & potui vaſcula ex ære ſervat* MEMORIA ANTIQUITATIS. Immo ne forte otioſorum hominum propriam hanc voluptatem quiſpiam arguat, en tibi Magnum Alexandrum, quem eadem rerum antiquarum cupiditate flagraſſe, auctor Philoſtratus; unde & Curtio, *cognoſcendæ* VETUSTATIS *avidus* vocatur. Eandem in illius æmulo J. Cæſare agnovit Tranquillus, qui eum tradit *Gemmas, toreumata, ſigna, tabulas* OPERIS ANTIQUI *ſemper animoſiſſime comparaſſe*. Quod ſtudium etiam ad hujus hæredem tranſiit, de quo idem refert Hiſtoricus, illum Prætoria ſua omiſſis ornamentis aliis, *rebus* VETUSTATE *& raritate notabilibus excoluiſſe*. Quo ſpectaſſe etiam hic obſervo officium illorum τῶν ἐπὶ τοῖς θαύμασι ſeu *Admirandis Præpoſitorum*, (quos vulgo hodie Principum Antiquarios vocant) quorum Pauſanias in Arcadicis meminit, occaſione dentium Apri Caledonii, quos ex Arcadia ab eodem Auguſto Romam delatos ſcribit. Neque iidem tamen, qui Procopii ætate Beneventi adhuc viſebantur; quippe quos ille à Diomede in eam urbem tranſlatos refert. Adeo ut quum alibi apud eundem Tranquillum legimus, Auguſtum Antiquarios & Cacozelos pari faſtidio proſequutum, non rerum vetuſtarum, ſed verborum antiquorum ſectatores, facile quivis apud eum adſequatur. Quæ obiter, nec aliena ab hoc loco à me referuntur, ut intelligant tandem, qui omne hoc rerum antiquarum ſtudium, illiuſque cultores vilipendunt, quibus & quantis dicam ſcribant.

Lib. xxxiii. c. 12.

Tertull. de cult. Fœm. l. 1.

Lib. 1. c. 4.

In Auguſto.

Gotth. l. 1. c. 15.

Quod

Quod vero hic potissimum agitur, inter tot res vetustate spectabiles, priorum ætatum Numismata locum jam olim haud ignobilem habuere. Hinc apud Dionem, oratorem illum & philosophum elegantissimum, lego, Homerum antiquas voces nonnunquam adhibuisse, ὥσπερ νόμισμα ἀρχαῖον ἐκ θησαυροῦ πρέπον ἀδέσποτον. *Sicut* NUMISMA *aliquod* VETUS *ex Thesauro quopiam domino carente depromptum.* Ita eundem illum Augustum ut omnia alia selectiori vetustatis memoria, sic Nummis etiam antiquis & exoticis delectatum, non obscure licet colligere; qui illo quoque munusculorum genere amicos suos solitus fuit nonnunquam prosequi. Unde hac de re Tranquillus; *Saturnalibus & si quando alias libuisset, modo munera dividebat vestem & aurum & argentum; modo* NUMMOS *omnis notæ, etiam* VETERES REGIOS AC PEREGRINOS. Ita ut hac ratione plures ad tractanda id genus monumenta invitaret, ne de ævi sui infelicitate usurpari posset aliquando illud Symmachi, *Spectatorum* VETERIS MONETÆ *solus supersum.* Præ reliquis autem, & instar omnium testis hujus moris luculentus Jurisconsultus, qui Numismatum aureorum vel argenteorum VETERUM, QUIBUS PRO GEMMIS uti solent, usumfructum legari posse definivit.

Circa Nummorum Studium.

Orat. XII.

Lib. III. Ep. II.

Pompon. D. de usufruct.

Difficile vero hic fateor suam singulis tot Gentium & locorum Nummis ætatem, aut Antiquitatis prærogativam, uni alterive adsignare. Nec id agimus hoc loco. In Romanorum, aut Romani Orbis Nummis, res minus habet difficultatis; qui aut sub Cæsaribus, Imperatorum vultu signati, aut stante Republica, præstantissimorum civium ætatem ferme præ se ferunt. In Nummis vero Græcorum & Asiaticorum, ante admissum Romani imperii jugum cusis, res incerta & minus

De Antiquitate Nummorum.

vulgata; quum magna eorum pars certis locorum insignibus, nulla, aut obscura temporis nota sit distincta. Ita ut de iis non immerito possit usurpari, quod de quadam Herculis statua refert Pausanias, adeo vetustam esse, ut ætatem illius nemo possit prodere. At certe plurimos ex iisdem Nummis, liberis adhuc Græcorum rebus, h.e. florente Persarum imperio percussos, ex Nummis cum Macedonum aliquot, Philippo, & Alexandro vetustioribus; tum Græcorum, qui antiquiorum Magistratuum nominibus signati; præterea Siculorum aliquot vetustissimorum, liquidum mihi fit ac manifestum. Cujus etiam vetustatis haud leve indicium arguunt antiquæ in iis scripturæ vestigia, quæ suo loco indicabuntur. Nec enim de primæva Nummorum antiquitate nobis hic sermo, & an infra Palamedis tempora signatæ pecuniæ origo referri debeat, ut Philostrato in Heroïcis plaeuisse memini. Illud saltem hinc mihi facile, ut spero, largientur, non usque adeo contemnendam, aut alibi facile obviam videri adsurgentem supra duo millia annorum vetustatem.

Lib. v.

2. *Ob Durationem.*

Antiquitatis enim illam in Nummis prærogativam ac dignitatem, *Duratio* certe eorundem maxime arguit. Nummos immortalitatis studium & cura invenit, sicut sepulchrorum monumenta & Elogia; ut de iis alicubi differentem Tullium nosti. Nec enim alia custodia rerum gestarum memoriæ fidelior; ut quod de litteris in genere Livius, ad Nummos potiori quodam jure referre mihi liceat.

Tusculan. 1.

Hæc ævi veteris custos famosa vetustas.

Intellexere hoc (quod etiamnum hodie in publicis operibus aut solennibus, sequior ætas feliciter æmulatur) quicunque propagandi ad posteros nominis immensa & laudabili quadam cupiditate flagrarunt. Hinc vultus

vultus ſuos, aut res geſtas, dignas ſæculorum memoria, Libris quidem, Columnis, Saxis, Tropæis, Tabulis, Statuis; ſed tanquam iis non confiſi, Nummis quoque conſignari voluerunt: ut certiori quodam æternitatis pignore, ſe ſuaque ab oblivione vindicarent. Hanc certe mentem aperte declarant illa Principum verba vel edicta apud Caſſiodorum; *Verum hanc liberalitatem noſtram alio decoras obſequio, ut figura vultus noſtri metallis uſualibus imprimatur*, MONETAMQUE *facis de noſtris temporibus* FUTURA SÆCULA *commonere. O magna inventa prudentum!* Hæc nempe monumenta ſuæ formæ ac nominis, non tanquam dimittenda cum vitæ tempore, ſed quaſi cum omni poſteritate adæquanda relinquebant. Quo ſpectat Ducis illius Græci apud Athenæum facinus, qui ubi nummos curaſſet ſpargi ad perpetuam memoriam, in campis & ruïnis Corinthi, tum demum tanquam voti jam reus, mori non dubitavit. Inde etiam crebræ illæ ac ſolennes, quæ occurrunt in Nummis veterum Formulæ, ÆTERNITATI AUGUSTI; ÆTERNÆ MEMORIÆ; PERPETUITATI AUG. ROMÆ quoque ÆTERNÆ; quibus, quam Divorum honoribus ac Templis nequidquam quærebant immortalitatem, his monumentis quodammodo ſunt apud poſteros conſequuti.

Lib. VI. cap. 7.

Sic auferre rogis umbram conatur, & ingens
Certamen cum morte gerit, curaſque fatigat
Artificum, inque omni te quærit amare METALLO.

Durationis illorum Comparatio cum aliis Monumentis.

Nec enim eos hic vel ratio, vel eventus fefellit. Alia quippe opera in eorum gloriam inciſa vel erecta, præclara quidem illa & diuturna, materiæ tamen aut temporum injuria, breviori quadam annorum circumſcriptione fuerunt oblitterata. *Et tamen illis omnibus*, inquit Tertullianus in Apologetico, *& ſtatuas defunditis, &*

imagines inſcribitis, & Titulos inciditis IN ÆTERNITATEM. Magnificæ etiam ſunt illæ voces, quibus extructiones civibus pro Repub. defunctis decernendas
Philip. XIV. ſtatuit alicubi Tullius; *Erit igitur extructa moles opere magnifico, inciſæ litteræ divinæ virtutis teſtes ſempiternæ; ita pro mortali conditione vitæ immortalitatem eſtis conſequuti.* Hæc ipſa tamen nonne demolita eſt & obſcuravit oblivio, invidit aut abolevit poſteritas? *Templa, Theatra, Arcus, Tropæa*, (ut paucis rem hic potiſſimum obviam complectar) quot aut qualia hodie ſuperſunt? Nec de antiquiſſimis Græcorum Tropæis hic loquor, quæ olim non è ſaxis, ſed è vulgaribus lignis conſtitiſſe refert
Lib. XIII. Diodorus, eo animo ne inimicitiarum monumenta eſſent diuturna. Illa potius opera reputemus, quæ non ad *temporariam moram*, ut Theatrum Scauri, de quo ma-
Lib. XXVI. c. 15. gnifice adeo Plinius alicubi loquitur; ſed ad *æternitatis deſtinationem* erant erecta: ut male tamen pleraque ſpem illam æternitatis implerunt, quorum vix ruinæ aut veſtigia ab aliquot jam ſæculis conſpiciuntur! *Librorum* veterum obnoxium tot injuriis fatum, & deploratam ſæpius, nec tamen ſatis unquam lugendam jacturam, quis illiteratus adeo aut neſcit, aut ita ferreus quotidie adhuc non ingemiſcit! Alexandrina incendia, & notam Urbis calamitatem omitto; vel una Photii Bibliotheca, quantum ab octingentis annis perierit monumentorum id genus, nimis luculenter teſtatum facit. Unde & illa jam olim querela diſertiſſimi rerum
Livius l. II. Romanarum ſcriptoris, qui ſi quæ in Commentariis Pontificum, aliiſque publicis privatiſque erant monumentis, incenſa Urbe pleraque tradit interiiſſe. *Picturæ*, quæ vix ſæculorum aliquot edacitatem effugiunt, ita ad diuturnitatem memoriæ longe adhuc minus habent præſidii. Hinc obſoletas jam ævo ſuo inſignes

gnes aliquot pictas Tabulas, queritur non semel Pausanias, in ea vetustiorum operum, quam passim instituit, commemoratione. Unde Tullius quoque, Rempublicam suorum temporum confert alicubi picturæ non solum evanescenti vetustate, sed coloribus etiam & extremis lineamentis destitutæ. Apellis utique nomen novimus, opera ignoramus; neque scilicet jam ulli patet ad visendum

In Attic. & Arcad.

In Fragm. de Repub.

Linea quæ veterem longe fateatur Apellem.

Non illa Venus Anadyomene amatores amplius adlicit; non Alexander ille cum fulmine, mortali Alexandro felicior; non miles ejus Antigonus, alibi quam in Nummis superstes; non alia denique decantata Protogenis, Parrhasii, Zeuxidis, hoc est præstantissimorum Artificum miracula, oculos hodie nostros oblectant. Vix aliqua eorum vestigia Romæ supererant ævo Petronii, qui inspecta quædam id genus, ut singulare spectaculum commemorat: *Nam*, inquit, *& Zeuxidis manus vidi, nondum vetustatis injuria victas, & Protogenis rudimenta.* Fragmenta aliquot tenuia & obscura picturæ veteris, quæ in Aldobrandinis Hortis, Palatio Farnesiano, & apud summæ cum amplitudinis, tum comitatis virum, Camillum Maximi, etiamnum hic occurrunt, dolorem potius & desiderium, quam voluptatem & solatium spectatoribus adferunt. *Statuæ, Signa, Lapides, Marmora*, ut præstantia & diuturnitate materiæ ad memoriam æternitatis comparata, sic propitio magis fato, sæculorum vim & oblivionem temporum elusisse videntur. Habet adhuc, fateor, in hoc genere Italia, & Roma vel maxime, quo præclaram etiamnum & jucundam pristini decoris speciem advenarum oculis subjiciat. Laocoon Vaticanus jam Plinii tempore, pro supremo Artis conatu habitus; Hercules cum Farnesianus,

nus, tum Capitolinus; Venus Medicæa; Seneca & Gladiatores Borgheſiani; illa M. Aurelii ſtatua Equeſtris; aliaque nonnulla ſingularis & divinæ cujuſdam præſtantiæ opera, ad publicum ſtuporem & exemplum etiamnum hic ſuperſunt. Sed præterquam quod manca multa ſint ex iis & mutila, quot & quanta ſunt, ſi cum veterum Statuarum numero & amplitudine conferantur? Certe de ſolis Statuis æreis notat alicubi Se-

Variar. lib. III. c. 15. nator, *eas parem populum urbi dediſſe, quam natura procreavit*: Tertullianus vero in Apologetico; *nondum enim tunc ingenia Græcorum atque Tuſcorum fingendis ſimulacris urbem inundaverant*. At vide quid de Statuarum id genus ſato diſertiſſimus Orator & Conſul, jam olim pro-

Plinius in Paneg. nuntiarit; *Illæ autem aureæ & innumerabiles ſtrage & ruïna publico gaudio litaverunt*. Hinc ſingulas ſtatuas conſecrari quidem ut æternas, obſervat alicubi Dio Chry-

Or. XXXVII. ſoſtomus, ſed eaſdem cum vario fato, tum longinquitate temporis intercidere agnoſcit. Quod ipſum præ-

De vit. Conſtant. lib. I. c. 2. clare alicubi etiam expreſſit Euſebius, qui hominibus ad ſolatium mortis, & æternitatis contemplationem, quæſitas Imagines, Statuas, ac Monumenta id genus commemorat; quæ tamen omnia caduca & brevi eſ-

Lib. III. ſent interitura. Unde apud alterum Dionem Mæcenas, Auguſtum ab aureis & argenteis Statuis erigendis dehortatur; quod parum illæ ſoleant eſſe diuturnæ, certe quas tempeſtate, vi, vetuſtate interire alicubi

Philip. IX. Tullius agnoſcit. Non ſolum de Jove Olympio Phidiæ, aut Venere Praxitelis hic loquor; non de immenſa illa Statuarum multitudine, quibus aut Urbis fora, aut Viæ publicæ, aut privatorum Villæ collucebant; non de innumerabilibus illis Deorum ſimulacris, quæ eodem cum Diis ſuis fato periere. Illos ſidereos Coloſſos Solis, Neronis, Commodi, qui quo cœlo propiores,

res, æternitatis quoque ſpem minus dubiam habere videbantur, aut plane interiiſſe, aut eorum aliquot laceros & diſſipatos artus jacentes intuemur. Mitto direptas Urbis à non uno Cæſare Conſtantinopolitano Statuas, aut certis quibuſdam locis incluſam & definitam earum copiam, aliis ferme gentibus inconceſſam. Nummi vero integri magis, incorrupti, cum materiæ beneficio, tum artis compendio; amplitudine vero locorum, in quibus eruuntur, numero præterea & varietate longe hic præponderant. De *Lapidibus* vero, quibus vulgo inſcripta veterum Elogia, & impreſſa etiam, neque apud ſolos Ægyptios, antiquiſſima memoriæ monumenta, agemus alibi. Quamquam illud venuſtiſſimi Poëtæ haud ignoras, Tacit. Annal. x i.

Tabida conſumit ferrum, lapidemque vetuſtas.

aut alterum Vatis Burdegalenſis,

Miramur periiſſe homines, monumenta fatiſcunt,
Mors etiam Saxis, nominibuſque venit.

Ut certe conſulentibus hic nobis ſubinde antiqua illa Marmora, quæ nullo ævo aut macie ſeneſcere poſſe videbantur, nullibi liqueat manifeſtius, quam verus ſaltem ille Vates fuerit qui & Saxo multam nocere senectam adſeruit. Tale equidem, non hic vendito Monumentorum id genus, in quod unum nihil ſenectæ, nihil flammis, nihil poſteritati liceat, denique *Aquibus omne ævi ſenium ſua fama repellit*. Veriſſime Suada Romana: *Nihil enim eſt aut opera, aut manu factum, quod aliquando non conficiat & conſumat vetuſtas*. Sempiternum ea ratione dicimus, qua pro mortali vitæ conditione, fatalis terminus ſi non tolli funditus, ad immenſum tamen tempus ætatis produci videtur. Adeo ut immortalem illam vitam, quam ſibi nequidquam ſecundus augurabatur Ptolemæus, ſolam hactenus eidem Cicero pro Marcello. Athen. Deip. l. x i i.

Nummi præstiterint, in quibus ille se adhuc hodie conspiciendum præbet. Incredibilem alias Nummorum multitudinem, carie quoque, & casibus variis consumptam, aut etiamnum sepultam non diffiteor, & si ad veterum signatam pecuniam subducatur, minimam illam & contemnendam forte, Cl. Salmasio alicubi id asserenti lubens concedam. At si rursus eadem cum residuis aliis monumentis veterum conferatur; si Nummorum, qui in Europa Asiaque, aut jam reperti, aut quotidie è terræ visceribus eruuntur, numerus reputetur; si antiquitatis eorundem ratio qualiscunque habeatur; incredibilem adhuc quandam, & prope infinitam illorum tum copiam, tum varietatem, omnes, qui vel mediocrem eorum usum habent, mirari ultro & fateri cogentur.

Ep. 2. de Cruce.

3. *Ob Argumenti Nobilitatem.*

Nec Dignitatem illa Nummorum *Argumenti* in iis expressi *Nobilitas* minus arguit, vel ostentat. Sacram artem Statuariam vocat alicubi in descriptionibus suis, ille qui Philostrato comes addi solet Callistratus. SACRAM MONETAM vero, & Nummi ipsi continuo reclamant, & Constitutiones Principum abunde loquuntur. Hinc celebris jam olim illa lex Cornelia, aliaque statuta, perpetuo quodam Gentium consensu stabilita, quibus à temerariis contrectatoribus & falsariis immunis eadem vindicatur. Immo nec *Sacram* solum sed DIVINAM etiam videas eandem nuncupatam sub Christianis Principibus: ut in veteri libello incerti Auctoris adjuncto veteri Notitiæ Imperii, qui augendi ærarii & conservandæ Monetæ rationem exsequitur: & in quo unum caput occurrit cum lemmate: *Felix inchoatio* SACRÆ DIVINÆQUE MONETÆ. Ne mirum jam videatur si tanta Numinis illius veneratio Christianorum adhuc mentibus insedit; neque aliud

aliud videas ex omni Divorum ordine tot aris coli, aut tot ſupplicum votis fatigari. Hinc eadem jam olim Monetæ in Nummis veterum, quæ Æquitatis effigies; ut ex æquo nempe religio utriuſque & reverentia traderetur. Mitto JUNONIS etiam, & APOLLINIS MONETALIS expreſſa, & adorata olim ſimulacra; ut vel ex iiſdem Nummis adhuc hodie colligimus. Talem utique circa illos religionem, ſignati in iiſdem Principum ac Dominorum vultus paſſim conciliarunt. Unde jam olim ingenioſiſſimus vates, de ſimili Cæſarum imagine ad ſe tranſmiſſa:

Argentum felix omnique beatius auro,
Quod, fuerit pretium cum rude, numen habet. In Ponto lib. II. El. 8.

Factum enim haud inconſulto, ut inter alias dominationis artes, hæc quoque ſit à Regibus paſſim & Cæſaribus admiſſa; *ut imago Principum ſubjectos videretur paſcere per commercium, quorum conſilia invigilare non deſinunt pro ſalute cunctorum.* Ita colendam eorum imaginem facile ſinguli credidere, quorum nutu & auſpiciis florens reſpublica, & incolumes privatorum fortunæ ſervabantur. Immo ea ratione proviſum, ut tanquam præſentes ubique & manifeſti in eorum etiam oculos incurrerent, qui longius alias à Principum ſuorum conſpectu ſubmoti, in diverſis terrarum partibus ſub eorum tutela ac imperio acquieſcebant. Quo etiam ſpectant illa ejuſdem Poëtæ exulis, & Auguſtum, Liviam ac Tiberium abſentes in argenteis eorum imaginibus recolentis, Caſſiodor. lib. VI. Ep. 7.

Nos quoque veſtra juvet, quod, qua licet, ora videmus:
Intrata eſt ſuperis quod domus una tribus.
Felices illi qui non ſimulacra, ſed ipſos
Quique Deûm coram corpora vera vident.

Quod quoniam nobis invidit inutile fatum,
Quos dedit ars votis, effigiemque colo.

Hinc *æternales illos vultus violare*, religio quædam veterum (utinam pariter omnium recentium) antiquariorum mentes incessit. Unde ille apud Artemidorum Stratonicus, putabat se Regem calcitrasse, qui progressus invenit aureum ejus numisma, quod ignarus forte calcaverat. Capitale certe fuisse Tiberianis temporibus, apud Senecam & Suetonium legimus, effigiem illius Cæsaris Nummo vel Annulo impressam, latrinæ aut lupanari intulisse. Quod egregie illustrat ille apud Philostratum locus, qui doctorum virorum effugit diligentiam; ubi in claro Pamphyliæ oppido impietatis nonnemo damnatus legitur, qui servum verberibus adfecerat ferentem forte drachmam argenteam, in qua expressa erat Tiberii effigies. Quo referri etiam debet infelix casus juvenis illius ex equestri ordine, qui ultimo supplicio destinatus à Caracalla legitur, quod nummum signatum ejus imagine in lupanar intulisset, ut observat Dio in Excerptis Peireskii. Plures id genus omitto majestatis postulatos, ob imaginem Cæsarum promiscuis usibus violatam; cui etiam diademata sua & tiaras soliti olim subjicere Orientis Reges; ut non de uno Arsacida ac Tigrane narrant rei Romanæ Scriptores. Hinc vultus Nummis signare, inter præcipua olim Majestatis arcana receptum; quod Severum Clodio Albino singularis privilegii loco concessisse, tradit Herodianus; ac inter præcipuos honores matri Helenæ à Constantino exhibitos refert Eusebius. Unde etiam de Rufino imperium adfectante Claudianus,

Oneiroc. lib. II. c. 33.

Lib. I. de vit. Apollon.

Lib. III. de vit. Constant. c. 47.

—— *& quod post vota daretur,*
Inscribi propriis aurum fatale figuris.

Exagitat nempe vesanam Rufini illius superbiam, qui

qui ad ſupremum Cæſareæ Majeſtatis apicem nihil ſibi reliquum fecerat, quam ut Nummis aureis ſuam imprimeret effigiem; quod tamen ea ætate ſolis Romanorum Imperatoribus in toto orbe uſurpabatur. Eandem etiam veſaniam in Procopio Auguſti faſtigium ambiente Valentiniani temporibus, notaverat jam ante Ammianus, qui tradit ejus aſſeclas nullo præter petulantiam adjumento confiſos, AUREOS *ſcilicet* Lib. XXVI. *Nummos effigiatos in vultum novi Principis, aliaque ad illecebras aptantes.* Hanc enim tum unicam toto orbe Auguſti faſtigii prærogativam docet nos alter Procopius, qui tradit præter Cæſares, ſolis Francorum Regibus ſub Juſtiniano primum conceſſum, nummos aureos ſua ornare effigie; non autem idem licuiſſe Perſarum, aliorumque Barbarorum Regibus vel Tyrannis. Locus hanc in rem eximius, & quem operæ pretium erit adſcribere; ubi narrat Francis Germania profectis ſtabilem Galliarum poſſeſſionem adſeruiſſe Juſtinianum, & ab eo tempore Germanorum Reges Maſſilia & vicinis locis potitos Arelate Circenſibus præſediſſe, additque,

Νόμισμα γὰρ χρυσᾶν ἐκ τῶν ἐν Γαλλοῖς μετάλλων πεποίηται. οὐδὲ Goth. lib.
Ῥωμαίων αὐτοκράτορα (ἥπερ ἐθίσαι) χαράκτηρα ἐνθέμενοι II.
τῷ στατῆρι τούτῳ, ἀλλὰ τὸ σφέτερον αὐτῶν εἰκόνα, καίτοι νόμισμα
μὴ ἐξὸν ἄργυρᾶν ὁ Περσῶν βασιλεὺς ἢ βάλοιτο, πλὴν εἴωθε. χαράκτηρα γὰρ ἴδιον ἐμβαλέσθαι στατῆρι χρυσῷ, ἔστε τὸν αὐτῶν ἄρχοντα ἥμισυ, ἔστε γὰρ ἄλλων ὀνήσασθαι βασιλέα τῶν πάντων βαρβάρων, καὶ πάντα μᾶλλον ἔνδα χρυσᾶ κύριον. ἐπεὶ ὁδὲ τοῖς ξυμβάλλουσι στρατιώτας τὸ νόμισμα τοῦτο οἷοί τε εἰσιν, εἰ καὶ βαρβάρους τοὺς ξυμβάλλοντας εἶναι ξυμβαίνει. Unde manifeſte licet eruere, primo ſingularem hanc fuiſſe prærogativam Romanorum Cæſarum, nummos aureos ſua ſignare effigie. Secundo, eam Francorum Regibus firmatis in poſſeſſione Galliarum à Juſtiniano, eximii privilegii loco

ab eodem Cæsare primum concessam: Tertio, nemini Barbarorum, nequidem Regum Regi, vel iis etiam apud quos aurum nascebatur, idem licuisse. Quarto, rationem hujus moris eam fuisse; quod nullus usus futurus fuisset nummi ejusmodi aurei cum illorum Regum effigie; cui nullus utpote in commercio locus, ne quidem ubi negotium erat cum Barbaris, in toto orbe Romano relictus erat. Hic postremorum verborum sensus, quem non per omnia expressit novissimus Procopii interpres, & qui paulo intricatior legitur in versione Grotiana, ut sicut fieri solet in opere posthumo, quædam ibi obrepsisse contra mentem aut scripturam viri magni existimem. Vetus alias hæc illorum Galliæ tractuum prærogativa, ut Romanorum Præfectis liceret in iis monetam auream & argenteam cudere; sicut
Lib. IV. de Lugduni Præsidibus commemorat alicubi Strabo. Nec sacram tamen solum hanc prisci ævi memoriam æterni illi vultus, ut alia quoque iisdem Nummis contenta arguere mihi & comprobare videntur. Religio veterum (ut paucis res prope innumerabiles complectar) & universa Sacrorum apud eos ratio; Ritus solennes Belli ac Pacis; Victoriarum vel Instrumenta vel Præmia; Gentium ac Urbium Heroës, & Insignia; Figuræ Virtutum aut Vitiorum symbolicæ; Animalium, aut Plantarum nobiliorum Effigies; Fabricæ denique & Opera publica, quasi ad memoriam æternitatis vel extructa vel instaurata. Ampla utique, & digna materia, quam non ignobiles manus tractent!

4. *Ob splendorem, & Auctoritatem Nummos tractantium.*

Et sane vel hinc potissimum splendor eximius, & decus quoddam peculiare hujus Nummorum tractationis exsurgit. Quum enim pleraque alia veneranda vetustatis monumenta excolantur passim privatorum studiis, nescio quomodo supra aliorum fastigium, hæc ipsa

ipsa vel sors sua, vel Dignitas evexit. Adeo ut ex quo elegantiores quæque artes ac disciplinæ, è situ vetustatis erutæ, nitorem aliquem & cultum admisere; nulla ex iis aut Candidatos nobiliores, aut patrocinium splendidius consequuta videatur. Ut certe, si honos alit artes, & gloriâ homines ad studia incenduntur, nulla jam hisce, de quibus agimus, potiora, & in majori quadam celebritate versari fatearis. Equidem longa res foret Cæsarum, Regum, Principum, Illustrium Togatorum, & amplissimi cujusque ordinis Virorum nomina recensere, qui in Nummorum veterum delectum & curam certatim quasi incubuere. Quot aut quam luculenta exempla hæc vestra Italia, harum artium Parens & altrix suppeditat? Ita quidem intelligo, extitisse Avorum vestrorum memoria Domum MEDICÆAM, æternam illam Musarum Hospitem, quæ ut humanitatem omnem & eruditionem sinu suo excepit ac aluit, ita prima quoque suam veterum Nummis dignitatem adseruit. Non meum illud solum, sed viri docti hac de re testimonium; *Si Nummos antiquos in pretio primum habitos à* MEDICÆIS *contendero, nemo repugnabit opinor.* Fidem his adstruit Philippus Comi-næus, testis ut alienigena, ita oculatus & exceptione major; qui aliquot millium aureorum Numismatum, & argenteorum copiam quandam immensam, suo tempore jam à Medicæis collectam, ac Italiæ in hoc genere præstantissimam refert. Unde & illum Urbis suæ Principem ac Mæcenatem quondam suum LAURENTIUM Medicæum commendabat jam olim eo nomine decus illud vestrum ac simul elegantiorum litterarum Politianus; *Quamquam & vetustas Codicum &* NUMISMATUM *fides, & in æs aut Marmor incisæ antiquitates, quæ tu nobis Laurenti suppeditasti, plurimum etiam*

Italorum.

Laurent. Pignor. Epist. Symbol. XVI.

Lib. VII. c. 9.

In Præfat. Miscellan.

præter

præter librorum varietatem noſtris commentationibus ſuffragantur. Hæſit vero eadem vel crevit potius in FRANCISCO Magno Etruriæ Duce ſollicitudo, ſub quo congeſtus ille vel adauctus Nummorum veterum Theſaurus, quem inter Europæ primarios, ſumma cum voluptate Florentiæ ante biennium inſpeximus. Hæret hæc eadem in LEOPOLDO Etruriæ Principe, qui ut flagranti omnium præſtantiſſimarum artium ac diſciplinarum amore, & aſſiduo patrocinio, ita Nummorum quoque veterum peritia ſingulari, & eximio quodam delectu excellit. Nihil famæ hic damus, ſed documentis iis, quæ comitas ejus faſtigio non minor, nobis aliquotiens ſuppeditavit. Hanc Domus Medicææ gloriam feliciter æmulata eſt Domus ESTENSIS, Heroum an Muſarum neſcio utrum felicior parens; quæ has cognatas veterum Cæſarum Effigies, ſuis quoque imaginibus inſerendas credidit. ALPHONSUM certe Mutinæ Ducem, nuper admodum terris ereptum, memini collectos id genus à Majoribus Nummos, præclaros & luculentos, ſumma cum peritiæ & delectationis ſignificatione, coram mihi viſendos exhibuiſſe.

Et ducis implevit viſus veneranda vetuſtas.

Geminum ſtudium in EUGENII IV. Purpurato Nepote, celebraverat jam ante Æneas Sylvius, Pii II nomine & dignitate celebrior; *Antonius*, inquit, *S. Marci Cardinalis Eugenii Quarti Summi Præſulis Nepos, incredibile eſt quam multa Numiſmata veterum conquiſierit Imperatorum & Principum, amator & hic vetuſtatis eſt.* In hujus quoque laudis ſocietatem venere ſuperiori ſeculo, ALEXANDER FARNESIUS, & JACOBUS BUON COMPAGNI, quorum ſtudio Muſea inſtructiſſima omni id genus ſupellectile, præcipua fama floruere & florent etiamnum. Nec inferior in hoc laudis

Not. ad Ant. Panor. Apoph.

dis genere Urbis lumen ac decus, FRANCISCUS BARBERINUS, in quem ſumma omnia honoris, fortunæ, virtutis, ac doctrinæ ornamenta facto agmine confluxere. Ut alios omittam inferioris quidem ordinis, magnæ tamen amplitudinis & exiſtimationis viros ſuperiori ſæculo conſpicuos, *Andream Lauredanum*, diligentiſſimo Sigonio non ſemel eo nomine laudatum, & *Sebaſtianum Erizzo* Venetos, *Annibalem Caro*, Picenum, *Carolum Molſam* Mutinenſem, *Vincentium Pinelli* Genuenſem, Comitem *Joannem de Lazara* Patavinum, Marchionem *Niccolini*, & *Carolum Strozza* adhuc ſuperſtitem Florentinos, & nuper Urbi ac Muſis ereptum *Caſſianum à Puteo*, alioſque magno numero propriis juxta ac his alienis veterum imaginibus inſignes. Tres certe hic omittere non poſſum, & genere claros, & Nummorum ſupellectile ac peritia in Urbe celebres etiamnum ac florentes, *Feliciam Rondanini*, Parentis & Filii purpura, ſed ingenii, ſapientiæ, & eruditionis dotibus longe magis fortunatam; *Camillum Maximi*, in quo antiquæ juxta & elegantes artes præclarum hoſpitium ac præſidium habent; & *Franciſcum Gottifredi*, ſpectatæ adeo in talibus fidei ac induſtriæ, ut omnis Antiquariorum Natio faſces illi meritiſſime ſubmittat.

Extra Italiam.

Nec extra Italiam veſtram, minus aut ſplendoris, aut dignitatis, hæc veteris ævi memoria videtur etiam conſequuta. ALPHONSUM illum, non tam regni amplitudine, quam ingenii gloria celebrem, collecta per Italiam Cæſarum Numiſmata, in eburnea arcula diligenter adſervaſſe, iiſdemque ſupra modum delectatum accepimus. Dignitate quidem inferiorem eadem dedit Hiſpania, ſed quem religio foret præterire hoc loco, *Antonium Auguſtinum* Tarraconenſem Archiepiſcopum, quo nemo adhuc forte felicius hanc ornavit

Anton. Panormitan. Apopht. Alfonſ.

Hiſpanorum.

provinciam, aut lucem illi ac dignitatem suam luculentius adseruit. Alios quosdam dignatione præcipuos, ut *Martinum Arragonensem* Ducem Villæ Formosæ, & *Ferdinandum Velasco* magnum nuper in Castilia Equitum Magistrum, addictos etiam huic elegantiæ, memorant docti aliquot Hispaniæ Antiquarii. Ut præteream hoc loco *Vincentii Lactanosæ* cum laudatam abunde à peregrinis testibus, tum erudite adsertam vernaculo opere in omni hoc studiorum genere ac delectu industriam. Et cur in viciniori vobis Sicilia mitto, aut Buteræ Principem *Fabritium Francoforte*, Aurei Velleris Equitem, è cujus admirabili Nummorum veterum Thesauro, longo annorum spatio collecto, ingentes divitias hausisse sese fatetur Paruta diligens patriorum Numismatum collector; aut *Jacobum Bonanni* Montalbani Ducem, ac *Vincentium Mirabellam*, super claritatem natalium, plurimum laudis & famæ in hoc litterarum genere propriis ingenii monumentis consequutos; aut denique *Antonium Chiaramonte*, *Josephum* & *Franciscum Faiia*, alioque ejusdem tractus amore & studio hujus antiquariæ supellectilis haud leviter commendatos? Germania vero RODOLPHUM II, & FERDINANDUM II Cæsares, LEOPOLDUM præterea Archiducem proxime defunctum, præclaros utique & luculentos hujus memoriæ vindices ac æstimatores vidit. Plures ex eadem Gente sese offerunt, & primi quidem ab Augusto fastigii Proceres, geminæ laudis æmuli, ac inter alios duo superstites, FRIDERICUS GULIELMUS BRANDENBURGICUS, & CAROLUS LUDOVICUS PALATINUS, Electores; de quo postremo plura dicerem hoc loco, nisi in eo Principis non solum, sed etiam Domini personam revererer. Hoc unum modestissime dicam, eum col-

Vid. Musco de la Medal. Hispan.

In Itinerariis quibusdam Hispaniæ.

Siculorum.

Germanorum.

collectam à Majoribus lautissimam Nummorum veterum supellectilem, & nova subinde accessione locupletare, & præclarum his artibus, ut omnibus aliis egregiis & laudabilibus, pretium inter paucos statuere. Accedit hodie in eadem vicinia avitæ Stirpis Princeps, DURLACENSIS Marchio, quem ab annis aliquot eadem circa Nummos Veteres cura & sollicitudo feliciter incessit, ut sciret nempe,

quid Ausoniæ scriptum crepet igne Monetæ?

Ne jam in eundem album referam, vel *Marcum Velzerum* Augustanum Duumvirum, vel nostratem *Marquardum Freherum*, aliaque minorum quidem gentium, nec ignobilia tamen aut indecora Germaniæ suæ ornamenta. Sed ut ad illustriores hujus elegantiæ cultores redeam, en tibi Danorum solio feliciter hodie insidentem FRIDERICUM III, præter alia decora, eruditum quoque his artibus, ac omnis hujus antiquitatis, ut perhibent, diligentissimum investigatorem. *Danorum.* Nec vero prætereundum arbitror, licet è remotiori adhuc Pannonia, & superiori præterea sæculo accersendum, ingenii operibus nobilem *Joannem Sambucum*, inter primos hujus memoriæ adsertores, jure quodam suo referendum. *Pannoniorum.* Belgium ARESCHOTANI Ducis, in colligendis antiquis Nummis operam ac industriam singularem, Lipsii præconio jam olim laudatam, celebravit; quam vel ex vulgato illorum Thesauro, cuivis licet hodie æstimare. *Lævinum* etiam *Torrentium* dedit eadem regio, omnis hujus elegantiæ non expertem; ut arguunt viri alias Insularum ornamentis conspicui monumenta; *Marcum Laurinum* præterea, Huberti Goltzii Mæcenatem, ob summam de his studiis bene merendi voluntatem, non ab eodem solum, sed etiam ab elegantis eruditionis Jurisconsulto haud perfuncto-

Belgarum.

I. Rævard. Præfat. ad Leges XII Tabularum.

rie commendatum: *Moriar*, inquit, *si præter te quemquam habemus reliquum, per quem aliquam antiquæ Romanorum Reip. imaginem posſimus agnoſcere. Continget tibi haud ſcio an nemini, ut tua in conquirendis per omnem terrarum orbem* NUMISMATIBUS INDUSTRIA, *non grata modo eruditis hominibus, ſed etiam popularis futura ſit.* Sic alios inſuper ejuſdem tractus, cum ſplendore munerum aut natalium, tum egregia in his ſtudiis facultate inſignes, vel ex idoneo ipſius Goltzii, clari quoque his artibus & monumentis teſtimonio, luculenter colligimus. Quibus certe liceat mihi adnumerare, cum *Nicolaum Roccok* Equitem, Andrea Schotto perhibente, rei omnis antiquariæ ac Numiſmatum peritiſſimum; *Gaſparem Gevartium* proxime defunctum; haud parum nobilitatos his artibus *Rubenios*; *Schinkelium* præterea *de Valcour*, & eidem cœlo inſertum, *Jo. Jacobum Chiffletium*: ne complures alios huc advocem ex eadem gente, noſtro aut ſuperiori ſæculo, illo ſtudio haud mediocriter incenſos. Gallia vero, ut vetuſtiores mittam Proceres, Regium Principem GASTONEM AURELIANENSEM, florentem nuper omni hac laude, in eamque ſerio incumbentem ſuſpexit. Ut jam de Viris felicis memoriæ nec de fæce, quod in enumerandis claris Oratoribus Tullio ſuo Atticus exprobrabat, hauſtis, *Gulielmo Choul*, *Joſepho Scaligero*, *Paulo Petavio*, *Fabritio Peireskio*, *Jacobo Sirmondo*, *Joanne Triſtano*, aliiſque præclaris in ea Gente & ampliſſimi ordinis Viris nihil dicam, qui in ornanda & excolenda id genus vetuſtate egregiam & luculentam operam poſuere. Nec minus hodie vel ſuperſunt in eadem gente, vel exornant hanc memoriam, Viri vel eo nomine ſæculorum memoria digni, quales aut Regii ſanguinis tradux HENRICUS BORBONIUS, Dux Vernolii, elegans

Gallorum.

elegans omnis hujus induſtriæ fautor & admirator; aut conſultiſſimus divini atque humani juris *Gullelmus Lamonio* Senatus Princeps; aut non Ærarii ſolum, ſed præcipuarum Regni curarum Adminiſter, fama fortunaque celeberrimus *Joannes Baptiſta Colbertus*; aut vetuſtate familiæ ſuæ digniſſimus *Achilles Harlæus*; aut inter Ærarii Curatores adlectus probatæ pridem fidei ac induſtriæ *Sevius*; aut qui ingenium illuſtre altioribus ſtudiis dedit *Ludovicus Henricus Lomenius* Briennæ Comes; aut Æduorum Senatus una cum *Philiberto de la Mare*, & *Joanne Baptiſta Lantino* lumen ac ornamentum *Bohierius*. Equidem mea etiam expectatione majorem animo cepi voluptatem, cum viderem coram non ſemel, Viros, cum auctoritate, tum ſapientia, aut ingenii laude florentes, omnem hanc ſupellectilem ex auro, argento, ære, elegantiorem ſtudioſe comparare; domos eadem habere inſtructas, quæ, quod de principe Mamertinorum Tullius, non domino magis ornamento ſunt quam civitati. Neque vero opus apud te prædicare Virum utrique noſtrûm, cum amicitia tum ſtudiorum id genus communione conjunctum, eundemque omnium conſenſu principem in hoc elegantiæ genere, *Petrum Seguinum*, D. Germani Antiſtitem; aut præterea non adeo Gazæ & Bibliothecæ Regiæ cuſtodia, quam præclaris animi ac doctrinæ dotibus ſpectatum *Carcavi*; aut denique non reticendum, qui hanc Spartam feliciter jam exornavit & propediem decorabit ulterius *Carolum Patinum*. Britannia quoque ejuſdem gloriæ æmula, & CAROLUM Regem nuper defunctum, hac omni veterum elegantia ſe oblectantem, & *Bukingami Ducem* ac *Arundellii Comitem*, primarios Regni viros; *Robertum* item *Cottonum*, alioſque id genus ex equeſtri ordine, hujus antiquariæ *Britannorum.*

supellectilis sedulos & indefessos scrutatores, etiamnum recordatur. Unde præclarum illud viri inter Britannos doctrina & eruditione celebris de Jacobæis Hortis vulgatum alicubi testimonium. *Quem locum, si vicinam Pinacothecam, Bibliothecæ celeberrimæ conjunctam, si* NUMISMATA ANTIQUA *Græca & Romana, si statuas, & signa ex Ære & Marmore consideres, non immerito Thesaurum antiquitatis, & πεμπτὸν instructissimum nominare potes.* Omnium vero instar hoc loco, CHRISTINA AUGUSTA, quæ ut superiorum ætatum decora & ornamenta, ita singularem quoque hujus industriæ amorem ac peritiam, ex ultimo Septentrione secum in Urbem invexit. Quod ut documentis aliis publice, & benigna oris significatione, mihi aliquotiens privatim aperuit; ita incomparabilis in hoc genere Nummorum Thesaurus, summo studio recens ab ea congestus, ad memoriam posteritatis loquetur. Eant itaque venusti & elegantiores homines, qui contemtu & ludibrio has artes, ut minus decoras, aut quasi in situ & squallore versantes, prosequuntur. Si tantis enim ac tam splendidis nominibus & exemplis non adsurgunt, nihil certe de hujus industriæ DIGNITATE, de sua vero existimatione aut verecundia, non parum forte detrahere censebuntur.

Patritius Junius in Not. ad Epist. Clement. ad Corinth.

Suedorum.

COMMENDATIO ALTERA A VOLUPTATE.

Nec utique inferiorem huic elegantiæ veteri commendationem, incredibilis quædam VOLUPTAS conciliat. Quam innoxia enim illa & multiplex, immo quam suavis & jucunda in Nummorum id genus contemplatione, vel ipso adspectu prodit sese & ostentat! Non hic ego illam intelligo, quæ ex *Materiæ* pretio vel pulchritudine exurgit; quæ alias vel sola in Nummorum tractatione, singulare quoddam habet lenocinium voluptatis.

1. *A Materia Nummorum.*

Festi-

Festiva quidem illa apud Lucianum Mercurii sollicitudo, qui dubius in quodam consessu Deorum varii operis & metalli, an materiæ vel artis prærogativam in iis spectaret, à Jove responsum refert, æquiores quidem esse artis partes, auro tamen vel materiæ primas tribuendas. Mitto hæc aucupia, quibus aut vulgus, aut certe cum vulgo sapientes animæ capiuntur, erectæ autem & cordatæ mentes moveri parum consuevere. Ἐκπλήττει γὰρ ἰδιώτην μὲν τὸ τῆς ὕλης καλὸν, τεχνίτην δὲ τὸ τῆς τέχνης ὡραῖον, ut ait magnus Galenus in præclaro de Usu Partium Commentario: Nosti utique, quod fictiles olim Deos & Heroas, antiquissimi Majores vestri eadem religione coluerint, qua eorum posteri aureos illos, æreos, & gemmeos quandoque (qualem Pompeii imaginem in triumpho ejus prælatam legimus) sunt prosequuti. Unde ferrei antiquorum Laconum, aut coriacei etiam priscorum Romanorum Nummi, quibus & usos etiam Lacedæmonios accepimus, vix minorem hodie gratiam aureis & argenteis recentiorum temporum, apud veros harum rerum æstimatores consequerentur. Quamvis nec amovenda sit ab hoc loco, ut indecora aut minus opportuna omnis ejusmodi delectatio; dum vel Electri veterum, vel Æris illius Corinthii, quo ad insaniam usque Romani veteres delectabantur, obvia adhuc in Nummis materia nonnunquam spectatur;

Æraque ab Isthmiacis auro potiora favillis.

Laudat alicubi Plutarchus æris in Statuis quibusdam colorem floridum, situi ac ærugini haud obnoxium. Talis utique in hac veteri Nummorum supellectile, cum singularis cujusdam venustatis laude, spectatores sæpius adficit ac delectat. Ita ut hic quoque locum habeat, quod de cælatis operibus jam olim agnovit Plinius, *ut alibi ars, alibi materia esset in pretio*: immo

In Jove Tragœdo.

Lib. 1. pag. 403. edit. Græc. Basil.

Nicol. Damascen. Excerpt. p. 522.

De Pyth. Oraculo.

L. XXXIII. c. 1.

mo utraque etiam manifesta & frequens in hoc censu arguatur.

2. *Ob Artis Præstantiam.*

Potiores tamen partes illa *Artis* commendatio sibi vindicat hoc loco, quæ ut in omni elegantiæ genere spectabilis, ita hic quoque singularis & admiranda frequenter occurrit. Meministi forte apud Dionem illum oris aurei, ut voluptatem ex conspectu Statuæ Jovis Olympii suaviter alicubi extollat; ut non homines solum, sed bruta etiam illius spectaculo adfici, immo adflictis malorum oblivionem conciliari statuat: illamque virtutem incredibilem non auro, vel ebori, ex quibus constabat illud Phidiæ miraculum; sed divinæ cujusdam artis præstantiæ continuo adscribat: *tale lumen*, (ut Romanis eum verbis loquentem inducam) *& tanta gratia illi ab arte inerat*. Gemina plane in hunc sensum, & commendationem hujus simulacri apud Galenum legas loco supra laudato. Neque vero id continuo mirabitur, qui noverit haud aliam contemplationem non hujus solum, sed omnium retro ætatum oculos vel mentes expleviſſe lubentius, quam ubi Ars suam cum Natura æmulationem, ad ejusdem non ruinam vel interitum, sed ad restaurationem potius & propagationem, omni opera convertit. Unde factum, ut felix illa hujus almæ Parentis imitatio dicam, an provocatio, ad summum fastigium paulatim evecta, in varias quoque similitudinum formas, plasticam; statuariam; picturam; encausticam; cælandi signandique artem, magno gentium consensu, passim diffusa fuerit & traducta. Quum vero in quovis hujus memoriæ genere, singularis veterum vel industria, vel felicitas fuerit; hinc non immerito quidquid ex ea penu ad nostra usque tempora incolume transiit, summam jucundissimæ delectationis materiam præbet.

Orat. XXXVII.

In

In ea vero lauta, & beata ſupellectile, eo majori quoque voluptate, aut admiratione continuo perfundimur, quo artis elegantiam major quædam (qualis in Nummis occurrit) ejuſdem ſubtilitas probat. Adeo ut non extra dubium ſit omnino, quod apud Plinium juniorem nuper legebam, Statuas, Signa, Picturas, hominum decoras, animalium quoque & arborum, nihil magis quam amplitudinem commendare. Nec enim aut Timanthi Cyclops, aut Myrmecidis quadrigæ, aut Callicratis formicæ, aut Pauſii tabellæ, aliaque opera compendio minus quam præſtantia artis, apud veteres celebrantur, vel inferiorem æſtimationem mole ſua ſpectabilibus Signis & Tabulis conſecuta ſunt. Protogenis tabulam magnæ quidem amplitudinis & elegantiæ, illis tamen Apellis ſummæ tenuitatis lineis potiſſimum nobilitatam legimus; & auctore eodem Plinio ſeniore, Phidiam non magis Jovis illius Olympii, aut Minervæ ingentia ſimulacra, quam in hujus ſcuto Amazonum vel Gigantum cum Diis prælia expreſſa, & in ſoleis Lapitharum & Centaurorum certamina commendarunt. Quod ipſum de præſtanti illo artifice tradit Cæſar Julianus in Epiſtolis, eum non ſolum celebritatem conſequutum ex imagine Olympica aut Athenienſi, verum etiam quod in exigua ſculptura magnæ artis opus incluſerat. Idem quoque Theodoro præſtantiſſimo artifici eveniſſe accepimus, *qui dum ipſe ſe ex ære fudit, præter ſimilitudinem mirabilem, fama magnæ ſubtilitatis celebratur*. Enimvero ſupremos quaſi artis conatus illa opera haud immerito judicarunt, in quibus plus intelligitur revera quam pingitur; & ut ejuſdem Auctoris verba huc detorqueam, quam ars ſumma ſit, ingenium tamen eſt ultra artem. *Mirus profecto homo*, inquit in ſimili argu-

Lib. 1. Ep. 20.

Lib. xxxvi. cap. 5.

Met. lib. VIII. mento Madaurensis Philosophus, *imo semi Deus, vel certe Deus, qui magnæ artis subtilitate tantum efferavit argumentum.* Unde Gigantum ossa, aut Solis, vel Commodi Colossea capita minus forte hodie nos delectant, quam expressa horum in Gemmis & Numismatibus, exigua quidem illa & tenuia, sed singularis cujusdam & divinæ præstantiæ simulacra. Hinc de illis idem Plinius: *Gemmæ supersunt & in arcto coarctata rerum naturæ majestas, multis nulla sui parte mirabilior.* Neque aliter commendatum alicubi à Galeno videat suæ ætatis artificem, à quo Phaëton cum quadrigis Annulo ita scite insculptum, ut cujusque equi & frœnum, & os, & dentes ac pedes anteriores pulcre dignoscerentur. Gemina vero plane hæc Nummorum laus, in quibus expressas juxta & coarctatas similitudines varias, singulari cum voluptate, & industriæ non vulgaris commendatione, periti hujus arbitri & æstimatores passim contemplantur;

Plin. lib. XXXIV. c. 8.

Lib. XVII. de Usu Partium pag. 556. edit. Basil. Græc.

Tantus honos operi, finesque inclusa per arctos
Majestas!

In Phocione. Quo referri potest illud Plutarchi, ὥσπερ καὶ τὸ νομίσματος ἀξία πολὺς ἐν ὀγκῳ βραχυτάτῳ δυνάμιν ἔχει, *sicut Nummi etiam æstimatio magnam in exiguo pondere vim habet.* Adeo ut in præstantiores ex iis Nummos, optime meo judicio cadat, quod de quodam Apellis opere olim dictum, *plura ostendere verius quam promittere*; immo forte quidquid de vocali Memnonis signo; Hectoris apud Ilienses statua spectatores ad tangendum provocante; Myronis & Praxitelis operibus, tanquam spirantibus singulis, apud Plinium, aut utrumque Philostratum lego, & de quibus in genere divinus Vates,

In Iconibus.

Stabunt & parii lapides, spirantia signa.

Hane laudem certe plurimi sibi vindicant etiamnum super-

ſuperſtites Græcorum, & Siculorum vel inprimis, ac Italiæ veſtræ, ut Neapolitanorum, Poſidoniaton, Yeliton, & Tarentinorum Nummi, aliique venuſtate non minus, quam vetuſtate ſpectabiles. Romanorum vero ea laus adhuc potior, quorum Nummi ab Auguſto ad Antoninorum uſque & Severi etiam tempora, magna cum artis & elegantiæ admiratione, ac in omni metallorum genere varietate intuentium oculos oblectant;

Vidi artes, veterumque manus, variiſque metallis
Viva modis, labor eſt auri memorare figuras.

Infra eam ætatem venuſtas illa, ut fateor, defecit, & una quaſi cum Imperio Romano conſenuit; ita ut ab uſibus aliis potius, quam ab elegantia commendationem mereantur ſequentium Cæſarum Numiſmata. Nec omni tamen voluptate ſpectatorem plane defraudant, qui delectum aliquem in iis habendum meminerit, nec Nicomachum infeliciter fuerit æmulatus, *qui multas gemmas habuiſſe traditur, ſed nulla peritia electas.* Plin. lib. XXXVII. cap. 1. Perierat Plinii ætate æris fundendi ſcientia, immo ars quoque argentum cælandi; nec minus proinde, eodem auctore, attritis etiam & quæ diſcerni non poterant cælaturis, pretium & voluptas illa ætate conſtabant.

3. *Ob Imagines Illuſtrium.*

Eandem tamen ex Nummis delectationem, præter Materiæ, aut Artis elegantiam, quam poſtremam non omnes forte perinde capiunt, tot *Illuſtrium Imagines* in iis conſpicuæ, mirum in modum augent & extollunt. Nobilitata quidem legimus aliquot præſtantiſſimorum Artificum opera, ſolis induſtriæ illecebris; niſi aliquis aut temulentæ mulieris, aut canis vel formicæ conſpectui, novum aliquod & ſingulare voluptatis genus ineſſe arbitretur. At quam decoræ, nec alibi etiam obviæ contemplationis ſpeciem Nummorum Veterum

tractatio, vel adspectus præbet? Convenio hic ego te, OCTAVI jucundissime, utrum suavius aliquod ex omni veterum Supellectile spectaculum, aut mente possit fingi, aut oculis usurpari, quam omnis quasi memoriæ Heroas, & illos Orbis olim Dominos, Nummorum beneficio superstites & spirantes videre; vultus saltem illorum & ora, post tot sæculorum decursum, coram adhuc intueri?

Os sacrum, quod in ære colis, miraris in auro,
Cerne libens.

Rudera utique varia, aut aliæ vetustatis reliquiæ, quæ certe non leviter hic me delectant, præ hac tamen voluptate, ut ingenue fatear, vilescere mihi quodammodo videntur. Legisti enim aliquoties, quæ anxia veterum cura & sollicitudo fuerit, ut præstantium Civium aut Decessorum suorum imagines domi haberent expressas; ut illo amissæ virtutis vel solatio, vel recordatione se oblectarent. Hinc illæ similitudines, quæ primo, teste Plinio, illustrem ob causam exprimi tantum solitæ, propagatæ paulatim diffusius; ita ut clarorum hominum effigies in Templis, Atriis, Liminibus, Cubiculis, Bibliothecis, aliisque publicis & privatis locis certatim tandem adservarentur. Adeo ut honorem illum non Clientes solum Patronis, Magistris Discipuli, aut Majoribus Nepotes; sed privatis etiam Principes frequenter exhiberent; quod Varroni ab Asinio Pollione primum tributum narrat Plinius, & laudabili dein æmulatione ab ipsis quoque Cæsaribus nonnunquam factitatum accepimus. Commemoratur certe inter alia Augusti decora, quod memoriam illorum virorum, quibus Roma creverat, impense coluerit, & Statuis aliaque ratione renovari curaverit. Quæ magnorum hominum reverentia Alexandrum Seve-

Lib. VII. c. 30.

Sueton. in Aug.

Severum longius adhuc provexit, qui non solum Deceſſorum ſuorum, ſed Ciceronis, Virgilii, aliorumque id genus Semonum imaginibus, ſacra etiam facere conſueverat. Haud minus flagrarunt hoc ſtudio, duo clariſſima litterarum & Urbis lumina, Varro & Atticus, qui præſtantium Virorum imagines, libris ſuis complexi leguntur, ut poſteris iidem conſpiciendi traderentur. Nec te effugit opinor, ut geminum illud ſtudium in Capitone ſuo extollat alter Plinius: *Eſt*, inquit, *omnino Capitoni in uſu claros colere, mirum eſt qua religione, quo ſtudio imagines Brutorum, Caſſiorum, Catonum domi ut poteſt habeat.* Unde factum noſti, ut nobiles dicti ſint *homines multarum imaginum*, ignobiles vero qui *imagines non habebant*, nec *imagines majorum* poterant oſtentare, ut de ſe non ſemel profitetur novus homo Marius in hiſtoria Jugurthina. Neque enim promiſcuum fuiſſe jus illud imaginum apud Quirites veſtros, ſed curulium Magiſtratuum proprium, licet aliunde ex Tullio colligere, qui de ſua ædilitate loquens, conſequutum ſe docet, *togam prætextam, ſellam Curulem, Jus* IMAGINIS *ad memoriam poſteritatemque prodendæ.* Has autem Imagines poſitas in prima ædium parte docuit nos præ aliis Valerius. Ut jam nec mirum videatur, quod de Epicuri diſcipulis narrat alicubi idem Tullius, eos Magiſtri imaginem in Tabulis, Annulis, Poculis expreſſam habuiſſe. Quod ipſum quoque Meletio Antiocheno Antiſtiti contigiſſe obſervo apud alterum Chriſtianorum Tullium, qui haud aliter ejus imaginem in Annulis, Cælaturis, Poculis, Parietibus, ubique tandem ab Antiochenis depictam aut cælatam commemorat.

Lamprid. in Alex. Sev.

Lib. 1. Epiſt.

In Verrem V.

Lib. v. c. 8.

Lib. IV. de Finib.

Chryſoſt. Homil. LXXVII. in S. Melet. t. v. p. 538. edit. Savil.

Nec inanis utique ea Voluptas, quæ in magnorum hominum contemplatione poſita, aut vacua pulcher-

rimo fructu censeri debet. Consulere majorum imagines Pætum suum jubet alicubi Tullius, ut virtutis incitamentum, & gloriæ præmium. Audi eundem pro Archia; *Quam multas nobis Imagines non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum fortissimorum virorum expressas scriptores & Græci & Latini reliquerunt, quas ego mihi semper in administranda Republica proponens, animum & mentem meam ipsa cogitatione excellentium hominum conformabam*, Princeps autem Romanæ historiæ in bello Jugurthino; *Nam sæpe audivi Q. Maximum, P. Scipionem, præterea civitatis nostræ præclaros viros solitos ita dicere; cum majorum Imagines intuerentur, vehementissime sibi animum ad virtutem accendi; scilicet non ceram illam, neque figuram tantam vim habere; sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere.* Unde laudatus ille paulo ante Alphonsus, Cæsaris adspectu ex Nummis non oblectari se solum mirum in modum, sed ad virtutem quoque continuo accendi prædicabat. Si claudicantis enim cujusdam apud Syracusanos Statua, ita adficiebat spectatores, ut ulceris dolorem sentire viderentur; potior certe hic quædam voluptatis ratio, & commotio animorum aliquanto opportunior occurrit in tot Heroum, quos Nummi exhibent, adspectu.

Meministi forte differentem in Academiæ spatiis Ciceronem (libenter enim Principis ingeniorum, tibique familiaris auctoritate utor & exemplis) quantum adfici solitus fuerit conspectu illorum locorum, in quibus clari homines multum fuerant versati: *Venit enim*, inquit, *mihi Platonis in mentem, quem accepimus primum hic disputare solitum; cujus etiam illi hortuli propinqui, non memoriam solum mihi adferunt, sed ipsum videntur in conspectu meo ponere. Hic Speusippus, hic Xenocrates,*

De Finib. lib. IV.

hic

hic ejus auditor Polemo, cujus ipsa illa sessio fuit, quam videmus. Fatetur etiam ibidem illud usuvenire, ut acrior quædam & attentior, ob memoriam locorum, de claris viris subeat cogitatio; & refert se Metapontum aliquando profectum, non ante ad hospitem divertisse, quam Pythagoræ locum, ubi vitam ediderat, ejusdemque sellam vidisset. Nec diversum tale quid ad Urbem adeuntibus quotidie contingit, si qui veteris memoriæ plane non sunt incurioſi, qui, quod ille de Athenis, ita quocunque hic ingrediuntur, in aliquam historiam vestigium ponere non ignorant; Hic Scipio, hic Cæsar, curru Capitolium ingressi; hic Tullius pro Rostris perorabat. Quod si tamen res accuratius subducatur, quis non illud imitationis studium, quod in hoc ipso spectaculi genere requirit ibidem Tullius, contemplationi vultus eorundem hominum, potius quam nudæ loci memoriæ, aut sedilis adspectui tribuat? quorum alterum nullum rei gestæ vestigium, aut aliquam viri notitiam præbet; alterum, ipsum Auctorem præclari facinoris aut consilii, vere in conspectu ponit, *sic vultus sic ora ferebat.* Neque enim quempiam opinor, thorax vel equus fortis ducis inspectus (qui tamen ad victoriam momentum aliquod conferunt) ad bellicam virtutem accendent, ut ipsius ducis armati & equitantis posita ob oculos effigies; neque etiam Pythagoræ sedes, ut sedentis ejusdem in Nummis habitus, sapientiæ amorem valebit excitare. Nec id diffitebitur omnino, qui expressam videt in monumentis id genus, ipsam antiquæ clarorum hominum virtutis, & magnitudinis imaginem. Quo in loco subit me recordatio Phœnicii illius apud Philostratum, qui in Vinitoris cujusdam descriptione, Palamedem, & reliquos belli Trojani Duces, quasi præsentes videre sese & agno- In Heroicis.

& agnoscere prædicabat. At certe luculentius Nummi id præstant, in quibus non Athletas in Olympicis victores; non Rhetores, aut Sophistas; non de Urbe solum aliqua benemeritos Cives, quibus statuas, aut imagines olim decretas, apud Pausaniam aliosque legimus; sed clarissimos omnium ætatum Imperatores; populorum Duces, & Conditores Gentium, licet etiamnum cupidis & attentis oculis intueri.

Est aliquid spectare Deos, & adesse putare,
Et quasi cum vero Numine posse loqui.

Reges, & Duces in Nummis Græcorum.

Hic enim occurrunt, Macedonum *Amyntæ, Philippi, Alexandri, Perdiccæ, Antipatri, Cassandri, Philippi* posteriores, & *Persei*; hoc est præcipua Regum apud eos series. Ægyptiorum *Ptolemæi*, dicti, *Soteres, Philadelphi, Philopatores, Cerauni, Latheri, Physcones, Euergetes*; Asiæ, *Antigoni*; Syrorum ac Phœnicum, *Seleuci, Antiochi, Demetrii, Alexandri, Tryphones*, iique *Soteres, Callinici, Nicatores, Dionysii, Magni, Dii, Epiphanes, Euergetes, Philopatores, Philometores, Sedetes, Eupatores, Commageni*; Carum *Menandri, Pexodari, Mausoli, Idriei*; Ponti vel Bospori *Mithridates, Euergetes* & *Eupatores, Pharnaces, Asandri, Sauromates*; Bithyniorum *Nicomedes, Prusiæ*; Cappadocum *Archelai, Ariobarzanes, Ariarathes*; Thracum *Lysimachi, Seuthes, Cotyes, Rhœmetalces, Rhescypores*; Pergamenorum *Philetæri, Attali*; Siculorum *Hierones, Gelones, Dionysii, Agathocles, Hieronymi*; Epirotarum *Pyrrhi, Alexandri*; Lacedæmoniorum *Agesilai, Polydori*; Carthaginensium *Amilcares, Hannibales*; Arabum *Manni, Aretæ*; Cyrenensium *Ptolemæi*; Numidarum *Jugurthæ*; Mauretanorum *Jubæ*; Sicyoniorum *Arati*; Judæorum *Herodes*; Edessenorum *Abgari*; Armeniorum *Tigranes*; Parthorum etiam *Arsaces* & *Vologeses*. Quibus accedunt Vandalorum *Hilderici*; Gotthorum *Athalarici*, *Theo-*

Theodahati, *Theodeberti*, *Alarici*, *Witiges*, *Totilæ*, *Attilæ*. Inurbanus sit certe & omnis expers innoxiæ voluptatis, qui ad tot Regum & augustorum vultuum conspectum, tangi sese continuo intimi gaudii sensu non agnoscit. Nobilius certe & latius patens spectaculum fatearis altero ejusdem generis, quod commendat alicubi Tullius; qui depictas in tabulis imagines Siciliæ Regum ac Tyrannorum non solum docet pictorum artificio delectasse, sed etiam commendatione hominum, & cogitatione formarum. De me equidem memini, ad insolitum me tanquam, & incredibile spectaculum exiliisse propemodum, quum id genus Heroas ac Duces, ex prisca Annalium memoria haud ignotos, in instructissimo talibus maximi Principis ac Mæcenatis mei museo, oculis mihi arbitrari primum licuit,

Dum vagor adspectu, visuque per omnia duco.

Mitto jam Semi Deos alios, ac antiquissimos Urbium Conditores aut Benefactores, *Castores*, *Herculem*, *Abderum*, *Phalantem*, *Minoa*, *Hectorem*, *Diomedem*, *Cyrum*, *Eurypylum*, *Byzam*, *Tarantem*, *Solymum*, *Cyzicum*, *Sosandrum Pergamum*, *Tmolum*, *Tomum*, *Docimum*, *Nemausum*, alioque plures, quos Heracleensium, Cnosiorum, Iliensium, Ætolorum, Cyrretum, Abderitarum, Byzantinorum, Tarantinorum, Cilicum, Cyzicenorum, Smyrnæorum, Pergamenorum, Sardianorum, Tomitanorum, Docimensium, Nemausensium nummi, mihi aliquoties in Italia vestra inspecti, ad posteritatis memoriam etiamnum tradunt. Mitto præterea clarissimas & è Reginarum quidem vel Amazonum serie Feminas, *Phædram*, *Smyrnam*, *Cumam*, *Amastrin*, *Berenicem*, & *Arsinoën* non unam, *Jotapen*, *Phtiam*, *Pythonicam*, *Philistidem*, *Cleopatras* aliquot, *Zenobiam*, earumque fastigio minorem, nec minus tamen celebratam

Conditores, aut Benefactores Urbium.

Sappho. Nec enim sceptris solum & rebus gestis inclytos, sed pacis etiam & ingenii artibus spectatos vultus, Nummi aliquot selectiores nobis exhibent. Ita priscos illos Legislatores; *Zaleucum, Charondam* (si fides habenda viro docto) *Pittacum, Lycurgum,* in vetustissimis Locrorum, Catinæorum, Mytilenæorum, & Laconum Nummis adhuc hodie videmus expressos. Nec minori certe voluptate adficient inspecti in Nummis Samiorum *Pythagoras*; Tarentinorum *Archytas*; Syracusanorum *Archimedes*; Megarensium *Euclides*; Laodicensium *Dracus*; Mytilenæorum *Alcæus*; Teiorum *Anacreon*; Coorum *Hippocrates*; Colophoniorum *Pytheus*; Magnesiorum quoque *Marcus Tullius*. Ut intuentem adhuc hodie venerandos id genus vultus in Nummis æreis, ejusdem Tullii rursus cogitatio subierit, qui æream Demosthenis imaginem olim à se inspectam profitetur, alibi vero Aristotelis; unde & in sedecula posita sub illius imagine apud suum Atticum tradit sedere sese malle, quam in aliorum sella curuli. Immo *Ovidium* quin etiam & *Pollionem* Menandri cujusdam Parrhasii industria ad nostra usque tempora, in duobus æreis Nummis, feliciter transmisit; quorum alterum in Pinacotheca Christinæ Augustæ, alterum te duce, apud Feliciam Rondanini, præstantissimam Matronam, inspexi; quem etiam inde in novissima Nasonis sui editione expressit Vir præter alia decora, hujus quoque antiquitatis diligentissimus investigator Nicolaus Heinsius noster. Integrum vero hic habes cum aversa parte, qualem nummus ille inter rarissimos repræsentat.

Legislatores.

Sapientes, aut artibus clari.

Orator.

Lib. IV. Ep. ad Att. 9.

Ut levis terra sit huic Parrhasio, qui sacros vultus Musarum Venerumque omnium Sacerdotis intercidere non est passus, quos bona cum Augusti venia, omnes

omnes Muſis Gratiiſque initiati in ſacrariis ſuis recondant. Unde eidem Vati quærenti jam olim,

Si quis habes noſtros ſimiles in imagine vultus; Lib. 1.

habere ſeſe adhuc hodie cupide conteſtentur, & eo Triſt. El. 6. quidem ſtudio, quo ipſe commemorat ſuam gemmæ jam olim inſculptam ab amico imaginem,

Effigiemque meam fulvo complexus in auro.

Pollionis quidem Nummum nomine Vedii ſignatum, non diffiteor à quibuſdam ad Auguſtum referri; qui tamen Franciſcum Gottifredi, optimum talium arbitrum in alia diſcedentem novi. Goltzii quidem Nummus præfert ΟΥΗΔΙΟΣ ΠΟΛΛΙΩΝ, Auguſtæ vero Reginæ tantum ΠΟΛΛΙΩΝΟC, ut iſte ad Aſinium Pollionem referendus eidem videatur. Nec mirum forte aut inſolitum videri poſſet, hunc honorem huic Pollioni *Cæſareæ* tributum, ſicut ſignatum in altera Nummi parte, quam Urbem ab Herode magno conditam, vel reſtauratam novimus; quem Romæ Pollionis hoſpitio uſum, & principem amicorum eundem habuiſſe, apud Joſephum legiſſe memini. Neque ta- Lib. xv. c. 13. men deſunt quæ meum hic adſenſum etiamnum cohibeant & de quibus alibi. Alias alterius quoque Pollionis meminit non ſemel idem Joſephus, huic Herodi Lib. xv. itidem ſumme chari & reverendi: ſed cui utpote Pha- Antiq. c. 1. riſæo nemo opinor hunc nummum imputabit. Ut præteream certe alios Polliones, celebres adhuc in ſequentibus Romanorum Faſtis, illumque Aſiæ ſub

M. Aurelio Proconsulem, cujus [a] Aristides & [b] Eusebius meminere. *Homerum* præterea hic mitto, quem Amastrianorum aliquot, Smyrnæorum & Chiorum etiam Nummi, sed non uno vultu, exhibent: ita ut præ viri vetustate ad artificis ingenium effictum, Plinio alicubi id asserenti, fides omnino sit præstanda. Quod etiam aliquot vetustioribus supra traditis Heroum aut Philosophorum vultibus accidisse, haud immerito crediderim; qui morem illum non Romæ solum receptum ex Plinio novi, sed alibi etiam, & Athenis quidem usurpatum, ubi Æschyli imaginem in Theatro diu post ejus obitum factam, ex Pausania didici. Quod ipsum clarius alias tangit eximius Ciceronis locus, ubi argumentum à Deorum imaginibus petitum refellens Academicos ita ulterius perstringit: *Nam quid est quod minus probari possit, quam omnium in me incidere imagines, Homeri, Archilochi, Romuli, Numæ, Pythagoræ, Platonis, nec ex forma qua illi fuerunt. Quomodo ergo, & quorum imagines? Orpheum Poëtam docet Aristoteles nunquam fuisse, & hoc Orphicum carmen Pythagorei ferunt cujusdam Cecropis. At Orpheus id est imago ejus, ut vos vultis, in animum sæpe incurrit.* Non piguit locum integrum adtulisse, quem ante dies paucos, oblata forte de hoc veterum more cum industrio antiquario controversia, obiter adlegasse memini. Huc vero referri etiam debent Nummi illi ærei maximi & rudioris ac minus vetusti operis, vulgo *Contorniati* Antiquariis dicti; in quibus idem *Homerus, Pythagoras, Socrates, Diogenes, Milo, Sallustius, Virgilius, Horatius, Seneca, Apollo Thyaneus, Apuleius*, aliique id genus jam olim expressi occurrunt. Amovendi vero ex hac serie novitii illi Nummi & moderni inventi, *Dido, Priamus, Menelaus, C. Marius, Scipio Africanus, Hannibal, Marcellus, Cicero, Virgilius*, & *Augustæ*

[a] Orat. 1. & 2 v. sacr.
[b] Eccles. Hist. l. 1. c. 15.
Lib. xxxv. c. 2.
In Atticis.
Lib. 1. de Nat. Deor.

guſtæ aliquot apud Æneam Vicum depictæ; in quibus nempe, nec veri, nec vetûſtatis ulla ſeſe offert commendatio. Quod ut obvium rei Nummariæ veterum vel leviter peritis, non monerem hoc loco, niſi tyronibus & minus exercitatis, fucum in his quotidie fieri, non ſemel animadvertiſſem. Hanc vero voluptatem, ex omni illa contemplatione ortam, vel Fulvii Urſini Illuſtrium Imagines abunde prædicant; quorum pars præcipua ita è Nummis expreſſa, ut altera locupletior ex adductis obiter Græcorum aut Barbarorum vultibus, erui adhuc poſſit, & ad publicam elegantiam exponi.

Majores autem veſtros, illos terrarum Rectores, nonne hic paſſim, & frequentius etiam in Nummis ſpectamus: *Cæſareos video vultus.* Illi ſunt utique, quorum conſpectu cupidi talium maxime ſe oblectant; immo quorum beneficio Roma priſcos Civium ac Dominorum vultus ſibi adhuc læta ante oculos ponit, *Romani in Nummis.*

Et centum Dominos novæ monetæ.

Hinc illi contemplari etiamnum & agnoſcere conceditur, magnanimos ſuos *Julios*, *Auguſtos*, *Trajanos*, *Conſtantinos*; truces *Tiberios*, *Caligulas*, *Nerones*, *Domitianos*, *Caracallas*; mites *Titos*, *Nervas*, *Pios*, *Marcos*,; molles *Othones*, *Commodos*, *Elagabalos*; univerſam denique Cæſarum ſeriem, familiam, indolem; *Cæſares.*

En Cæſar agnoſcet ſuum
Gnoriſma nummis inditum. Prudentius.

Sicut cum eruditiſſimo amiciſſimoque Marquardo Gudio noſtro omnino legendum illo loco crediderim, ubi *Numiſma nummis* hactenus legitur. Non aliter ac Libanius cornua imagini Ius appoſita, vocat τῦτο τὸ γνώρισμα Διός. ſed hoc obiter. Nec vero Auguſtarum adſpectu minus forte delectatur, dum obviæ eidem in *In Antiochico.* *Auguſta.*

Nummis occurrunt erecti vultus *Liviæ*, *Octaviæ*; infausti *Agrippinæ*; inverecundi *Messalinæ*, *Poppææ*, *Faustinæ*; probioris *Sabinæ*, *Mæsæ*, *Mammææ*; & ut alterius Romæ fastigia hic non omittam, sanctioris adhuc oris *Helenæ*, & *Eudoxiæ*. Mitto primos Conditores suos ac

Reges. Reges, *Romulum*, *Numam*, *Ancum Martium*, *Servium Tullium*; quorum priores ex ingenio artificum effictos, supra ex Tullio tradidi. At enim sequentium temporum ac Reipublicæ decora, Nummi vere nobis repræsentant,

Illustres. *Regulos*, *Marcellos*, *Scipiones*, *Servilios*; & libertatis ipsius Numina, *Brutos*, *Catones*, *Cassios*; ac nominis fortunæ & magnitudini pares *Syllas*, *Pompeios*; & Quiritium olim amores, *Drusos*, *Germanicos*; & Civium fastigio majores *Antonios*, *Lepidos*, *Agrippas*; quos pari studio ac felicitate, qua olim illi supra laudato junioris Plinii familiari, colere etiamnum ac domi habere conceditur. Adeo ut hoc demum impleverint id genus Numismata, quod de Varronis opere has ipsas complexo Illustrium Romanorum imagines, augura-

Lib. xxxv. c. 11. batur Plinius major; *inventione muneris etiam Diis invidiosus, quando immortalitatem non solum dedit, verum etiam in omnes terras misit, ut præsentes esse ubique & claudi possent.* Quis vero tam inficetus adeo & inurbanus, qui leve id Nummorum beneficium arbitretur, aut usu carere pulcherrimæ voluptatis, præclarum forte & consultum ducat?

3. *Ob alia argumenta Nummorum.* Nec tot alia *prisci ævi Vestigia*, quibus præter Effigies id genus, Nummi veniunt insigniti, leviori gaudio spectatorem perfundunt. Hic enim non sus forte, aut pecus, vel ratis, aut navis etiam rostrum solum sese offerunt; quibus notis signatos antiquissimos Romanorum Nummos accepimus. Longe potior voluptas ex Nummis florentis Reipublicæ, & sequentium temporum,

porum, quales hodie tractamus, exsurgit; quam præter commemoratam supra antiquitatis commendationem, argumenti varietas & illecebræ abunde conciliant. Indignabatur quidem Zeuxis, quod argumenti novitatem, non artis præstantiam in ipsius Tabulis laudarent spectatores; quorum utrumque pari, ut jam intelligimus, jure, licet in Nummis id genus æstimare. Quid jucundius enim homini veteris memoriæ non plane incurioso, quam non hic tractare *pocula adorandæ rubiginis*, sed priscos illos rerum dominos, modo sacra facientes cum omni Sacrorum apparatu & supellectile; modo Vota suscipientes pro salute Reipublicæ, aut Imperii æternitate; modo distribuentes donativa & Congiaria; modo Reliqua ceu Fisco debita remittentes; modo Annonam procurantes; modo Circenses, aut Sæculares ludos, vario spectaculorum genere celebrantes; modo Templa, Portus, Thermas, Circos, Theatra, Vias, Aquæductus, Arcus, aliaque victuræ opera molientes aut ampliantes; modo peragrantes, & restituentes Provincias; modo deducentes Colonias; modo Libertatem publicam adserentes; modo Justitiæ, Concordiæ, Abundantiæ, Felicitati, Lætitiæ, Securitati, Tranquillitati denique Temporum, varia ratione consulentes, omnibus denique Pacis artibus florentes intueri? Quid suavius iterum, quam eosdem militari gloria conspicuos, aut ad Expeditionem accinctos; aut proficiscentes ad Exercitum & adloquentes è suggestu milites; aut Fidei jusjurandum ab iis exigentes; aut Disciplinam restaurantes; aut captivos Reges, & prostratas ad ipsorum pedes Provincias ostentantes; aut Regna adsignantes; aut sublimes in Triumphali curru, & à Victoria coronatos; aut inter signa militaria Gloriam Sæculi vel Romanorum diffun-

Lucian. in Zeuxi.

fundentes; aut gratulantem illis Adventum Romam, vel aliam quamvis Orbis partem: aut eosdem denique post impletum mortalitatis terminum, Divorum honoribus videre decoratos. Mitto varium adhuc spectaculum, quod insuper omnigena Nummorum Græcorum & Romanorum supellex præbet, Deorum simulacra; Herculis labores; Urbium insignia & origines; Fluviorum figuras; Provinciarum effigies; Animalium formas; Plantarum imagines; Armorum genera; Legionum nomina; Vestium species; Coronas omnis generis; alia præterea de quibus opportunior adhuc in sequentibus dicendi erit locus. Quis autem non gemina voluptate adficiatur, in contemplanda expressa tot pulcherrimarum & reconditarum in Nummis rerum effigie, qua Lucianus olim Rhodi picturas in Porticu depictas adspiciens, tangebatur; *quam ex contemplatione*, inquit, *capiebam, heroïcas illas fabulas memoriæ repetens.* Ego equidem, quid honesta sit ac suavis animorum remissio non intelligo, si illam non provocat ejusmodi contemplatio, quæ res tot Annalium curam meritas, nobis aliquanto manifestius ob oculos ponit; ubi denique

Suspendit picta vultum mentemque tabella.

Immo eo magis innoxia ex hoc monumentorum genere, quam ex iisdem Annalibus petenda; quo ejusmodi delectatio, turpi spectaculo fœdæ voluptatis, sævitiæ, insaniæ eorumdem temporum & hominum quandoque non inquinatur.

DIS-

DISSERTATIO SECUNDA.

DE

PRÆSTANTIA ET USU

NUMISMATUM

ANTIQUORUM.

NEque tamen laus ſua illi contemplationi ac decus abunde conſtaret, niſi ex ea non ſolum mirifica quædam oblectatio, ſed UTILITAS etiam incredibilis emergeret. Hanc enim Philoſophiæ legem tradit eleganter Themiſtius, nihil omnino ſolius oblectationis gratia perficere, ſed ubique cum eo quod jucundum eſt, utile quoque admiſcere. Neque Sapientis id ſolum, ſed Artificum etiam proprium agnoſcit Tullius, qui negat Phidiam, Polycletum, Zeuxidem ſuas artes ad voluptatem direxiſſe; & alibi etiam has ipſas reliquias veteris memoriæ, ad nudam earum notitiam transferre, vocat curioſorum. Eam vero Utilitatem, multiplex illa tot rerum, quas modo enumeravi, in Nummis Veterum ſupellex, & tot eximia conſignatæ in iis vetuſtatis veſtigia, vel me tacente, arguere ſatis & prædicare videntur. Adeo quidem, ut hæc res nemini poſſit eſſe dubia, niſi qui eadem opera, omnem priſcæ ætatis notitiam aut ſupervacuam, aut à ſe alienam putet. Immo eo felicius hujus antiquæ ſupellectilis uſum & præſtantiam quiſque intelligit, quo magis interioribus veterum ſtudiis & varietate quadam litterarum inſtructus, ad Nummorum id genus tractationem accedit. Ita enim lucem præclaræ aut reconditæ Antiquitati, facem Hiſtoriæ

Orat. XII.

De Finib. l. I.

De Finib. V.

aut Geographiæ veteri; integritatem mutilis vel corruptis Auctorum locis, non aliunde certius, aut luculentius peti fatebitur; denique eorum beneficio licere adhuc hodie,

Tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas.

1. IN GRAMMATICIS. Ac primo quidem ipsa sese offert Litterarum Doctrina, quocunque tandem *Technices*, aut *Exegetices* nomine, Grammaticorum filiis nuncupetur. Seu enim genuinas litterarum apud veteres formas ac ætates; seu earum vim & adfectiones varias; seu ipsam vocum scriptionem ac proprietatem consulamus, non aliunde nobis certius, quam in Nummis aut Marmoribus antiquis præsidium occurrit. Nec certe ratio hic aut eventus fallit. Subsidia quippe reliqua, dubiam semper transscriptorum Exemplarium fidem, hæc autem sola primigeniam Autographorum dignitatem præ se ferunt. Norunt præterea, qui scriptos veterum libros versant, quam corrupti sint non solum, sed recentiores plerique, pauci admodum supra octingentorum aut mille ad summum annorum vetustatem adsurgant. Pandectas Florentinas; Virgilium cum Medicæum, tum Vaticanum; Terentium Politiani judicio omnium Codicum à se inspectorum antiquissimum; Versionem LXX Interpretum, & Glossaria aliquot Bibliothecæ Palatinæ, magna quidem cum vetustatis veneratione, Florentiæ, & hic in Urbe non semel inspeximus. At eosdem tamen infra Justiniani ævum (ut largiamur aliquot illi coætaneos, aut paullo forte vetustiores) longe certe infra Nummorum vetustatem, qui ferme hic deficiunt, exaratos, cuivis obvium fit ac manifestum. Unde sola quædam hic supereſt ad primævam illam & incorruptam Nummorum ac Lapidum auctoritatem provocatio decretoria, Criticis & Grammaticis

maticis majorum Gentium, haud semel feliciter usurpata.

In tradendis certe aut explicandis *Litterarum* apud veteres *formis*, unicum & singulare occurrit monumentorum id genus beneficium. Nec leve illud esse reputandum, & doctissimorum hujus ævi Virorum, quæ in hac palæstra se exercuit, industria, & res ipsa loquitur. Hinc enim & indubiæ linguarum origines, & primæ litterarum formationes, & varia ætatum discrimina, & innumeri librariorum aut quadratariorum errores, aliaque recondita eruditæ vetustatis arcana feliciter eruuntur. Adeo ut quæ in hoc genere, ab eruditis aut præclare reperta, aut timide pronunciata, aut perperam etiam tradita, lucem continuo ex Nummis, aut emendationem mutuentur. Ita Alphabeti veteris Græcorum cum Phœnicio collatio à magnis viris instituta, procedet securius, ut singularum litterarum apices & ductus originis suæ fidem faciant. Nec aliter jam olim Herodotus genuinas veterum Cadmæorum seu Phœnicum litteras colligit ex priscarum Inscriptionum monumentis, ἰδὼν ἦ κ᾽ αὐτὸς Καδμήϊα γεγράμμαθ᾽ ἐν τῷ ῥᾠτῇ Ἀπόλλωνος Ἐν Ἰσμηνῷ ἐν θήκῃσι τῇσι Βοιωτῶν, ὁμοῖ τρίποσί πισι ἐγκεκολαμμένα, τὰ πολλὰ ὁμοῖα ἐόντα τοῖσι Ἰωνικοῖσι. Quare jam incautius loquutum patebit illustrem Salmasium in Notis ad Inscriptionem Herodis Attici, qui formas litterarum Græcarum semel à Ionibus receptas, perpetuo in eadem facie ad nostra usque tempora mansisse, nihilque in iis immutatum contendit. Atqui vel Græcorum Nummos consulenti, non una certe, sed diversa variarum litterarum facies, ac pro ætatum discrimine, multiplex eadem occurret; dum non solum ε pro Ε; sed ϖ pro Ζῆτα; Γ pro Π; C & Ɔ pro Σῖγμα; ω pro majusculo Ω, aliaque id genus frequenter sese offerunt. Ut

Circa Formas litterarum Græcarum, & Latinarum.

Lib. V.

mittam quadrata ⊡ pro Θῆτα, & □ Ομικρὸν, quæ mihi in Nummis necdum obſervata, in marmoribus aliquot Farneſianis & Magni Etruriæ Ducis, non ſemel inſpeximus. Sic non unam literæ ξι figuram diverſam à vulgari, cum in Nummis aliquot Græcorum haud ſemel notavimus, tum in præclaris aliquot Inſcriptionibus Athleticis, nuper hic in Urbe repertis, ⋿ ⋿ ⋿. Sic ⋿ pro Ξ videas in nummo Alexandri Severi apud Cl. Seguinum. AYT. M. AYP. CEY. AAE⋿ANΔPOE. Antiquiores itaque Græcorum litteras à poſterioribus non *numero* ſolum ſed *forma* etiam haud ſemel diſcrepantes, indubia inſuper plurium adhuc teſtium fide liceret hic mihi comprobare. Ἀρχαίων certe γραμμάτων ſeu *vetuſtarum litterarum* mentionem aliquoties reperio apud graviſſimos auctores, quibus inſcripta antiquiſſima aliquot Græcorum monumenta conteſtantur. Diodorus Siculus Aram tradit extare ad Sinum Areticum, cum inſcriptione quadam antiquis & ignotis quidem litteris exarata. Idem alibi refert Argonautas Regi Libyæ æreum Tripodem donaſſe, inſcriptum quidem antiquis litteris, & ad ſua uſque tempora permanentem apud Heſperitas. Nec aliter ejuſdem auctoris coævus Halicarnaſſenſis, docet L. Memmium adſerentem, viſum à ſe Tripodem ſacratum in Jovis templo, in quo inſcriptum litteris antiquis Oraculum legebatur. Alio vero loco Columnam Græcis litteris inſcriptam commemorat idem Auctor, qua fœdus cum Latinis continebatur, Romæ adhuc ſuo tempore ſuperſtitem in templo Dianæ, & Græcis characteribus inſignitam, quibus olim Græcia utebatur. Plutarchus in Alcmenæ ſepulchro inſcriptionem exſtare dicit litteris vetuſtiſſimis ac ferme Ægyptiacis, quas vocat τύπους ſeu formas illius Grammaticæ, quam Proteo regnante

Lib. III.

Lib. IV.

Lib. I. Antiq.

Lib. IV.

De Socratis Genio.

gnante didicit Hercules. Dio vero Chryſoſtomus, viſum à ſe refert in templo Junonis Olympiæ raptum Helenæ inſculptum, καὶ ἐπίγραμμα ἐπιγεγραμμένον ἀρχαίοις γράμμασι. Aceedat his Philoſtratus, qui Eretrienſium antiqua apud Medos ſepulchra, Græcis litteris, ſed quales alibi non videntur, inſcripta diſerte commemorat, γράφουσες τ Ἑλλήνων τρόπον. Καὶ οἱ πάφοι ἢ οἱ ἀρχαῖοι σφῶν ὁ δεῖνα ἔ δεῖνα γέγραπται. Καὶ τὰ γράμματα Ἑλλήνων μὲν ἀλλ' ἔπω πῶπε ἰδεῖν φασι. Cui loco rurſus lucem fœneratur Herodotus, qui tradit alicubi Græcos Eretrienſes (quos male Eretrios vocat Interpres Philoſtrati) in Mediam ſub Dario Hydaſpis filio tranſportatos, ad ſua uſque tempora linguam conſervaſſe vernaculam, φυλάσσοντες τὼ ἀρχαίω γλῶσσαν. Hæc itaque Eretrienſium colonia in illo tractu, longe poſterior prima Ionici Alphabeti apud Græcos admiſſione. Unde jam ex illis Auctorum Nummorumve teſtimoniis ſatis liquet, cum ante, tum poſt receptas à Ionibus Phœnicum litteras, non ſemel eorum formam apud Græcos immutatam, nec in iiſdem veſtigiis perpetuo remanſiſſe. Neque prætereundum illud ϖ pro ζῆτα uſurpatum, (quod ab illuſtri Scaligero in accurato ſuo Diagrammate prætermiſſum) non legi ſolum in antiquiſſimis Marmoribus Arundellianis, ſed aliquoties in priſcis nummis cum vocibus ϖΑΓΑΡΙΣ ΚΥϖΙΚΗΝΩΝ, quod male Ortelius pro ξ uſurpatum eo loco credidit, quaſi *Xagaris* aut *Cyxicum* legi in iiſdem debeat. Pro z enim illud, non pro ξ ibi poſitum, cum ratio illorum nominum ſatis arguit, tum obvia in aliis Nummis ϖ figura pro z, ut in vocibus, ϖΗΝΟΝΟC, item ϖΟΖΙΜΟΣ, ſicut legitur cum alibi, tum in duobus nummis Laodiceorum, quorum priorem videas in Pinacotheca Reginæ Suedorum, poſteriorem ſigna-

Orat. IX.

De vit. Apollon. lib.

Lib. III.

tum in honorem Appii Proconſulis, quem non ita pridem vulgavit Cl. Seguinus. Alias non diffiteor ϖ pro ϛ occurrere in nummo recentiori cujuſdam Alexandri, qualem inſpexi etiam in Gaza Chriſtinæ Auguſtæ, ΑΛΕϖΑΝΔΡΟΥ, & in altero Alexandri Severi apud eundem Seguinum. Niſi illud pro ϛ ibidem ſumas; ita enim vox eadem effertur in Nummo Apameenſium Pontificis, percuſſo temporibus Philippi ſenioris, ΑΛΕΖΑΝΔΡΟΥ. Confuſæ nempe duæ illæ litteræ ϛ & ϛ in ea voce, ob ſonum haud multo diverſum, quod ſæpius contigiſſe in iiſdem nummis paulo infra monebimus. Quod caute tamen accipiendum, ne quis cum doctiſſimo Seldeno, alterum ϛῆτα ſolenne, multo recentius putet; quum frequens illius uſus in antiquiſſimis Nummis, ΑΙΖΑΝΕΙΤΩΝ, ΖΕΦΥΡΙΩΝ, aliiſque, paſſim occurrat. Falli præterea ex Nummis patebit eruditos, qui c altero Σῖγμα vulgo vetuſtius ſtatuunt; quod ex quodam Agathonis apud Athenæum loco, à Viris magnis Joſ. Scaligero in Euſebianis, & Iſaaco Voſſio ad Melam, erudite jam obſervatum vidi. Nec id tam arcus Scythici argumento, quam indubia teſtium fide, mihi fit manifeſtum; qui in ampla illa Græcorum Nummorum copia, Σ paſſim in antiquioribus obſervo; alterum vero c rarius ante Domitiani tempora uſurpatum, ſequentium demum ætatum proprium & peculiare, ut vix poſtea prioris illius Σ veſtigia eadem Nummorum ſupellex præbeat. Unde male vir doctiſſimus ad Ammianum c ab Agathone tanquam vetuſtum Græcorum σῖγμα deſignari credidit, aut Scaligerum reprehendit arguentem Ciaconium, qui Stibadium ſimile dixerat arcui Scythico. Stibadium enim nihil aliud quidem quam illud Σῖγμα ſub c figura traditum, ſed infra Agathonis ætatem vulgo uſur-

go usurpatum, ut ad illud Poëta non respexerit illo apud Athenæum loco. Ut mirer etiam τὸν πάνυ Salmasium, qui tam multa de antiquis Græcorum litteris haud uno in loco disputavit, alicubi in Solinianis adnotasse, *sigma Græcum antiquum formatum ut* C *Latinum*. Alias vero C illud pro Γάμμα nonnunquam vetustissimos olim Græcos usurpasse, liquere videtur ex antiquis Gelensium in Sicilia Nummis, in quibus CEΔAΣ promiscue & TEΛAΣ adhuc hodie legitur. Unde etiam aliquam inde lucem posset mutuari, quod C apud priscos Romanos G vicem serius recepti impleviſſe cum Gellius aliique tradidere, tum Nummi inprimis fidem faciunt, in quibus inter alia legas OCULNIUS pro OGULNIUS, & in Nummo quodam Caii Cæsaris, G. CÆSAR GERMANICUS; *Gaius* nempe pro *Caius*. Σ vero aliud *sigma* adhuc recentius; quamvis non solum sub Philippo Imperatore, cujus Nummum adfert Scaliger, fuerit receptum, sed jam ante in aliquibus Antoninorum Numismatibus occurrat, immo etiam in nummo quodam Augusti (quem apud Cl. Seguinum vidisse memini) à Peparethis percusso. Lapsum vero hic patet eundem Scaligerum, qui S Latinorum, Græcorum etiam litteris insertum olim credidit, fide Nummi inscripti, AΔRIANOS SEMNOS KAICAR. Atqui eadem ratione non illud S solum, sed R, V, aliaque Romanis propria, inter solennes Græcorum litteras referre potuisset, quæ frequenter in Græcorum Nummis sub Cæsaribus cusis occurrunt, ut ANTΩNINOS; LIΘ; LEONBASILEUS ROMEON; EUPUΠUAOC; AYΓVCTOS; ZEYS; CMYRNAIOC; aliaque id genus plurima. Factum id vero, non quod illæ litteræ revera in Alphabetum Græcorum essent unquam admissæ, (hoc enim omnes Nummi

Tom. I. Pag. 838.

In Sicilia Parutæ.

mi veteres constanter explodunt) sed ex frequenti utriusque linguæ commercio & commixtione, & maxime Romani sermonis simul ac imperii sub Cæsaribus amplitudine, Unde non litteræ solum, sed voces integræ Romanorum cum Græcis mixtæ nonnunquam & confusæ, idque frequenter in Coloniarum Nummis, ut in ΚΑΡΡΗΝΩΝ sub Trajano Decio; COL. AUR. KAP. KOMM. P. F. in alio Ilienſium, sub J. Cæsare ΒΙΣΝΕΩΚΟΡΩΝ, in altero Claudii ΚΑΙCAR. ET. H. CAESAREAE. Unde etiam explicanda Nummi
Tab. xxv Græciæ. scriptura apud Goltzium ΦΛΙΓΕΝSE, quam male ad Philippopolim refert. Spectat vero ad *Philippos*, aut familiari Coloniarum more *Philippense* oppidum Macedoniæ, cujus incolæ *Philippenses*, ad quos exstant D. Pauli & B. Polycarpi Epistolæ, & apud quos deductam ab Augusto Coloniam liquet ex residuis urbis illius nummis, inscriptis COL. AVG. IVL. PHILIPP. seu *Colonia Augusta Julia Philippi* vel *Philippensis*. Ita enim in rarissimo nummo Medicæo ejusdem tractus, signato temporibus Nervæ, COL. IVL. CASSANDRENS, hoc est *Colonia Julia Cassandrensis*, in aliis autem COLONIA AVGVSTA PATRENS. seu *Patrensis*, & in nummo Antonini Pii perspicue apud illustrem Sevium, COL. CAES. ANTIOCHENSIS, unde illustratur Capitolinus, qui in vita ejusdem Pii *Antiochense oppidum* arsisse docet, à quo proinde instauratum, denuo hinc licet percipere. Ex priori autem nummo liquet *Cassandrea* pro *Cassandria* apud Melam reponendum, secus quam existimabat vir doctissimus. En vero Coloniæ ejus Philippensis Nummum, sub Claudio percussum, depromptum è Museo Viri Amplissimi, Joachimi Camerarii nostri.

Alium

Alium ejuſdem generis ſignatum ætate Veſpaſiani, habet Gaza Medicæa (quem male itidem eruditus illius cuſtos ad Philippopolim referebat), & ſub Auguſto Goltzius. Unde utique D. Lucas luculenter illuſtratur, cui eadem urbs COLONIA vocatur in Actis; ἐκεῖθεν εἰς ΦΙΛΙΠΠΟΥΣ, ἥτις ἐστὶ πρώτη τῆς μερίδος τῆς Μακεδονίας πόλις, ΚΟΛΩΝΙΑ. *Et illinc* PHILIPPOS, *quæ eſt* PRIMA *partis Macedoniæ civitas*, COLONIA. Vulgo enim Metropoles eædem ac Coloniæ; ſicut conjunctam videas paſſim utramque prærogativam in nummis Antiochiæ, Tyri, Sidonis, Damaſci aliiſque pluribus, quæ mox enumerabuntur, pleraque ſuæ gentis capita: callido nempe Romanorum conſilio, quo unius urbis fide, reliqua Provinciæ oppida, in obſequio facilius retinerent. Linguam autem Matricis Romæ, ut alias notum, & quod hic veniebat ſpectandum, novi quidem inferebant Coloni; ita tamen ut ſimul veterem loci ſermonem continuo non abolerent, ſed modo uterque publico uſu & commercio frequentaretur, modo etiam quædam utriuſque permixtione in unum eundemque cum idiomate juxta & ſcriptura coaleſceret. Ex quo equidem more, aliarum quoque gentium Coloniis pridem recepto, nata illi paulatim cum dialectorum varietas quædam & confuſio, tum inprimis Romanarum vocum in linguis exoticis Græca, Phœnicia, Syriaca, Arabica, aliiſque frequentia. Ejus autem rei documenta nullibi illuſtriora aut magis con-

Cap. XVI. v. 12.

ſpicua videas, quam in hac ipſa Nummorum penu, inſpecta mihi non ſemel in præclaris Principum & illuſtrium Antiquariorum Cimeliarchiis, in qua occurrunt quamplures Romanorum Coloniæ in Græciam, Epirum, Thraciam, Macedoniam, Pontum, Bithyniam, Palæſtinam, Phœniciam, Syriam, Meſopotamiam, Arabiam, Africam Proconſularem, Mauretaniam (ut jam Hiſpaniam, Galliam, Germaniam, Britanniam, aliaſque mittam) deductæ. Signatæ autem illæ publica cujuſque loci auctoritate, modo Romana Metropoleos lingua, ut COL. AEL. CAPIT. ſeu *Colonia Aelia Capitolina*, ac eodem modo cum adjuncto COLONIÆ nomine, *Alexandria*, *Troas*, *Berytus*, *Boſtra*, *Caſſandrea*, *Claudiopolis*, *Corinthus*, *Deultus*, *Heliopolis*, *Laodicea*, *Leptis*, *Oricos*, *Papia*, *Patræ*, *Pella*, *Ptolemais*, *Sephyrus*, *Sinope*, *Stobi*, *Tyrus*, aliæque urbes Græci licet & peregrini idiomatis. Modo autem Græco ſeu vernaculo ſermone notatæ, ut ΕΜΙϹΩΝ ΚΟΛΩΝΙΑϹ. ſive *Colonia Emeſa*, & ſimiliter *Edeſſa*, *Neſibis*, *Rheſæna*, *Theſſalonica*, ac plures cum Græca itidem ΚΟΛΩΝΙΑΣ appellatione. Modo promiſcue cum Vernacula, tum aliquando Romana lingua prolatæ, ut COLONIA ANTIOCHEA vel ANTIOCHENSIS, & aliquando ΚΟΛ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ, & ad illius exemplum *Cæſarea*, *Carræ*, *Damaſcus*, *Sidon* & aliæ id genus modo antiquæ, modo Romanæ linguæ uſum in publicis illis retinentes monumentis. Præterea cum bilingui nonnunquam in eodem nummo inſcriptione, quod arguunt Cretenſium aliquot nummi apud Cl. antiquarios Triſtanum & Seguinum, ubi nempe una ejuſdem nummi area Græcam, altera autem Latinam epigraphen continet; cujus generis etiam occurrunt antiqui aliquot Macedonum Nummi hinc MAKE, aut MA-

KE-

ΚΕΔΟΝΩΝ inscripti, illinc AESILLAS, proprio viri nomine. Denique aliquando in eadem Nummi area & inscriptione permixtis simul ex utraque lingua vocibus ac litteris, ut paulo ante in Nummis *Carrenorum* & *Philippensium* notabamus, & exemplum adhuc præbent *Damascus Colonia Metropolis*, seu KOL. DAM. A. METRO. sicuti occurrit scripta in Nummo Treboniani, quem videas in Museo Reginæ Christinæ. Postremum autem hunc morem, utramque linguam ac scripturam una permiscendi, nosti frequenter etiam obvium in lapidibus antiquis, ubi præter crebras Romanorum voces, periodi etiam integræ Græcis litteris expressæ non semel leguntur. Certe Latinorum V pro Græcorum ὖψιλὸν in recentioribus Græcorum nummis passim receptum videas, signatis ætate Alexandri Severi, Philipporum & sequentium. Ita vel Ǝ inversum, Digamma à Claudio receptum in Romano alphabeto, de quo Tacitus, Suetonius, & Quintilianus meminere, in Nummo ejusdem Claudii occurrit; quem hujus antiquariæ supellectilis strenuus indagator Petrus Seguinus nuper illustravit. F alias Latinorum loco Φ Græcorum, ut quidem videtur, crebro observes in nummis Falisco rum Magnæ Græciæ, qui FAAEIΩN passim inscribuntur, ut F pro Φ in eo tractu vel inde liqueret usurpatum. Nisi potius Digammatis Æolici vestigia in eadem vocis hujus scriptura eruamus, quam constanter adeo præferunt omnes nummi antiqui hujus Urbis, quorum adhuc luculenta copia suppetit. Falisco rum nempe conditor apud antiquos auctores Ovidium, Plinium aliosque, & à quo gens ac terra denominata, Græcus gente *Halesus*, ceu Ἅλεσος, more autem veteri Græcorum H, adspiratis vocibus præponendi Ἡάλεσος, juxta Æolas vero Digamma

In Gaza Christinæ, Palatina & Medicæa.

ſuum vocalibus cum lenibus tum aſperis præmittentes Φάλισϙι. Hinc Romanis antiquitus *Haleſii* & *Faleſii* dicta illa gens, poſtea vero, *Falerii*, vel *Faliſci*, ut utroque illo nomine alias haud unius gentis eos nonnunquam vocat Livius. Sciendum enim, cum H vulgo locum F, tum S vicem R occupaſſe in veteri Romanorum ſcriptura, ut narrant veteres Grammatici; unde juxta Plinium, *Oppidum Formiæ Hormiæ ante dictum*, & *Valeſii, Vetuſii*, aliique id genus olim dicti, qui *Valerii* & *Veturii*, poſtea nuncupati. Appoſite autem in hanc rem Servius qui ad illud Virgilii, *æquoſque Faliſcos*, hæc notat, *Faliſcos Haleſus* (non Haliſcus) *condidit. Hi autem immutato* H *in* F *Faliſci dicti ſunt; ſicut Febris dicitur, quæ ante Hebris dicebatur. Nam poſteritas in multis nominibus* F *pro* H *poſuit.* Plana itaque omnia è Livio, Plinio, Servio, & priſcæ Græcorum ac Romanorum ſcripturæ veſtigiis; unde factum ut non Romanis ſolum *Falerii* & poſtea *Faliſci*, ſed Græcis Romanarum rerum ſcriptoribus, illorum more Φαλίσϰοι vulgo ſint appellati: ſi vero Feſtum conſulamus, Faliſcos non jam ab Haleſo, ſed à voce ἁλὸς ſeu ſale deducentem, eundem rurſus in Græca vocis ſcriptura uſum agnoſces Digammatis Æolici, vocali & quidem adſpiratæ, conſueto more, præpoſiti. Neque vero illud prætereundum, non Φαλίσϰους, ut vulgo apud auctores, ſed ϜΑΛΕΙΟΥΣ conſtanter vocari hanc gentem in nummis antiquis. At norunt in veteri Geographia vel leviter exercitati, haud inconſuetum unius Urbis aut Gentis nomen non uno modo prolatum videre, & quidem (quod huc inprimis facit) aliter ab incolis, aliter vero ab exteris unam eandemque gentem ſæpenumero nuncupatam. Illuſtre exemplum occurrit in urbe Gaza, quam Syris adhuc ſuo tempore non Γάζαν, ſed Ἄ͜ζαν vocari obſer-

Lib. III. c. 5.

Ad lib. VII. Æneïd.

obſervat Stephanus, & cujus gentile foret Γαζαῖοι & Γαζιωὶ, apud indigenas vero Γαζίτης. Nummi tamen hujus loci (ne quid diſſimulem) qualem certe citat Goltzius, præferunt ΓΑΖΑΙΩΝ; alii autem quos adnotaſſe memini in illuſtribus Cimeliarchiis, cum Templo & Urbis nomine ΓΑΖΑ ΜΑΡΝΑ. Unde, ut obiter hoc dicam, præclare illuſtrantur quæ de MARNÆ Jovis apud hos Gazæos cultu cum idem Stephanus in hac voce, aliique tradidere, tum inprimis D. Hieronymus, qui hanc Ædem alicubi cum celebri illo Serapio conjungit; *Serapium Alexandriæ, & MARNÆ Templum GAZÆ in Eccleſias Domini ſurrexerunt.* Alias vero, de quo jam hic agitur, crebra legas apud Stephanum exempla prædictæ varietatis in formatione τῶν ἐθνικῶν, (quam certe clariſſime evincunt nummi antiqui) inde profectæ, quod gentilitia illa nomina modo peculiari loci & regionis typo, modo aliter apud extraneos, juxta artem nempe & exempla ſimilium formationum efferrentur: alia nempe, ut fæpe innuit, τύπῳ τῆς χώρας, alia τῆς πόλεως. Nihil itaque inſolitum, ut vides, *Falerios* aut *Faliſcos*, Romanis aliiſque dictos, qui ΦΑΛΕΙΟΙ indigenis, ſeu κατὰ τὸ ἐπιχώριον, vocabantur, ſicut antiqui gentis nummi extra dubium ponunt. Quod in his Faliſcis minus adhuc mirum, qui illud apud Strabonem legit, hoc loco utique non præteruendum, ὅτι Φαλίσκους πόλιν ἰδιόγλωσσον, *Faliſcos urbem peculiari lingua utentem.* Et quod hic præterea notandum, eandem eſſe juxta quoſdam, quæ hodie vocatur indigenis *Galeſe*; in qua voce, certe cum primi conditoris nomen, tum Æolici Digammatis in γάμμα ſæpe converti olim ſoliti, ut vere alicubi obſervat ὁ πάνυ Salmaſius, clara licet veſtigia deprehendere: Mirari vero potiori jure quiſpiam poſſet, cur Æolicum illud Digam-

Auguſtæ Chriſtinæ & Ill. P. Sevii.

In Eſaïam lib. VII.

In voce Γάζης & alibi.

Lib. V.

gamma ab iis retentum, quum Argivus perhibeatur eorum conditor Halesus, Dorica proinde lingua verisimiliter usus. Verum eximendo huic scrupulo vel una opinor sufficit Strabonis auctoritas, qui non solum illud Faliscorum τὸ ἰδιόγλωσσον observat, sed etiam alibi docet, non aliam esse Doricam dialectum, quam Æolicam antiquam, & non extra Isthmum solum, sed in Isthmo etiam positas gentes Æolicas fuisse. Ut mittam Pindarum, quod jam notavit ad eum locum magnus Casaubonus, Æolice se scribere profitentem, quem alias Dorico sermone usum constat. Et ad alia quidem properabam, quum occurrit rursus Æolici illius Digammatis vestigium in nummo FAΣTIΩN, inscripto apud Goltzium; quod plane Græcanicum negantem videas ejus interpretem Nonnium, si quidem littera F, sit prorsus illis ignota, unde pro Fαστῶν, legendum putat Εσταίων. Agnoscis utique, mi OCTAVI, non cujusvis esse, veterum illorum monumentorum, quibus tot erudita priscæ litteraturæ ac sapientiæ mysteria continentur, interpretationem pro dignitate suscipere, minus autem decere, ignorationem continuo in temeritatem vertere, obscura quævis aut incomperta ad lubitum mutandi aut refingendi. Quasi vero liceret eadem arte grassari in primæva illa & incorrupta priscæ ætatis monumenta, Nummos nempe & lapides antiquos, (quod à Viris magnis factum aliquoties nollem) qua uti solet gens Criticorum, in libros editos aut descriptos olim à librariis codices, multis proinde erroribus obnoxios. Et quam caste adhuc, quam sobrie, quanta cum cautela id sibi indulgendum putant, non magistelli quidem aut è trivio Critici, sed ii demum qui nominis hujus præstantiam ac officium vere adsequuntur. Laudandus est quidem Nonnius

Lib. VIII.

Tabul. XVII. Græciæ.

ab

ab egregia de hac antiquaria ſupellectile bene merendi voluntate, nec vulgari diligentia, licet non eadem continue facultas fuerit, quidquid alii magnifice de illo ſentiant; ſicut alibi citra viri contumeliam luculenter demonſtrabitur. Unde ut ad Goltzianum nummum revertamur, fruſtra in illo hanc vocem ΓΑΣΤΙΩΝ expungere continuo voluit Nonnius, ob ignotum ſibi uſum illius Æolici Digammatis. Refertur nempe à Goltzio inter Bœotiæ urbes locus ſignati hujus nummi, haud dubie ob adſcripta eadem Thebani Clypei & Canthari ſymbola, quæ in Thebarum aliorumque Bœotiæ locorum nummis vulgo conſpiciuntur. Æolica autem lingua uſos olim Bœotos, & Æolibus adſcribendos, niſi ex Strabone aliiſque conſtaret, vel unus Varro adhuc hodie argueret, cui *Æoles Bœotii* nuncupantur. Sed de his alibi opportunius. Equidem multa id genus alia in Romanorum litteris poſſent ex Nummis erui, in quibus ex levi etiam litterarum diſcrimine A, E & V ac ſimilibus, de ipſa ætate plurimarum Inſcriptionum, & omni ſcripturæ veteris ratione, ſecure poteſt pronuntiari. Ut jam mittam, V antiquam fuiſſe Romanorum litteram; & C apud Romanos veteres pro G obtinuiſſe, ut paulo ante monebamus, & Nummi maxime fidem faciunt, quod occupavit jam in ſuis Dialogis vir elegantis eruditionis Antonius Auguſtinus. Ita errare ex iiſdem liquebit Pomponium, qui *D. de origine juris* tradit Appium Claudium, eumque non veterem illum ſed recentiorem litteram R inveniſſe, quod cum eodem longe antiquior Romæ, Romuli item ac Remi appellatio, tum ætatum omnium Numiſmata ærea ac argentea omnino refellunt, ut jam monuit idem Auguſtinus. Lib. III. de L. L.

Immo non Romanorum ſolum aut Græcorum litte- *Circa litte-*

ræ Phœnicum.

ræ, ſed antiquiores etiam *Phœniciæ*, illarum archetypa, ex Nummis luculenter poſſunt illuſtrari. Tales utique occurrunt plurimi Punicis, aut Phœniciis litteris ſignati, tum in Africanis nummis Carthaginis, aliiſque & Hiſpanicis præterea nonnullis; tum Panormi, Syracuſarum, Dionyſii; tum Tyri, Sidonis aliorumque; quos partim Urſini imagines, & Parutæ ac Leonardi Agoſtini Sicilia, partim majori adhuc numero Principum & Antiquariorum Theſauri adſervant, ita ut ex iis demum petendum videatur, quæ forma Phœniciarum aut Punicarum litterarum olim fuerit; an aliquod inter illas, Aſiaticas nempe, & Africanas diſcrimen, an cum Samaritanorum litteris plane eædem, quod à Viris longe doctiſſimis extra controverſiam poni video; an denique Græcorum litteræ, Phœniciis illis, vel Samaritanis plane ſimiles, an vero longe diverſæ, ut Cl. Salmaſio placuiſſe memini. Quum enim vix alia quod ſciam, aut vetuſtiora veteris ſcripturæ Phœniciæ ſuperſint veſtigia, nec Moſchi Sidonii, aut Sanchoniatonis Phœnicia monumenta, aut libros Punicos Regis Hyempſalis liceat hodie conſulere; non immerito horum Numiſmatum fide, tanquam præſentibus tabulis, de omni hac præclara & recondita materia tranſigi poſſe videtur. Ex quibus itaque haud indubie mihi liceat colligere, priſcas Phœnicum litteras, ad Hebraïcam magis, aut Chaldaïcam, quam vocant formam, quam ad Samaritanicam deflectere; multum certe inter poſtremam hanc, & Phœniciam ſcripturam obverſari. Id utique manifeſtum varios utriuſque characteris Nummos excutienti, quales certe plurimos arbitrari mihi non ſemel, & exſcribere etiam licuit. Vel fidem faciet vetuſtus nummus Sidonis, Phœnices olim Metropoleos, cum Triremi ſolito Sidoniorum ſym-

ſymbolo, & Græca epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗ- In Gaza Medicæa.
ΤΡΙΟΥ ΣΙΔΩΝΙΩΝ, ac præterea Phœniciis aut Hebraïcis litteris ציר, qua voce Hebræis Clivus aut Arx notatur. Sic aliûs occurrit Tyri nummus צר inſcriptus, quæ litteræ non ſunt explicandæ ZUR, hoc eſt Συρίας, ut vidi placere viris longe eruditiſſimis, ſed צור *Tſor* ipſum Tyri in ſacra ſcriptura nomen. Hæc autem omnia mirum quantum à Samaritanorum litteris diſcrepent. Nec arguet forte aliquis, poſt uſum Aſſyriaci characteris ab Eſdræ temporibus, ut vulgo exiſtimant, apud Hebræos receptum, ſimilem quoque priſcarum litterarum mutationem vicinis Phœnicibus potuiſſe quoque contingere. Præterquam enim, quod & diverſa hic ratio utriuſque gentis fuerit, nec minus id incurrit in doctiſſimorum virorum ſententiam, qui ex hac ipſa Hebraïci characteris mutatione, ab eo tempore immane aliquod diſcrimen inter Phœnicum & Hebræorum litteras, Auguſtini etiam ævo exſtitiſſe credidere. Non diffiteor equidem Punicos Africæ, Siciliæ, aut Hiſpaniæ etiam Nummos, à Phœniciis Tyri, & Sidonis numiſmatibus, aut Hebræorum etiam vel Chaldæorum primævis litteris, diverſos characteres non ſemel præferre. Hanc differentiam vel mutationem, obſervaſſe jam olim animadverto, doctum Hiſpanum, qui patriæ ſuæ antiquitates erudite congeſſit, & in eruendis Punicis ejuſdem tractus litteris, non ignobilem operam poſuit. Nec mirum utique, aut inſolitum videri debet, decurſu temporis, & locorum mutatione, Punicis litteris contigiſſe, ut earum figuræ apud barbaros interpolatæ, à prima origine non parum deſciverint; ita tamen ut non incommode ex eadem poſſint illuſtrari. Id enim novimus, cum paſſim apud gentes alias cultiores uſuveniſſe, tum Græcis Bern. Aldret. Antiquiſ. de Eſpañ.

ipsis in patrio solo contigisse, ut supra demonstravi. Ignorasse vero observo, hanc in Nummis superstitem Phœnicii & Punici characteris supellectilem, Virum inter nostrates singulari doctrina ac eruditione, qui figuras litterarum Punicarum, & modum omnem scriptionis plane interiisse credidit, exceptis aliquot Carthaginensium Nummis. Sed majus ludibrium debent ii qui aut Tabulam Eugubinam apud Gruterum Punicis litteris exaratam, aut Punicas litteras ad lubitum effictas, vel è Græcis expressas nobis aliquoties obtrusere. Verum hæc obiter, & ad alia properantes, qui supremum talium arbitrium summo Bocharto ultro deferimus, qui ad Punica illustranda omni alio ingenii, eruditionis, & solertiæ incredibilis, solo hoc Nummorum præsidio destitutus accessit. Ex quibus præterea adsertam sibi luculenter in præclaro opere Phœnicii sermonis cum Hebraïco adfinitatem probasset ulterius, nec minorem curam impendisset primigeniis his & genuinis illius linguæ reliquiis illustrandis, quam sparsis, aut interpolatis apud Græcos, & Latinos auctores vocibus eruendis. Neque enim amovenda ab hoc loco Nummorum id genus vetustorum, & optimæ quidem notæ auctoritas, cui in adserenda Samaritanici characteris vetustate, primas & solas quasi partes vulgo solent tribuere.

Thom. Reines. de ling. Pun.

Thes. Ambros. Instruct. delle lingue Araniere.

Circa litteras Hebraeorum, & Samaritanorum.

Quum enim Phœnicii non solum, sed cum *Hebraïci*, tum *Samaritanici* etiam Nummi occurrant, ex iis controversia non levis de utriusque scripturæ antiquitate & prærogativa, inter harum litterarum principes agitari consuevit. Adeo quidem ut in eo, quod hinc pendet examine, de sacro & primævo veteris Fœderis charactere, pars utraque ad Nummos continuo soleat provocare. Horum certe fiducia Scaliger aliique prementes

mentes eadem vestigia, Villalpandus, Capellus, Morinus, & Waltonus noviſſime in Apparatu Bibliorum Londinenſium, hodiernæ Samaritanorum ſcripturæ patrocinantur; immo omnem hanc litem veterum Nummorum, quos exhibent, fide omnino confectam volunt. Memini equidem, quum ante tria luſtra, puer etiamnum de illo argumento publice aliquid poſt principem harum litterarum Virum, Joannem Buxtorfium, cum aliqua doctorum venia commentarer, doctiſſimum Bochartum, ad quem miſeram præcocem illum fœtum, vel ſolo Nummorum teſtimonio probari ſibi impugnatam mihi Scaligeri & Capelli ſententiam, blandis alias litteris ſignificaſſe. Quum tamen altera ſententia à me tum adſerta, præter rationes & auctoritates alias, Nummorum etiam veterum patrocinium obtendat; quum Samaritanorum (quales certe plurimos ab eo tempore hic in Urbe, & Florentiæ inſpexi alibi evulgandos) recentiores plerique videantur, aut dubiæ admodum vetuſtatis; & præterea antiqua Phœnicum in Nummis ſcriptura longius ab illis diſcedat, Hebraïcæ haud ita diſſimilis, iiſdem adhuc, aut fortioribus etiam telis liceret forte prius judicium propugnare; ac alterius ſententiæ patronis graviſſimi & vetuſtiſſimi ſcriptoris judicium opponere, in quod nuper incidebam; *quemadmodum & Hieroſolymis Babylonica expugnatione deletis*, OMNE INSTRUMENTUM JUDAÏCÆ LITTERATURÆ *per Eſdram conſtat reſtauratum.* Sed hoc jam non agimus, aut hujus rei arbitrium magnis utrinque auctoribus ſubnixæ, volumus hic nobis vindicare. Illud ſaltem hinc abunde manifeſtum, quæ ſingularis ſit Nummorum veterum auctoritas & prærogativa, quorum teſtimonio de litteris Moſi à Deo traditis, & primæva aut antiqua Ve-

Tertull. lib. 1. de cultu femin.

teris Instrumenti ante Esdram scriptura, visum est eruditis omne litis arbitrium deferre.

Circa scribendi rationem.

Unum præterea nec ingratum, ut opinor, Phœniciæ originis, non in litteris solum Græcorum, sed in *scribendi* etiam *ratione*, monumentum, lubet hic ex Nummis accersere. Notum Phœnices, vel teste Herodoto, juxta morem Hebræis, Syris, Arabibus, Ægyptiis, aliisque Orientalibus usitatum, dextra sinistram versus litterarum ductus instituisse. Eandem quoque scripturæ rationem in antiquis Gotthorum saxis, annotavit antiquitatis patriæ restaurator Olaus Wormius. Id autem alias à Græcis omissum, ut motui naturali minus consentaneum, aut aliis de caussis, quas nihil attinet hoc loco commemorare. Antiquissima tamen illius Phœnicii moris vestigia nonnulla observarunt jam eruditi, in ea Græcorum scriptura βυστροφηδὸν dicta, quæ ex parte eam referebat, & qua Solonis olim Leges, & Inscriptio quædam Olympica apud Pausaniam, descripta leguntur. Aliud præterea hujus rei exemplum idem auctor mihi subministrat, qui antiquæ Agamemnonis Statuæ, nomen à dextra in lævam excurrentibus litteris inscriptum fuisse alibi observat. Sed clariora adhuc hodie, & genuina ejusdem æmulationis argumenta sese offerunt, in antiquissimis aliquot Græcorum Nummis, & Siculorum vel maxime, in quibus ΣΑΛΕΥ pro Τέλας, ΝΟΙΑΦΕΜΙ pro Ιμεραίων, ΝΩΙΑΤΣΕΓΕΣΣ pro Σεγεσταίων, ΝΩΙΤΝΩΝΙΑΕΣ pro Σελινοντίων, ΝΑΤΙΜΦΟΝΑΠ pro Πανορμίτων, ΑΝΙΦΑΜΑΚ pro Καμαρίνα, & in nummo Insulæ Liparæ Cimeliarchii Palatini ΠΙΑ pro ΛΙΠ seu Λιπαραίων, ac in nummis Magnæ Græciæ ΛΥΑΚ pro ΚΑΤΑ seu Καυλωνιατῶν, ΑΥ seu Καλείων, aliaque id genus Phœnicum more sinistrorsum non semel scripta leguntur. Hoc autem

Litter. Run. cap. v. & xxv.

Iliac. 1.

non

non temere hic à me obſervari intelliget, qui præter Cadmæam litterarum Græcarum originem, Phœnices & colonos eorum Carthaginenſes tot annos Siciliam inhabitaſſe, vel apud Thucydidem aut Diodorum legit, adeo ut nullibi plura illius linguæ aut gentis ſuperſint veſtigia. Quod ipſum de hac inſula Vir doctiſſimus in reconditæ eruditionis opere, alicubi adfirmat, *Itaque Phœnicum ibi veſtigia pene tam multa, quam in ipſa Phœnice.* Alicubi quoque nonnulla ejuſdem ſcripturæ exempla ſeſe offerunt, ut quodam in Nummo Epheſiorum ΝΩΙΟΞΦΞ ΟΙΜΞΤΩΑ Ἀρτεμις Ἐφεσιων, & quibuſdam id genus; quod caſu etiam nonnunquam aut incuria monetariorum potuiſſe contingere, haud difficulter largiar. Hinc ſaltem Nummos veterum tractantes, litterarum in iis apices & ductus diligenter excutere meminerint, ne quod aliquibus accidiſſe memini, pro Græcis litteris averſis, peregrinas nobis & exoticas confidenter obtrudant. Quæ res etiam fefellit Virum de hac antiquitate optime alias meritum, Joannem Triſtanum, qui in Nummo quodam Cæſareæ *Coloniam* illam pro Flavia, Alphæam dictam feſtive comminiſcitur, errore ex litteris ΑΛΦ in Nummo inverſis pro ΦΛΑ. ſeu Flavia; id enim nomen illi Urbi adhæſiſſe, ob deductam in eam Coloniam à Veſpaſiano, quod vel Plinius docere illum potuiſſet, & alii Nummi cum adjuncta FLAVIÆ appellatione abunde arguunt, COL. PR. FLAVIA CÆSAREA. Eandem quoque ſcripturam notabam nuper in nummis *Tripolitarum*, cum in Muſeo Regio Pariſienſi, tum in altero Collegii Claramontani, inſpecto mihi ſingulari comitate Cl. Viri Gabriëlis Coſſartii, Sirmondi ex aſſe hæredis. Inſcripti enim illi itidem, præter ſignatam urbem ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ, cum iiſdem litteris averſis

In Præfat. Colon. Phœn.

Com. Hiſtor. T. 11. pag. 168.

Lib. v. cap. 13.

ΛΑΦ pro ΦΑΑ. Unde FLAVIÆ etiam nomen nobili huic urbi Phœniciæ adjunctum discimus, haud minus ac *Cæsareæ Palæstinæ*, & alteri ejusdem tractus, *Neapoli Samariæ*, præterea *Samosatis*, *Chalcidi*, *Sinope*, *Develto*, *Eumeniæ*, *Critiæ*, quas singulas in præclaris earum Nummis adhuc superstitibus ΦΑΑ. aut FLAVIÆ vel ΦΛΑΟΥΙΟΠΟΛΕΩC etiam nomen præferre (recepto scilicet Coloniarum, aut instauratarum urbium more) aliquoties observasse memini. Alias vero, haud absimili cum Tristano errore, plurimos in tractandis Inscriptionibus Græcis versatos novi, dum vel in aversas id genus, aut inversas etiam litteras incidunt; in quibus tradendis ad barbaras litteras parum opportune nonnulli confugerunt.

De priscis litteris aut Nummis Hispanicis.

Quo loco etiam de *priscis Gotthorum*, aut *Hispanorum litteris*, non inutilis, aut injucunda sese offert disquisitio. Quum enim plurimi Nummi cum ærei, tum argentei rudioris alias operis, & ignotis utplurimum litteris signati occurrant, & in Hispania vel maxime, hinc non una de iis occurrit Antiquariorum sententia. Antonius Augustinus præter Punicos & Gotthicos Hispaniæ Nummos, aliquot ex iis veteri patriæ linguæ charactere exaratos credidit. Olaus Wormius diversam sententiam amplexus, eosdem à Gotthis in Hispania signatos, & clara litteraturæ Gotthicæ vel Runicæ argumenta præferre existimat. At rursus viri docti, qui non ita pridem in illustrandis Nummis patriis versati, Antonii Augustini prementes vestigia, omnes id genus peregrinis aut barbaris litteris insculptos, priscis Hispanicis annumerant. Unde quum apud Livium, *argenti Oscensis*, & *signati Oscensis* ab Osca antiqua Urbe Hispaniæ denominati, mentionem non semel injectam reperissent, Nummos illos argenteos in Hispa-

Dialog. VI.

Litter. Runic. cap. 10.

Vide Museo de las Medall. Espan.

nia

nia obvios, in quibus passim equus cum jaculo decurrens cernitur, pro illo prisco *signato Oscensi* protulere. Rationes vero quibus nituntur, petitæ aut è numero, & multitudine Nummorum, qui in Hispania quotidie effodiuntur; aut è characteribus ignotis; aut è communi illo in iis Symbolo equitis decurrentis. Hæc autem, ut ingenue fatear, percussos quidem in Hispania Nummos id genus; sed non ab Oscensibus magis, quam à Gothis Hispaniæ per tot annos incolis, suadere mihi & evincere videntur. Potior illa auctoritas aliquanto, meo judicio, quam ex Oscæ Nummis sub Augusto & Tiberio signatis, & ex Hispanico familiæ Afraniæ apud Fulvium Ursinum numismate ostendunt, cum eadem capitis imberbis & decurrentis equitis in altera parte effigie, & ignotarum in iisdem litterarum figura. Quod ipsum firmare videntur, quæ de non una litterarum forma apud Hispanos veteres, prisci auctores tradidere; ex quorum numero Strabo, illos nec uno Lib. 3. scribendi genere, nec una lingua usos jam olim adseruit. Si tamen meum qualecunque judicium liceat hic obiter interponere, aliquot ex iis ad Punicos veteris Hispaniæ Nummos, plerosque autem rudiores ad Gothicos ejusdem tractus referre consultius existimarem. Neque enim soli Gaditani, aut vicini tractus Nummi, Punicis accensendi, ut statuunt Viri docti; quasi Pœnorum in Hispania imperium & lingua non ulterius sese dissuderit. Utriusque vero vestigia non in Bætica Vid. Sam. solum, sed Tarraconensi etiam Provincia observarunt Boch. de eruditi, & vel una Carthago nova, Pœni Amilcaris in Colon. eadem opus, abunde ostentat. Gothis vero adscriben- Phœn. l. 1. dos plerosque illos argenteos cum equite decurrente, c. 3. 5. aut geminis symbolis, potius quam antiquis Oscensibus, multa suadere mihi videntur. Talia nempe, diuturna

turna Gotthorum in Hiſpania ſedes, quæ litteras eorum & linguam in eandem invexit, & eam Nummorum id genus copiam in eodem tractu ſubminiſtrat; cum adſpectus in iis rudioris & recentioris operis, & cum Gotthicis aliis Nummis Galliæ aut Italiæ conſenſus; tum plurimarum litterarum cum Runicis aut Gotthicis adfinitas. Neque obſtare debet haud diſſimilis figuræ, cum priſcis aliquot Hiſpaniæ nummis contemplatio; quum pateat adinſtar bigatorum & denariorum veterum, aliorumque id genus priorum temporum, aureos & argenteos Gotthorum nummos paſſim percuſſos. Talium certe ingentem quandam copiam, cum alibi, tum maxime in Cimelio Sereniſſimi Electoris Palatini verſare mihi non ſemel licuit. Neque tamen hæc à me adferuntur, ut me moroſum aut iniquum alterius ſententiæ patronis præbeam.

Circa litterarum Adfectiones & Permutationes.

Litterarum etiam *adfectiones* varias in earum alternatione vel permutatione, nummi ſuppeditant, quæ ad ſcripturæ veteris rationem capiendam aut explicandam immane quantum conferunt. Nec enim hic, quod vulgo nonnulli exiſtimant, caſui continuo, aut errori adſcribenda plurima, quæ in iis à recepto ſcribendi uſu aliena ſæpe videntur. Confuſas enim nonnunquam, & permutatas varias litteras apud ipſos veteres licet obſervare, cum ex fontibus aliis, tum vel maxime ex ſcripturæ veteris veſtigiis, aut recentioris additamentis, aut pronuntiatione litterarum ſimilium inter ſe & adfinium. Primo quidem ex *ſcripturæ veteris veſtigiis*, ut in variis Græcorum nummis frequens Ε pro Η, ut ΜΕΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, & vel maxime in antiquis nummis Athenienſium, in quibus vulgo videas initiales litteras ΑΘΕ, pro ΑΘΗ, ſeu ΑΘΗΝΑΙΩΝ, quod mirabatur Goltzii commentator Nonnius. At vel inde liquet,

liquet manifesto, quam vere jam olim à Platone sit adsertum, non η sed ε, in veteri Athenienſium ſcriptura uſurpatum; ὃ γὰρ ἦ ἐχρώμεθα, ἀλλὰ ε τὸ παλαίον: ne quis id in vetuſtis illis nummis fabrili errore putet contigiſſe. Neque aliter in priſcis Thebanorum nummis, ΘΕΒΗ pro ΘΗΒΗ, expreſſum itidem occurrit; & in nummo Phæſti urbis Cretæ, ΘΕΣΕΤΣ pro ΘΗΣΕΥΣ. Sic inſuper Ι pro Υ, in ΚΙΖΙΚΗΝΩΝ, Ο pro Ω, ut in ΙΜΕΡΑΙΟΝ, ΚΑΜΑΡΙΝΑΙΟΝ, ΑΙΠΑΡΑΙΟΝ, ΛΕΟΝΤΙΝΟΝ, ΜΟΤΙΑΙΟΝ, ΣΕΛΙΝΟΝΤΙΟΝ, & paſſim in vetuſtiſſimis quibuſque Siculorum Nummis, quorum uberrima longe & elegantiſſima adhuc copia ſuppetit. More itidem veteri, ut iterum notavit Plato, qui ὦρας priſcis Athenienſibus ὅρας dictas in eodem libro obſervat; & quam ſcripturam etiam frequenter repræſentat vox ΗΡΟϹ, in nummis Antinoi, & in altero Pergamenorum, ΕΥΡΥΠΥΛΟϹ ΗΡΟϹ. Sic Diphthongi iterum juxta antiquæ conſuetudinis veſtigia ſæpius omiſſæ, ut Ι pro ΕΙ, Ο pro ΟΥ; ſicut & nummi ΜΑΡΩΝΙΤΩΝ, ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ, aliique id genus docent, quorum gentilitia vulgo Μαρωνείτης, Συρακόσιος. Ratio autem petenda ex Athenæo & priſcis Grammaticis, qui eandem ſcripturam Græcis olim uſitatam tradunt, antequam ſexdecim litteris, quibus conſtabat vetus Alphabetum à Cadmo inductum, octo à Ionibus adderentur. Optime itaque adnotavit Marius Victorinus, ante repertas Η & Ω Græcos diu litteras adhibuiſſe Ε & Ο; unde etiam factum, ut poſt eaſdem litteras in communi uſu receptas, diu etiam & ab Atticis maxime in monumentis publicis antiquior ſcribendi ratio ſit uſurpata; quod recte agnovit alicubi Salmaſius, & Nummorum id genus tractatio, clariſſime jam ante oculos ponit. In eo tamen deceptus

In Cratylo.

Goltz. Tab. VII. Inſ. Græciæ.

Lib. 1. Gramma.

In Notis ad Inscript. Herod. Att.

vir magnus, quod ὑψιλὸν vetustis illis sexdecim litteris Cadmæis inserat, quam litteram tamen à Palamede ex gruum volatu repertam & prioribus additam tradunt veteres, & ipse in superioribus etiam agnoverat. Sed de his alias, qui in illa disputatione de priscis Græcorum litteris ab eodem contra Scaligerum instituta, repugnantia id genus varia, & minus accurata eidem festinanti excidisse, pluribus hic possem evincere. Et ut de hoc argumento mereamur ulterius, sic H apud vetustiores Græcos, non litteræ, quod eruditis notum, sed adspirationis signum extitisse, adspiratis proinde vocalibus vulgo Romanorum more præpositum, probant etiamnum nummi antiquissimi Siciliæ Urbis Himeræ, in quibus H illo officio fungitur; inscriptis utique HIMEPAION & HIMERA; quum alii rursus more scilicet postea recepto, IMERA & IMEPAION, præferant. Nec aliter in nummis Selinontiorum ejusdem Insulæ, HTΨAΣ pro TΨAΣ, in aliis itidem Nummis obvio, Fluvio nempe in eo tractu celebri, & specioso pueri forma expresso: quod aliis Siculis familiare observat alicubi Ælianus. Eodem referenda scriptura in nummo HIΣMENIΩN apud Goltzium, quam ignoratione vetusti hujus moris frustra refingere voluit Nonnius, & ex qua liquet adspirandam hanc vocem ἱσμηνίης apud Auctores, Stephanum aliosque, quæ cum leni vulgo in iis occurrit. Ut certe vel inde, cum scripturæ illius veteris vestigia, tum luculentum nummorum id genus vetustatem adsequaris. Ita apud Romanos pari ratione K pro C, C pro G, & E pro Diphthongo Æ, aliaque ejusdem generis in Cæsarum Nummis juxta & Saxis non semel leguntur, ex prisca utique scribendi apud eos consuetudine retenta.

Vid. Nummos Parutæ.

Lib. 11. Var. Hist. c. 33.

Tab. Græciæ XVII.

Vid. Quintilian. lib. 1. cap. 7.

Secundo orta nonnunquam illa litterarum permutatio

tatio *ex recentioris Scripturæ additamentis*, ut H vicissim pro E in Nummo ΗΛΕΙΩΝ; ΕΙ pro I in ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, ΤΟΠΕΙΡΟΥ, ΝΕΙΚΟΠΟΛΙΣ, & sexcentis id genus: Ω pro O in ωΡΘΩΣΙΕΩΝ alibi ΟΡΘΩΣΙΕΩΝ; Z pro Σ in ΖΜΥΡΝΑΙΩΝ. Hoc enim postremum casu non contigisse, abunde licet ex Luciano colligere, apud quem in festivo litterarum Dialogo, *σῖγμα* queritur de illa vi sibi facta à *ζῆτα* in hac ipsa voce *Σμυρναίων*, *δεῖ πᾶσαν*, inquit, *ἀφελομένῳ τὸν Σμύρναν*. Unde etiam præter Nummos aliquot Medicæos ita inscriptos CYNKAHTON ZMYPNAIωN,& in nummo Domitiæ OMONOIA ZMYPN.EΦE. & in altero præterea, quem in Museo Regio Parisiensi notabamus, cum Senatus & Liviæ effigie ac inscriptione CEBACTH, CYNKAHTOC ZMYRNAIΩN IEPΩNYMOC, eadem scriptura occurrit cum in una Inscriptione Græca apud Gruterum (quod in Indice prætermissum) aliisque quibusdam Latinis ZMYRNÆORUM, tum in altera etiam Athletica Romæ nuper cum geminis aliis reperta. Ejusdem exempla memini etiam me vidisse in voce Sozimi, in quodam nummo Valeriani apud Illustrem Sevium, inscripto ZOCIMOY. Ut præteream inspecta illustri Busbequio Amasiæ numismata, cum eadem scriptura Z, loco *Σῖγμα*. Sic Σ rursus pro Z sicut ΣΕΤΣ ΣΕΡΑΠΙΣ itidem legitur in Græco nummo Vespasiani, quem adservat eadem Gaza Medicæa, quod inter retenta antiquæ scripturæ vestigia haud minus venit referendum. Non aliter nempe ac illum Getarum quidem Deum, Pythagoræ vero famulum modo *Ζάμολξιν*, modo *Σάμολξιν* etiam scriptum videas in Codicibus antiquis. Iones nempe post additas superiores litteras prioribus sexdecim, & Alphabeto viginti quatuor litterarum in- p. 314. 1.

sertas, easdem postea tanquam proprias libenter quavis occasione admisere; unde præterea O in OY; T in Θ, & K in X, sæpe ab illis aliisque conversa; ut ex priscis Nummorum & Lapidum monumentis non obscure licet etiamnum colligere. Postremum videas in nummo Sardianorum inscripto NEΩXOPΩN apud Cl. Seguinum, & in altero Bizyenorum Gazæ Mediceæ, ubi XAI pro KAI pari ratione legitur. Unde nata illa confusio in scriptura urbis Calchedonis, quæ modo K, modo X præfert in scriptis codicibus, constanter vero in antiquis nummis KAΛXHΔΩN, ut hanc veram esse & genuinam nefas sit amplius dubitare, quam etiam præfert Codex antiquus Canonum Ecclesiæ universalis à Cl. Justello vulgatus: unde profectum observo errorem librariorum, qui varios codices & auctores antiquos obsedit & adhuc obsidet, ubi Καρχηδονίων ceu Carthaginensium, pro Καλχηδονίων seu Calchedoniorum, proclivi utique unius litteræ ρ & λ, permutatione facta non semel occurrit mentio. Alias vero pro Z simplici, Dorum illud seu Æolum ΣΔ videas in veteri nummo Trœzeniorum apud Goltzium, inscripto non ZEYΣ quidem, sed ΣΔEYΣ ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΣ. Tab. x. Græciæ. Tertio *ex pronuntiatione litterarum inter se adfinium aut similium*; ex quibus frequentem & promiscuam multarum litterarum commutationem, cum alibi, tum in Nummis maxime licet observare. Unde jam olim monuit Quintilianus; *quæri solet in scribendo præpositiones* SONUM *quem junctæ efficiunt, an quem separatæ observare conveniat*; alibi vero concludit, *ego (nisi quod consuetudo obtinuerit) sic scribendum quoque judico* I *quomodo* SONAT. Lib. 1. c. 7. Ex sono itaque promiscuo & cognatione variarum litterarum, nata crebro illa scripturæ varietas, quam non Codices solum antiqui, sed haud paullo

iisdem

iisdem vetustiores Nummi aut Lapides satis superque arguunt. Ita id crebro accidit Γ & Ν, quæ eundem sonum ante Κ efficiunt, unde sæpius ΑΝΚΥΡΑ ΣΥΝΚΑΗΤΟΣ in Nummis efferuntur, quæ alias ΑΓΚΥΡΑ vel ΣΥΓΚΑΗΤΟΣ scribi solent; sicut vicissim Γ pro Ν, ut in vetustissimis Epochis, ἐγκυθέλοις pro ἐν. Ita Ν in Μ finale, & Κ in Γ conversa in iisdem Marmoribus Arundellianis videre est, quomodo & alibi eandem Ancyram, loco Ἀγκύρας dictam aliquoties legas Ἀγγύραν, ut apud Nicephorum Bryennium non semel. Quo referri etiam possunt exempla superius adlata ex Nummis, ubi Ε pro Η, Ο pro Ω, Ι pro ΕΙ, aut vicissim occurrunt. Sic Β etiam & Π haud semel confusa, neque solum Macedonum Dialecto, qua Φελίππες dicebantur Βελίππες, sed & monente alibi eodem Stephano Byzantio, Βρεττανίδες Insulæ dictæ quoque Πρεττανίδες, & regio Lampsacena Ἀπαρνὶς prius, postea abusive Ἀθαρνὶς nuncupata. Unde lucem etiam posset mutuari Nummus ille à Cl. Galliæ Antiquario vulgatus, cum epigraphe ΒΡΟΥΖΗΝΩΝ, quam ad Prysam Bithyniæ referebat, nisi omnino levi trajectione Ρ & Ο, ΒΟΡΥΖΗΝΩΝ legendum ex Stephano existimarem, quod in margine libri continuo notaveram, antequam vidissem id Cl. quoque Cossartio observatum. Maritimi enim Prusenses, ad quos ex ejusdem symbolis videbatur spectare hic nummus, non Πρασιῶται, sed Πρασιεῖς dicti, ut in veteri nummo apud Goltzium, ΠΡΟΥΣΙΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΘΑΛΑΣΣΑΝ; unde illustratur Memnon apud Photium, qui eandem urbem vocat Πρασιάδα τὴν Ἐπιθαλάσσιον, ad distinctionem nempe cognominis urbis ejusdem tractus, ceu ΠΡΟΥΣΙΕΩΝ ΠΡΟΣ ΤΥΠΙΩ, ut vocantur in præclaris itidem Nummis *Prusienses* ad fluvium *Hipium*, non ut vulgo apud Geographos, *Hippium*,

Lib. II. cap. 7, & 8.

Cod. CCXXIV. cap. 42.

pium, aut ut Scaliger adfert ſimilem nummum in Euſebianis ΙΠΙΩ. Alia vero adhuc fuit urbs ejuſdem Provinciæ, non jam Πρωσιὰς ſed Πρῶσα dicta ad montem nempe Olympum, cujus gentile Πρωσιεὺς (ut à Νίκαια in eadem gente Νικαεὺς, vel ut conſtanter habent nummi Νικαιεὺς) & ad quam rurſus ſpectant aliquot nummi inſcripti ΠΡΟΥCÆΩΝ. Quæ certe, ut obiter hoc dicam, haud exiguam lucem adferunt illuſtrationi harum urbium, quarum nomina & ſitum haud ſemel confundunt Geographi, & viri etiam doctiſſimi.

Ad has vero de quibus agimus hoc loco, ſimilium inter ſe litterarum frequentes in Nummis permutationes, haud minus ſpectant crebra ejus rei exempla obvia in denariis ac nummis Romanorum. Hinc nempe V pro B, ſicut oſtendit DANUVIUS in Nummo pulcherrimo Trajani; V pro O, quas jam olim invicem per-
Lib. 1. c. 4. mutatas tradidit Quintilianus, & neque id in Græcis ſolum, ſed in Latinis etiam nominibus. Hinc illa ſcri-
L. 2. tit. 39. lib. 12. ptura adhuc obvia in nummis aliquot Coloniæ LAUDICEON & LAODICEON; unde adſeri poteſt vetus ſcriptura in Codice Juſtinianeo, ubi pro *Laudicenorum*, Alciatus, aliique eum ſequuti Juris interpretes *Laodiceorum* omnino legendum hactenus putaverunt, & ita rurſus legenda in D. de cenſibus *Laudicea*; non ut ſcribitur *Laudicia*, vel in *Laodiceam* neceſſario commutanda. Sic *Laucoon* etiam & *Laumedon* vulgo legi in veteribus libris adnotavit jam ad Hiſtoriam Auguſtam illuſtris Salmaſius. O viciſſim pro V in Nummis J. Cæſaris; DIVOS JULIUS, in aliis ÆGYPTOS, & in denariis Gentium Romanarum VOLTEIA, VOLCANO, eadem ratione qua CONSOLES, HERCOLI aliquoties in ſaxis: X pro S, ut in nummo familiæ Seſtiæ SEXTIUS, & lapidibus MILEX, TIGRIX:

Ut

Ut non mirum amplius, si illas litteras s & x, sæpe confuderit posterior librariorum natio, & *luxu* pro *lusu*, aliaque id genus non semel in optimis auctoribus obtruserit, quod notarunt jam eruditi, s post x, PAXS in quatuor Nummis æreis Galbæ, Vitellii, Vespasiani & Domitiani, sicut in lapidibus CAPPADOXS, FELIXS. Eandem quoque jam ante suppeditaverant antiqui denarii apud Ursinum, inscripti AXSIUS, ALEXSANDREA, & non solum in gente Egnatia MAXSUMUS, sed etiam in denario Gentis Juliæ, qui deest in Fulviana collectione, & reperitur apud Christinam Augustam, ut modo didici ex erudito æstimatore hujus elegantiæ Thoma Chiffletio, P in B, ut FORTUNA OPSEQUENS in Nummo Antonini Pii, & in Marmoribus APSENS, OPSIDES, OPTINENT. Sic E longum cum duobus apud antiquiores scriptum reperies, ut FEELIX in Nummo Syllæ. Ita geminum A in antiquis aliquot Nummis unius producti vicem obtinet, ut in VAALA, VAARUS, inter denarios gentis Corneliæ, & geminatum I in nummo quodam Galbæ (quem jam viderat olim Politianus) VIIRTUS; ut liqueat quam vere sit alicubi à Quintiliano monitum, vocalem producendam Romanos olim geminasse. Quod vero idem observat, Cicero- Lib. 1. c. 4.
nis demum temporibus, & paulo infra, s in medio geminata, id certe aliis quoque litteris videas contigisse, ut quæ ea ætate geminari cœptæ, in antiqua scriptura vulgo cum una efferrentur, sicut apparet in vetustis denariis, cum vocibus, SISENA, SULA, CINA, pro *Sisenna*, *Sulla*, *Cinna*. Sic juxta aliam ejusdem Fabii observationem, diu *nempe servatum, ne consonantibus adspiraretur, ut in* GRACCIS *&* TRIUMPIS, ita plane citra omnem adspirationem scripta reperies eadem nomina

mina GRACCUS, TRIUMPUS, ac præterea CILO, PILIPPUS, TAMPILUS, YPSÆUS, pro *Gracchus*, *Triumphus*, *Philippus*, *Tamphilus*, *Hypſæus*, ut vulgo poſtea receptum. More iterum veteris illius ſcripturæ, finales M & S, interceptas præferunt antiqui denarii, in quibus occurrunt, ALBINU. LICINIU. NASIDIU. CAPTU. pro *Albinus*, *Licinius*, *Naſidius*, *Captum*, & præterea in Nummo Coloniæ Romanæ in Sicilia ASSORU, pro *Aſſorus*. Sic præterea Diphthongum, EI pro I, priſcam Romanorum ſcripturam vulgo adhibuiſſe, aut loco I, promiſcue uſurpaſſe, quod vulgo notum abunde etiam evincunt elegantes iſtæ nummorum veterum reliquiæ, in quibus legas paſſim LEIBERTAS, EIDUS, PREIMUS, SERVEILIUS, OPEIMIUS, PLEBEI, URBANÆ, PREIVER. ſeu *Preivernum*; quod & paſſim occurrit in antiquis marmoribus, & vetuſtis inprimis Plebiſcitorum ac legum formulis. Ita pro Diphthongis, AE & OE crebro, AI & OI veteribus Romanis placuiſſe, cum aliunde ſatis, tum luculenter ex eadem penu conſtat antiquaria, in qua CAISAR, AIMILIUS, COILIUS, aliquoties ſeſe offerunt. Rurſus vero E ſimplex loco Diphthongi AE, occurrit nonnunquam, ut videbam nuper in argenteo nummo Veſpaſiani apud illuſtriſſimum Colbertum, PACI. ORB. PERPET. AC. ET. ceu *perpetuæ ac æternæ*, quamvis per me liceat id fabrili errori adſcribere; OU vero loco V ſimplicis, Romanis olim uſurpatum, arguunt itidem denarii antiqui cum ſcriptura FOULVIUS, FOURIUS, pro *Fulvius*, *Furius*, ſicut nonnunquam in Marmoribus JOUDEX, COURATOR, aliaque id genus. Promiſcua etiam fuiſſe in veteri ſcribendi ratione, O & AU, expreſſa in antiquis denariis PLAUTIA, & PLOTIA, & Quirini educator FOSTULUS, in denario gentis

Pom-

Pompeiæ, alias *Fauſtulus*, apud auctores, luculenter adhuc conteſtantur: F vero pro PH, crebro uſurpatum patet in ſcriptura ſequioris ævi, ex duobus Nummis æreis maximis Chriſtinæ Auguſtæ, uno Numeriani, TRIUMFUS QUAD., altero Honorii, TRIUMFATOR GENTT. BARBAR.; quo etiam referri debet nummus Helenæ Juliani Cæſaris conjugis à Cl. Triſtano deſcriptus, cum epigraphe ISIS FARIA. Immo eandem etiam ſcripturam præfert Nummus Domitiani apud Occonem, JOVI JUVENI TRIUMFATORI; & Conſtantis Imperatoris nummus apud Savotum, OB VICTORIAM TRIUMFALEM; & poſtremo adhuc antiquior nummus æreus in Muſeo Cl. Seguini inſcriptus II MM CC FFILIPPUS AUGG., ad denotandos nempe duos *Imperatores Cæſares Philippos Auguſtos*, Patrem & Filium. Nec aliam vulgo ſcripturam præferunt nummi Phocæ Imperatoris, niſi DN. FOCAS. Ut illud jam magis obvium præteream, ob eundem quoque ſonum litteras K & C promiſcue adhibitas, quod vel nummi aliquot docent cum voce KARTHAGO, & aureus Cari Imperatoris, in Gaza Galliarum Regis mihi nuper inſpectus, IMP. C. M. AUR. KARO.

Circa compendia ſcribendi.

Huc referri etiam debent *Compendia ſcribendi* apud veteres uſitata, ex peculiari quadam litterarum inter ſe copulatione. Talia certe plurima in vetuſtiſſimis Græcorum juxta & Latinorum Nummis occurrunt, quibus Scripturæ apud veteres ratio non parum etiam illuſtratur. Singularis id genus artificii ductus, maxime in aliquot Tyri, Amiſi, Panormi, aliiſque ineditis Græcorum Nummis notavi ſæpius, in quibus quinque & ſex litteræ in unam eleganter ſociatæ & contractæ ſeſe offerunt. Nec præter uſus alios, inanis ea obſervatio illis

videbitur, qui ex antiquis litterarum id genus compendiis, aut non intellectis aut neglectis, plurimos Librariorum errores passim in priscos auctores irrepsisse, aut Inscriptiones varias perperam hactenus traditas, compertum habent. Ita illud compendium litteræ ε pro ου diphthongo, non scripti solum Græcorum libri, sed Nummi etiam aliquot præferunt, ut recentiorum sæculorum librariis, origo illius imputari non debeat. In nummis certe Alexandri Severi reperio, ΤΕΧΗ ΚΑΡΧΗΔΩΝ, & in altero Gordiani ΜΕΓΩ-ΝΙΟΥ ΙΕΡΕΟΣ ΝΥΣΑΕΩΝ, ut apud Erizzum videre licet; ac præterea in minori quodam nummo æreo observabam apud Cl. Seguinum ΤΟΔΕ ΕΛΑΦΡΟ-ΤΕΡΟΝ.

Tristan. Tom. II. pag. 401.

Circa Ortographiam.

Sed præter has litterarum apud veteres cum *formas*, tum *adfectiones* varias, quibus nimium forte immoramur, ipsa vera & recta scribendi ratio, vulgo *Ortographia*, non aliunde rursus securius, quam ex Nummis aut Lapidibus petenda. Nec enim alia supersunt, ut superius monebamus, in quibus integra & primæva veterum scriptura ad nostra usque tempora sit transmissa. Hinc de Ortographiæ apud veteres Latinos ratione agens Quintilianus, argumentum ejusdem invictum petit ex scriptura Columnæ Rostratæ, *quod manifestum est etiam ex Columna Rostrata, quæ est Duellio in foro posita.* Unde hoc ipsum singulare Nummorum beneficium, & eruditi uno ore prædicant, & ii ipsi agnoscunt, qui monumenta id genus parcius alias attigere. In Nominibus quidem propriis, aut appellationibus hominum & locorum tradendis, certa quædam & obvia iis ex Nummis lux adfulget, aut medicina parata. Ita Reginæ Deorum SISPITÆ cognomen adhæsisse, quod perperam quibusdam sollicitare placuit, aut in SICISPI-

Lib. I. c. 7.

TAM

TAM transferre, rariora quædam Antonini Pii numismata ostendunt, cum Inscriptione JUNONI SISPITÆ; qualia in Cimeliis cum Medicæo tum Barberino inspeximus, & ex quibus illustratur Capitolinus in vita hujus Cæsaris, qui tradit ab eo *templa Lanuvina restituta*: Dea enim Lanuvii hæc Sispita, ut vulgo notum. Sispes nempe antiquis idem quod sospes, unde clare in hanc rem Festus; *Sispitam Iunonem, quam vulgo Sospitam appellant, antiqui usurpabant.* Ita enim legendum, non *sospitam*, & *sospitem*, ut libri editi vulgo præferunt, aperte hic Nummus docet, quod jam occupasse Fulvium Ursinum postea animadverti. Firmat hoc vetus inscriptio inedita, in qua non Junonis solum *Sispitæ*, sed Jovis *etiam Sispitis* mentio,

M. AMIVS M. F. PAL. BALBVS
SACERDOS IVNONI REG. SISP
ITAE LANVMVIANAE FECIT
VIVENS ET AMIO IVNIO FI
LIO SACERDOTE IOVI SISP.
ET AMINE MATRI PIISIM.
IN FR. P. XIIX. IN AGR. PED. XXVI.

In qua inscriptione, ut obiter hoc moneam, à me cum variis id genus ineditis ad Cl. Reinesium transmissa, vitiatum Familiæ nomen à descriptore, & AMPIUS pro AMIUS reponendum, in suis ad me litteris vir ille doctissimus contendebat. Quod tamen eruditissimo Marquardo Gudio nostro, optimo talium arbitro, dijudicandum relinquimus; qui in præclara illa & selecta, quam nimium premit, veterum Inscriptionum collectione, AMIUM & AMMIUM pro eadem Familia sæpe se observasse, haud ita pridem indicabat.

Hinc emendanda videretur ejusdem vocis scriptura

Lib. 1. de divinat. cum apud Ciceronem, *Templum est à Senatu Junoni Sospitæ restitutum*, tum apud Ovidium,

Fast. 1. *Sospita delubris dicitur aucta novis*;

Lib. VIII, & XXIV. Lib. XIII. præterea apud Livium, qui ejusdem *Sospitæ Junonis* aliquoties meminit; & insuper apud Silium Italicum,

Lavino generate, inquit, quem Sospita Juno.

Lib. VI. Metam. sicut apud Apuleium, *sis meis extremis casibus Juno Sospita*: in quibus locis utique *Sispitæ* vocem reponendam liqueret ex indubiis id genus Nummorum Lapidumve monumentis, ni *Sispitæ*, genuinæ & antiquæ vocis loco, *Sospitam* vulgo invaluisse innueret Festus. Neque tamen antiquos solum *Sispitam* usurpasse, quod ille videbatur indicare, signatum sub Antonino Pio numisma cum eadem scriptura satis superque evincit. Ut mittam levius illud, JUPPITER cum duplici P in Nummis tradi; aut cognomen Herculis DEUSONIENSIS juncta voce, non duabus DEUS ONIENSIS, ut existimabat Goltzius, quod jam ad Sidonium vidit doctissimus Sirmondus. Mitto *Topicas* alias *Deorum*, *Dearumque* appellationes, de quibus infra opportunior dicendi erit locus.

In Barbarorum vero, Romanorumque Nominibus, multa corrupta hactenus apud Auctores tradita, veterum nummorum fide restituenda; qualia ΜΙΘΡΑΔΑΤΗΣ, pro quo vulgo ille terror majorum vestrorum Μιθριδάτης apud Josephum, Plutarchum, Appianum, Dionem, aliosque adhuc hodie legitur. Adnotavit id jam olim ad Dionem ex nummis Vir doctus, neque tamen cum eo improbanda continuo Romana Mithridatis appellatio, ubi nec nummorum, nec lapidum, nec scriptorum librorum auctoritas eam convellit, & eandem præterea firmare videntur geminæ formationis exempla, quæ in iisdem nummis Ἀχαΐας, Καπάνη, Μασα-

Μασσαλία, *Agrigentum*, *Catina*, & *Massilia*, suppeditant. Sic *Seleuci*, & *Demetrii* ΝΙΚΑΤΟΡΕΣ dicti ex nummis, ut rectè Strabonis & Appiani Codices præferunt, non verò *Nicanores*, ut cùm apud Goltzium, tum apud Josephum, Diodorum, Polybium, Justinum, Ammianum, aliosque vox illa consuevit usurpari. ΚΑΣΣΑΝΔΡΟΥ genuina itidem lectio ex Nummis ejusdem constat, non ΚΑΣΑΝΔΡΟΥ, ut præter alios, apud eundem Polybium, Josephum præterea non semel perperam legitur. Thraciæ etiam Regis verum ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΟΥ, seu *Rhœmetalcis* nomen una cum vultu eruitur ex nummo Augusti, Tristano jam ante, & mihi cum Florentiæ, tum hic in Urbe inspecto; quod perperam apud Dionem aliosque hactenus traditur. Unde & Ρυμητώλκης Roberti Stephani ad Dionem, & ad Capitolinum Casauboni Ρυμεταλκης, vel Rimethalces de Rege Bosporano ejusdem nominis, eadem opera exulare jubentur. Ita alterius Regis Thraciæ, ΡΗΕΣCΥΡΟΡΙΣ nempe genuinum nomen probavit novissime ex rarissimo ejus nummo Cl. Seguinus, qui veram illius scripturam apud Tacitum, corruptam apud Velleium & Suetonium arguit; in quo *Rhascupolis* aut *Trascypolis* vulgo legebatur. Quibus addere mihi liceat Jul. Cæsarem, in cujus libris de Bello civili idem nomen occurrit depravatum, *ex Macedonia* CC. *quibus Rascipolis præerat*. Unde exemplo hujus *Rascupolis*, Thraciæ Regum nomina sæpe ita terminasse, & apud Pausaniam proinde Ἀ'θρύπολιν legendum, (quod alias ex Livio constat) haud ita vere colligentem videbam nobilem & eruditissimum senem, in novissimo Exercitationum ad Græcos Auctores opere. Tractus vero & Gentis ejusdem Reginam ΡΟΔΟΠΗΝ, cum præclarus nummus Christinæ Augustæ, tum geminus nuper à Cl. Seguino vul-

Lib. II. Lib. XII. c. 1. Lib. III.

gatus exhibet; unde alterius Thracicæ mulieris nomen
Lib. II. apud duos amatoriæ fabulæ ſcriptores Helidorum &
Lib. VIII. Achillem Tatium nuper emendabam, ubi Ῥόδωπις vulgo pro Ῥοδόπη legitur. At enim Regi Regum *Vologeſi* genuinum nomen reſtituere mihi liceat auctoritate eximii & rariſſimi nummi, Romæ non ita pridem reperti, in quo ΒΟΛΑΓΑCΟΥ ſcriptum occurrit: unde corrigendi iterum Joſephus, Dio, Ariſtides, Iamblichus apud Photium, Stephanus, Zonaras aliique, apud quos vel Βολογαίσης, vel Βολογέσης, vel Βολόγεσ῾ος, vel Βολόγεσ῾ vocari ſolet, & apud Lucianum & Xiphilinum Οὐολόγισ῾ος & Οὐολόγαισ῾ος, nomine ad Romanam Vologeſis appellationem formato. Ab eo denominata
Lib. XXIII. urbs Vologeſſia apud Ammianum, Stephani Βολογεσσιάς. De tota vero præclari illius nummi inſcriptione paullo infra. *Abgari* etiam familiare Edeſſæ Regulorum nomen ΑΒΓΑΡΟΥ, non ut hodie apud Appianum Ἀχϐάρε, vel apud Dionem & Herodianum Αὐγάρε, ſcribendum, nec ut alii voluerunt *Abagarus*, aut apud aliquot Taciti codices *Abbarus*; nummi Antonini Pii, Severi & Gordiani, in quibus ΑΒΓΑΡΟC ΒΑCΙΛΕΥC, abunde docent. Ut mittam inſcriptionem à Sirmondo, in Notis ad Sidonium vulgatam, cum eodem nomine Ἀ῾γάρε, & antiquiſſimum Euſebii codicem Bibliothecæ Mazarinæ. Unde miror nuperum Euſebii editorem, qui principatum hodie harum litterarum cum paucis tenet, & cui hæc eadem erant perſpecta, quam olim Ἀ῾γϐάρε vel Ἀχϐάρε ad Dionis Excerpta lectionem adſeruerat, paſſim etiam in Euſebiano textu & in Adnotatis prætuliſſe; quamvis & alteram *Abgari* non contemnendam fateatur, & una etiam aut altera vice in textum Euſebii admiſerit. Neque enim video, cur promiſcua Reguli illius Scriptura in eo-

dem

dem Auctore tradi debuerit, aut cur Nummorum, Lapidum, & Codicum etiam vetuſtorum auctoritate firmata, pluribus libris manu exaratis, non debeat hic longe præponderare. Argumentum enim à voce quadam Arabica ἄκβαρ, quod potentiſſimum notat, non eam vim habere poteſt, ut indubia & coæva teſtimonia, quæ vulgo lites id genus ſolent decidere, & in tradendis priſcæ ſcripturæ veſtigiis, omnium confeſſione primas tenent. Ut mittam Orientalium, aut Barbarorum nomina Græce tradita, ab origine paſſim nonnihil deflectere, ut ſexcentis exemplis probari id poſſet, & præter recentiores, à [a] Strabone & [b] Plutarcho jam olim obſervatum novi. Emendanda vero præ aliis Dionis Excerpta, in quibus Αὐγάρῳ τῷ Αἰδέσσης ἄρχοντι, pro Ἀβγάρῳ τῷ Ἐδέσσης. item nova editio Procopii, in qua Αὔγαρος Ἐδέσσης πτόρχης vocatur, pro Ἄβγαρος Ἐδέσσης. Poſtremam hanc lectionem adſerunt itidem Nummi haud vulgares, cum ſcriptura ΕΔΕΣΣΑΙΩΝ, item ΕΔΕΣΣΗΝΩΝ vel ΕΔΕΣΣΕΩΝ; quales in Theſauro Medicæo aliiſque præclaris Gallorum ac Italorum Cimeliis adnotavi. Quo referendus etiam Nummus vulgatus, ſed corrupte à Cl. Triſtano, cum inſcriptione ΜΗΤΡ. ΔΕCCΗΝΩΝ, & quem continuo tribuit cuidam Urbi ad Nili ſcilicet Cataractas & Æthiopiæ confinia poſitæ, cujus unus Ariſtides meminerit ſub nomine Δέσσης, & quam fuiſſe illius tractus Metropolim, liceat ex hoc nummo colligere. Vix crederem in magno & præclaro alias opere, ſecurius dormitaſſe nobilem antiquarium, & plura errorum portenta, quod illibenter dico, paucis adeo verbis congeſſiſſe. Mitto ſomnium & ſupinum errorem, de ſitu illius urbis ad Æthiopiæ limites relegatæ; quæ nempe Ariſtidi Smyrna Romam terra proficiſcenti, ſuperato Helle-

[a] Lib. XVI.
[b] Lib. de Iſid.

Bell. Perſi. lib. II. cap. 12.

Tom. II. pag. 405.

Sermon. Sacr. II. Helleſponto ac Hebro fluvio, ut narrat ipſe itineris rationem, occurrerat πρὸς τῷ καταῤῥάκτῃ, in qua æger decubuit aliquandiu; ita ut vix centeſima demum die (non vigeſima, ut deceptus à Cantero interprete Triſtanus exiſtimabat, qui pro ἑκατοστῇ videtur legiſſe εἰκοστῇ, tota rei narratione reclamante) qua domo diſceſſerat, Romam ſit ingreſſus. Credidit utique Triſtanus, non alium καταῤῥάκτου, quam de Nili Catarractis poſſe intelligi, & fugit eum communis illa appellatio, cum fluviorum magno impetu è montibus deſilientium (quales illo καταῤῥάκτης nomine in Creta, Pamphylia, Norico, alibi notarunt jam olim veteres Geographi, & quo nomine Marſyam, qua declivis eſt & rectis aquis fertur, pridem vocaverat Herodotus) tum clauſtrorum quorundam ceu obicum, quibus vel arte vel natura fluminis alicujus alveus impeditur, aut confragoſus itidem redditur. Neque enim audiendus vir ſummus, qui Solinum, Catarractas Nili de ejus clauſtris interpretantem, vel ideo falſi arguit, quod Catarractæ non dicantur de clauſtris id genus, ſed de torrentibus ipſis aut fluviis, qui ruunt potius quam fluunt; quod pluribus non uno loco Plinianarum Exercitationum conatur adſtruere, unde & caſtigantur eidem Gloſſæ antiquæ, quibus καταῤῥάκτης *obex* explicatur. Sed quam dicam intendet novo Xenophonti, graviſſimo nempe & elegantiſſimo auctori Arriano, qui diſerte illo καταῤῥάκτων nomine vocat, non Tigrim fluvium, ſed obices quoſdam, & munitiones in illo fluvio à Perſis ideo erectas, ut eorum frequentia difficilem per Tigrim navigationem facerent, & ne quis navali claſſe in eorum regionem penetraret, quos omnes obices ab Alexandro disjectos docet, οὓς καταῤῥάκτας οὓς ἔχ᾽ ὁ πόλεμον ἀφανίζων. Conſule integrum locum, & fateberis haud

Lib. VII. περ. ἀνάβ. omnia

omnia dicta è tripode, quæ ab Oraculis etiam imperiose proferuntur. Bene itaque Glossæ, καταῤῥάκτης per *obicem* reddunt; quæ vox nempe Græcis promiscue dicitur tam de fluviis cum impetu & fragore ex alto ruentibus, quam de claustris eorum seu obicibus, arte aut natura factis, quorum nempe opera præceps itidem aut confragosus cursus excitatur. Unde jam, ut ad Tristanum & Aristidem redeam, non Δέση eo loco, qualis revera nulla exstabat eo nomine, sed Ἐδέση ibidem reponendum; quæ Urbs in Macedonia ad Erigonum fluvium posita, cujus Livius aliique meminere, Aristidi è Thracia Romam tendenti occurrebat, & à qua altera illa Syriaca aut Oesrhœnana Edessa in nummo expressa, appellationem sortita est. Diserte id tradit Stephanus, & quidem, quod inprimis hic notandum, dictam postremam ob aquarum impetum à Macedonica illa Edessa, Ἔδεσα πόλις Συρίας, διὰ τὴν τῶν ὑδάτων ῥυμὸν ἔτω κληθεῖσα ὑπὸ τῶν ἐν Μακεδόνι. Quam postremam proinde apposite vides ab Aristide ad Catarractam (quod idem infert) collocari; ut haud necesse fuerit vel Ortelio qui in errorem induxit Tristanum, Dessam aliquam ex corrupto Aristidis loco colligere, vel Tristano ad Nili Catarractas continuo delati, ad quas alio quidem tempore & alia occasione penetrarat idem Rhetor, sicuti liquet ex ejus Ægyptiaca. Egregia utique & memoranda hoc loco instituti itineris ratio, Smyrna Romam terra proficiscentis, superato ut diximus Hellesponto, ac Hebro fluvio gelu concreto, aliisque molestiis, quas narrantem illum videas, devoratis, ad Nili Catarractas & Æthiopiæ confinia continuo progredi; ægrum aliquandiu ad ea loca decumbere, & tandem (en longas scilicet ambages tantæ ac tam impeditæ peregrinationis) vix vigesima die, qua do-

mo discesserat, in Urbem æternam appellere. Vidistine unquam tam suaves ludos, aut circumductum per majora itinerum compendia ægrum & jam male adfectum viatorem? Ut certe mirari haud parum subeat, in editis nuper Cl. Holstenii ad Ortelium Adnotatis, non solum eruditissimo viro, & qui tam multum operæ collocavit in Geographia antiqua illustranda, non suboleviſſe hunc Ortelii errorem, ex corrupto Aristidis loco, sed insuper ab eodem lectorem ad Tristanum, optimum scilicet illius interpretem, remitti. Sed ut ad Nummum redeam, tam præclaræ observationis fontem, Ægyptiacâ illâ Dessâ, ultra Glacialem Oceanum, & omnes mundi fines relegatâ, legendum omnino in illo ΕΔΕCCΗΝΩΝ, sicut in similibus nummis corrupte ab Occone (quod illi in citandis Græcis nummis solenne est) productis sub eodem nomine ΔΕCCΗΝΩΝ. Id vero cum per se satis obvium, tum firmat etiam alius Nummus Medicæus ejusdem Alexandri Severi, cum eadem turritæ & sedentis mulieris effigie, neque una sed duabus stellis, ac epigraphe ΜΗ. ΚΟ. ΕΔΕCCΗΝΩΝ, seu *Metropolis Colonia Edessenorum.* Neque enim solum vere Metropolis illius tractus, & Abgarorum, de quibus agebamus, Regia Edessa, sed Coloniæ etiam dignitate ornata; ut liquet, cum ex hoc numismate, tum ex alio Musei Patiniani percusso sub Caracalla, & inscripto ΚΟΛ. ΕΔΕCCΑ. Hinc præterea etiam emendanda corrupta hujus vocis scriptura in Codice Justin. ubi *Ædesenæ Curiæ* pro *Edessenæ* vulgo legitur. Eandem vero Αὐγάρου genuinam lectionem, de qua paullo ante agebamus, nequidquam adseruit nuperus editor Epistolæ Constantini Porphyrogennetæ, ubi agit de vulgata illa Servatoris imagine ad hunc Abgarum missa. Solemnem alias novi illam litterarum

L. 5. C. de Coh.

& v apud Græcos juxta & Romanos permutationem. Sed hac de re plus satis, qui fortunas Græciæ in ea positas non arbitramur. Sic rursus male apud eundem Procopium ὁ Δονάθης Zenobiæ maritus, aut apud Agathiam ὁ Δέναθος inscribitur, qui ΟΔΕΝΑΘΗΣ in præclaris ejusdem nummis notari solet. Bell. Perf. lib. 1. cap. 5. Lib. 12.

Nec ignotum alias varia *illustrium Romanorum* nomina apud Auctores antiquos passim ex nummis emendanda; ut *Mescinius*, non *Messinius*; *Arrius* non *Arius*; *S. Saranus*, non *Serranus*; *Aquinus* non *Aquinius*; *Numidius Quadratus*, non *Vinidius*; *Nassica*, *Messalla*, cum duplicatis litteris; *Betilienus Bassus*, pro *Bellienus*; *Tampius* pro *T. Ampius*, aliaque id genus plurima, quæ in Ciceronis, Taciti aliorumque Codicibus corrupta ut plurimum leguntur, & ex parte jam adnotarunt eruditi nummorum collectores. Idem vero Cæsaribus aliquot beneficium nummi præstant, quorum auctoritate *Hadrianus* non *Adrianus*, ut vulgo tamen doctissimorum Virorum editiones Historiæ Augustæ præferunt; *P. Helvius Pertinax*, non *P. Ælius*, aut *Helius*, ut præter alios ad Eusebium existimat Pontacus; *Marcus Clodius Pupienus*, non *Caius Maximus Clodius Pupienus*, ut contendebat ad Capitolinum Salmasius. Iis possunt accenseri *Cælius Balbinus*, non *Clodius Balbinus*; *Opelius Macrinus*, non *Opilius*, aut juxta alios *Popilius*; *Odenathus*, non *Odenatus*; *Postumus*, non ut vulgo *Posthumius*; *Bonosius*, non *Bonosus*; *Vetranio*, non *Veteranio*, cui tamen patrocinatur ad Ammianum doctissimus Valesius: & alia quædam id genus, quæ ut in re magis obvia, præripuit nobis non unius antiquarii diligentia. Ita ex iisdem nummis accepimus *Delmatium Cæsarem*, non *Dalmatium*, ut vulgo apud Auctores; Gordianum *Antonium*, non *Antoninum*; ut volebat Capitolinus. Quibus accedunt ex

Augustarum serie *Matidia* non *Mattidia*; *Julia Soæmias*, non *Sœmiamira*; *Otacilia* non *Otacilla*, sicuti vulgo describitur; *Constantina* Galli uxor, non *Constantia*, ut apud Zozimum tamen aliosque vocatur. Inde etiam eruitur Gordiani conjugem *Sabiniam Tranquillinam*, non ut vulgo hactenus *Sabinam*, fuisse nuncupatam: ut liquet ex præclaris aliquot nummis mihi inspectis cum integra illa epigraphe, de qua erit adhuc alius dicendi locus. Sic vexatum eruditis nomen alterius Antonini, *Elagabalum* scribendum, & apud Herodianum, aliosque restituendum, (ut viderunt jam alii) pro quo *Heliogabalum* vulgo, vel *Alagabalum* cum Onuphrio, obtrusere. De quo nomine non hic repetam, quæ in Adnotatis ad Juliani Cæsares, contra doctissimorum virorum sententiam olim monuimus. Ipsa vero *Geographica* Urbium, aut Regionum nomina fœde passim in libris veterum corrupta, quam ex Nummis, vel lucem, vel medicinam mutuentur alibi suo loco trademus. Ut jam alia hic non tangam, *adloqui*, & *adlocutio*, *adsignare*, *adserere*, *conlegium*, *fecunditas*, *felicitas*, sine diphthongo, contra *sæculum* (non ut quibusdam modernis Criticis placuit *seculum*) Romanorum more scribenda. Ita certe nummi constanter, ADLOCUTIO; REGNA ADSIGNATA; ADSERTOR LIBERTATIS; COOP. IN CONL. seu cooptatus in Conlegium; FECUNDITAS AUGUSTÆ; SÆCULI vel TEMPORUM vel AUGUSTI FELICITAS; & SÆCULARES LUDI, aut SÆCULUM AUREUM: sicut priorem scripturam præferunt etiam lapides, ADLECTI, ADTENDERE, non ut vulgo hodie *allecti*, *attendere*. Sed leviora hæc forte & Grammaticis relinquenda, ad rectam tamen, & accuratam scribendi formam spectantia, quam & in Vernaculis linguis

& in

& in Romana etiam, integris voluminibus tradere, præclaris omnium ætatum & gentium viris, visum est haud inconsultum. Quod ubi Fabius, luculentis certe Cæsaris aut Tullii exemplis iuvisset adsertum, addit præterea; *Aut ideo minus Messala nitidus, quia quosdam totos libellos non de verbis modo singulis, sed etiam de* LITTERIS *dedit. Non obstant hæ disciplinæ per illas euntibus, sed circa illas hærentibus.* Lib. 1. c. 7.

2. In Ethica et Politica.

NEC vero ad ornandam MORALEM aut CIVILEM DOCTRINAM, parum etiam conferunt hi reconditi priscæ memoriæ juxta ac elegantiæ Thesauri. Ridebunt hic forte homines, nisi indignentur lubentius, qui veterem illam Sapientiæ, cum studiis eruditæ antiquitatis communionem ignorant. At ridebis ipse vicissim, præstantissime OCTAVI, convicti toties ac depulsi erroris dementiam; qui aliter erga optimas artes adfectus, illis ducibus interiores disciplinarum aditus penetrari, haud difficulter largieris. Nosti equidem, præclaris olim morum Magistris ac Censoribus, varia placuisse subsidia, quibus singulis hominum ordinibus officii sui leges inspiciendas traderent. Hinc fabulis non solum, præceptis, legibus, sed Symbolis etiam quibusdam, nobilissimam vitæ artem non semel leguntur complexi. Adeo quidem, ut hæc postrema, tanquam ad imbuendos saluberrimis monitis animos intuentium magis opportuna, in gravissimarum rerum tractatione, frequentius etiam usurpasse videantur. Morem illum utique non Ægyptiis solum, sed Græcis aliisque familiarem, ut alios mittam, docet eximius apud Iamblichum locus. Quid autem sunt obsecro, pleraque illa melioris notæ Numismata Veterum, nisi totidem Symbola, vel documenta potius, ad omnem Lib. de vit. Pyth. c. 23.

vitæ usum feliciter comparata? Et Romanorum quidem laus hæc fateor præcipua, qui primas etiam in hoc veteris memoriæ studio ac delectu, vulgo apud antiquarios tenent. Quum enim in Græcorum, aut Barbarorum Nummis, frequentius situs, originis, religionis quandoque occurrant argumenta, Romani optimo & arcano quodam consilio, non diurnos solum actus Principum, sed ipsam agendorum normam, promiscuis & quotidianis Nummorum usibus, testatam consignatamque voluere. Hoc enim abunde tot præstantissimarum Virtutum effigies passim in iis traditæ ostendunt; quæ nihil aliud, quam pictura quædam loquens, (ut Poësin vocavit nonnemo) veram optimi Status & Vitæ laudabiliter actæ imaginem continuo ante oculos ponit. Unde illas ipsas regnandi artes, una cum sacris Cæsarum vultibus, in iis passim haud temere expressas intuemur; ut individuam quandam illarum cum suprema potestate societatem, iidem religiose fovendam sibi & retinendam scirent. Qua in re non minus appositæ, illæ Virtutes, quæ maxime Principes decent, & quibus publica salus potissimum incumbit, frequentius etiam traditæ; ita ut qui JUSTITIAM, ÆQUITATEM, CLEMENTIAM, CONSTANTIAM, FIDEM, INDULGENTIAM, LIBERALITATEM, MUNIFICENTIAM, PROVIDENTIAM, & bellicæ Virtutis argumenta crebro in Nummis Cæsarum legit; speculum quoddam in iis Principum, & gravissimi muneris requisita, eadem opera agnoscere sese fateatur. Sed de his paullo infra. Ubi vero Augustarum Nummos consulet, solemnes Matronarum Virtutes ac præcipua decora; FECUNDITATEM, PUDICITIAM, PIETATEM, CONCORDIAM, earundem oculis opportune quoque subjecisse veteres intelliget. Ut qui in frequentes

id ge-

id genus inscriptiones ac effigies incidit, obvias in Nummis Augustarum, eadem opera videat, quid sæcula haud alias nimis verecunda, & vulgo fœdis adulationibus sordida, laudandum tamen unice aut expetendum crediderint in sequiori sexu, cujuscunque tandem sit fastigii; immo quid præ cæteris deceat regales nurus. Id nempe quod inter Metelli prospera enumerat gravis Auctor, *Uxorem* PUDICITIA AC FECUNDITATE *conspicuam conciliavit*; aut quo Agrippinæ Germanici conjugis elogium complexus est Annalium scriptor; *insigni* FECUNDITATE, *præclara* PUDICITIA; & ubi eandem alibi cum altera Tiberii nuru contendit, & *conjux Germanici Agrippina* FECUNDITATE *ac Fama* (pudicitiæ nempe) *Liviam uxorem Drusi præcellebat*. Ut non mirum sit FECUNDITATIS templum in Augustæ Poppææ gratiam olim in urbe erectum, aut quod sua PUDICITIÆ sacra & sacerdotes occurrant in priscis aliquot Auctorum Lapidumve monumentis. Equidem illud insolitum forte sæculi nostri moribus vides hic mecum, mi OCTAVI; inter præcipuos nempe & solemnes Augustarum, hoc est primi inter mortales fastigii Titulos, non Formam, non Ingenium, non Munificentiam, dotes certe haud contemnendas; non alia fortunæ aut animi bona; sed unam ferme PUDICITIAM, aut in Conjugem liberosve PIETATEM, vel FIDEM, crebro adeo celebrari. En rudium scilicet temporum, & minime urbanorum hominum simplicitatem! Quid non alia erant, primoribus non urbis tantum sed orbis feminis, majora aut antiquiora decora, queis earum fama apud præsentes aut apud posteros memoria nominis commendaretur? An sola hæc illarum monumenta, digna quod ille ait in alia causa, quæ *sculpta saxis aut ære prisco manerent?*

Val. Max. lib. VII. cap. 7.

nerent? Ita ne hodie vulgari hac laude, adulatio publica erga rerum an hominum dominas, egregie tum perfuncta suo munere videretur? Adeo quidem ut nec intacita *sanctitatis* illius conscientia (sic enim vocabant eam Matronarum hujus ordinis virtutem illo ævo) acquiescendum sibi crederent, ni publicis illa quoque tabulis, ad aliarum vel exemplum vel infamiam traderetur. Ut mihi quidem jam haud ita mirum videatur, cur non alia magis quam PUDICITIÆ *laude*, eminentissimam sui ævi, Augustorum certe Matrem & Conjugem extollat non semel ipse impudicitiæ præco & magister, aut de eadem alibi innuat,

Plures perstitere sanctitatem Dominæ tueri. Tacit. Annal. XIV.

Esse pudicarum te Vestam, Livia, Matrum.

Cur denique Valerius Maximus Pudicitiam compellans ut individuam ejusdem Liviæ comitem; *Tu Palatii augustos Penates, sacratissimum* JULIÆ *genialem torum assidua statione celebras.* Illud certe videas ea Testium ac Nummorum fide, constare illos abunde voluisse scilicet non Plebeiæ solum, ne dum etiam Patritiæ, quibus erectæ olim Aræ ac sacella, sed AUGUSTÆ quoque PUDICITIÆ sacra jam & certamen adesse. Non utique aliam esse legem in solio, aliam privato in toro, sicuti existimabat Regia illa Conjux, sed *inimica* FIDEI, *& hostis* PUDICITIÆ, haud minus ac ignobilis illa pistoris uxor apud Apuleium. Qui vero huic memoriæ Regnantium fortunam aut munia lubenter adeo commendabant, iidem quoque talibus auspiciis Sæculo & Reipublicæ SECURITATEM, GLORIAM, LIBERTATEM, TRANQUILLITATEM, GAUDIUM, ROMAM RENASCENTEM, FELICIA TEMPORA, Imperio denique ÆTERNITATEM fastis ominibus & repetitis votis augurabantur. Non diffiteor equidem, destituisse non semel

mel hæc auguria, exitialem haud unius Neronis indolem, aut infaustam plurium Faustinarum libidinem. Hinc non continuo tamen arguendus amplissimus Ordo, penes quem amissa etiam Republica, signandi æris facultas mansit, qui spes suas & vota monumentis id genus consignabat, immo, qui his veluti tabulis, quum aliter per illorum temporum immanitatem non liceret, Principes & eorum Conjuges officii sui, sub commendationis specie, frequenter admonere non dubitabat. Nec ea de re sinit me dubitare, illustris apud Dionem locus, qui in vita Caligulæ refert eum habita ad Senatum Oratione, in qua Tiberii vitia perstringebat, & de se multa pollicebatur, Patres veritos ne mutaretur, Senatusconsulto jussisse eam quotannis recitari. Neque cum Nerone aliter se gesserunt Patres, qui ubi in sua acta jurare Collegam prohibuisset, referente Tacito, acceptum id *magnis patrum laudibus, ut juvenilis animus levium quoque rerum gloria sublatus, majores continuaret*. Unde rursus plane hic apposite Plinius, in præclaro Panegyrico; *Sed parendum est Senatusconsulto, quo ex utilitate publica placuit, ut Consulis voce sub titulo gratiarum agendarum, boni Principes quæ facerent, recognoscerent, mali quæ facere deberent*. Agnoscis opinor idonea trium Consularium fide, præclaram totius Ordinis mentem & arcanam quandam hujus instituti rationem. Spes nempe ei erat nonnulla posse vi blandæ hujus artis illam Caligularum, quam Suetonius hic vocat, ἀδιαψευστίαν expugnari; & fore aliquando, ut vel verecundia immeritæ laudis, vel desiderio pulcherrimi præmii, vel reverentia posterorum tangerentur. Recusasse certe Tiberium accepimus, delatum sibi Patrum judicio PATRIS PATRIÆ cognomen, quod nec in Nummis ejus apparet; gnarus nempe quam ma-

Lib. LIX.

Annal. lib. XIII.

le arduas tituli illius partes quandoque esset impleturus; immo ne tot parricidiorum reum aliquando se ipsum hac appellatione proderet. Opportune certe, ne audiret Senatus ob eandem illius Cæsaris monetæ impressam,

crudelis, tu quoque falsis
Ludis imaginibus?

Nec alia mens Antonino Caracallæ, non dissimilis sævitiæ Principi, quem refert Dio in Excerptis Constantinianis, DEUM aut HERCULEM ea de caussa dici noluisse, quod nihil appellatione illa dignum agere in animum induxerat. Accedit, quod frequentius hæc publici gaudii argumenta, in optimorum Principum imaginibus occurrant; quæ in iis tanquam superstitum præmia, & sequentium simul incitamenta proponuntur. Ut nempe, *eorum virtutes posteri non solum legerent, sed etiam imitarentur*; quod ipsum de nobilissimorum olim civium titulis ac imaginibus aiebat vir prisci moris Torquatus. Immo non defuere nonnunquam deterioribus Dominis, sua vel belli vel pacis decora, digna etiam quandoque, quæ hac publica civium gratulatione commendarentur.

Fag. 742.

Valer. Max. lib. v. c. 8.

Quod vero hic præcipuum, vel hinc petere iisdem licuit, quibus *inconsulta erat* cum Nerone *perpetuæ famæ & ÆTERNITATIS cupido*, quibus artibus demum ad eam sibi eniti liceret. Vidissent utique vel in Nummis illis, quos tractabant assidue, regia virtutum via id gloriæ fastigium demum attingi: solas quippe vel veteri Romanorum lege, in iis consecrari meruisse; non autem Libidinem, Impudentiam, Contumeliam, quibus publici cultus monumenta erexisse Athenienses (præter Clementem in Protreptico) refert simul & arguit Tullius. Adeo ut nec Dicæarchi illius rationem

Lib. 11. de Legib.

sibi

sibi habendam intelligerent, quem tradit Polybius duas excitasse aras in portu, unam IMPIETATIS, alteram INIQUITATIS, iisque ut Deabus rem divinam fecisse. Immo docuissent ipsos iidem, quos tam cupide sectabantur, Magistri, certa PROVIDENTIÆ DEORUM destinatione, vocatum Principem, in quem felicia Orbis ac Imperiorum fata transferantur; unde bene ac sapienter de optimo Cæsare dixerit facundissimus Consul, *jam te* PROVIDENTIA DEORUM *primum in locum provexerat*. Non casu proinde volvi res mortalium; non semotam à rebus nostris curam divini numinis: eamque non unius tamen gentis, aut sectæ, sed tot *sapientissimorum* alias hominum (Epicuri scilicet de grege) sententiam, qui nullo Rectore moveri hunc orbem credidere, hoc publico & frequenti judicio principis gentium populi, & quidem auro, argento, æri totiens inciso, manifeste satis luculenterque damnari:

Lib. XVI. SYMBOLA ET INSCRIPTIONES.

In Nummis CÆSARUM.

Tacit. Annal. VI.

Quo pateat Mundum divino numine verti,
Atque ipsum esse Deum, nec forte coisse Magistra.

Atque ita non posse amplius illam supremi Numinis Providentiam in res humanas impugnari, aut alias in controversia vel dubitatione hominum versari, citra manifestam publicæ majestatis offensionem, & impium non in Deos magis quam in Patriam conatum. Si vero Mundus PROVIDENTIA regitur, (quod certe Globi illi, & Clavi, & Inscriptiones Nummorum clarissime jam contestantur, & nefas amplius dubitare) ergo administrandam OPTIMO PRINCIPI Rempublicam; sicut etiam præclare colligebat decus olim Romanæ togæ. Neque alias supremum rerum humanarum arbitrium ab unius CÆSARIS nutu pendere; quamvis rerum & gentium dominus, & princeps ac parens generis

Si regitur Providentia Mundus, administranda certe bonis viris erit Respublica. Quintil. l. XII. c. 2.

neris humani vulgo audiat; immo licet hic aperte versetur ante oculos,

Ponenduſque ſua totus ſub imagine mundus.

In Nummo Severi apud Triſtanum. Eſſe quippe alium JOVEM IMPERATOREM, cujus ſint auſpicia ſuis majora, quibus ipſe reverentiam & obſequium debeat; & cui idcirco, nec alii, teneatur legibus majeſtatis ac repetundarum. Eſſe vigilem gentis humanæ CUSTODEM, STATOREM, & CONSERVATOREM Deum, immo ſingulari privilegio CONSERVATOREM ac TUTATOREM AUGUSTI; cui ſua nempe & publica ſalus ſecure ac feliciter incumbit. DEOS itaque hominum, & quidem bonorum juxta Symmachum, non vero homines Deorum eſſe CUSTODES; ac vel hinc revinci eorum veſaniam, quos exagitat alicubi ſanctiſſimus Martyr; *non vident neſas eſſe, cogitare vel dicere homines eſſe Deorum* CUSTODES. Neque eo tamen ſecius flagitari ipſius AUGUSTI PROVIDENTIAM, qua vere ſacra vice, non Urbem, aut Italiam, ſed terras ac maria gubernat,

Lib. VIII. Ep. 6.

Juſtin. Apolog. II.

Qua regit AUGUSTIS *parentem legibus* ORBEM.

Cujus intuitu proinde non otioſus moderetur habenas imperiorum, ſed continuo ad Clavum ſedeat, tanquam ORBIS RECTOR. Neque enim alia certior Principis effigies, quam periti Gubernatoris, juxta eloquentiſſimum Philoſophorum, & proinde ad cujus imaginem in eodem formando continuo & lubenter ſeſe recurrere profitetur. Doceat proinde ut verus gubernator (quæ non mea, ſed alterius longe diſertiſſimi viri verba ſunt) littora ac portus; quæ tempeſtatum ſigna; quid ſecundis flatibus, quid adverſis ratis poſcat: denique

Plato in Politico.

Queis regere immenſi ſummam, queis habere profundi
Endo manus validas potis eſt moderanter habenas.

Subli-

Sublime enim juxta & arduum esse illud regendi onus; vere Augustum Clavum quem adfixus & hærens nusquam omittat providus RECTOR, non cœlo sereno nimium confisus; non turbido perculsus timidius; non fessos oculos, aut labantem dextram labori subducens; non alium patiens inire sua munera, qui incautum projiciat in undas

Præcipitem, ac socios nequidquam sæpe vocantem.

Caveri posse infelicem casum, si non Clavo illi ut gravis nimium, aut aliud agens superincumbat; si premere & laxare habenas sponte potius quam jussus norit; si non credat temere fallacibus auris; si præterita, instantia, futura expendat provida mentis & luminum acie, non vero dimittat pari oblivione cum Vitellio, atque ideo haud dissimili cum illo exitu. Maxime vero si fixos oculos sub astra teneat, inde auguretur felicem cursum, æquatas auras, quietos fluctus, fida æquora, & BONÆ SPEI optatos tandem portus. Sic optimum certe AUGUREM decere; sic Clavum illum, aut Globum in RECTORIS dextra conspicuum & venerabilem gentibus, SECURITATEM quandam PERPETUAM, non ORBIS solum, aut REIPUBLICÆ, aut TEMPORUM, sed ipsius AUGUSTI continuo portendere, cujus SPONSOREM etiam ipsum habeat JOVEM. Sic Triremem illam velis ac remis gnaviter impulsam, aut BONO EVENTU facilem illi TRAJECTUM polliceri, aut post longam jactationem & gravissimas nonnunquam tempestates,

TRAJECTUS & FELICITAS in Nummis per Triremem.

Summa etiam cùm vis violenti per mare venti

ENDOPERATOREM *Classis super æquora verrit*, mersatam, sed non demersam profundo, DIVINA OPE, FELICITER emergere. Immo sic demum probari haud vanam SAPIENTIAM PROVIDENTISSIMI

In Nummo Constantini Junioris.

SIMI PRINCIPIS, à qua sola pendet tot vectorum vita & populorum salus; non vero fallacem illam, quam in Cæsare vix remigis, haud unquam munere RECTORIS defuncto laudabat impuri oris successor; *ubi ad* SAPIENTIAM PROVIDENTIAMQUE *flexit, nemo risum tenere.* Neque tamen minus debere ludibrium, qui non solum gubernaculum cum CLAUDIO improvide omittunt; sed pro Clavo, aut clavam lubentius aut Thyrsum, aut Citharam, aut Rudem, aut Quadrigarum non Triumphalium, sed Circensium habenas, majorine flagitio an infamia cum CAIO, NERONE, COMMODO adsumunt; & ad posterorum memoriam adpingi suis imaginibus haud dedignantur. Quasi nempe aut conficiendis solum monstris vacare deberent, ipsi non monstra solum ac portenta hominum, sed immanissimæ omnium belluæ, dignæ quæ ante alias caderent in arena: aut quasi non Præsidis, ceu agonothetæ cum Hadriano vel Alexandro, sed histrionis, citharœdi, aurigæ, arenarii partibus, in augusto illo theatro generis humani fungerentur. Si vero providus, hoc est dissimillimus ab iis RECTOR, Clavum etiam videat in FORTUNÆ manibus, non MULIEBRIS adeo vel REDUCIS etiam, quam MANENTIS illius aut OBSEQUENTIS trabalem sciat; quo vincta quodammodo arte & vigilantia Rectoris, instabiles suas vices dediscere tandem cogatur. Hanc itaque legem esse Regiam, à se in auspicio muneris non tam æri, quam memori animo infigendam; *ut non dominationem & servos, sed* RECTOREM *&* CIVES *cogitaret*; scilicet Cæsaribus, tanquam liberis regenda Patrimonii jura, quod dixit alius gravis Auctor, patriam permisisse; hinc patrocinium ORBIS vel TUTELAM suscipere sese magis, quam

Variæ illæ FORTUNÆ inscriptiones in nummis Cæsarum.

Tacit. Annal. XII.

quam Imperium norit, ut nec irritum sit augurium optimi vatis,

Et penes AUGUSTOS *Patriæ* TUTELA *manebit.*

Cum VESPASIANO proinde opportunius, quam cum VITELLIO audiat TUTELA hominum; non vero solum ÆGYPTII REGIS TUTOR cum M. LEPIDO; cum Tito proinde vere agat *Tutorem Imperii*, cum Trajano, diem suscepti Imperii eum esse, quo TUTELAM generis humani in se felicissime translatam intelligat; cum Tiberio vel Macrino sub initium Principatus, sed utroque candidius apud Patres profiteatur, delatum ad se Imperium, cujus TUTELAM receperit aut paratus sit suscipere. Alia enim jam erant Reipublicæ tempora, quam ea ad quæ respiciebat Tullius, dum alicubi exclamat; *quis unquam tantis opibus, tantis rebus gestis fuit, qui se populi Romani Victoris dominique omnium gentium* TUTOREM *dicere auderet!* Aderant, Marce Tulli, qui se utinam TUTORES semper, non DOMINOS cupidius nuncupassent; ubi semel in eorum procurationem, Deorum munere, an ira in res humanas iisdem concessam, Orbis simul cum Urbe transierat. Primam itaque & præcipuam illius curam, ad DEOS AUSPICES providenter referendam à grato Principe, à quibus ille non unius Populi aut Provinciæ, sed totius quasi generis humani constitutus est procurator. *Manet Vobis*, inquiebat olim eximius Præsul ad laudatissimum Regem, *regnum administrandum, & DEO AUSPICE PROCURANDUM.* Non ergo RELIGIONEM sumendam obtentui ab AUGUSTO, aut à PIO Principe, quicunque tandem ornetur illis nominibus; minus autem habendam ludibrio à PONTIFICE MAXIMO; cujus sit PIETATI in PATRIOS ac SOSPITATORES DEOS, eorundem cultu

TUTELA Augusti in Nummis Vitellii & Vespasiani.

Philipp. VI.

DIS AUSPICIBUS in Nummo Severi.

Remig. in Ep. ad Clodovæum.

RELIGIO Aug. in Nummis M. Aurelii.

cultu & reverentia præire; scientia simul ac provisu rerum divinarum ac humanarum, venerandas partes AUGUSTI sacrorum Præsidis implere. Hanc certam demum esse, cujus alias mentio in Ecloga quadam Græca LEONIS Augusti IMPERII ac SACERDOTII CONCORDIAM, repetitam è memoria Heroïcorum temporum, ut liquet ex principe Philosophorum, nec bene unquam aut salubriter in duobus Dominis cohærentem. Neque res dissociabiles misceri, ut qui in terris procurat nulli hominum dubias DEORUM vices, præsit eorundem ministerio; aut ne cui SALUS incumbit totius REIPUBLICÆ, quod in ea præcipuum & maxime validum importune subducatur. Unum esse ROMÆ ET IMPERII corpus, unius animo, quod ille aiebat, regendum: non rescindendum proinde in duas partes misere lacerum, aut improvide disjunctum. Neque tamen honorem illius SACERDOTII esse adeo firmamentum potentiæ, quam FIDEI etiam suæ ac MODERATIONIS in eo fastigio documentum. Alienum itaque à SACERDOTE, nihil cum DOMITIANO Deorum honoribus relinquere; templis aut effigie Immortalium per SACERDOTES & FLAMINES coli mortalem velle; Ministrum se JOVIS CAPITOLINI simul & Collegam jactare; DARE POPULO SUFFIMENTUM, & se thure placari velle. Nec minus dedecere Sacerdotem, pollutas sanguine suorum civium manus, sed religiose profiteri cum mitissimo Cæsare, PONTIFICATUM MAXIMUM se vel ideo capessere, ut puras illas servet ac innocentes. Sacri etiam alterius honoris, TRIBUNITIÆ nempe POTESTATIS, debere eundem haud injucunde meminisse, cujus beneficio non solum reliqua Imperia præmineat, sed haud minus

Tit. III. th. 8.

CONCORDIA IMPERII ex Nummo Constantini M. & in aliis junctа passim Imperii & Sacrorum insignia.

ROMÆ ET IMPERIO in Nummo Gentis Caniniæ apud Seguinum.

minus ac subjecta sibi oppida, ut INVIOLABILIS ET SACROSANCTUS Numinibus æquetur. Æquum esse proinde, gratas illi POTESTATI vices rependere, intercedendo pravis dominationis cupidinibus, non vero importunis aut intempestivis rogationibus QUIETEM Urbis præpostere lacessendo. Decere potius Vindicem & Custodem plebis, cui *plenum* ÆQUI *ponderis pectus*, cum Bilance seu ÆQUITATE quadam universæ vitæ & singularum actionum, assiduis in omni procuratione muneris ac negotii JUSTITIÆ officiis; tum *veluti* FRUGI *parentem & prudentem & divitem*, provisu commeatuum ac vigili ANNONÆ cura, effuso subinde pleno ac benigno copiæ cornu, ceu FRUGIBUS & ALIMENTIS Urbi ac ITALIÆ diffusis (ut verbis utar optimi Nummorum id genus interpretis), REMISSIONE nonnunquam graviorum onerum, VEHICULATIONIS puta aut RELIQUORUM, (Salutari incendio debitorum syngraphis potius quam corporibus consumptis), & tandem SUBLATA non FISCI modo JUDAÏCI, sed cujuscunque rei ac ordinis CALUMNIA, sic demum BEATÆ Urbis TRANQUILLITATI, & ÆTERNÆ civium CONCORDIÆ providere. Immo nec Pane solum gradili, sed interdum optatis CIRCENSIBUS, Equestri DECURSIONE, Græcorum QUINQUENNALIBUS, ac solito annorum decursu, SÆCULARIBUS Quiritium LUDIS, simul abundantiæ ac HILARITATI TEMPORUM feliciter consulere. CONSULEM enim sese esse, idque non Fastis solum, aut promiscuis SENATUS CONSULTIS, sed *usualibus metallis* ad memoriam omnium temporum passim consignari. Neque enim sedem illam honoris à se ornari magis, quam sibi inde victurum decus accedere;

In Nummis aliquot Urbium Græcarum ΑCΤΑΟC ΚΑΙ ΙΕΡΟC.

QUIES AUG. in Nummo Maximiani.

Aurea FRUGES ITALIÆ pleno diffudit copia cornu. Horatius.

dere; eum esse titulum AUGUSTI *quem se decorare fatentur*; eum habitum, quo Aulæ Curia jungitur; qui socios Proceres nectit cum PRINCIPE, ut de communione utriusque muneris loquitur elegantissimus vates. Hinc PIETATIS SENATUS cum sui ordinis Principe, immo cum suo PATRE felix & pulcherrimum certamen; hinc EQUESTRIS ORDINIS & POPULI ROMANI in fovendo & amando suo Consule CONSENSUS, alacritas, studium. Quod vero Consularem decet, norit etiam se CENSOREM PERPETUUM: Unum itaque in Senatu generis humani delectum præ cæteris AMPLIATOREM CIVIUM, corrigendis publicis moribus, æstimandis singulorum fortunis, probandis omnium ordinum ingeniis: de quo etiam vere usurpetur, *vitam Principis* CENSURAM *esse, eamque* PERPETUAM. Turpe enim sibi ac ignominiosum fore, si idem CENSOR sit & auctor corrupti moris,

Delicti sui idem reprehensor & auctor.

Si det veniam corvis, ut columbas vexet; si dum forte cum Planco vel Paullo vis sibi aut vita CENSORIS deest, *sit ejus* CENSURA *neque* AUGUSTO *honori, nec Reip. usui.* Neque tamen sub *Calvo* NERONE, alium exitum haberi posse gravissimi & sanctissimi muneris, (licet ille *maximus & sanctissimus* CENSOR audiat duorum Hispanorum præconio) dum solæ vigent artes grassandi ad honores, adulatio fœda & accusatio turpior; eosdem amittendi probitas & fama prospera; agendi censum cupiditas & rapina insatiabilis; de vita & moribus singulorum statuendi, publica libido ac væcordia Principis. Illud ergo de se & sua CENSURA, sed à Satyrico dictum putet,

FELICIA TEMPORA, *quæ te*
Moribus opponunt, habeat jam Roma pudorem.

Nec

Claudianus.

PATER SENATUS in Nummo Commodi.

In Nummis Domitiani.

In Nummo Antonini Pii.

De Domitiano Quintil. & Martial.

Nec enim ſperandum ab eo, cui munitus ſemper adverſus omnem pudorem vultus, ut POTESTATIS illius CENSORIÆ, quam unus jam exercet, ſi non terrore, ſaltem verecundia coërceatur. Fruſtra ergo illum aut illi ſimiles caſuros in graviſſimam alterius Cenſoris reprehenſionem; *Cujus eſt pudoris, quinimo inverecundiæ, cujus quod agere te videas, in eo alterum reprehendere? maledicti & criminis loco dare ea, quæ in te poſſint reciprocata viciſſitudine retorqueri.* Arnob. contra Gentes l. II. Si vero ab officiis liberæ quondam Reipublicæ convertat oculos ad ſuum illud ſingulare CÆSARIS vel AUGUSTI faſtigium, intelliget continuo inſtrumenta illius ſecura eadem eſſe, quæ honeſta; exſpectatione rerum bonarum erigere civium animos (in bona enim opinione ſitam virtutem parentium, juxta Principem Politicorum) SPEM proinde populorum de ſe conceptam, apta certe nec fallaci opinione CRESCENTIS Virtutis augere; inſignem lauro Apollinea CONCORDIAM AUGUSTORUM, MILITUM, EXERCITUUM, PROVINCIARUM, & ſacram eorundem FIDEM, ut PUBLICA non minus quam privata bona, tueri religioſe; HONOREM ac VIRTUTEM individua utriuſque communione etiam ambitioſe colere; opes denique Imperii, non ad cupiditatem privatam, ſed ad LARGITIONES in Cives & LIBERALITATES publicas, hoc eſt ad præclaram gratificandi facultatem conferre, idque dextris non parcentibus. Nullam quippe majorem eſſe FELICITATEM AUGUSTI, ut etiam præclare dictum à Conſule, quam feciſſe FELICES; addam ego ex contemplatione hujus monetæ, reputare locupletatas ab uno homine Tribus, immo audire LOCUPLETATOREM ORBIS TERRARUM; DATIS iiſque repetitis CONGIARIIS inopiæ Plebis & MU-

Ariſt. Polit. lib. III. c. 3.

LARGITIO in Nummo Conſtantii Reginæ Chriſtinæ.

NIFICENTIÆ Principis eadem opera providere. Id enim esse Deorum muneribus uti sapienter, importunam pauperiem, semper publicæ exitiosam concordiæ, deportare in remotissimas insulas hominibus vacuas, non alere in amplissima & copiosissima Terrarum Urbe. Reputare tamen non unam illam urbem, sed totum Reipublicæ corpus, ut ex Platone tradit etiam in Officiis Tullius suæ procurationi commissum: PROFECTIONEM proinde in subjectas Provincias suscipere *cunctarum* PROVINCIARUM *parentem*; jacentes erigere: ductus in iis aquarum, derivatione fluminum, moles oppositas fluctibus; PORTUS, VIAS, TEMPLA, aliaque publica opera, tanquam præsentem ubique Divum, provide & sollicite curare, illumque à sublevatis Provinciis, aut CIVITATIBUS ASIÆ RESTITUTIS desumptum ASIÆ, AFRICÆ, ACHAIÆ, MACEDONIÆ aliarumque RESTITUTORIS titulum, Asiaticis, Africanis, Achaïcis, Macedonicis, ab iisdem vel CAPTIS vel DEVICTIS petitum, longe anteponere. Præclarum certe, in hanc laudis cum TRAJANO, ADRIANO, PIO, MARCO communionem venire, sub quibus *cunctæ floreant Provinciæ*; ad quorum PROVIDENTIAM nunquam frustrà *Provincialium sollicitudinem confugisse*, si tacerent eorum Annales, loquerentur hæc monumenta in longos annos; quæ incendia, terræ motus, inundationes, aliaque incerta casuum, in GLORIAM SÆCULI & in FELICEM REPARATIONEM eorundem locorum vertisse illos, publice adhuc contestantur;

Ut sese pariter dissudit in omnia regni
Membra vigor, vivusque calor redit urbibus ægris.

Inde Principem easdem jacentes bellorum injuria aut iniqui-

Vid. Arist. Polit. l. 11. cap. 4.

Capitol. in Pio. Ammian. Marcel. lib. XIV.

iniquitate fatorum deductis COLONIIS refovere, & communione Romani juris, simul propagare civitates, & augere Romanum nomen,

Urbibus augere terras, junctisque juvencis
Mœnia subcinctus curvo describet aratro.

Sit certe hæc LAUS JULIA, ut felicibus auspiciis liceat CORINTHUM adire volentibus, vel ut infausta quondam Romano imperio CARTHAGO, jam nisi SALVIS AUGUSTIS FELIX & incolumis esse nec si posset etiam velit; hoc est SALVA *Roma, quia* SALVUS *est* ALEXANDER. Neque tamen adeo reddere pristino nitori æmulas quondam civitates, aut late diffusas imperii partes, quam REDUCEM se votis poscentibus, aut ipsam arcem imperii, & caput rerum URBEM RESTITUTAM. Æquum enim esse APOLLINEM, non ACTIUM jam vel PROPUGNATOREM, sed SALUTAREM ac PALATINUM, suam servare non solum sed ornare sedem,

LAUS JULIA CORINTHUS in Nummis J. Cæsaris.

Et PALATINAS *videt æquus arces.*

In PARENTIS itaque vel CONDITORIS laudem ac Decus cum ROMULIS aut Camillis adoptari (neque alias vulgo ab iis disjuncta RESTITUTORUM nomina) dum multis casibus, nec uno etiam funere defunctam RESURGENTEM vel RENASCENTEM ROMAM, tanquam iterum recidiva Pergama, novo & lætiori cultu exornat;

SURGE *precor veneranda Parens, & certa secundis*
Fide Deis, humilemque metum depone senectæ.

Claudianus ad Romam.

Quo vero PUBLICA simul & AUGUSTI SALUS insistat pluribus munimentis, audiat ille non PATRIÆ solum, sed LIBERORUM etiam PATER. Habeat itaque Filios PRINCIPES JUVENTUTIS, senum aliquando futuros; qui jam virili animo non minus ac

toga, sub eo magistro ponant imperii tyrocinia, ut quos BONO REIP. NATOS, non optet adeo quam reddat patre meliores. Hinc ut NOBILISSIMOS decet, modo in SACERDOTIA COOPTATI; modo CONSULES DESIGNATI; modo consortes TRIBUNITIÆ POTESTATIS; Ceremoniis Deorum, saluti Reipublicæ, commodis Populi providere jam à teneris (velox enim fertur CÆSARIBUS ante pilos prudentia, & ante diem Virtus) ac invigilare adsuescant. Sint hæc rudimenta AUGUSTÆ SPEI, in quam surgunt opportune ORIENTES illi Ascanii; in quam
In Nummo Plautillæ. feliciter crescit illa PROPAGO IMPERII, ne alienis artibus & curis obsessum male & occupatum animum, ut degenerem ac imparem adferant aliquando ad ipsum AUGUSTI fastigium. Ita tamen ne unquam in illis principatus meditamentis, terminos ætatis & concessa filiis cum DOMITIANO egrediantur;
Tacit. Histor. IV. ne cum illo domini sui desertore, spreto Occidente ORIENS colatur, *exortus* licet, *uti æthereus sol*: sed ut cum MARCO in summis Patris obsequiis, PIETATEM filii in auctorem suæ dignitatis, cum PERPETUA ejusdem SECURITATE rependant. Parentem vero non solum sese vel Principem, sed IMPERATOREM etiam meminisse; Bellicam proinde gloriam Pacis artibus miscere, & *paci bonum ac timendum armis*; ut dicat adhuc aliquis, intuens hic ejus imagines non semel utraque lauru præfulgentes,

Et MARTIS *vultus, &* APOLLINIS *esse putavi.*

Hinc coram illum videas, modo Caduceum cum MERCURIO PACIFERO præferre, modo hastam cum VICTRICE MINERVA vibrare; tum DISCIPLINAM proprium decus Romani militis restaurare diligenter, tanquam conditorem ejus firmatoremque, ut de

de Trajano loquitur Plinius; ADLOCUTIONIBUS ardorem COHORTIUM, EXERCITUUM, signis & Vexillis eorum circundatum ulterius accendere, Coronis Virtutem militum remunerari; VICTORIA duce EXPEDITIONES adgredi militares; ita tamen ut eadem TERRA MARIQUE PARTA, & JANO CLAUSO in PACE quadam ÆTERNA non vero in æternis bellis, ORBIS TERRARUM requieſcat,

PAX *miſſa per* ORBEM
Ferrea belligeri compeſcat limina JANI.

Quo ſic diffuſa per omnes terrarum angulos PAX AUGUSTA doceat, unum eſſe hominem qui MARTEM non PROPUGNATOREM magis, quam PACIFERUM referat; cujus TUTELA, quod de Numa Livius, per omne regni tempus haud minor PACIS quam Bello; cujus vigiliis & curis PACATUS ORBIS ſuam QUIETEM, ſua imputet otia; & cui proinde ex æquo amorem ac venerationem debeat;

ORBI QUIETEM, SÆCULO PACEM *ſuo*
Hæc ſumma virtus; petitur hac cœlum via.

Neque vero PACE inferius donum, tot REGNA, quod ſuo Heroi tribuit Curtius, aut reddita, aut dono data: non agros proinde, non Urbes amicis vel ſupplicibus ARMENIIS aut PARTHIS vulgo à Cæſaribus conceſſa (neque hæc munera decebant rerum Dominos), ſed cupidius REGNA illis ADSIGNATA, & Regnis frequenter REGES DATOS:

His TRIBUIT REGES, *his obſide fœdera ſanxit.*

Nunquam certe obverſatur mihi faſtigium Romani Principis ſublimius; nunquam Majeſtas ejus ſolito adhuc venerabilior, ac vere in apice ſuo poſita; quam ubi illum video ſemper æmulo, nunc ſupplici Arſacidæ

dæ regium capitis decus circumdare; ipsumque REGEM REGUM Româ non semel petitum ac DATUM,

jus imperiumque Phraates
Cæsaris accepit genibus minor.

Novum utique genus insolitæ LIBERALITATIS ac MUNIFICENTIÆ! muneris loco, id quod nullum inter homines majus est aut nobilius donum, obvia manu largiri. O immensam propemodum exclamem, & cœlestis æmulam beneficentiæ laudem! ô ram summæ fortunæ MODERATIONEM an MAGNIFICENTIAM! Tiaras ac Diademata haud aliter quam laureas aut querneas Coronas vel dare, vel restituere; pulcherrimum VICTORIÆ aut PARTHICÆ aut GERMANICÆ, aut DACICÆ præmium, per tot discrimina quæsitum, modo sociis, modo etiam victo & gravi paullo ante hosti ultro concedere;

In Nummis Tiberii & Commodi.

quoties hic prælia sumpsit
Pro sociis? quoties DONO *concessit amicis*
REGIBUS, *Ausonio quæsitas sanguine terras!*

Ubique vero domi ac foris, in Rescriptis ac Imaginibus, TRANQUILLITATEM animi & CONSTANTIAM omni perturbatione vacuam, firmo mentis & corporis habitu præ se ferre;

Nostræ Tranquillitati preces oblatæ. *Cod. Theod. l. 1. tit. 21.*

TRANQUILLUM *vultu, sed Majestate serena,*
Mulcentem radios summittentemque modeste;

metus certe, cupiditatis aut iracundiæ adfectibus immoto. Virtutem enim unicam vere semitam tranquillæ vitæ, non Satyrici magis fide, aut MARCI exemplo, quam ipso usu rerum & arcano dominantium sensu probari. In CLEMENTIÆ vero ac INDULGENTIÆ fama, qua si audimus gravem illum ac sanctum

Impe-

Imperatorem, *nihil quidquam* IMPERATOREM *Romanum melius commendat gentibus*, securius adhuc præsidium, quam in muris CASTRORUM aut PRÆTORIANORUM FIDE reponere. Hinc enim nec aliunde erumpere faustas illas & repetitas sæpius in absentem Patrum voces, ANTONINE CLEMENS DII *te servent*, ANTONINE CLEMENS DII *te servent*. Ultionem certe, solam exigui & infirmi animi voluptatem, probari non posse legitimis CÆSARIS hæredibus, quam non cœlestes aliæ belli ac pacis artes, sed agnoscente Cæsare vix illo inferiore, sola CLEMENTIA Deum fecit. Neque vel captandæ civium benevolentiæ, vel securitati retinendæ leve insuper momentum conferre, blanda quadam specie RESTITUTÆ LIBERTATIS, molestam Quiritium Nepotibus servitutis imaginem, ac intutum Principi tyrannidis odium opportune subducere. Sic posse quod ille aiebat, LIBERTATEM ac DOMINOS misceri, quod utrumque (sed quam pulchre!) confundunt non semel illorum imagines: neque enim sub OPTIMO PRINCIPE, res esse omnino disjunctas, libertatem ac Principatum. Finem vero TUTELÆ illius vel Procurationis, non esse commodum proprium, quod rejiciebat Plato, nec jura concedunt: non suam unius laudem aut voluptatem: sed nobiliorem longe & latius diffusum, GLORIAM nempe & GAUDIUM ROMANORUM; LÆTITIAM & REPARATIONEM TEMPORUM; UTILITATEM PUBLICAM; TELLUREM STABILEM aut STABILITAM; SALUTEM REIPUBLICÆ, PROVINCIARUM, immo GENERIS HUMANI; NOVUM SÆCULUM & FECUNDUM; immo ÆTERNAM non SÆCULI amplius, sed IMPERII FELICITA-

M. Aurelius apud Vulcatium in Avid. Cassio.

Ut enim tutela, sic procuratio Reip. ad eorum utilitatem qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissa est, gerenda est. *Cicer l. 1. de offic. ex Platone.*

TATEM. Non ergo *ſapientes ſolum docere*, quod aiebat gravis Auctor, ſed totam hanc memoriam aperte reclamare, *finem juſti imperii* UTILITATEM *obedientium & SALUTEM æſtimari.* Relinqui itaque Furiis ſuis exagitandum illud Cæſarum propudium, queri palam ſolitum de conditione ſuorum temporum, quod nullis publicis calamitatibus inſignirentur; qui ſui non memoriam, ſed oblivionem imminere proſperitate rerum inverecundi profitebantur. An meminiſti Heroas apud Græcum vatem navem Deæ munus ingreſſos, ſollicite manibus remos intorquentes, quo velleris aurei opima ſcilicet ſpolia reportarent? Quam vero jucundius Principem videre, cui aurum à Deo infuſum ex Platonis ſententia, ſedentem ad Clavum Reipublicæ; quo ſecundo curſu AUREI SÆCULI beata & FELICIA TEMPORA, pulcherrimum certe donum generi mortalium daret;

Ammian. Marcellin. l. xxx.

Vid. Ariſtot. Polit. l. 11. c. 3.

hæc quibus AUREA *poſſunt*
SÆCULA *cantari, quibus & Deus ipſe canatur.*

Auream certe hanc eſſe AUGUSTI FORTUNAM, non quæ in privato Principis lararío colitur, aut velut fauſtum imperii omen tranſit ad ſucceſſorem; ſed quam ubique diffuſam commendat PUBLICA Imperii FELICITAS. Mercedem autem tot beneficiorum, non Coronas ſolum aureas vel querneas, ob SERVATOS ſocios aut CIVES, non tantummodo ramum vel Lauri, vel Palmæ, vel Olivæ, ut DOMITORI GENTIUM BARBARARUM, aut FUNDATORI PACIS & QUIETIS; non TRIUMPHI duntaxat honorem, aut Statuas Equeſtres, Arcus, Tropæa, Columnas, Clypeos, præclara licet illa vel inſignia GLORIÆ, vel MEMORIÆ præſidia frequentia in iiſdem Nummis; ſed potiora adhuc longe,

Accla-

Acclamationes Populorum frequentes, FELICEM illius immo FELICISSIMUM ADVENTUM, quem venti quippe fugiunt & cœli nubila, ore adhuc magis & mente, quam sacrorum apparatu celebrantes; gratiorem omnibus laureis OPTIMI PRINCIPIS, aut PATRIS PATRIÆ appellationem: VOTA pro AUGUSTI SALUTE & incolumitate alacriter SUSCEPTA PRIMIS DECENNALIBUS, & SECUNDIS MULTIPLICATA cupidius; à cujus nempe SALUTE velut filo pendere statum Orbis Terrarum intelligunt, nec fictis proinde vocibus exclamant; AUGUSTE *Di te nobis servent, vestra* SALUS *nostra* SALUS *vere dicimus, jure dicimus.* Ejusdem vero defuncti communi summis & imis lege, pleni quidem annis sed quasi adolescentis desideratum cum PIO apud præsentes nomen; MEMORIAM vero apud posteros FELICEM; ÆTERNITATEM in omnium semper animis ac ore victuri, & decretis à volentibus non ab invitis Patribus, immo miro omnium ordinum ac ætatum consensu (ut de PIO & MARCO referunt auctores) supremis DIVORUM honoribus, consecratam pristinæ virtutis famam.

Lib. VII. C. Theod. t. 20.

Cum jucunditate à Senatu Divus est appellatus cunctis certatim adnitentibus. *Capitol. in Antonino Pio.*

O quæ cura Patrum! quæve Quiritum
Plenis honorum muneribus tuas
AUGUSTE *virtutes in ævum*
Per titulos memoresque Fastos!

Neque illum enim modo proximum tempus, lucemque præsentium temporum (quod de Oratore suo Fabius, de PRINCIPE verius loquuntur & prædicant hæc monumenta), sed omnem posteritatis memoriam spatium vitæ honestæ & curriculum laudis existimare;

Et cum tempora temporibus præsentia confert
Præteritis,

addam & cum futuris lubentius. Hoc esse quippe apparatissimum solenne sui funeris, huic æri totiens commendatam & eodem ære quæsitam, ÆTERNAM Civium ac sociorum MEMORIAM: neque adeo laudationes pro more susceptas ab hæredibus aut propinquis, quam in mortuum, TITUM puta aut illi similes, grates & laudes ultro congestas ab amplissimo ordine, *quantas ne vivo quidem unquam, aut præsenti.* Eas proinde inferias dissimillimo illius fratri, aut geminis eidem CAIIS, COMMODIS, aliisque relinquendas, quæ in *abolenda omni* MEMORIA, titulis & imaginibus delendis, ut justa Manibus eorum debita, magno Patrum consensu decernuntur. Hanc enim Tyrannorum certissimam esse infamiam, ut ubique famæ illorum monumenta diruantur; *ut Heracliani vocabulum nec privatim nec publice ulla* MEMORIA *teneat*; sed illacrymabiles iidem ignotique longa nocte urgeantur. Inclytæ vero & jucundæ recordationis Principes, gravissimæ illius TUTELÆ oneribus feliciter soluti, & AUGUSTA illa statione cum immortali laude peracta, cœlestem animam, quod ille dixit de laudatissimo CÆSARE, cœlo tandem reddant. Ibi vere jam AUGUSTI, neque antea certe BEATISSIMI, liberi invidia, procul à contentionibus & vicibus rerum humanarum, famam in tuto collocatam intelligant; ibi consequantur eam, quæ post fata præstari verius solet ac lubentius, venerationem; & qua pridem

Ecce Palatino crevit reverentia monti.

Hic demum reperiant suavem illam REQUIEM OPTIMORUM MERITORUM; hic SIDERIBUS RECEPTI, cum illo decessore suo JULIO, primo auctore sublimis illius, ante inter homines, mox inter cœlites fastigii; vertantur in totidem sidera, (quippe *sunt*

Sueton. in Domitiano.

Lib. XV. C. Theod. tit. 9.

sunt stellæ Procerum similes) quæ auratis bis sex radiis lucida, in clarissima cœli parte fulgeant;

Huc fortes animæ, dignataque nomina cœlo,
Corporibus resoluta suis, terræque remissa,
Huc migrant ex orbe.

Ibi denique ex opinione eorundem temporum, non otiosi cum DIS GENITALIBUS ævum degant, sed ut Propitii VOTIS mortalium adsuescant vocari; ut ULTORES jurandas ARAS per eorum numina statui sibi videant; ut vigiles ex illo vertice orbem prospiciant communem, cœlestique PROVIDENTIA, quod humana vel precaria antea faciebant, rebus humanis fata decernant. Hæc omnia vero Princeps non hauriat solum in umbra vel porticu, nondum ipse protractus in lucem ac verum discrimen; non à Doctoribus intempestivæ nonnunquam cum Musonio, inanis ut plurimum SAPIENTIÆ, certe nullo usu rerum aut parte idonea publici muneris, fidem consultorum & moderantium auctoritatem consequutis. Hæc à Patribus audiat, è quibus AUGUSTI nascuntur; intelligat ab universo illo Ordine, cujus Consiliis ÆTERNÆ URBIS incolumitas firmatur; æri videat inciſa, perpetuis SENATUSCONSULTIS, ne unquam cogitet de abolendis sanctis illis & immotis Principatus sui legibus; sciat denique SALUTAREM MONETAM inservire promiscuis singulorum usibus, ut ab omnibus officii sui partes reposci ex æquo & exspectari intelligat:

O nunc ARGENTUM, *& Marmor vetus,*
ÆRAQUE *& artes Suspice!*

Quis enim cassus adeo lumine, ipsam non tam Principum, quam Principatus imaginem haud agnoscit in his Nummis? quis non videt hic Ænea felicior, cœlata in

Senatus Populusque non divisis locis, sed in una sede Propitium Deum dixit. *Capitolin. in Marco Aurelio.*

ta in omni metallo vere fortia Patrum, vel Nepotum verius facta? ac proinde *neque animum pictura pascit inani.*

Dubius equidem pendeo, suavissime OCTAVI, an alibi Poëtarum fabulæ, vel Sapientum præcepta, vel Ægyptiorum hieroglyphica, obscura illa aut vere inania simulacra, luculentius adumbrarint OPTIMI PRINCIPIS & FELICIS REIPUBLICÆ effigiem & exemplar. Illud vero scio plurimum eisdem vel Poëtis vel Sapientibus lucis & splendoris accessurum, si liberet hic in varia singularum Virtutum Symbola accuratius inquirere. Jucunda quidem nec inutilis pluribus artibus ac disciplinis contemplatio; sed quam in antiquariorum libris vel thesauris obviam, licet hujus elegantiæ cupidis inde continuo petere. Monuisse id obiter liceat, SPEM in Nummis, non herbam trifolii, ut existimabat Ant. Augustinus, sed revera lilium, ut monuerunt alii, opportuniori Symbolo præferre; quod ex monumentis plasticis Romæ nuper cum eodem illo SPEI habitu effossis, certo mihi demum licuit. Unde lucem quoque mutuatur Artemidorus, eamque vicissim commodat his Nummis, qui Coronas ex liliis plexas, ut certum rem in spes differendi ac prolatandi augurium notat. FIDEM etiam & CONCORDIAM, duplicis Dextræ illiusque implicatæ symbolo, non immerito in iisdem Nummis signari: hoc est, *datas* FIDEI *manus*, ut in Thyeste loquitur Seneca, & ante illum Ovidius,

Oneirocrit. lib. 1. c. 79.

Jura, FIDES *ubi nunc commissaque* DEXTERA DEXTRÆ,

aut sicut alibi innuit Annalium scriptor; *Mos est Regibus, quoties in societatem coëant*, IMPLICARE DEXTRAS. Neque enim summum illud apud Romanos solum,

Tacit. Annal. XII.

ſolum, ſed apud Barbaros quoque pignus Fidei & Securitatis: ut rem alias obviam egregie illuſtrat hic Joſephi locus, agens de colloquio Artabani Parthorum Regis, & Romani Præſidis; *Et* DEXTRAM *dedit, tanquam maximum confidentiæ argumentum apud omnes illos Barbaros; neque enim* FIDEM *fallet quiſquam ex iis, datæ ſemel* DEXTRA, *neque* FIDEM *habere dubitabit, tale ſecuritatis Pignus ab iis nactus, à quibus injuriam ſibi metuere poterat.* Lib. XVIII. cap. 12.

Ut non mirum *renovari* DEXTRAS pro Fidei aut Fœderis redintegratione uſurpaſſe Regem Regum apud Germanicum; aut jam olim à Numa FIDEI ſolemne inſtitutum, cui Flamines manu ad digitos uſque involuta rem divinam facerent: hinc denique ſicut alias corporis partes ſingulis Numinibus, ita DEXTRAM FIDEI à Phyſicis conſecrari, ut notat Servius. Sed hæc trita: illud non ita forte, hinc etiam morem illum vetuſtiſſimum jam olim promanaſſe, ut ad abſentes Legiones & Exercitus, tanquam præſens hoſpitii & concordiæ teſſera, DEXTRÆ mitterentur. Tacitus; *Miſerat Civitas Lingonum* VETERE INSTITUTO *dona legionibus*, DEXTRAS *hoſpitii inſigne:* alibi vero, *Centurionemque Siſennam* DEXTRAS CONCORDIÆ *inſignia*, *Syriaci* EXERCITUS *nomine ad prætorianos ferentem variis artibus adgreſſus eſt.* Quæ mire certe illuſtrant plures illi Nummi, in quibus duæ Dextræ junctæ, cum inſcriptione CONCORDIA aut FIDES EXERCITUUM; aut ſimiles Dextræ impoſitæ perticis ſignorum militarium; aut Manus aliàs addita imagini Auguſti ab aliqua Colonia, cum in Fidei procul dubio ſymbolum, tum in hoſpitii id genus memoriam. Tacit. Annal. 1. Liv. lib. 1. Ad lib. III. Æneid. Hiſtor. lib. 1.

Ut

Ut neque mirum cuipiam videatur, eodem Symbolo implicatæ utriusque Dextræ, AMOREM, PIETATEM aut CARITATEM MUTUAM duorum AUGUSTORUM, signari in nummis Pupieni & Balbini; hoc est, ut de socero suo & illius conjuge loquitur idem Tacitus, *vixeruntque mira* CONCORDIA *per* MUTUAM CARITATEM. Illud forte magis insolitum, PATIENTIAM, Christi potius quam Stagiritæ sectatorum lauream, & vulgo privatæ magis quam regiæ sortis decus, commendari in gentili & supremi in terris fastigii Principe. Id vero arguit nummus Hadriani, à Cl. Seguino nuper admodum vulgatus, in quo sedens occurrit cum patera & hasta mulier, inscriptæ autem litteræ PATIENTIA AUGUSTI COS. III. Quo jure vero, aut qua fronte, eam sibi laudem vindicarit

In Vit. Agricol.

carit Hadrianus, non quærimus hoc loco; & nota viri indoles parum ſedata, nec dolorum in extremis, nec injuriarum umquam tolerans nimium videtur refellere. Ut hoc etiam addam, MUNIFICENTIAM apud Romanos, ævo Cæſarum maxime, eam Principum laudem proprie denotaſſe, quam in Muneribus, ſeu ſpectaculis edendis, & ſolenni ludorum apparatu publice oſtentabant, & quam in Officiis Tullius *munerum largitionem* vocat, *Indulgentiam* autem præter alios in Antonino Pio Capitolinus. Quæ res, vel ex Nummis Antonini Pii & Severi obvia, in quibus Elephantis Symbolo eadem exprimitur; & clarius ex præclaro & rariſſimo nummo Gordiani Pii, inſpecto mihi inter alios nummos Gazæ Mediceæ, in quo amphitheatrum & homo Elephanti inſidens, & pugnans cum Tauro occurrunt, cum inſcriptione MUNIFICENTIA GORDIANI. Hinc ut Elephantis hoc loco, ſic eo ſenſu Leopardorum Munificentia apud Symmachum, qui inde non parum illuſtratur; *ſacras mihi litteras Julius Agens in rebus exhibuit* LEOPARDORUM MUNIFICENTIAM *continentes*; alibi vero cupit MUNIFICENTIAM *Libycarum largitione mutari*. Cujus tamen vocis genuina illa, nec aliàs arcana ſignificatio non obſervata, eruditis aliquot in explicatione veterum auctorum non ſemel impoſuit.

Lib. VII. epiſt. 59.

Lib. II. epiſt. 46.

DISSERTATIO TERTIA.

DE

PRÆSTANTIA ET USU

NUMISMATUM

ANTIQUORUM.

QUamquam vix mihi fructus otii datus esse videatur, ad utriusque nostrum præclara studia pro dignitate celebranda, non committam tamen, ut quasi in limine suscepti operis inchoata nobis tractatio conticescat. Neque enim te fugit, cum in infinita quadam varietate litterarum, tum in artibus aliis ac disciplinis versari hanc omnem memoriam, quæ nobis hic velut postliminio excitanda, & in nova quadam luce collocanda veniebat. Quando autem hoc oneris mihi semel imposui, & erecti expectatione homines plura hic videntur à nobis flagitare, dabo operam, ut in hac etiam mea vel vitæ occupatione, vel otii penuria, quantum fieri poterit, nostris simul studiis & eorum obsequar voluntati. Tu vero, nobilissime OCTAVI, omnium optime judicabis, an quod ab initio operis suscipere ac polliceri visus sum, dum amplissima huic studio præmia vel ad usum vel ad delectationem proposita prædicavi, sim hoc labore nostro, nec mediocri quadam exercitatione consequutus.

Haud dubitas equidem NATURALI etiam SCIENTIÆ lumen aliquod ex antiquis Nummis adfulgere, seu

seu PROPRIETATES ANIMALIUM, aut FORMAS eorundem; seu PLANTARUM etiam FIGURAS consulamus. Hinc enim videre in iis licet Animalia ob insitas singulis proprietates, suo quæque numini sacra, *Aquilam* & *Capram* Jovi; *Pavonem* Junoni; *Gallum* Mercurio & Æsculapio; Cybele ac Soli *Leonem*; *Pantheram*, *Tigrim* & *Caprum* Bacchо; *Porcum* & *Dracones alatos* Cereri; *Serpentem* Æsculapio; *Ibim* & *Anserem* Isidi; *Cornicem* & *Cygnum* Apollini; *Delphinum* & *Equum* Neptuno; *Cervum* & *Canem* Dianæ; quæ ex Poëtis non solum, sed Antiquariis etiam vulgo jam nota. *Cervum* alias non Dianæ solum, sed fratri ejusdem ob cursus velocitatem sacrum, prolatis aliquot nummis novissime docuit elegans hujus mercis propola Petrus Seguinus; unde apposite plane flammea illi vestigia tribuit Veronensis vester, *Circa Proprietates Animalium.*

Flammea prævertet celeris vestigia cervæ. Catull. in Epith. Peleï.

Gryphas etiam Apollini sacros haud magis ex Philostrato, Heliodoro, aliisque colligas, quum vel ex signato eodem ab urbibus vulgo Apollini devotis, ut in nummis ΑΚΤΙΩΝ, vel juncto etiam cum tripode in numismate ΚΥΤΟΡΙΩΝ, apud Goltzium; aut alias ex Gallieni nummis, in quibus Gryphus depingitur cum epigraphe APOLLINI CONS. AUG. seu *Conservatori Augusti*.

Corvum præterea & *Delphinum* in ejusdem Apollinis tutela exstitisse, recte ad Manilium notavit magnus Scaliger, ex nummis Quindecim virum, in quibus signatur Tripus cum Corvo in inferiori parte, & Delphino in superiori. Sed de hoc nummo paullo infra, de Corvo vero sacrato Apollini, ut aliunde, ita ex Plutarcho liquet ac Porphyrio. Sic *Noctuam* Minervæ plerique Athenienſium, & Tarentinorum aliquot Nummi ad-

De Isid. De Abstin. l. III.

judicant: de cujus tutelæ ratione vide differentem a-
Orat. XII. licubi Dionem Prusæum. Noctuam certe sapientiæ Symbolum arguit præterea nummus aureus magni Constantini, in quo eadem in cippo cum epigraphe SAPIENTIA PRINCIPIS PROVIDENTISSIMI. Hinc Noctua imposita columnæ Trajani in nummo ejusdem Seguini, quo providentia illius Principis, duraturo apud posteros indicio notaretur. Ut minus jam mirum videatur, sub Noctuæ Symbolo eandem Minervam apud Ægyptios depictam, quod tradidit
Lib. II. de vit. Apoll. c. 9. alicubi Philostratus. Ita quoque, *Columbas* Veneri, Cypriorum nonnulli nummi rariores addicunt. Quo referri etiam possunt insignes Erycinorum in Sicilia, & duo inter alios apud Parutam depicti, cum Columba in utroque, & cum Veneris, tum biformis senis effigie.



Qui-

Quibus nummis singularem quandam lucem fœnerantur duo præclari scriptores [a] Athenæus ac [b] Actianus; ex quibus intelligimus festum fuisse apud Erycinos dictum Ἀναγωγία, proficiscentis nempe Veneris, quod nullæ tum essent Columbæ, alias circa templum illius Deæ frequentes; alterum vero, solemne dictum Καταγωγία seu revertentis Deæ, quo Columba nuda & purpurea prævolabat rursus ad Deæ fanum, sequebantur aliæ. Signant utique rei memoriam cum columba illa priori nummo expressa in corona laurea, tum vel maxime hinc Erycina, illinc itidem Columba in posteriori depictæ. Quo spectare etiam observo alium Nummum Erycinorum Gazæ Mediceæ, in quo illinc caput virile ornatum spolio leonino, hinc Pharetra, Clava, & Columba conspiciuntur; quorum illa ad Herculem Erycis in eo tractu victorem, hæc ad sacrum Veneri locum, & Festi ac Columbæ hujus memoriam omnino sunt referenda. Alias eodem Καταγωγίς nomine, sed alterius generis festum Ephesiis celebratum legas in Actis Martyris Timothei apud Photium. Mitto vero tricipitem *Cerberum*, quem Plutoni vindicat Trallianorum Nummus pulcherrimus Mediceus. Causas vero adferent Mythologi & Symbolorum interpretes, nec enim nugari hic vacat. *Serpentem* vero & *Draconem* Felicitatis, Victoriæ, Salutis symbolum frequenter fuisse, non apud Ægyptios solum, sed apud Græcos etiam & Romanos, tot Nummi clarissime ostendunt, ut mirer eruditissimum Gevartium id inficias iviſſe. Res enim obvia ex priscis monumentis; quamvis non id promiscue cum Joanne Tristano, ad omne Serpentum genus retulerim, sed ad illos maxime, quos ἀγαθοὺς δαίμονας, seu pro bonis

[a] *lib.* IX.
[b] lib. Var. I. c. 15. & Animal. IV. 2.

Col. CCLII. pag. 1401.

Geniis habitos, ex Servio discimus, & de quibus Lucanus meus,

Vos quoque qui cunctis innoxia numina terris,
Serpitis aurato nitidi fulgore Dracones.

Verum de his agetur mox uberius. Sic *Elephantis* diuturnitas vitæ præ cæteris animalibus Aristoteli tradita, ÆTERNITATIS nomine ac Symbolo in iisdem non semel adumbratur. Inde haud ignotus ille Pori Elephas apud Philostratum, cui torquem aureum ab Alexandro injectum, eundemque ultra quadringentos annos refert vitam produxisse. Occurrunt præterea iidem Elephantes lychnum ceu facem proboscide gestantes, in præclaris aliquot Nummis Antiochi Dionysii; ministerio haud alieno à reliqua hujus animalis industria tot scriptoribus decantata, & de qua inter alios Manilius,

De vit. Apoll. lib. 1. cap. 6.

Cumque Elephante loqui, tantamque aptare loquendo
Artibus humanis varia ad spectacula molem.

Certe spectaculo hic minus admirando, quam eosdem videre funambulos in Theatris Romanorum; aut alias pila ludentes; aut in munere gladiatorio Germanici, solennibus epulis admotos, earundem promuscidum opera, ut moderatos convivas, cibum ac potum decenter sibi ministrantes. Nota res ex Seneca, Suetonio, Æliano, aliisque id genus probatis aut oculatis auctoribus. Sed quod magis appositum, ut vel inde pateat, unde morem illum horum λυχνοφόρων Elephantum acceperit Julius Cæsar, de quo diserte tradit Suetonius, *adscenditque ad lumina quadraginta* ELEPHANTIS *dextra atque sinistra* LYCHNYCHOS *gestantibus.*

L. XLVIII. Idem narrat Dio, quoad illos δαδούχους Elephantas, πολλῶν δὲ ΕΛΕΦΑΝΤΩΝ ΛΑΜΠΑΔΑΣ ΦΕΡΟΝΤΩΝ, ἐκομίσθη, *Multis autem* ELEPHANTIS FACES FE-

FERENTIBUS *deductus est*, quamvis in eo dissentiant, quod ille in Capitolium, hic domum à cœna deductum ea pompa Cæsarem narrent. Unde jam opinor, minus erit ingratum id genus λυχνοφόρον Elephanta producere, qualem cum Gaza Palatina & Medicea, tum suis & majorum meritis amplissimus Joachimus Camerarius noster mihi submiuistravit, harum quoque lautitiarum cupidus sectator.

Neque vero mirum in Syriæ Regis nummo signatum videre Elephantem, qui apud veteres legit, successores Alexandri passim usos Elephantis, & teste Agatharchide, institutam quondam Elephantum à Philadelpho venationem; aut vero apud [a] Athenæum & [b] Plutarchum observavit, Seleucum inter hujus Antiochi Decessores, dictum Ἐλεφαντιόχλω, ob copiam datorum illi Elephantum; haud aliter nempe ac de Rege Pegu in India memorant nonnulli, vocari illum Regem alborum Elephantum. Unde & Strabo illustratur, qui in regione Syriæ prope Laodiceam quingentos Elephantas ab eodem Seleuco ali solitos narrat. Ex quo nummo illud præterea colligas, Suetonio *Lychnuchos* & Dioni λαμπάδας in simili Elephantum ministerio dictos, nihil aliud revera, quam δᾶδας seu faces exstitisse;

Cap. 1. apud Photium Cod. CCL.

[a] Lib. VI.

[b] In Demetrio.

Lib. XVI.

se; quas utique voces, λυχνέχους, λαμπάδας, φανὸς, δᾷδας, promiscue veteribus usurpatas, ex [a] Athenæo discas & [b] Polluce. Neque debuit certe, ut obiter hoc addam, *lychnuchus* ille Ciceronis *ligneolus*, tantum negotii eruditis antiquariis facessere, in cujus explicatione æstuantes videas Cl. Smithium & Fortunium Licetum, ac postremum inprimis miras loci illius emendationes tentantem in opere de lucernis antiquorum postremæ revisionis. At consuluissent Athenæum, qui diserte ξυλολυχνέχους, seu *Lychnuchi ligneoli*, ut verbum sonat, dicit Alexin meminisse, neque illum dissimilem *Obeliscolychno*, cujus Theopompus meminerit, & de quo videndus etiam Pollux. An vero felicius eidem Liceto, aliisque successerit, λυχνοφόρους, non jam Elephantas, sed Dracones ex Nummis antiquis itidem producere, infra alio loco discutietur. Alias vero tædas seu faces accensas, non jam in Elephantis promuscide conspicuas, sed Vulpium caudis adligatas juxta Samsonis factum, apud Ovidium legisti proculdubio; unde & Vulpes Lycophroni ac Hesychio λαμπαδὶς dicta videtur, ut erudite observat doctissimus Bochartus.

[a] Lib. xv.
[b] Lib. VIII. cap. 18. & lib. x. c. 26.
Lib. xv.
Lib. IV. Fast.

Capricornus, qui non tantum inter signa cœlestia, sed Augusti etiam Sigilla & Nummos locum invenit, in iisdem & altero Nummo Hadriani rariore abundantiam & felicitatem notat. *Apes* ob multiplicem industriam & mellis præstantiam, Sapientiæ etiam & dignitatis symbola, plurimi Græcorum, Romanorumque Nummi arguunt; quorum aliquos illustravit non ita pridem hujus veteris elegantiæ optimus interpres, Petrus Bellorius noster. *Aquilam* præterea mitto, perpetuum quoddam Providentiæ, Divinitatis & Imperii, geminas autem Aquilas Orientis & Occidentis in iisdem sym-

ſymbolum, *Phœnicem* æternæ & novæ vitæ, *Upupam* aut *Ciconiam* Pietatis, *Cornicem* Concordiæ, *Bovem* autem Fertilitatis, aliaque id genus magis trita, quorum etiam cauſam quis ignorat? Quamvis aliàs *Boves* miſeriæ ſymbolum ob perpetuos illius animalis labores, & in ſomnis viſos malum portendere, duo ſomniorum interpretes cum Eſſæus apud Joſephum, tum Aſtrampſychus in Oneirocriticis contendant. Lib. Ant. XVII. c. 15.

Circa FORMAS *Animalium.*

FORMAS vero *Animalium* terreſtrium, aëreorum, aquatilium, vulgo minus notas, aut de quibus diſſentiunt nonnunquam priſci & recentiores Naturæ conſulti, iidem Nummi in conſpectu ponunt. Sic HIPPOPOTAMUM Philippi & Otacillæ Numiſmata, ſatis arguunt, quare idem Equi non ſolum, ſed Bovis nonnullis veterum, aliis Porci Marini etiam nomine nuncupetur. Ita enim in iis expreſſus eſt, ut cauda & dentibus Aprum, pedibus autem diviſis & mole corporis, Bovem referat, cætera fœde ſimus, & ad Ariſtotelis potius, quam Herodoti aut Diodori deſcriptionem comparatus. Neque tamen recentioribus accedo, qui proinde à ſola magnitudine *Equi Marini* vel *Fluviatilis* verius nomen illi inditum credunt; quum diſerte Ariſtoteles & jubam inſtar Equi, & vocem ejuſdem ſeu hinnitum, interiora denique Equo & Aſino ſimilia referat; unde etiam Hippopotami nomen illi adhæſiſſe crediderim. Accedit inſuper alia maxillarum, ventris, ac pedum, niſi quod diviſæ ſunt ungulæ, cum Equo ſimilitudo, quam illi quoque tribuit Achilles Tatius: ἐστὶ μὲν ΙΠΠΟΣ τῶν γαστέρα καὶ ὁπλὰς πόδας πλὴν ὅτι ὀχίζει τὴν ὁπλὴν, hoc eſt, *quod ad ventrem pedeſque attinet Equus eſt, niſi quod diviſas habet ungulas*, non ut vulgo Interpretes, *biſidas*. Unde quoque de eadem bellua Calpurnius, Hiſt. Animal. lib. II. cap. 12. Lib. IV. de Clitoph.

& EQUORUM *nomine dignum*

Eclog. VII. *Sed deforme pecus, quod in illo naſcitur amni,*
Qui ſata riparum venientibus irrigat undis.

Sed præter Achillem illum, diligentem utique ac domeſticum pictorem hujus animalis, patebit res clarius ex ſequenti ejus ſchemate, obvio jam in Cimeliis Antiquariorum.

En, juxta optimos auctores, caput hujus belluæ rotundum & grave; reſimum roſtrum; cauda Apri; juba ac venter velut Equi; ungulæ inſtar Boum diviſæ, neque tamen eædem ſolum bifidæ, ut vulgo Plinius, Ammianus, aliique etiam è recentioribus tradidere. Sed gravior adhuc error Ammiani, qui eaſdem bifidas, ut ibi legitur, ungulas ad ſpeciem Equorum tribuit huic feræ in nuperis editionibus; ac proinde loco, ut omnino crederem, in tam abſurdo mendo vel corrupto, vel hiulco. Equidem novi Equum prodigii loco Julio Cæſari natum, fiſſis in duas partes prioribus ungulis, ſi fi-

Lib. XXXVII. des habenda Dioni Caſſio. Sed hoc nihil ad Ammia-

Lib. XXII. num, cujus hæc verba vulgo referuntur; *Hippopotami quoque generantur in illis partibus ultra animalia cuncta ratione carentia ſagaciſſimi, ad* SPECIEM EQUORUM *biſidas habentes ungulas, caudaſque breves.* Quis poſtrema hæc graviſſimo auctori credat excidiſſe? Non ego certe: unde loco *Equorum*, libenter *Boum* legerem; utique appo-

appoſite ad rei veritatem, & ad Nummorum ſimul ac auctorum fidem. In eo enim non ad Equorum, ſed ad Boum ſpeciem accedit Hippopotamus, quod diviſas habeat ungulas, in quo maxime ab Equis differt, ut bene notavit Achilles Tatius. Sic Plinius; *Major in altitudine in eodem Nilo bellua Hippopotamus editur ungulis biſidis*, QUALES BOBUS. Et pridem Ariſtoteles; *Equo fluviatili, quem gignit Ægyptus, juba Equi*, UNGULA QUALIS BOBUS. Mole quoque corporis maximo Bovi ſimilem tradit laudatus modo Achilles, non Heros quidem Phthius, ſed Alexandrinus Sophiſta. Unde factum etiam, ut non tam inter Equos, quam inter Boves relatum fuerit à multis ſcriptoribus hoc animal. At ſciolus aliquis antiquarius, habita ratione nominis hujus feræ, aliorumque cum Equo communium, locum Ammiani ab aliquot jam ſæculis videtur interpolaſſe, cui acceſſit poſtea infelix Gelenii in eodem ſupplendo induſtria. Agnovit quoque lectionis vitium doctiſſimus Ammiani editor, ſed non ſanavit; neque verum Æſculapium velim me hic omnino præſtare, ubi nullum à ſcriptis libris remedium. Siquis malit proinde, levi diſtinctione poterit locum juvare, *ultra animalia cuncta ratione carentia ſagaciſſimi, ad ſpeciem Equorum, biſidas habentes ungulas, caudaſque breves*: ut hæc poſtrema non ad *ſpeciem Equorum* referantur, ſed ſingula ſejunctæ ſint proprietates hujus animalis, quibus Equum juxta, Bovem & Aprum refert. Alias frequentem ejus figuram videas non in Nummis ſolum ſæcularibus, ſed in aliis percuſſis in Ægypto, maxime in quibus Nilus adumbratur. Unus enim ille, ut notum, ex portentoſis maxime Fluvii illius incolis; unde præter vulgaris honorem arundinis, qui illi cum fluminibus aliis ſolennis, adjacens Hippopotamus, tan-

Lib. VIII. c. 25.

Lib. II. Hiſtor. Anim.

quam germanus illius & peculiaris fœtus, Parentem arguit in nummis aliquot HADRIANI cum inscr. NILUS.

Neque absimiles occurrunt aliquot Nummi Trajani. Circumstantes etiam nonnunquam pueros observes; sicut eosdem quoque præfert Statua Nili Vaticana, & ejusdem fluvii πολυγόνυ effigies apud Philostratum; quos alias in Ægyptiis NILI picturis familiares notasse jam olim Heliodorum, & νάνους & Νείλυ dictos alibi memini me legisse. Sed præter modo adlegatos, videas quoque Niloticum hunc vel Ægyptium Elephantem, ut vocatur Achilli Tatio hæc bellua, Hebræorum autem *Behemoth* juxta doctissimum Bochartum, in præclaris aliquot Nummis Ægyptiis Claudii ac Neronis Gazæ Mediceæ. Alias *Equos* revera *Marinos*, superiori nempe parte equina, inferiori autem in piscem desinentes videas cum in denariis Atratinorum gentis Semproniæ apud Ursinum, tum in variis maritimorum locorum Nummis. Omitti vero hic nequit sine nota insignis error eruditi Antiquarii, qui ludis sæcularibus à Philippo Imp. celebratis, h. e. millenario ab U. C. quo superior Nummus percussus, cum feræ hujus effigie, eandem nunquam ante Romæ spectatam confidenter adseruit. At præter [a] Capitolinum, [b] Lampridium aliosque, Plinium & Ammianum consulere potuisset, qui

Jo. Himmelar. ad Numis. Aresch. Tab. XLI.

[a] In Anton. Pio.
[b] In Elagabalo.

qui ædilitate Scauri (hoc est tribus & ultra ante Philippum sæculis) primum Romæ conspectum hoc animal, ac per plures dein ætates in urbem deductum tradunt. Quod vero addit idem Marcellinus sua ætate Lib. XXIII. non potuisse eandem feram amplius inveniri, adsentitur ei quoque Themistius; quamvis proxime ante Orat. X. Ammiani ætatem, Cari nempe ac filiorum temporibus, decorasse adhuc Hippopotamum amphitheatricas voluptates, liqueat ex adlato paullo ante Calpurnii loco. Neque sequutis Ammianum ætatibus, fefellit Editorum industriam, qualiscunque prædicata hujus animalis sagacitas.

Neque minori voluptate adficiunt obvii passim in iisdem Nummis ELEPHANTES, modo bijuges, modo quadrijuges curribus juncti, non terroris amplius, sed triumphalis pompæ apud Majores vestros argumenta. Hinc productus etiam paullo ante δαδέχος Elephas, & ex simili ministerio, J. Cæsari olim exhibito, obiter illustratus. At vero non prætereundus hoc loco ornatus ac loricatus ad pugnam Elephas; unde veterum quorundam auctorum loca de hoc more haud parum lucis fœnerantur. Exhibet vero eum inter alios sequens Philippi nummus.

Non repetam hic quæ in genere de bellico hujus animalis usu, qui ab Indis ad reliquas gentes dimanavit, ex auctorum veterum lectione omnibus obvia sunt & exposita. Illud forte majus erit operæ pretium admonere, inde factum, ut non minus quam homines, ferro etiam munitus Elephas in aciem procederet. Quum enim ob ingentem corporis molem jaculorum & telorum ictibus pateret bellua, in qua potissimam victoriæ fiduciam videbantur collocare, qui earum opera in bello utebantur, hinc morem etiam illum receptum crederem, ut lorica præmuniretur. Tales Elephantes olim ab Antiocho Eupatore in aciem contra Judæos educti, ut notum ex Auctore Macchabæorum; Καὶ εἶδεν Ἐλεάζαρ ὁ Σαυαρὰν ἓν τῶν θηρίων τεθωρακισμένων θώρακι βασιλικῷ, καὶ ἰδοὺ ὑπερέχον πάντα τὰ θηρία, καὶ ὤφθη ὅτι ἐν αὐτῷ ἐστιν ὁ βασιλεύς· *Videns vero Eleazar dictus Sabaran, unam ex bestiis loricatis indutam lorica regia, quæ erat superior omnibus aliis bestiis, & visa est illi Regem ferre.* Instructos eodem modo contra Cæsarem Scipionis Elephantes ex Hirtio quoque discimus; *ornatusque ac loricatus Elephantus quum esset, quæ pars ejus corporis nuda sine tegmine relinqueretur, ut eo tela conjicerentur.* Accedit Heliodorus, qui morem illum vulgo receptum clare innuit, Ὅσοι δὲ καὶ διεδίδρασκον ἄπρακτοι, καὶ οὐδὲν δράσαντες οὗτοι Ἐλέφαντας ἀπεχώρουν. τὸ γὰρ θηρίον πέφρακται, καὶ σιδήρῳ ὡπλισμένον εἰς μάχλω. *Quicunque effugiebant nullo facinore edito, nec ullo detrimento Elephantis illato discedebant. Bellua enim ferro munita est, cum ad prælium accedit.* At vero morem illum eruditis notum non jam solum evincit, sed nobis etiam ante oculos ponit superior Elephas; unde insuper discimus, non jam partem aliquam, sed totum etiam corpus eo modo instructum ac præmunitum. Talis nempe Regis Indorum Elephas, quem phaleris aureis

Lib. II. cap. VI. v. 43.

De Bello Africano.

Lib. IX.

reis toto corpore contextum narrat Curtius, *Longior ubi expeditio est, Elephanti vehunt currum, & tantarum bellua-rum corpora tota contegunt auro.* Elephanti comitem hic obiter adjungimus CAMELUM, & ex eo quidem genere, quod Græci DROMADES vocant. Quum enim vulgo notum sit ex veterum & recentiorum historiis, alios esse Camelos in Oriente, quibus vulgo ad onera ferenda, alios autem quibus ad cursum tantum utantur, hinc utriusque generis signati in antiquis Nummis. Priores quidem saginarios illos & ἀχθοφόρους innuere videntur varii & obvii Trajani nummi cum inscriptione ARABIÆ aut ARABIÆ ADQUISITÆ, cujus generis unus infra adducetur. Arabicos autem Camelos satis arguit, quod non duos instar Bactrianorum, sed unum tantum præferant gibbum; qualis etiam Camelus è dromadum ut videtur genere obvius in denario gentis Æmiliæ, cum inscriptione Aretæ Arabum Regis. Unde certe liquet vere jam olim ab Aristotele, & inde à Plinio discrimen illud Bactrianorum & Arabicorum Camelorum observatum, à Solino autem perperam inversum, *Arabici bina tubera in dorso habent, singula Bactriani.* Alterius vero speciei Camelos, ad cursum comparatos, atque inde Græcis δρομάδες dictos, graciliores proinde ac minoris staturæ exhibet sequens nummus singularis raritatis sub Caracalla percussus, cujus ectypum petenti mihi lubenter indulsit Cl. Patinus.

Lib. VIII.

Lib. II. Hist. Anim. c. 1.

Do-

Dolendum equidem fugientes omnino & exesas inscriptionis litteras, locum signati hujus Nummi hodie nobis invidere. Neque enim obvium illum aut vulgarem in Antiquis Nummis, facile licet ex adpicto animali colligere. At illo interim beneficio fruamur, quod Dromadem ejusmodi Camelum exhibeat, cum nudo sessore protensa dextra nescio quid innuentem. Mira autem sunt, quæ de velocitate hujus animalis, qua Equos longe dicitur superare, narrant cum antiqui autores, Diodorus, Strabo, Philostratus, tum recentiores, Leo Africanus, Marmolius, aliique, qui sua nobis itinera, Asiatica nempe aut Africana reliquere; puta unius diei spatio ultra centum milliaria Dromades id genus conficere, idque modico viatico octo vel decem dies per deserta continuantes. Hinc non immerito Dromas Talmudicis dictus גמלא פיתאא seu *Camelus volans*, & juxta Glossam Magistrorum, quia est cursu velox instar avium volantium, ut observat in Lexico suo Talmudico doctissimus Buxtorfius. Haud aliter nempe ac Græci & Romani celeres suos Equos nonnunquam *Pegasos*, *Volucres Aquilas*, aliisque id genus nominibus appellarunt, qua de re infra.

De RHINOCEROTE haud ignota quoque veterum ac recentiorum controversia; quorum alii fabulosis eundem annumerant; alii vero unum, alii duo cornua, eademque modo in naribus, modo in capite, modo in humeris etiam posita voluerunt. Visum vero Romæ hoc animal Flaviorum temporibus, non ex Plinio solum, Suetonio, aut Martiali discimus, sed præterea ex Nummo Domitiani; ex quo patet luculenter, illud sæcularibus Ludis exhibitum, ac in ejus rei memoriam ibi expressum, cum unicornu è naribus prominente. Unde mirari subit nuperum Historiæ Animalium

malium ſcriptorem, qui cum duobus cornibus in his ipſis Domitiani Nummis depictum refert: ſed illum in hunc errorem induxiſſe videtur Aldrovandus, & utrumque Pierius, qui hoc ipſum de duobus Rhinocerotis cornibus nummo illo expreſſis ante eos tradiderat, verum quod jam auguratus eſt Aldrovandus, Elephante nobis pro Rhinocerote obtruſo. Certe ſatis Pierium alioſque ei adſentientes arguunt, cum productæ jam ante ſuperiori ſæculo hujus nummi Icones ab Antonio Auguſtino, & Sebaſtiano Erizzo, tum ſequens ejuſdem effigies illis conſentanea.

Joan. Jonſton. Hiſt. Quadrup. Lib. 11. Hieroglyph.

Ut omnino inde corruptum conſtet Martialis locum vexatum jam viris doctis, ubi geminum cornu huic feræ videtur tribuere: de quo præter alios conſulendus Cl. Bochartus in præclaro opere de Animalibus ſacris, ne actum procul dubio hic agamus; neque enim liber ille nobis ad manum, dum hæc commentamur. Certe in hunc errorem haud impingere potuit Poëta teſtis illius ſpectaculi oculatus, quale nummus iſte Domitiani repræſentat, qui juxta Plinium, Ælianum, alioſque unum cornu alio loco eidem feræ tribuit,

Quantus erat cornu, cui pila taurus erat.

Alias ſequutis etiam temporibus, & præter ſæcularium ſolemnitatem, ornaſſe non ſemel Rhinocerotas Romanas

manas ludorum editiones, liquet aliunde ex Auctoribus Hiſtoriæ Auguſtæ, Capitolino in Pio & Gordianis, ac Lampridio in Elagabalo. Immo ſub Trajano etiam idem animal Romæ conſpectum, fidem facit Nummus ab Occone deſcriptus, quinto illius Auguſti Conſulatu. Ut pateat inde luculenter, quam vere à [a] Plinio ac [b] Æliano ſit adſertum, formam illius belluæ Romanis eſſe notiſſimam, quippe apud quos ſæpe ſit in amphitheatris viſa. Si fides vero habenda eſt Pyrrho Ligorio, notatur ab eodem in uno Domitiani Numiſmate Rhinoceros cum Elephante, ut videbam nuper in antiquariis ejus collectionibus ineditis, quas adſervat Bibliotheca Auguſtæ Chriſtinæ.

[a] Lib. VIII. c. 20.
[b] Lib. XVII. c. 44.

Neque vero in iiſdem diverſum ab eo MONOCEROTA memini me vidiſſe, quem à ſe tamen in Nummo veteri inſpectum apud hunc ipſum Ligorium teſtatur Aldrovandus, cornu cantharo humi ſtanti inſerentem, cum inſcr. ΝΥΣΣΕΩΝ. Suſpicatur vero percuſſum illum ab Indis Nyſæis, in Bacchi ſui cultum, ac memoriam victoriarum Alexandri Magni, & reperti in eo tractu id genus Unicornis. Eundem quoque Nummum vulgavit Medicus quidam Gallus ſcripto vernaculo, ac eidem Alexandro Indorum Triumphatori tribuit; paullo tamen aliter expreſſa nummi epigraphe, ΝΥΚΕΩΝ. Vir autem doctiſſimus, magnum lumen Germaniæ noſtræ litteratæ, recentem illum Nummum ſtatuit, peculiari illi deſtinata commentatione in variæ eruditionis opere. In ea autem id agit pluribus, ut eundem adſcribat non Indicæ illi Nyſæ, ſed haud paullo viciniori Nicææ, ſitæ in Liguriæ & Galliæ finibus, ac legendam proinde auguretur inſcriptionem ΝΙΚΑΙΕΩΝ. Fundus illi hujus obſervationis Julius Scaliger, qui in ea Urbe viſum à ſe narrat

Laurent. Catelanus l. de Unicorni.

Thom. Reineſius var. lect. l. II. c. 2.

Exerc. CCV.

cornu

cornu hujus Monocerotis; unde quoque illud ab eodem Heroë Scaligero, aut ab alio forte conscio geminæ voluptatis, ad perpetuam rei memoriam æri incisum putat superiori sæculo, ac intuitu Græcorum illius urbis aboriginum, signatum Græco illo nomine NIKAIEΩN. Neque dubitat vir eruditissimus hanc suam de Nummo illo sententiam, ut extra omnem contentionis aleam proponere; immo pro qua paratus sit forti animo *tanquam Danais pro navibus Aiax* depugnare. Non vero is ego sum, quibus digiti pruriant hanc pugnæ aleam subeundi, aut vero qui gestiam inde capere solatium, quod cum victus ero, cum Aiace ferar decertasse. Optassem equidem mihi copiam fieri illius Nummi, aut iconis inde expressæ; ut de eo liceret certius aliquid statuere, maxime de ætate illius & occasione, qua percussus fuit; & an ad remota illa Alexandri M. tempora, aut ad alia eum subsequuta, an vero ad elapsum modo sæculum omnino referri debeat. Sed non licuit mihi hactenus Galli illius Medici scriptum consulere, quo Nummi illius iconem dedit inspiciendam, aut eundem in penu antiquaria Pyrrhi Ligorii à me hic inspecta observare, à quo primum Nummi hujus notitia videtur dimanasse. Illud tamen in Lectoris gratiam, & ad majorem quandam lucem hujus rei haud alienum erit præmonere, magnam utique fuisse superiori sæculo, quod tu non ignoras, Pyrrhi hujus Ligorii in colligendis undique residuis prisci ævi monumentis diligentiam, ac in iisdem delineandis, describendis, in certum ordinem redigendis, & pro captu etiam interpretandis, incredibilem quandam neque satis unquam prædicandam sedulitatem. Hinc optimos & publicos illius industriæ præcones nactus jam olim sibi conjunctos arcta id genus studiorum communione,

Judicium de Operibus Antiquariis Pyrrhi Ligorii inediti.

nione, Antonium Augustinum, Fulvium Ursinum, Onuphrium Panvinium, Annibalem Caro, & his ætate proximum Laurentium Pignorium, omnia clarissimæ famæ nomina. Sed certiores adhuc ejus rei testes exstant Herculeæ Viri lucubrationes antiquariæ etiamnum superstites, in quadraginta & plura volumina digestæ; quæ integræ adhuc in Taurinensi Bibliotheca, & hic in urbe magna sui parte in supellectile libraria Christinæ Augustæ, Farnesiana, & Barberina, instar præstantissimi cujusdam Thesauri, adservantur. Complectuntur vero illæ, tum consueto litterarum ordine & libris totidem, Geographicam locorum hominumque prisci ævi enarrationem, insertis passim Lapidum ac Nummorum monumentis; tum præterea Commentarios singulares in Græcorum & Cæsarum aliquot Nummos; ac insuper Tractatus quosdam peculiares ad illustrationem Romanæ omnisque remotæ antiquitatis comparatos; De Religione & Dis Gentilium, Heroibus & Viris Illustribus, Ponderibus, Mensuris, Statuis, Monetis, Funeribus, Re Nautica, Vestiaria, Claris Familiabus Romanorum, de eorum Magistratibus, ac tandem distinctis quibusdam Tiburis, Villæ Hadrianæ, aliorumque id genus vel Rituum vel locorum explicationibus. Dum vero easdem fama & commendatione eruditorum hujus ac superioris sæculi mihi pridem notas, obiter versare licuit aliquoties, facile deprehendi multas latere in iis optimas prisci ævi reliquias, quibus vel imprimis prioribus Inscriptionum aut Nummorum veterum collectionibus ingens & præclara quædam accessio fieri posset; ac inde in omne litterarum & doctrinæ genus utilitas non levis redundare. Multa enim id genus hodie etiam haud amplius obvia, ibi recondi adversus injuriam temporum;

rum; multa etiam ab aliis secus aut properanter descripta, accuratius ibi aut fidelius, quam vulgo in editis legi; præter conspicuam singularis cujusdam in colligendis iis, ac ubi opus fuit delineandis, industriæ laudem. Sed neque illud vicissim dissimulabo, plura passim occurrisse congesta in tam vasta mole, quæ aut dubiæ fidei, aut confessæ videbantur novitatis; magnam inprimis Nummorum segetem ipsa locorum aut inscriptionum notatione quam oppido singularem. Et quidem erratum videbam frequentius in Græcis id genus monumentis vel tradendis vel explicandis; adjunctas certe iisdem interpretationes, nullum ferme usum Græcarum aut interiorum alias litterarum manifesto nimis arguere. Varia ejus rei exempla possem huc adferre, quæ subinde sese mihi ac dolenti quidem ingerebant, & quæ suo loco nonnunquam ac ordine, sed cum pace ejus viri, cujus ossa quiescant molliter, lectorum oculis subjiciemus. Sive itaque fatum illud sit omnium vastarum collectionum, in quibus vulgo πολὰ μὰν ἐσθλὰ, πολὰ δ' ὐλυγρὰ; sive ea sit consueta humani ingenii pluribus intenti imbecillitas; sive fucus ab aliis bono ac diligenti viro factus sit; sive nimio omnia vetera ac nova promiscue congerendi studio laborarit; sive revera majore animo ac labore improbiori, quam idoneo provisu priscæ eruditionis & solertiæ illius judicatricis instructus, rem tantam sit adgressus; illud certo mihi constat, quod nec fidem ubique decoquat, nec ubique mercatur, & in amplissima messe,

Infelix lolium ac steriles dominentur avenæ.

Unde etiam, si mei voti res esset, mallem ego à viris eruditis ac in litteris id genus subactis, spicilegia inde colligi bonæ frugis magna fide & cura, publico

uſui eximie profutura ; ex quo ſua Ligorio ſedulitatis ac induſtriæ laus maneret illibata ; quam ut tota illa qualis exſtat farrago promeretur ; quæ vel incautis poſſet imponere , avidis ad quamcunque ciborum novitatem ; vel etiam ut eſt ſæculi genius, auctoris ſui celebritati ac meritiſſimis alias laudibus haud parum valeret detrahere. Atque candidum hoc meum de immenſis laboribus Pyrrhi hujus Ligorii judicium , probatum quoque tuo calculo , citra ullam ejus contumeliam prolatum velim ; neque certe in alium finem , quam ut inde conſtet , quouſque fidei ejus ac auctoritati , quam maximam publica jam illi fama conciliavit , ſit tribuendum , de qua hic etiam quæſtio vertebatur , & forte ſæpius in proceſſu operis mentio erit facienda. Alterum vero hic monendum quoque videbatur , quod nihil traditum videam à viro doctiſſimo , de altera Nummi illius parte , qui iſtum Monocerota nobis repræſentat. Illud tamen valde fuiſſet opportunum , ut inde lux major adfulgeret , quando aut qua occaſione idem ille ſit percuſſus. Proximum eſt , viros doctos , ſed in id genus antiquitatibus parum exercitatos , ad Nyſam Indicam levi fundamento confugiſſe , & ad victorias ab Alexandro Magno de illa gente reportatas ; in quo haud difficulter Cl. Reineſio adſentimur. Multa quidem exſtant & teruntur manibus Procerum ac antiquariorum Herois hujus Numiſmata , proba illa quidem & genuina ; ſed quæ expeditionum ejus Indicarum meminerint , fateor me nondum reperiſſe. Et quum præter Nyſam hanc Indicam , plures alias , & quidem novem urbes ejuſdem nominis Stephanus Byzantinus commemoret , ſitas in Eubœa , Thracia , Cilicia , aliiſque id genus regionibus haud paullo vi-

lo vicinioribus, haud neceſſe fuit proinde dilabi ad ultimos terrarum Indos, & percuſſos inde Nummos accerſere. Accedit opportune, quod ceu antiquus ſit ac genuinus Nummus ille ab iis deſcriptus, ceu ad veteris alicujus normam novo ſignatus metallo certe, NYΣΣEΩN levi aut obvio errore legerint iidem, aut eum obtruderint, pro NYΣAEΩN. Occurrunt enim plures Nummi, quod etiam fugiſſe videtur virum doctiſſimum, & optimæ quidem notæ, cum hac inſcriptione NYΣAEΩN. Percuſſi illi vulgo ſub Hadriano, Pio, Marco, Commodo, Valeriano, modo cum Dei Luni effigie, modo cum Cerere in bigis ſerpentum, modo cum Quadrigis, aliiſque id genus ſymbolis. Ad quam vero Nyſam referri debeant, & an ad unam ſinguli an ad diverſas, non ita liquet: niſi quod plures illi, qui Luni effigiem repræſentant, Nyſæ Euboicæ transſcribendi mihi videantur. Colligebam id primo obtutu ex Nummo Valeriani, quem nuper cum ſelectis aliis vulgavit Cl. Seguinus, in quo eadem inſcriptio NYCAEΩN cum figura hujus Luni, infra vero Bovino Capite; quod ille ingenioſe ad varias bicornis Lunæ cum Tauro ſimilitudines, ego omnino ad Eubœam referebam, cujus ſymbolum paſſim in nummis noveram ſimile Tauri caput, & in qua Stephanus urbem Nyſam hujus nominis tradit exſtitiſſe. Quo ſpectare etiam memineram Nummos Magni hujus Alexandri, probos illos neque dubiæ fidei, cum adjunctis variis id genus ſymbolis Taurini Capitis, Sphingis, Roſæ, Pegaſi, quæ nempe ab Euboicis, Chiis, Rhodiis, Corinthiis, ſignatos eoſdem arguunt. Sed res patebit clarius ex ſequenti ſchemate, cujus priorem Alexandri Nummum Gazæ Palatinæ, poſte-

De variis Nummis Nyſæorum.

posteriorem Nysæorum Cl. Seguino acceptum ferimus.

Ad distinctionem itaque Nysæ Euboicæ ab aliis urbibus ὁμωνύμοις, additum familiare Insulæ symbolum Taurini capitis; sicut vulgo etiam in Nummis Urbium Siciliæ, tria crura notum regionis insigne solent denotare. Neque vero alias mirabitur quisquam in eo Græciæ tractu cultum hujus Luni, quem non apud Assyrios solum Carrenos, sed apud Græcos etiam ac Ægyptios familiarem, ex Spartiano liquet in vita Caracallæ. Haud aliter nempe ac mascula Venus vel virilis apud Cyprios colebatur, sub masculo itidem nomine Ἀφροδίτης, ut me docuit Servius, & juxta ejus glossam, *secundum eos qui dicunt utriusque sexus participationem habere Numina.* Unde & vicissim Bacchus ἀνδρόγυνος occurrit apud Suidam. Sed hæc alterius loci. An vero Nummus ille de quo agimus, descriptus à viris doctis cum Monocerote cornu cantharo inferente, (modo constaret de illius valore) ad hanc vel aliam Nysam referri deberet, haud ita possem adfirmare. Ob Bacchi tamen memoriam, Cantharo, ut volebat etiam Aldrovandus, abunde indicatam, eundem Thracum Nysæ eo casu lubentius imputarem, apud quos Liberi Patris

Ad lib. 11. Æneïd.

cultum

cultum familiarem, haud minus quam apud Nyſæos Indos, probant alia Nummorum monumenta illius tractus, cum iiſdem etiam Canthari aut reliquis ſymbolis hujus Dionyſii. Geminus inter alios Nummus Thraciæ Pautaliæ, in quo Lyæus ille cum Cantharo; ſicut alias fratri ejus Herculi Scyphum quoque ſuum varii Græcorum Nummi adjudicant, juxta divini vatis de eodem teſtimonium, *cui ſacer implevit dextram ſcyphus*. Sed magis adhuc faciunt ad præſentem Nummum illi, in quibus ut Monoceros hoc loco, ita alia animalia è cyathis id genus bibentia conſpiciuntur. Talis Nummus Ilienſium Mediceus, in quo hinc Commodi effigies, illinc Aquila bibens è cyatho, cum adſtante Ganymede & inſcr. ΙΑΙΕΩΝ. Hæc vero ſi non probant omnino Nummi, de quo agitur, antiquitatem, (quod neque hic intendimus ſtatuere) illud ſaltem evincunt haud incommode, neque illius inſcriptionem, neque ſymbolum etiam animalis cyatho cornu inſerentis, novum alias eſſe aut inſolitum in priſcis id genus monumentis; multo minus opus fuiſſe recedere adeo à lectione ΝΥΣΣΕΩΝ, aut ad alteram ΝΙΚΑΙΕΩΝ confugere, quum eandem iſtam ΝΥΣΑΕΩΝ præferant alias optimi & antiqui Nummi. Unde liquet etiam, quam minus adhuc ſit neceſſe, alteram illam conjecturam ΚΥΚΕΩΝ, ſeu de potu miſcello hic amplecti, cum ab omni uſu ejuſmodi inſcriptionum plus ſatis alienam, tum merito ab eodem viro doctiſſimo prolatam valde dubitanter. Alias plures quoque occurrunt Nummi ΝΙΚΑΙΕΩΝ, Nicææ nempe non Liguriæ ſed Bithyniæ, & (quod hic non minus appoſite) cum ſignato etiam Patris Liberi in iiſdem cultu; qui etiam περιπύτωρ illius urbis vocatur alicubi Dioni Chryſoſtomo. Addam & illud inſuper, haud novum Orat. XXXV.

esse, ut quotidie eruantur monumenta prisci ævi, & ipsius etiam Herois Alexandri, quorum altum alias apud veteres silentium; neque continuo proinde suspecta sit aut labans eorundem fides, ut colligere videbatur vir eruditissimus. An vero nulla plane mentio sit hujus Monocerotis apud Aristotelem, ut idem censet, nondum ita liquere mihi videtur. Dubium certe illud in ancipiti reliquit Cæsar Scaliger, annon eum forte nomine ὄνος ἰνδικὸς Μονοκέρως designarit Stagirita. Easdem certe legas Monocerotis vel Asini Indici descriptiones apud Ctesiam, Plinium, Ælianum, ut non diffitentur viri docti. Et quamvis quæ vulgo figura Monocerotis describitur, ab Asinina satis recedat, ut haud difficulter concedam Cl. Reinesio, nihilominus vel solus ille mugitus gravis seu asininus, quem illi tribuit Plinius, facile impellere potuisset Aristotelem, ut illi Asini Monocerotis seu Unicornis appellationem tribueret. Firmare id posset luculenter meo judicio exemplum Hippopotami superius adlati; cui cum alias figura ab Equina satis sit diversa, & magis ad Bovinam accedat, ob hinnitus tamen aut soni cum Equo similitudinem, Equi etiam nomen idem tribuit Aristoteles. Neque alias ignotum fuisse veteribus aliquem id genus Monocerota, non ex clarissimis solum apud Gentiles scriptoribus liquere videbatur, sed quod aliquanto majoris erat auctoritatis, ex prisca sacrorum librorum fide, certe ex gravi LXX Græcorum Interpretum testimonio, qui illud Hebræorum ראם constanter per vocem Μονοκέρως expressere. Hinc illa quoque Hebræorum traditio, quæ Monocerota Josuæ symbolum adsignavit. Unde & illud insuper colligitur huic loco maxime consentaneum, haud mirum certe fore vel insolitum, si expressa foret in aliquo Nummo veteri figura

vel

vel memoria hujus animalis. Equidem videas passim insolitas id genus feras aut minus obvias, ad memoriam posterorum, aut spectaculi novitatem, frequenter in iisdem consignari; quod jam indicavimus Hippopotami aut Rhinocerotis exemplo, & mox ulterius evincetur. Sed quæcunque tandem sit traditio de hoc animali, aut vi ejus salutari; quam hic in medio relinquimus, illud certe constat, male hunc Unicornem cum priori illo Rhinocerote confundi à tot claris scriptoribus, aut huic illud Hebræorum ראם secus tribui ab iisdem, quod viderunt jam eruditi. Alias vero non Unicorne, quod tamen innuebant vetusti illi Interpretes, sed Bicorne à Mose ac Davide describi hoc animal, & de Capra utroque cornu obvios feriente intelligendum, adserentem novi Cl. Bochartum in novissimo opere, quod ab erudito lectore consulendum. Et hæc obiter ad majorem quandam lucem, illius in qua versamur disquisitionis, nulla me cum viris doctis committendi prurigine, qua utique non laboramus; neque alias quadam de Nummo nobis haud inspecto certo aliquid statuendi fiduciâ. Sed vel ita illis & argumento simul fuit inserviendum.

HYÆNAM quoque solenni celebritate Ludorum sæcularium, Romæ conspectam, Philippi Senioris Nummi aliquot rariores repræsentant; quod alias ignotum Europæ animal tradidit Julius Scaliger. Præcipua nempe hæc fuit sequioribus sæculis, cum sæcularium, tum aliarum editionum munificentia, ut à peregrinis iisque ignotis ut plurimum animalibus, muneribus suis dignitatem ac famam conciliarent Editores; ubi Elephantum, Tigrum, Leonum, Leopardorum, Hippopotami, aliarumque belluarum Libycarum vulgaris jam voluptas evaserat. Hinc temporibus etiam

Com. in Hist. Anim. Aristot. VI. c. 32.

ſuis gloria ac celebritas quæſita. Vopiſcus, *memorabile maxime Cari, Carini, & Numeriani hoc habuere imperium, quod ludos Romanos novis ornatos Spectaculis dederunt.* Ita maxime Principum Natalibus feras inſolitas ex India aut Æthiopia præter Ægyptias vulgo accerſitas, cum aliunde, tum ex Euſebio liquet in Natalibus Maximini Cæſareæ celebratis. Idem de Prætoriis etiam aliiſque ludis legas aliquoties apud Symmachum; *Ludos Prætorios properamus, quorum ornatus peregrina deſiderat, ut novo cultu Romana ſplendeſcat editio.* Cujuſmodi inſolitas amphitheatricas voluptates eleganter deſcribit alicubi Calpurnius,

Hiſt. Eccleſ. l. VII. c. 6.

Lib. IX. Epiſt. 125.

Eclog. X.

Ordine quid referam? vidi genus omne ferarum,
Hic niveos lepores, & non ſine Cornibus apros;

& quæ plura id genus in ſequentibus commemorat. Alibi tamen CROCODILOS in præcipua hujus voluptatis parte apud Romanos exſtitiſſe, vulgato licet eorum adſpectu, liquet ex eodem Symmacho; *Præ cæteris autem quæ Romana ſpectacula deſiderant,* CROCODILOS *functio theatrālis efflagitat.* Ut non mirum proinde ſæpius in nummis Cæſarum expreſſam itidem figuram hujus animalis, alias haud ignotam; aut ejus imagine cum Nilum tum Ægyptum frequenter in iiſdem adumbrari, ut vidit jam olim Plinius. Res obvia ut cum aliunde, tum ex vulgatis jam Nummis Auguſti & Coloniæ Nemauſenſis, in memoriam ſubacti illius Regni.

Lib. X. Ep. 19.

Lib. XXXVI. cap. 2.

Neque

Neque vero piguit obvium alias & familiarem in Cimeliis ac libris antiquariorum Nummum huc adferre, ut inde illustretur Hesychius, cui explicatur vox δενδεί-της κροκόδειλος, qualem utique haud male videtur innuere Crocodilus iste palmæ adligatus; nec diffitetur, quem postea consului, doctissimus Bochartus in præfatione Hierozoi. Haud enim omnes fluviatiles seu è Nilo Crocodili, quamvis ob eos in Indo fluvio repertos, continuo Nili fontes in illo terrarum tractu, sed irrito labore, sibi investigandos crederet Alexander, uti narrat Arrianus. Equidem diserte alibi fluviatiles ac terrestres Crocodilos distinguit idem Hesychius, & diu ante illum Aristoteles, sicut jam monuerunt Viri magni. Tales utique, ut hoc addere mihi liceat, qui in antris & puteis, quo mansuescerent, apud Diospolitas Ægyptios educati, & præcipua quadam apud eos relligione culti, ut me docuit Stephanus Byzantius; cujus locus obiter adducendus est ac emendandus, εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλαι μικραὶ (nempe urbes dictæ Diospoles) ἐν Αἰγύπτῳ πόσαρες, ὧν ἐν τῇ μία πθασεύουσι ΚΡΟΚΟΔΕΙΛΟΥΣ, ἐν ἄλλοις δὲ φέρασι σέβοντες ΜΗΔΕ, ΤΟΥ ΠΟΤΑΜΟΥ ὑομβύους μηδ' εἰ σφόδρα λέγοιτο. Negantem audis aperte πλησίους fuisse, seu è Nilo Crocodilos illos Diospolitanos, quæcunque de iis in contrarium traditio exstaret. Ex quo loco præterea illustrandus, cum eruditissimus Clemens, qui Diospoli itidem apud Ægyptios in æde sacra præter alia expressum quoque Crocodilum narrat; tum sanctissimus Martyr Cyprianus, CROCODILI *& Cynocephali, & lapides & serpentes à vobis coluntur.* Non autem communis omnium Ægyptiorum Deus, sicuti reliqua illa animantia, quæ ut toti genti sacra recenset alicubi Geographus, sed juxta Ovem, Lupum, Simiam, aliaque id genus, topicus

In voce Κροκόδειλος.

In voce Διὸς πόλις.

Lib. v. Strom.

Ad Demetrianum.

Strabo lib. XVII.

In Jove Tragœdo. cus tantum quorundam Ægypti locorum, ut ex Luciano præterea discas; aliis Tentyritarum exemplo internecinum cum Crocodilis bellum gerentibus. Varia autem Crocodilorum apud Ægyptios nomina; neque unam speciem exstitisse, vel inde liquet, quod sicuti δενδελίνης Hesychio Crocodilus superiori nummo, ut videtur expressus, ita occurrebat mihi nuper apud Damascium in vita Isidori, Σοῦχις ὄνομα ἢ Κροκοδείλου καὶ εἶδος, *Souchis vero nomen & species Crocodili.* Unde emen-
Lib. XVII. dabam Strabonem, cui Σοῦχος idem vocatur, & quem apud Arsinoitas cultum docet. Illam enim terminationem in *is*, Ægyptiis familiarem cum aliunde novi, tum ex pleraque locorum ita desinentium apud eos terminatione, Stephano Byzantio frequenter indicata: unde Strabonis potius quam Photii Codices in ea voce emendandos liquet. At vero haud male ita dictos id genus Crocodilos liceret statuere, quod non in paludibus solum, sed etiam in antris ac speluncis, Diospolitarum exemplo, ut paulo ante è Stephano videbamus, alerentur. סכה *soucca* certe Hebræis, (quibus multa cum Ægyptiorum idiomate communia notarunt eruditi) antrum & spelunca, unde & *Succhæos* seu Troglodytas, inter militantes Ægyptiorum Regi
11 Chronic. XII. 3. Chronicorum auctori commemoratos, deducebat in suo Phaleg doctissimus Bochartus. Haud aliter vero ac Diospoli loco supra adlegato Stephanus, ita alibi quo-
In voce Ζάρηξ. que idem docet in fonte quodam Zareta prope Calchedonium mare, parvos id genus Crocodilos educari solitos. Cæterum vel ex superiori nummo, aliisque id genus sub Augusto, aut vero in celebritate sæcularium sub aliis Cæsaribus percussis, abunde liquet quanta fuerit hujus feræ apud veteres celebritas; unde & præcipua ludis Romanorum solennitas, & nobilissimo Re-

gno

gno insigne passim peti meruit. Unde & nobilis illius civitas Arsinoë, dicta urbs Crocodilorum, aliaque haud procul Thebis Ægyptiis, juxta Strabonem. Neque aliter Equi Thessaliam, Arabiam Cameli, Africam Leones ac Elephantes; Syracusas, Neapolim, Messinam, Tarentum, aliasque maritimas civitates Delphini designare solent, in Nummis eorundem locorum; ut præcipui nempe illorum vel fœtus vel accolæ. Ut jam mittam Hispaniam, cujus index veluti ac tessera Cuniculi; sicut liquet ex obvio Nummo, sedentis cum oleæ ramo mulieris & adstante Cuniculo, peculiari HISPANIÆ Symbolo. Qui Nummus optimus interpres *Cuniculosæ* Catulli *Celtiberiæ*; & mire insuper illustrat, quæ de nomine ipsius Hispaniæ, quasi à copia Cuniculorum deducto, ex lingua Phœnicum erudite observat doctissimus Bochartus, in præclaro opere Geographiæ sacræ. Sed hæc obiter, de quibus nempe agetur accuratius suo loco, ubi ad regionum ac Urbium illustrationes è Nummis petendas deveniemus. Ut vero in viam redeamus, à qua me tamen vix crederem aberrasse, HYÆNÆ, de qua paullo ante agebamus, contentæ in Nummis figura docere potest, quam cum Porco, unde illi nomen, communionem habeat: cujus inter alia, vis in Magicis præ reliquis olim animantibus celebrata, unde & in hanc rem Lucano *duræ nodus* HYÆNÆ commemoratur: quem locum perperam à viro magno ad Solinum explicatum alibi vindicabimus. Sed ferimus ægre, non esse jam nobis ad manus vel Nummos vel Icones inde depictas, cum figura sagacis hujus feræ, quam hic opportune lectorum oculis subjiciamus. Præter vero Auctores alios, meminit quoque Porphyrius in aureo libello, calliditatis Indicæ, quam vocat, Hyænæ; qua, humana voce simulata solet incautos opprimere. Lib. XVII. Lib. III. de Abstin.

Alias

Alias vero haud minus ex noſtro quoque Septentrione, quam ex Oriente aut Meridie quæſita tandem id genus ſpectaculis celebritas. Teſtes præ aliis ALCES, feræ olim Hercyniæ ſylvæ, quas ad amphitheatrales pompas à Gordiano cum pluribus id genus deſtinatas, Philippus ſucceſſor Ludis ſæcularibus exhibuit. Capitolinus; *Fuerant ſub Gordiano Romæ Elephanti* XXXII. ALCES X. *Tigres* X. *Leones manſueti* LX. *Leopardi manſueti* XXX. *Hyænæ* X. *Gladiatorum Fiſcalium paria mille, Hippopotamus unus, Rhinoceros unus, Archoleontes* X. *Camelopardali* X. *Onagri* XX. *Equi feri* XL. *Et cætera animalia innumera & diverſa, quæ omnia Philippus Ludis Sæcularibus vel dedit vel occidit.* Unde etiam inter Nummos Philippi ſæculares, aliquos cum Alce aut Cerva deſcripſerunt viri docti; neque tamen quod ſciam inde producta ejus icone. Unum videas apud Erizzo, cum figura inſoliti animalis; quod ille quidem, ut incertum & hirco ſimile contentus fuit obiter indicare, ego vero ad Alcem illorum temporum referre omnino non dubitarem.

Jul. Cæſ. lib. VI. Comm.

Occo pag. 447.

Multa ſunt quæ me movent, ut hanc fuiſſe veterum Alcem exiſtimem, de qua tot ſunt alias ac tam variæ ſcriptorum noſtri ac priſci ævi dividiæ, quas hic meas non facio. Neque vero illæ ſolum occurrunt de nomine aut

ne aut aliqua proprietate hujus animalis, ut paullo ante de Hippopotamo aut Rhinocerote videbamus, ſed de tota ejus figura; quam nempe alii Capræ, alii Jumento, alii Cervo, alii Mulæ etiam conſimilem faciunt. Contulit obiter inter ſe eas dividias, puta Julii Cæſaris, Plinii, ac Pauſaniæ, Magnus Solini interpres; neque quidquam præterea. Minus adhuc moror turbam reliquorum, qui non aliam vulgo Alcem, quam *Elend* dictam noſtratibus, nonnullis Magnum Animal volunt agnoſcere. Nec enim me illorum numerus junctæque umbone phalanges deterrent; quin feram hanc in ſuperiori Nummo depictam, pro vera veterum Alce auſim haud cunctanter venditare. Primum illud eſt, quod modo ex Capitolino conſtabat; nempe hac ſolennitate Milliaris Sæculi à Philippis celebrata, Alces quoque exhibitas. Inſcriptio autem Nummi hinc Philippum, illinc SÆCULARES AUGG. Patris nempe & Filii arguit, & memoriam ſpectaculi id genus Circenſis. Nec vero ad aliud iſte Nummus referri poteſt ſecurius, quam ad Alcem; ſi conſulas totam ſeriem deſcriptorum Animalium, quæ ut præcipuas eorundem Sæcularium celebritates, & diverſis data miſſionibus commemorat Capitolinus. Alterum, vix notam hactenus Romanis feram, quantum licet aliunde colligere, meruiſſe maxime ſignari ad recordationem illius feſtivitatis; ſicut de Rhinocerote ſub Domitiano; de Hyæna vero, Hippopotamo, Elephante, Crocodilo, Leone etiam, aliiſque vulgo jam notis, videmus ex eadem Nummorum penu contigiſſe. Certe ſequutis inde temporibus, inductas ſæpius ad ſpectacula Romanorum Alces, ut adſpectu & raritate ſingulares, docuit me præterea Calpurnius; ubi

inusitatas ac solennes Cari & liberorum ejus describit Editiones,

Ordine quid referam, vidi genus omne ferarum,
Hic niveos lepores, & non sine cornibus apros.
Manticoram, & sylvis etiam quibus editur ALCEN.

Per sylvas nempe, Hercyniam videtur innuere, quarum incolæ olim Alces, juxta Cæsarem. Tertium vero & præcipuum, occurrere non pauca in hac figura cum Alce veterum communia, in quantum patitur incerta & diversissima illorum de hoc animali narratio. Vides utique illius, juxta Cæsarem, ad primum statim adspectum, *consimilem Capris figuram & eandem magnitudine antecedentem,* imo etiam aliquo modo juxta Plinium, reliquam corporis formam à jumento haud alienam. Nam quod adsunt cornua & crura cum nodis & articulis, quæ in Alce Cæsar haud agnoscit, in eo liquet ex Plinio ac Solino, eum vel Alcen cum Machli illi haud dissimili confudisse, de qua isti tradunt nullum illum suffraginum flexum; aut vero fœminam cum mari
In Eliacis. miscuisse, cui priori solum cornua demit Pausanias. Nec mirum præterea, si de fera adhuc Romanis parum nota secus quædam, aut inter se diversa, antiquiores scriptores tradiderint; quod iisdem in aliis magis obviis accidisse, neque tu ignoras, & vel adlata paullo ante exempla Hippopotami, Rhinocerotis aliorumque id genus satis arguunt. Palmarium vero illud, quod Capræ haud absimilem Cæsar agnoscat, ac eadem majorem; quorum utrumque figuræ hujus adspectus satis meo judicio ante oculos ponit. Unde liquet etiam haud opus nunc esse emendatione illustris Salmasii, qui Capras hic apud Cæsarem in Capreas mutat; cum ad priores magis, quam ad posteriores accedat superior effigies. Neque illam mutationem evincit addita

mox

mox à Cæsare pellium varietas, quam præmissa ab eodem Capreæ figura per se satis indicasset; ut non fuisset necesse proinde Cæsari eadem distinguere, *habere consimilem Capris figuram, & varietatem pellium.* Alias apud Comicum, *Caprigenum genus*, de Capreis dictum videas, Plautus in Epidico.

qui varie valent
Caprigenum hominum non placet mihi, neque pantherinum genus.

Illud enim *Caprigenum genus*, de *Capreis* intelligendum non de *Capris* satis liquet, in quibus utique haud occurrit illa varietas pellium, ad quam adludit Comicus. Cur vero recentiores magnum suum Animal, seu Germanorum *Elend*, Alcis nomine indigitarint; aut eandem cum Alce veterum statuant, ipsi viderint. Nunquam certe feras tota specie, ut liquet, diversas in unam eandemque, sicut in unum nomen tam facile sociabunt; facilius certe, *jungentur jam Gryphes equis.* Vel sola insuper ab iis prolata iconum hujus feræ diversitas, in quantum iis fides sit habenda, satis arguit. Sed non scribimus hic Historiam Animalium, aut vero tantum nobis otii, ut de iis inter se, aut quod factu difficile, cum veteribus conciliandis, multum jam laboremus.

Alias selecta quædam è CAPRINO genere Animalia, neque vulgo obvia eadem antiquaria supellex nobis subministrat. Quamvis enim, quod tradit alicubi Plinius, in omnibus animalibus placida & fera reperiantur, CAPRÆ *tamen in plurimas similitudines transfigurantur*; dari enim Capreas, Rupicapras, Ibices, Oryges, Damas, & quæ plura hujus generis ibi commemorantur. Unum animal eodem referendum, neque superiori valde dissimile suppeditat Lib. VIII. cap. 53.

Tab. LXXX. nº. 1. nummus Ennæ urbis Siculæ apud Parutam, cum inscriptione ΔΑΜΑΤΗΡ in una, & ENNA in altera parte.

Cererem in priori Nummi area signatam non solum, sed inscriptam haud mirabitur, qui hanc Urbem Templo & simulacro ejusdem nobilem apud [a] Ciceronem, [b] Strabonem alioſque passim legit, & ista quidem apud Melam, *Famam habet ob* CERERIS *Templum* ENNA. Unde & ENNEA CERES dicta Claudiano,

[a] V. in Verrem. [b] Lib. VI.

Ennea Cereri proles optata virebat.

Lib. I. de Rapt. Proserp.

Neque Doricæ etiam dialecti causam in hac voce ΔΑΜΑΤΗΡ requiret, qui novit eam Siculis familiarem, nec aliam certe quærendam in urbe Syracusanorum Colonia, quos more consueto coloniarum, Metropoleos suæ Corinthi dialecto usos constat. Animal autem, quod exhibet aversa Nummi area, è Caprino simul ac Cervino genere satis arguit magnitudo instar Cervi, varietas pellis, Caprina cornua, barba seu villus è mento dependens, pedes denique bisulci. Quamvis enim nostrates Capreæ ac Damæ vulgo minores occurrant, at notum aliunde plures dari majores, & Cervo magnitudine pares. Tales utique Afrorum vulgares illæ *Gazellæ*, juxta vocem Arabicam, غزال, de quibus inter alios consuli potest Marmolius, Gallice nuper admodum

Vid. Steph. πτ. πολ.

modum conversus à Gallorum interpretum principe Ablancourtio, & firmant insuper aliæ voces, quibus promiscue Capream, Damam, & Cervum notant, ut liquet ex Arabum Lexicographis, & vidit etiam harum litterarum decus Samuel Bochartus. Neque etiam minores ex eodem Caprearum aut Damarum genere qui Veteribus *Hippelaphi*, *Tragelaphi*, & *Pygargi*, nuncupantur. Hippelapho certe seu Equi-cervo haud dissimilem figuram tribuit Aristoteles, formam nempe Equi & Cervi, unde illi nomen, jubam tenuem à capite ad armos, villum instar barbæ dependentem magnitudinem Cervi, Cornua Capris proxima, pedes bisulcos. Apud Arachotas autem, h. e. gentem Indiæ vicinam reperiri tradit, sicut Tragelaphum seu Hircocervum Plinius non alibi, quam juxta Phasin amnem, sed quem & in Syria & in Arabia etiam exstare author est Diodorus. At vero haud male quis ad PYGARGUM referre posset superiorem effigiem, quem ab albis natibus nomen hoc sortitum liquet, ut ex antiquo Juvenalis Scholiaste observarunt jam viri docti. Rationes autem hujus rei dari possent, prima quidem quod inter Caprearum etiam & Damarum genera à veteribus recensèantur, ut observarunt etiam viri doctissimi Gesnerus & Bochartus, & quidem à Plinio diserte loco supra adlegato, ubi de variis sylvestrium Caprearum generibus agit; *sunt & Damæ & PYGARGI & Strepsiceротes*. Unde eosdem etiam cum Capreis, Cervis, Hinnulis conjungunt Herodotus ac Ælianus. De priori mox videbimus. Posterior autem Ἄπλμα ἢ νεβροὶ καὶ πρόκες καὶ ζόρκες τε καὶ πύγαργοι· *Timida autem animalia sunt Hinnuli, & Cervi, & Capreæ, & Pygargi.* Altera, quod animal fuerit in Africa obvium, teste Herodoto; Καπὶ ἐὸν Νομάδας οὐδὲ ἐπὶ τετράων ἐδέν, ἀλλ' ἀλλὰ πάδε ΠΥΓΑΡ-

Lib. II. Hist. Anim. cap. 1.

Lib. VIII. cap. 33.

Lib. II.

Hist. Anim. l. VII. c. 19.

Lib. IV.

τοι, καὶ ζορκάδες, καὶ βυβάλιες, καὶ ὄνοι. *Quorum nihil apud Afros paſtorales eſt, ſed alia veluti* PYGARGI, *& Capreæ, & Bubali, & Aſini.* Nota autem vetuſta & continua Africæ & Siciliæ commercia, vicinia, linguæ communione, coloniarum frequentia introducta continuo & ſtabilita. Unde & cum aliarum rerum, tum animalium etiam rariorum facilis vectura, & ad rei memoriam, quod alias ſolemne, nummis etiam conſignari meruit. Hinc Plinius quoque Pygargos refert inter ea animalia, quæ *tranſmarini ſitus mittunt.* Non par autem hic vel Hippelaphorum, vel Tragelaphorum ſeu Hircocervorum ratio, quorum poſtremos multi, quamvis immerito, fabuloſis adnumerant. Si quis tamen malit figuram ſuperiori nummo expreſſam ſimpliciter è majorum Damarum ſeu *Gazellarum*, quas vocant, genere ſtatuere, quibus adhuc hodie Africam feracem conſtat, haud equidem reluctabor. At vero aliam rurſus CAPRAM haud vulgarem eique inequitantem nudum barbarum videas in ſequentibus nummis Himeræ urbis itidem Siculæ.

Capra

Capra hæc, ut cernis, cum prolixo cornu in tergum reflexo, in priori Nummo aure longa & demissa, jumenti instar sessorem ferens, & ad cursum comparata. Hanc autem continuo fatearis ex earum genere, quas in Oriente tradunt reperiri, cum longis auribus, & quidem palmæ longitudine, quibus jumenti aut cameli loco vehi soleant tenuiores homines, & quibus vulgo MAMBRINÆ aut CAPRARUM INDICARUM nomen inditum. De longis ac demissis auribus fidem faciet Aristoteles, ἐν ᾗ τῇ Συρίᾳ τὰ πρόβατα τὰς ἐρέας ἔχει τὸ πλάτος πήχεως, τὰ δὲ ΩΤΑ αἱ ΑΙΓΕΣ πήχεως καὶ παλαιστῆς, καὶ ἔνιαι συμβάλλεσι τὰ ὦτα κάτω ἀλλήλαις; hoc est juxta Gazam, *In Syria oves sunt cauda lata ad cubiti mensuram*, CAPRI AURICULIS *mensura palmari & dodrantali, ac nonnullæ etiam quibus inferne aures inter se coëunt*: quæ postrema minus recte expressit Gaza, *ac nonnullas demissis ita ut spectent ad terram.* Jumenti autem vicem præstare illas Capras docebit Leo Africanus, *Ego quondam juvenili fervore ductus horum animalium dorso insidens ad quartam milliaris partem delatus fui.* Clarius autem scriptor Italus apud Gesnerum, *Capra Mambrina in regione Damiata dicta, fert equitantem, sellam, frenum & catera quibus equi instrui solent, admittit.* Neque vero in Syria solum & vicinis locis, sed in Africa etiam reperiri tradunt Capras id genus, quas vulgo *Adimmayn* vocant, & quo referenda videtur superioribus nummis expressa, ob viciniam & commercia utriusque gentis Siculæ & Africanæ. Marmolio certe, luculento scriptori rerum Africanarum, describitur ADIMMAYN, animal cicur instar Arietis, vituli magnitudine, cum demissis itidem & longis auribus infantes sessores admittere, ac ultra milliare deferre. Quo referendum etiam proverbium Arabum doctissimo Bocharto

Lib. VIII. Hist. Anim. cap. 28.

charto commemoratum, *Capellæ post Camelas*, de anguſtia nempe poſt copiam; quod ubi Camelis ſolerent vehi, redacti ſint ad Caprarum vecturam. Neque vero eam omnino inſuetam aliis Gentibus, certe in ludis Equeſtribus & militiæ rudimentis, tyronibus ac pueris frequentatam ex Anthologia & Juvenali erudite jam obſervavit idem vir magnus modo laudatus. Ut non mirum etiam Hirco inſidentem videre Cupidinem in denario Gentis Fonteiæ. Pernicitatem vero ejuſmodi Caprarum, quam ſuperior videtur etiam arguere ad curſum incitata, vel ex Oppiano licet colligere,

De Venat. lib. II.

Αἰγῶν δ' αὖπε πόλυ θοώτατόν τε πανάγελα φῦλα.
Οὐ πόλλων τέτων οἴων λανίων τε χιμαίρων
Μείζονες, ἀλλὰ θέειν κραιπνοὶ θέαροί τε μάχεσθαι.

Caprarum vero etiam ſunt Oviumque admodum fera ſæcula. Non multo hiſce noſtris ovibus hirſutiſque Capris majores, ſed ad currendum pernices validæque ad pugnandum. Sic inter Capras ſylveſtres, Ibices mirandæ pernicitatis docet Plinius. Unicornem vero eandem Capram ſuperius depictam non mirabitur, qui vel Orygem Capreæ genus unicornu, vel Capras ſylveſtres ſeu Rupicapras cum uno cornu è media fronte ac dorſum verſus inflexo, in Carpatho monte, Segeſtana, Bulgaria reperiri obſervabit apud veteres aut recentiores Hiſtoriæ Animalium Scriptores; cujus generis etiam animalia vel *Reem*, vel *Carcand*, ceu *Charſan* Arabibus dicta docet ſupra laudatus Bochartus, quem conſulere poterit eruditus lector. Sic unicornu etiam animal in Æthiopia obvium deſcribit commemoratus aliquoties Marmolius, inſtar jumenti cum hircina barba, & cornu in media fronte longitudinis trium pedum. Sed en tibi adhuc ex eodem tractu duos Panormitanorum nummos,

Lib. VIII. cap. 53.

prio-

priorem cum utraque nummi area, posteriorem cum aversa tantum parte, quibus Damæ rursus aut Arietis genus peculiare signatum itidem occurrit.

Geminum priori Nummum possidet Gaza Medicea, & cujus signatum priori parte animal Arieti aut Hircocervo tribuebat eruditus ejus custos. Quod postremum firmare posset Bellonius, cui Tragelaphus seu Hircocervus animal sine barba cum cornibus Caprinis, sed retortis sicut Arieti, & cui præterea rostro, fronte, & auriculis Ovem referre traditur. Sed obstant præter alia, cum pili longi ac nigri, quos eidem, colli prona supinaque parte tribuit, ut barbatus videatur, ac insuper circa stomachum, armos, pectus, juxta eam quam producit effigiem; tum autem Plinii & aliorum diversa de hoc Tragelapho traditio, quæ nec Bellonii figuræ, nec superiori nummo expressæ potest competere.

Plinius ubi de Cervis egisset superiori capite continuo subdit: *Eadem est specie, barba tantum & armorum villo distans, quem Tragelaphum vocant, non alibi quam juxta Phasim amnem nascens.* Barbam itaque & armorum villum in Tragelapho agnoscit, unde illi nomen, cætera Cervo similem; alium proinde ab hoc Panormitanorum animali, quod sine barba & illo armorum villo, ac præterea cum cornu non Cervino, sed Arietis instar retorto. Aliud Hircocervi genus describit nobis Nicolaus Menardus; Animal nempe Cervo simile magnitudine, capite, ore, agilitate, pilis, cornibus autem in tergum reflexis inque extremo contortis, pedibus ingenti Hirco simile, & quod in remotis Africæ partibus reperiri tradit. At nec Arietinum aut Ovinum caput, nec varietatem pellium illi adscribit, quorum utrumque præfert superior nummus. Scilicet quemadmodum in Caprarum genere, aliæ ad Cervorum naturam ac formam accedunt, ita aliæ rursus ad Ovium figuram, cum quibus alias magna illi animali societas & communio intercedit; unde & communes Hebræis aliisque Orientalibus voces, quibus utrumque animal designatur. Ita *Musmones* in Sardinia reperiri observat Strabo, Arietes nempe quibus pilus Caprinus loco lanæ, Γίνονται ἐνταῦθα οἱ τρίχα φύοντες αἰγείαν ἀντ' ἐρέας κριοὶ, καλούμενοι δὲ Μύσμονες· *Nascuntur ibi Arietes, qui lanæ loco pilum ferunt caprinum, & vocantur Musmones.* Ne vero superius Panormitanorum animal idem cum hoc Musmone statuamus, (quod alias suadere posset Insulæ vicinia & ovinum ac arietinum caput) obstat rursus maculis distincta pellis, quæ non Capram sed Capream refert, & qua rursus Africanum Capreæ aut Damæ genus nobis adumbratur, etiam haud alienum ab iis animalibus, quæ vulgo hodie Barbariæ Damas indigitant.

Lib. VIII. cap. 33.

Lib. V.

Ne-

Neque dissimilis figura alterius Animalis superius etiam depicti cum cornu Arietino & Hinnuli seu Capreoli itidem pelle, pluribus maculis distincta, & à Venatore apprehensi, quale rursus Siculo Gelonis Nummo acceptum ferimus. Communis nempe aliis quoque animalibus illa cum Capreis aut Capreolis pellium varietas. Plinius alicubi inter Indiæ animalia refert, *Et feram nomine Axin, Hinnuli pelle pluribus candidioribusque maculis sacram Libero Patri.* Lib. VIII. c. 21. Agmen hic claudant postremo loco, tum peculiaris adhuc ARIES signatus itidem in Panormitanorum nummo, tum CERVA cornibus auratis insignis, obvia inter Saloninæ Gallieni Conjugis numismata.

Priorem haud dubito referre ad sylvestres illos Arietes, quales rursus apud pastorales Afros exstare tradit Herodotus; Καὶ βασσάρια, καὶ ὕαιναι, καὶ ὕστριχες, καὶ ΚΡΙΟΙ ΑΓΡΙΟΙ. *Et bassaria, & hyænæ, & hystriches, &* ARIETES AGRESTES. Lib. IV. In posteriori seu CORNUTA CERVA ne multum immorer, fecit Cl. Tristani diligentia, à quo jam observata, quæ peti ea de re poterant è poëtarum fabulis, puta Cerva Telephi, Herculis, Iphigeniæ loco substituta, quas χρυσοκέρως vulgo nobis describunt Sophocles, Euripides, Pindarus aliique. Quibus addi potest Phrixi Cerva juxta Valerium Flaccum, Tom. III. pag. 101.

Ipsa comes setis fulgens, & cornibus aureis. Lib. VI.

Nota autem lis, quam eo nomine Sophocli, graviſſimo alias auctori, intendit Ariſtoteles in libro de Poëtica, quod Cervæ nempe cornua tribuat, qui alibi Cervis feminis cornua demit. Atticis autem τῷ ἔλαφον, pro Cervo uſurpari, obſervarunt jam eruditi, atque ita quædam Ariſtotelis aliorumque auctorum loca, qui Cervis eo genere prolatis, cornua tribuunt, explicanda. Haud aliter nempe ac vel πάρδαλις, τίγρις, apud Græcos, vel *Panthera*, *Tigris* apud Romanos, aliæque familiares in Orientis linguis femininæ terminationes, promiſcue de utroque ſexu ſumuntur. Repertas tamen nonnunquam cornigeras Cervas teſtantur cum Gunterus in ſuo poëmate, tum Julius Scaliger, & poſtremus quidem ſuis temporibus ſervatum adhuc captæ id genus Cervæ caput.

Lib. III. de partib. Animal. c. 2.

Lib. III. Poët. c. 9.

Capreas vero aut Caprigenum genus, de quo paullo ante agebamus, excipere poterit PANTHERINUM, quod cum Caprigeno ob varietatem pellium, conjungentem ſupra vidimus Comicum. Varia autem hujus generis animalia ſignata occurrunt in antiquis Nummis, & iis maxime quibus Libero Patri comites adjunguntur. Notum quippe ſacras vulgo huic Deo, Tigrides, Lynces, Pantheras, & poſtremas inprimis, quas Bacchi proinde ſymbolum vocat Philoſtratus, πάρδαλις ἑ θεῷ σύμβολον, & in quas proinde converſas Bacchi nutrices vulgo fabulantur Poëtæ. Hinc Panthera juxta eundem Philoſtratum in Pamphilia reperta cum torque aureo, & Armeniis litteris REX ARSACES DEO NYSÆO. Nota etiam ratio ejus rei, petita ex natura & indole illius animalis, quod vino inprimis deditum narrant, unde & vinoſum vocatur Oppiano,

Imag. lib. 2.

Lib. II. de Vit. Apoll. cap. 1.

Lib. IV. Cynneg. v. 319.

Θηρσὶ φιλακρήπισιν ἐμήσατο παρδαλίεσσι.
Feris vinoſis excogitavit Pantheris.

Adeo

Adeo etiam ut non alia arte in eo capiendo utantur venatores, quam appoſito illi potu, ex quo continuo ſolet ebriari, quod fuſe narrat idem Oppianus, & firmant inſuper Arabum hiſtoriæ. Hinc mos ille Veterum in Bacchi ſimulachris Pantheriſcum ad pedes ejus ſtatuendi, in quem Deus ille vinum è Scypho effundit, quem dextra tenet, ſiniſtra autem Thyrſum; Docet id nos Herodotus agens de veterum verſatilibus ſcenis in quibus illo habitu depictum vulgo Bacchum tradit; ἐν μὲν τῇ ἀριστερῇ χειρὶ θύρσον καθέχων, ἐν δὲ τῇ δεξιᾷ Σκύφον· καθῆται. ὑποκαθίζεται δὲ Πανθήρισκος πρὸς τοῖς τοῦ Διονύσου ποσίν. & paullo poſt, ἐκ δὲ τοῦ Σκύφου οἶνον ἐγχυθήσεται ὅπῃ τὸ ὑποκείμενον Πανθήρισκον. *Siniſtra quidem manu Thyrſum tenens, dextra autem Scyphum. Adſidet vero ad Bacchi pedes Pantheriſcus &c. Ex Scypho autem vinum in ſubjectum Pantheriſcum effundetur.* Hunc autem morem luculenter illuſtrant varii nummi ſuperſtites, in quibus Bacchum eodem plane modo depictum adhuc hodie videas, & quibus luculenti commentarii vicem præſtat ſuperior locus, cujus ignoratione minus eoſdem adſequebantur eruditi antiquarii. Tres hujus generis, eoſque præclaros inprimis & luculentos hujus rei indices, ſignandos hic duximus.

Prior nummus cum inſcriptione DIS AUSPICIBUS ſub Severo percuſſus, & jam à Cl. Triſtano vulgatus, Tom. II. pag. 62. cui

cui ſimilem cum in Gaza Chriſtinæ Auguſtæ, tum alibi me vidiſſe memini. Exhibet autem hinc Herculem cum Clava, illinc Bacchum juxta Heronis deſcriptionem, ſiniſtra Thyrſum, dextra Scyphum tenentem, è quo in ſubjectum Pantheriſcum vinum effundit. Sed dum dubitat Triſtanus, an juxta Occonem, Canis ſit nummo illo expreſſus, an Tigris, an Leopardus, an Panthera, & eum tandem tanquam de Cane explicat, minus feliciter in ejus interpretatione verſatur. Plures alias occurrunt nummi apud eundem Triſtanum, qui Bacchum cum Thyrſo & ad pedes ejus Pantheriſcum exhibent, quamvis ſine Scypho. Alter vero ſupra expreſſus, & cum Bacchi habitu, Heronis deſcriptioni itidem conſentaneo, ab Abonoteichitis in Paphlagonia ſub Antonino Pio percuſſus, cujus ectypum Cl. Patini beneficio nunc primum vulgamus. Poſtremus vero Catinæ in Sicilia ſignatus, in Tabulis Parutæ occurrit, cum inſcriptione in anteriori nummi parte ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ. In eo autem ejuſdem moris veſtigium licet obſervare, Bacchum nempe vehiculo inſidentem cum bijugibus Pardis, ſiniſtra quidem Thyrſum, dextra autem Scyphum tenentem, è quo vinum non jam in Pantheriſcum, ſed in Pantheram aperto ore illud appetentem fundit. Ad quod etiam reſpexiſſe videtur Oppianus agens de Panthera.

Tom. II. p. 77. 207. 208. 236.

Lib. III. Cyneget.

Τὄνεκεν εἰσέτι νῦν οἴνῳ μέγα καγχαλόωσι.
Δεχνύμεναι στομάτεσσι Διονύσου μέγα δῶρον.
Qua cauſa etiam nunc vino valde exultant,
Capientes ore Liberi Patris magnum munus.

Unde etiam lucem fœneratur præclarus gentis Vibiæ denarius apud Urſinum, qui illinc Bacchum, hinc Pantheram exhibet cum Thyrſo, & Larvam inſuper Aræ impoſitam, ſolita Bacchi & Liberalium ſymbola; &

quo

quo ſpectat itidem alius denarius gentis Cariſiæ, cum ſimili fera ac Thyrſo. Neque vero etiam parum hæc illuſtrat ſequens nummus quantivis pretii, apud Cl. Patinum nobis inſpectus, & cujus ectypum eidem rurſus acceptum ferimus.

Percuſſus hic Nummus ſub Veſpaſiano, & quidem Nicomediæ, Metropoli Bithyniæ, ut liquet ex nummi inſcriptione, quæ præfert in priori parte litteras ΝΕΙΚΟΜ., in averſa autem quam expreſſimus Græcum nomen *Plancii Vari*, provinciæ illius Proconſulis. Hunc enim hujus Vari magiſtratum jam ante colligere mihi licuerat, ex duobus rariſſimis nummis, quorum alterum videram in Gaza Medicea, alterum in Muſeo Chriſtinæ Auguſtæ. Prior itidem cum capite Veſpaſiani, & in averſa parte cum Herculis inſignibus, Clava, Pharetra, Arcu, ac inſcript. ΛΑΝΚΙΟΥ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ, ſeu *Plancio Varo Proconſule*. Alter vero, quem ob attritas vetuſtate litteras legendum & explicandum mihi tradiderat antiquariorum apud vos princeps Franciſcus Gottifredi, Veſpaſiani itidem caput & præterea locum ſignati nummi ΝΕΙΚΟΜΗΔ. ſeu *Nicomedienſium* præferebat, parte autem averſa caput turritum & inſcr. . . . ΝΚΙΟΥ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ, hoc eſt rurſus, *Plancio Varo Proconſule*; ut exeſas aliquot ac fugientes in priori voce litteras haut difficulter ſupplebam, etiam ante viſum nummum Patinia-

nianum. Idem nempe hic Plancius Varus cum eo cujus Tacitus alicubi meminit, quem Prætura functum, Dolabellæ Othone mortuo accusatorem narrat exstitisse. Sed corrupte apud Tacitum *Plautius* pro *Plancius* hactenus vocatur, qui ex indubia trium, quos modo tradidi Nummorum fide emendandus venit; *Dolabella audita morte Othonis urbem introierat. Id ei* PLANCIUS VARUS *prætura functus ex intimis Dolabellæ amicis apud Flavium Sabinum Præfectum urbis objecit.* Ita & Tacito sua verba & huic Plancio suam gentem, qui in alienam irrepserat, restituimus. Diversæ enim Gentes seu Familiæ *Plancia* & *Plautia*. *Vari* autem cognomen multis Gentibus olim apud Romanos commune, ut Arriis, Attiis, Quinctiliis, Vibiis, aliisque, ac ut hic liquet, Planciis. Vides autem quibus artibus in Vespasiani gratiam irrepserit vir prætorius ac Bithyniæ, quod nummi superiores arguunt, sub eodem Cæsare Rector. Bithynia enim una è Populi Provinciis, ad quas regendas sub Proconsulis nomine mittebantur viri Prætorii, ut ex Dione constat, & qua de re alius occurret in sequentibus dicendi locus. Animal autem eodem nummo signatum, haud aliud quam Græcorum πάρδαλις, Romanis vulgo PANTHERA. Id utique satis arguit cum varia, & maculis distincta pellis, unde orientalibus נמר *Namer*, & *Variæ* Romanis dictæ eædem feræ, tum Cantharus ille, quem unguibus apprehendit, vinosis ut modo vidimus Pantheris apprime conveniens. Familiare insuper in Asia feræ genus, ac vel inprimis Caria & Lycia, ut liquet ex Agatharchide apud Photium, ac præterea ex Æliano, cui πάρδαλις, Καρικὴ καὶ Λυκιακὴ vocatur. Inde petita ejus in Romanis spectaculis celebritas & frequentia, de qua consuli potest Plinius; ut mittam Ciceronis eo nomine apud Cœlium accuratas

Lib. 11. hist. c. 63.

Lib. LIII.

Cod. CCI. cap. 35.

Lib. XVII. cap. 43.

ratas ac ſollicitas preces. Hinc in ſimilis forte editionis memoriam, ſub Varo Bithyniæ Præſide, eadem fera ſuperiori nummo à Nicomedienſibus ſignata, ſicut utique ſimili occaſione nobiles id genus feras huic memoriæ vulgo impreſſas vidimus. Neque enim Romæ ſolum, ſed paſſim in Provinciis, ac Metropolibus inprimis, theatricas id genus voluptates locum habuiſſe vulgo notum. Quanquam hac in parte, Nicæam Theatrorum voluptatibus, Nicomediam vero doctrinæ ubertate præſtantiorem tradat alicubi Libanius. Mitto vero illos, qui magnum inter παρδάλεις & Pantheras diſcrimen quærunt, quos prolixus Græcorum & Romanorum ſcriptorum conſenſus abunde refellit. Illud vero indicaſſe obiter haud ſupervacaneum puto, ita ſignari vulgo in nummis antiquis Pardos, aut Pantheras, vel Pantheriſcos, aut etiam Tigres, ut non continuo maculis illis diſtinctum corpus præferre videantur, quibus tamen vel virgatis juxta Tigres, vel orbiculatis juxta Pantheras, hæc animalia conſtat inſignita. Quod monetariorum incuriæ omnino tranſcribendum, qui nonnunquam minus accurate figuram horum animalium tradidere. Unde factum, ut vulgo antiquariorum etiam principes, obvia id genus in nummis animalia promiſcue ſoleant de Tigridibus, Pantheris, aut Leopardis etiam interpretari, ac Pantheras ut plurimum nobis pro Tigridibus obtrudere, ſicut aliàs eaſdem hodie Pantheras paſſim cum Leopardis confundi notum.

Tom. 11. de Vita ſua.

BISONTIS alias caput, bovis feri ac ſetoſi, neque inſueti etiam in Romanorum ſpectaculis, ut vel ex Xiphilino liquet, ex duobus nummis Andriorum memini protuliſſe in ſua Veſontione Cl. Chiffletium, præter alia Viri decora, his quoque ſtudiis excellentem.

In Severo.

In priori quidem Taurum vides cornipetam cum inſcriptione ΑΝΔΡΙΩΝ, quod de loco ſignati nummi accepit Chiffletius, in poſteriori vero caput Tauri feri ac jubati cum Lyra, utrinque autem Tridente, in altera autem nummi parte caput juvenile ſine ulla inſcriptione. An vero utroque illo Nummo Biſon ſit ab Andriis expreſſus, quod exiſtimabat Chiffletius, fateor haud mihi continuo perſuaſum: Equidem obvius & unicus quidem occurrit apud Goltzium nummus horum Andriorum, illinc cum Pallade, hinc cum ordinario Tauro ad victimam parato.

Nihil habet hic Taurus à vulgari diverſum & ab ordinariis iconibus hujus animalis, neque conſonum ſetoſis illis ac jubatis Tauris ſylveſtribus, quos Biſontes antiqui nuncuparunt. Accedit, mirum videri poſſe, quid huic Græcæ Cycladum Inſulæ commune ſit cum Biſonte, quem ſolum Hercyniæ ſylvæ & plagæ Septentrionalis hoſpitem Plinius, Solinus, aliique è recentioribus tradunt, niſi ſcirem in Thracia poni quoque

que ab Oppiano, & præterea Pausaniam de Bisontis æreo capite Delphos missō à Dropione Pæoniorum Rege, & posita illi è regione ab Andriis loricata Andrei conditoris sui statua, nonnulla quæ Chiffletius refert, commemorare: Alias vero in Pæonia, non Bisontem quidem, sed *Bonacum* aut *Bonasum*, Bovem itidem ferum & cum juba equina obvium refert Aristoteles, cui superior effigies posset eadem ratione adaptari, ni cornua in se flexa & contorta, acumine terram spectantia, cum Philosophus tum Plinius iidem Bonaso tribuerent. Luculentum Suidæ testimonium, optimi superioris nummi ac similium hujus Insulæ interpretis. Docet enim ille Minervam Taurobolum ab his Andriis cultam, occasione Tauri apud eos exilientis; ut postea vidi Nonnium quoque observasse, non indicato tamen Suidæ loco. Exstat vero ille in voce Ταυροπόλων, quem erit operæ pretium hic adferre. *Etiam Minerva Taurobolos in* ANDRO *colitur. Anthropius enim dato Atridis* TAURO, *jussit ubicunque is è navi exiliisset, ædem Minervæ condere, & sic eos prospera navigatione usuros. Ille vero in* ANDRO *exiliit.* Καὶ Ἀθήνα ἡ Ταυροβόλος ἐν ΑΝΔΡΩ. ὁ γὰρ Ἀνθρώπιος δὸς ΤΑΥΡΟΝ τοῖς Ἀτρείδαις, ἐκέλευσεν ὅπου ἂν ἐκ τῆς νεὼς ἅλητε, ἱδρύσασθαι Ἀθηνᾶν. Καὶ ἔτως διέπλευσαν. ὁ δὲ ἐν ΑΝΔΡΩ ἐξήλατο. Nihil hic ut vides de Bisonte, sed omnia de ordinario Tauro, plane ad fidem superioris Nummi. Neque etiam reperiri apud Andrios Bisontes, vel Pausanias, vel alii referunt, sed tantum missō aliunde Delphos capite æreo bovis illius feri ac indomiti, positam è regione ab Andriis sui conditoris, ad indicandam Viri ferociam ac robur, loricatam statuam. Sed ne in similem errorem inducat viri sagacis alias ac eruditi auctoritas, sciendum neutrum illum Nummum ab eodem productum, & paullo

ante expreſſum, ad Andrios vel ad Biſontem quicquam ſpectare. Prior, non quidem cum Tauro illo indomito, ut exiſtimabat, ſed cum Vacca & lactente vitulo, ad Apolloniam Illyrici urbem referendus. Dyrrachii enim & Apolloniæ ſolita illa ſymbola, utraque nummi parte ſignata. ΑΝΔΡΙΩΝ autem, non loci (quod in errorem induxit Cl. Chiffletium) ſed Prætoris aut Magiſtratus nomen, ſicut alterum ΘΕΟΦΙΛΟΥ, ſub quibus nummus percuſſus, & cui geminum plane cum iiſdem ſymbolis ac nominibus videas inter Apolloniæ nummos apud Goltzium. Omiſſas autem nonnunquam obſervo in utriuſque cum Dyrrachiæ tum Apolloniæ nummis ſolitas illas loci ΔΥΡ. aut ΑΠΟΛ. initiales litteras (quas præfert nummus Goltzianus) adſcriptis ſolum, præter conſueta inſignia, Prætorum nominibus ΑΝΔΡΙΩΝ, ΑΡΙΣΤΩΝ, ΑΓΙΑΣ, ΦΙΛΩΝ. & ſexcentis id genus. Utrumque autem ſymbolum, cum Vaccæ cum lactente vitulo, tum quadratæ Arculæ, ab antiqua patria ceu Corcyræis, quorum erant Coloniæ Dyrrachium & Apollonia, juxta morem deſumptum: ſicuti eadem omnino videas in nummis Corcyræorum apud Goltzium. Poſterior autem Nummus cum Tauri jubati capite ac pendente utrinque Tridente, ad Eubœam ſpectat, ut vel ex Goltzio liquet, aliiſque obviis nummis illius Inſulæ. Neque illi valde diſſimilis Delphorum nummus apud eundem Goltzium, inde explicandus (ſilet hic enim ut ſæpe Goltzii interpres Nonnius) quod Caryſtii ex Eubœa Bovem æreum Delphis dedicarint, auctore Pauſania: niſi hunc poſtremum ad Biſontis illud æreum caput Delphos tranſmiſſum à Pæoniorum Rege placeat lubentius referre. Videtur enim aliquid ferinum magis ac indomitum ſpirare, quam Euboicus ille Taurus à Chif-

Tabul. Græciæ II.

Thucidid. lib. 1. Plin.

Tab. 1. inſul. Græc.

Tab. IX. inſul. Græc.

In Phocicis.

Chiffletio pro Biſonte Andriorum productus, aut illius Inſulæ ſimiles apud Goltzium.

DRACONES etiam alatos & coronatos exhibent aliquot Nummi ſelectiores, de quorum cum Aquilis & Elephantibus pugna Nicander & Plinius meminere; & quos diverſos proinde ab iis intelligimus, quos alias Chamædracontes veteres nuncuparunt. Duos certe cum alatos, tum coronatos & barbatos Dracones videas currum ducentes in rariſſimo Trajani nummo Mediceo, quem ſignatum in Ægypto, ex ipſius nummi adſpectu, & additis aliis ſymbolis, liquet. Frequentes enim illos Nummos mitto, cum obvio eodem miniſterio, in quibus nempe mœſta frugum mater dracones vehiculum ducentes regit, plane juxta Claudiani deſcriptionem libris de Raptu Filiæ,

ſinuoſa draconum
Membra regens volucri qui pervia nubila tractu.

Volucres illi quidem vulgo, non autem alati, quales nempe Libycos Scorpiones alicubi deſcribit Geographus, πλωτὰς ſimul & ἀπτέρους, quorum etiam Lucianus meminit, niſi quod membraneas alas inſtar cicadarum aut veſpertilionum iis tribuat. Alatos tamen eoſdem Cereris dracones exhibent etiam nummi quidam ſelectiores. Utriuſque generis cum volucrium, tum alatorum ſimul hic habes ectypa.

Strabo lib. XVII. De Dipſaditas.

Alatos etiam ſerpentes non alibi, quam in Arabia reperiri tradidit jam olim Herodotus, cui vicinam addit Æthiopiam Joſephus. An vero fabuloſum ſtatuendum ſit omne hoc volucrium aut alatorum ſerpentum & Draconum genus, quæcunque veterum aut recentiorum occurrant ea de re teſtimonia, ipſi viderint, qui hoc ſibi diſquirendum putant. Lubentius certe referas in hanc fictorum claſſem, Draconem illum cum humano capite, qualem vidiſſe memini depictum in nummo quodam Amphipolitarum. Familiares nempe olim in Macedonia, cujus incolæ hi Amphipolitæ, Dracones, magnitudine ſimul ac manſueta natura ſingulares: ut de Pellæis obſervat Lucianus, & unde natam contendit illam fabulam de Olympiadis cum Dracone concubitu, & nato inde Alexandro. Cujus rei expreſſam videas memoriam cuidam Nummo ex eorum genere, quos vulgo *Crotoniatas* vocant Antiquarii, in quo Olympias in lectiſternio decumbit inter duos ſerpentes. Eo refert etiam Nonnius nummum Macedonum apud Goltzium, in quo mulier ſeminuda eſcam ſerpenti porrigit: quod vulgatum alias ſalutis ſymbolum in priſcis id genus monumentis. Neque diverſus à manſuetis illis Draconibus Ajacis Locrenſis Draco domeſticus ac cicur, inſtar canis illi adhærens, ut tradit

Lib. III.

Lib. XV.

In Pſeudomant.

dit Philoſtratus. Sacri quippe Dracones Heroibus, ut aliunde liquet ex Plutarcho in Cleomene. Iſte vero Draco Amphipolitarum humano capite ſingularis adhuc magis & mirandus. Si exſtarent hodie libri illi, quos de hac primaria Macedonum urbe Zoilum ſcripſiſſe auctor eſt Suidas, tum vibicibus illis, quas optimo vatum voluit inurere hic flagellator, libenter careremus, tum haberemus forte hoc ſymbolum magis explicatum. Neque ſic tamen diſſimulabo, illud me Oraculum facile credere illius loci, quo miniſterio frequenter videas functos id genus Æſculapios an Apollines, genuinos ſcilicet & fraudulentos. Hinc apud Delphos Draco ſub Tripode vocem edens juxta Lucianum, ſicut alias ab Æginetis Tripos aureus ad eoſdem miſſus inſiſtens ſuper tricipitem ex ære ſerpentem. Hinc plures etiam illi Nummi, in quibus occurrunt Tripodes Dracone vel ſerpente involuti, ſicut Troadis, Nicomediæ, Amaſtrianorum, Myndiorum, Lylibæi, Crotonis, aliorumque locorum; aliquando etiam ſupra Tripodem erecti. Neque enim illa Pithii ſolum ſerpentis vulgaria ſymbola, ſed domeſtici etiam illarum urbium vates, quos videas in Auguſtis Cimeliis Chriſtinæ, Palatino, ac Mediceo. Quo ſpectat eximie mos ille Arabum, quem refert Philoſtratus; qui à brutis animantibus captabant auguria, Draconum corde vel hepate in cibis adſumpto. Ut illum etiam Draconum in veterum auguriis uſum haud immerito obſervatum ab Origene videam in præclaro opere contra Celſum; ὁ δὲ Δράκων ἐπεὶ καὶ τούτῳ χρῶνται τῷ ζώῳ οἱ οἰωνοσκόποι, *Draco autem, quandoquidem & illo animali utuntur Augures.* Apollo nempe idem cum Æſculapio, juxta Macrobium, hinc ſacri utrique Dracones ac ſerpentes, & proinde iidem modo vaticiniorum, modo ſalutis ſymbola, in priſcis

De vita Apoll. lib. VII.

In vit. Apoll. lib. I. cap. 4.

priſcis id genus monumentis. Immo hinc alter Draco ille, χρησμὸς etiam ἀνάφωνος; cujus caput è linteis humana itidem ſpecie, arte cujuſdam impoſtoris Alexandri, non ſuis ſolum Paphlagonibus, ſed Romanis etiam aliiſque mire illuſit aliquandiu. Legiſti procul dubio non ſemel apud Lucianum lepidam renati illius Æſculapii narrationem; quam præclare certe illuſtrat nummus alicubi à Goltzio deſcriptus, ΑΒΟΝΟΤΕΙΧΙΤΩΝ ΓΛΑΥΚΩΝ; unde corrigendi Luciani codices, in quibus ΓΛΥΚΩΝ, novus ille non jam Epidaurius, ſed Paphlagonius Draco nuncupatur. Abonoteichus enim ceu Aboni Murus vel Caſtrum urbs Paphlagonum haud obſcura, & Luciano in hac hiſtoria ſicut Suidæ aliiſque, τὸ Ἀβώνου τεῖχος, Patria callidi impoſtoris, & ſedes præclari ſcilicet Oraculi. A duabus autem illis vocibus Ἀβώνου τεῖχος, ceu Aboni Caſtrum (frequenter enim pro Caſtro ſumi hanc vocem etiam aliunde liquet) factum gentile nummo expreſſum Ἀβωνοτειχίτης, vel ut in aliis Ἀβωνοτειχείτης, ſicut vulgo promiſcue hæc ſumi ſupra monuimus. Haud aliter nempe ac ab Ἀγοραίου τεῖχος, (quod male apud Stephanum Ἀγοραῖον) item Γορδίου τεῖχος, Ἐλαίου τεῖχος, Helleſponti quoque ac Lyciæ Arcibus, aliiſque id genus, deducta itidem gentilitia Ἀγοραιοτειχίτης, Γορδιοτειχίτης, Ἐλαιοτειχίτης. Sed mereamur ulterius de venuſtiſſimo ſcriptore, & illo ſimul, quod præ manibus nobis eſt argumento. Memineram ſcilicet, me ſingularem loci ejuſdem Nummum, & ad hanc forte hiſtrioniam referendum, adnotaſſe inter alios rariores illuſtris Urbis Antiquarii Franciſci Gottifredi, qui jam Chriſtinæ Auguſtæ Gazam exornant. Non anxie mihi fuit laborandum, ut illius iconem & plurium aliquot rariorum ab obvia viri comitate jam abſens impetrarem; quibus

In Pſeudomant.

quibus nova hujus operis editio ornatior in lucem prodiret, & ego iisdem Nummis aliquam lucem vicissim impertirer. Exhibet vero iste, de quo jam agimus, hinc ANTONINI PII effigiem, illinc duos serpentes, quorum alter jacentis caput lambit aut mordet, & inscript. ΑΒΩΝΟΤΕΙΧΕΙΤΩΝ.

Vides hic ejusdem urbis Nummum cum altero quem descripsit Goltzius, signatum quoque circa eadem fabulosi hujus Oraculi tempora. In eo tamen diversi, quod Goltzianus nomen renati hujus Æsculapii ΓΛΑΥΚΩΝΟΣ nempe habuerit signatum, quale illi à Luciano tribuitur, unum præterea serpentem in gyrum involutum, iste autem modo expressus duos exhibeat Dracones aut serpentes, non addito ἀὐλοφώνῳ illius Oraculi nomine. Equidem geminum Goltziano nummum adservare quoque videas Gazam Eminentissimi Cardinalis Barberini, cum uno scilicet serpente, sed citra eandem Glauconis appellationem, licet alias percussum itidem sub Pio, & cum eadem inscriptione ΑΒΩΝΟΤΕΙΧΙΤΩΝ. Neque vero hoc dissimulandum, referri à Luciano hujus histrioniæ narrationem ad M. Aurelii tempora, cui bello Germanico cum Marcomannis & Quadis depugnanti, redditum ab hoc impostore oraculum refert, & insuper ab eodem Pseudomanti adscitum generum Rutilianum, per eadem Marci tempora celebrem. Omnes autem hi nummi ab Abonotei-

noteichitis percussi, ceu cum uno, ceu cum duobus serpentibus, Goltzianus nempe, Barberinus, & quem modo protulimus è Regia Christinæ Gaza, non Marci sed decessoris Pii vultum præferunt. Talis etiam alius Musei Patiniani in superioribus à nobis exhibitus, & cum Bacchi effigie ab his Abonoteichitis itidem sub Pio Cæsare signatus. Sed nihil hic Nummus ad eam, de qua Lucianus meminit, histrioniam, aut nummorum ejusdem loci & ætatis, qui serpentes exhibent, illustrationem. Unde fide maxime Goltziani nummi, qui Glauconis nomen præfert, omnino videtur statuendum, incepisse jam sub Pio hanc histrioniam, quæ sub Marco tandem incrementa & exitum habuerit. Illud utique colligas ex tota Luciani narratione, per multos annos fabulam illam egisse, Pseudomantin Alexandrum, eumque demum prope septuagenarium, & orbi adhuc cum suo Glaucone illudentem, è vivis discessisse. Cur vero superiori Nummo ibi expresso, haud unus jam ille renatus Æsculapius, sed duo serpentes occurrant; aut cur unus desuper alterius jacentis caput lambat quasi aut sugat, equidem haud facile licet divinare? Dracones quidem Pellæos, non solum immani magnitudine, sed ita mansuetos & familiares narrat in hac ipsa historia Lucianus, ut infantum etiam more lac è papilla sugerent. Ex horum autem genere erat Draco ille, futurus brevi Tutelaris Abonoteichitarum Æsculapius, paucis utique obolis Pellæ à præstigiatore illo Alexandro redemptus. At vero hic jam non mulierem, sed alterum sibi haud dissimilem serpentem lambit capiti ejus instar ἐπῳδῆ cujusdam, ut mihi quidem videtur, applicitus. Notus vero ac sæpe priscis traditus ille ἐπῳδῶν mos, incantationes ad vulnerum curationem auribus vulgo insinuandi, ac ut Arnobius loqui-

loquitur: *Sonos auribus infundere dulciores, non medicinam vulneribus admovere.* Unde ſalutares id genus ἐπῳδαὶ, ceu ad aurem incantationes, ad animæ quoque & affectuum curationem tranſlatæ à Zamolxide, & ejus exemplo cum à Socrate tum à Zenonis ſequacibus dogmata ſua ſeu Oracula ita inſinuare ſolitis, ut de prioribus frequenter apud Platonicos legas, & eorum Magiſtrum, de poſterioribus vero ut alios mittam, vel fidem faciet Satyricus Lib. 1.

Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto.

Hinc tranſlatæ eædem à ſacris Oratoribus ad ſalutaria ac divina Oracula credentium auribus percepta aut percipienda, quibus & Chriſtus ipſe ἐπῳδὸς nonnunquam, ut Clementi, & Oracula ejus inſtar ἐπῳδῆς cujuſdam per aures ad animæ curationem demiſſa, ut non ſemel Chriſtianorum Tullio vocantur. Immo, quod huc inprimis facit, notum iis qui ſcriptores antiquos verſarunt, habitos vulgo ſerpentes cum ἐπῳδαῖς illis ſeu incantationibus obnoxios, tum eoſdem etiam aures lambendo vaticinandi peritiam inſpirantes. Prius quidem, cum ex Davidis, tum ex Orphei, Ariſtotelis, aliorumque teſtimoniis, ac Marſorum aut Ægyptiorum more vulgo eruditis notum. Hinc nempe ſurda Aſpis & aurem obturans dicta Regio Vati; *Sicut* ASPIDIS *ſurdæ obturantis* AUREM SUAM, *ne muſſitantium aurem audiat, & divini incantationem verbi.* Poſterius autem Heleni & Caſſandræ exemplo docent Græci Poëtarum Interpretes, ac inter alios Euripidis ſcholiaſtes, Ἐλθόντες ὄφεις καὶ τὰ ἀυτῶν περιλείξαντες ὦτα ὀξυηκόους εἰργάσαντο ὠτιμόνους τὰς τῶν θεῶν ἀκοὰς βυλὰς, καὶ μάντεις ἀκρους εἶναι. *Accedentes* SERPENTES *& eorum* AURES CIRCUMLINGENTES, *auditum illorum adeo exacuerunt, ut ſoli conſilia Deorum audirent, &* PRÆSTANTISSIMI Lib. v. Pædagog. Chryſoſtom. Orat. LXXIV. in Baptiſm. J. Chriſt. Pſ. LVIII. v. 6. In Hecubam.

VATES *evaderent.* Ita etiam, ut hæc jam ad Nummi noſtri interpretationem conferamus, gemino ſymbolo expreſſi; in eo duo ſerpentes occurrunt, quorum alterum jacentis capiti admotum, hanc illi non ἐπῳδὴν adeo, quam vaticinandi peritiam inſpirantis vicem præſtare videas. Famam ſcilicet de proximo Apollinis & Æſculapii adventu apud Abonoteichitas commoverat præſtigiator ille Alexander, & ſub tempus illius Epiphaniæ utriuſque nomen & laudes decantabat, ut tradit in hac hiſtoria Lucianus. Apollini autem non minus ac filio Æſculapio ſacri ſerpentes, immo idem ille cum Æſculapio, ut ſupra videbamus. Unde etiam ab illa utriuſque communione eundem Apollinem, ut verum quoque Ἐπῳδὸν deſcribit Dio Chryſoſtomus, nempe ὑγείαν ἐμπνέοντα τῇ ψυχαῖς καὶ σώμασιν, *ſalutem inſpirantem animabus & corporibus.* Ex quibus jam liceat mihi colligere, percuſſum hunc nummum ab Abonoteichitis, quo illo ſymbolo utrumque Deum mox adventurum adumbrarent, Apollinem nempe Æſculapii filii aures lambendo, vaticinandi peritiam illi inſpirantem, qua proſpiceret civibus, & felicis adventus, ac divinitatis ſuæ fidem omnibus faceret. Plana utique ex ſuperioribus omnia, & cum Luciani, ut mihi quidem videtur narratione apprime conſentanea. Quo & commode referri poſſunt, quæ de Melampode tradunt varii auctores, ac inter alios Plinius: *Qui credit iſta & Melampodi profecto* AURES LAMBENDO *dediſſe intellectum avium ſermonis* DRACONES *non abnuet,* quod à Cæſare inverecunde contendebat; ut nempe Nummis imprimeretur cum ſua, tum Draconis ſui effigies; καὶ ΝΟΜΙΣΜΑ καινὸν ἐγκεχαραγμένον τῷ μὲν Γλαύκωνος, τῷ δὲ πατρὸς αὐτῷ Ἀλεξάνδρου: alibi vero traditur, eundem Deum Glauconis nomine divinitus inſignitum, ima-

Orat. XXXVII.

Lib. x. cap. 49.

In Pſeudomant.

imaginibus & simulacris, cum æreis tum argenteis expressum; γραφαί τε ἐπὶ τέτῳ, καὶ εἰκόνες, ἢ ξόανα τὸ μὲν ἐκ χαλκοῦ, τὸ δ' ἐξ ἐλέφαντος εἰκασμένα, καὶ ὄνομα γε τῷ θεῷ ἐπιθεῖν γλαύκων (non γλύκων.) Neque ab hoc commento insignis istius impostoris abludens quoque illa capitis imberbis effigies, reliqua in serpentem desinens, eumque in multos gyros circumflexum, in nummo Nicomediæ signato sub Caracalla, quem vulgavit Tristanus, & qualem etiam possidet magnus horum studiorum fautor & admirator Durlacensis Marchio. Ut apposite vero hoc loco Tutelares istos & præsides Oraculorum Dracones pergamus illustrare, non novum jam aut fictum cum priori illo GLAUCONE, sed verum, si Diis placet, re ac nomine ÆSCULAPIUM repræsentat nobis alius non minus insignis Nummus ejusdem Cæsaris ANTONINI. Mole certe, elegantia, raritate inter primos ille numerandus, & luculentum Bracesiani Cimeliarchii ornamentum; cui geminum quoque exstat in divite illa gaza Cardinalis Buoncompagni.

Præclarum utique, mi OCTAVI, Majorum vestrorum & Urbis Æternæ monumentum; quod notam alias ex Livio, Ovidio, Valerio, Plinio, Claudiano, aliisque Epidaurii hujus hospitis narrationem tam venuste

repræsentat: qui Romam scilicet Epidauro valetudinis causa accersitus Draconis effigie, Urbi salutem, Tiberinæ vero Insulæ nomen simul attulit ac tutelam. Sacra enim non solum inde Æsculapio hæc Insula, ut notum, Græcis quoque ΑΣΚΛΗΠΙΟΥ ἱερὰ, sed eadem ÆSCULAPII Insula, vel, quod idem, Pæonii aut Epidaurici Serpentis vulgo nuncupata. Unde jam in posterum non peregrini Medici, sicut Toxaris apud Athenienses Divis eo nomine adscriptus, sed quasi indigenæ vicem Urbi Æternæ præstiterit hic Medicorum Parens. En vero ibi Templa, Pinus, Tiberis, Insula, Anguis seu Draconis sedes ac Nomen, luculentus denique Poëtæ Commentarius,

Dionys. Halicarn. lib. v.

Lucian. in Scytha.

Ovid. Metam. lib. xv.

Scinditur in geminas partes circumfluus amnis
Insula nomen habet, laterumque à parte duorum
Porrigit æquales media tellure lacertos.
Huc se de Latia pinu Phœbeius anguis
Contulit: & finem specie cœleste resumpta
Luctibus imposuit: venitque salutifer Urbi.

[a] Lib. III. cap. 22. [b] Arnobius lib. VII.

Quo respexit etiam præter [a] Augustinum de Civitate Dei, [b] Africanus alter, qui ex Epidauro nihil aliud adlatum, nisi magni augminis colubrum ridet, alibi vero ÆSCULAPIUS *inquitis Epidauro bonis Deus valetudinibus præsidens, & Tiberina in Insula constitutus.* Salutares nempe vulgo Deorum, sed maxime hujus Æsculapii Epiphaniæ, qui raro quidem, sed nunquam sine magno ipsorum bono visus Epidauriis, ut narrat in hac fabula Valerius, scilicet

Præsentes aliquid prosit habere Deos.

Unde ΣΩΤΗΡΟΣ etiam illi nomen in nummis eorundem Epidauriorum sub eadem Draconis forma tributum videas, sicut in alio ΚΩΙΩΝ ΔΡΑΚΩΝ. Quo spectare etiam observo Nummum mole & magnitudine

ne

ne singularem, inspectum nobis haud ita pridem in opulenta Christianissimi Galliarum Regis penu antiquaria, signatus ille Alexandri Severi ætate, cujus vultum præfert, & in aversa parte, serpentem cum Ara & Arbore, ac inscriptione ΕΠΙΔΑΥΡΙΟΝ. Neque vero mirum, si modo Draconis, modo serpentis Epidaurii nominibus designetur. Haud enim serpentis solum, sed peculiares etiam Draconis notas præferre nonnunquam videas, barbam puta, palearia & coronam cristatam, sicut in sequenti denario gentis Aciliæ. Haud insuetum vero huic salutari Deo, sua quoque præsentia alias beare civitates, liquet ex Philostrato in vita Apollonii, & Coorum Nummis aliorumque locorum, in quibus idem ΣΩΤΗΡ inscribitur. Ut non mirum proinde, si laboranti Urbi Æternæ suam quoque operam præsens ac manifestus benigne voluit impertiri, quæ à Roma hujus Æsculapii filia nomen suum derivabat, juxta Marinum Lupercaliorum Poëtam, ut docet alicubi Servius. Unde quoque haud aliam mercedem navatæ operæ, quam in eadem stabilem sibi sedem, & quidem extra ægrorum turbam voluit deligere. Ut ita Plutarchus hinc lucem mutuetur, qui Æsculapii fana Romæ extra urbem (sicut in hac Insula) apud Græcos vero in locis puris & sublimibus docet exstitisse. Multo minus adhuc Draconis speciem, in eodem hospite Epidaurio mirabitur; qui hanc illi familiarem videt passim in iisdem nummorum monumentis. Dracones nempe omnes sacri Æsculapio, ut observat Pausanias; si tamen excipias illum Erichthonium, quem Athenis ad pedem Minervæ simulacri exsculptum alibi idem Pausanias refert, & firmat quoque præclarus nummus Athenienſium Mediceus, qui idem illud Palladis signum cum jacente ad pedes Dracone repræsentat.

Lib. 1. c. 5.

Ad Eclog. 1.

In quæst. Rom.

In Corinthiacis.

In Atticis.

tat. Unde & huic Deæ Draconem ſacratum ſtatuit ali-
De Iſide. cubi Plutarchus, quem Apollini alias ac barbato ejus filio vulgo adſerunt priſca hæc monumenta. Sed mirare mecum obiter fatum illius Inſulæ ſerpentis Epidaurici, ut quæ ſalutis quondam ara & ſedes Romanis exſtiterit, eadem poſtea, ut ex Sidonio liquet aliiſque, ſub Chriſtianis Imperatoribus rei capitalis accuſatorum carcer exſtiterit & carnificina. Plures vero mitto aliarum urbium Tutelares id genus Dracones & Pſeudomantes, qualis etiam Lanuvinus ille, obvius vulgo in denariis Gentium Romanarum, & de quo Propertius,

In Inſulam conjectus eſt ſerpentis Epidaurici.
lib. 1. ep. 7.

Lib. IV. Eleg.

Lanuvium annoſi vetus eſt tutela Draconis.

Neque minoris erit pretium operæ, referre in hunc cenſum Draconem alium, illo vel Paphlagonio vel Epidaurio vix minus ſingularem; quem ex præclaro SEVERI Nummo deſcripſit quidem Erizzo, ſed ita ut nec ſenſum nec locum ſignati Nummi ſit adſequutus.

ΠΑΥΤΑΛΙΑ hæc Urbs Thracum, non vero incerta aliqua Græciæ Provincia, ſed quæ corrupte apud Stephanum alioſque παυταλία, vel παυταλία legitur: unde cauſam crederem ignorantiæ nobilis Antiquarii, niſi hanc viderem ejus frequentem in tradendis Græcis nummis infelicitatem. Occurrunt vero alii quoque ejuſdem urbis inter Nummos cum M. Aurelii tum Getæ;

tæ; inscript. ΠΑΥΤΑΛΙΩΤΩΝ; unde corrigendum iterum Stephani παυταλιώτων. Dicta quoque eadem urbs ULPIA PAUTALIA ab ævo Ulpii Trajani; sicut id rursus constat ex præclaris aliquot Nummis, signatis in honorem Faustinæ Junioris & Caracallæ, cum inscript. ΟΥΛΠΙΑC ΠΑΥΤΑΛΙΑC, quales & in Gaza Medicea, & in Regia Parisiensi, & in Museo Cl. Seguini mihi vidisse contigit. Geminum quoque notabam nuper in nummo Getæ apud Leonardum Agostini celebrem Urbis Antiquarium, in quo Aquila cum fugientibus ac exesis litteris, quales tamen adsequebar ΟΥΛΠΙΑC itidem ΠΑΥΤΑΛΙΑC. Ea nempe ratione, qua alia ejusdem Thraciæ urbs *Topirus*, & Daciæ *Serdica*, & præterea *Nicopolis*, *Anchialus*, *Mitylene*, aliæque nobiles civitates, ULPIÆ itidem vocantur in selectis aliquot Nummis Severi, Caracallæ, Getæ, Gordiani & aliorum: ΟΥΛΠΙΑC ΝΙΚΟΠΟΛΕΩC; ΟΥΛΠΙΑC ΤΟΠΕΙΡΟΥ; ΟΥΛΠΙΑC CΕΡΔΙΚΗC; ΟΥΛΠΙΑΝΩΝ ΑΓΧΙΑΛΕΩΝ, & ΟΥΛΠΙΑC CΕΟΥ. ΜΥΤΙΛΗΝΗC. Sed de hac appellatione & loco obiter. Sicut vero alii Nummi hujus urbis *Pautaliæ* modo adlegati, vel Patrium Amnem, solita cultum ab accolis religione; vel Bacchum cum thyrso & cyatho; vel Cybelen leonibus vectam, grata & solennia Thracum Numina, repræsentant; vel Salutem quoque familiari symbolo, serpente involutam, cui escam porrigit; ita iste supra depictus Draconem, tutelarem scilicet loci Genium, haud minus quam alii superiores nummi ante excussi, omnino videtur mihi arguere. Magnitudine certe ille simul & spirarum flexu magis adhuc admirandus, & lingua exserta quasi alter Glaucon, ad fundenda itidem Oracula accinctus. Huc facit quoque Dracon alter, plures ingens gyros, in vicina *Tomo* Ponti

In Gaza Christin. Augustæ.

Metropoli; quem repræsentat Nummus Gordiani Mediceus, cum inscript. ΤΟΜΕΩϹ ΜΗΤΡΟ. ΠΟΝΤΟΥ. Neque diversus alter sinuans immensa volumina, in rarissimo Nummo *Marcianopolitarum*, cum Severi Alexandri & Mammææ capitibus, in priori nummi parte,

In Cimelio Regin. Sued.

Ὡς ἢ Δρόμων βλοσυρώπης ἑλίσσεται ἀγκύλος ἕρπων.

Geminum quoque eidem vidi exstare in Regia Gaza Parisiensi, cum effigie Caracallæ & matris itidem Juliæ Domnæ ac inscriptione ΕΠΙ ΚΥΝΤΙΑΙΑΝΥ ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Marcianopolis* vero Mysiæ secundæ, seu unius è sex Thraciæ Provinciis juxta Ammianum civitas, à Marciana Trajani sorore ita cognominata. Paria vero cum ejusmodi Dracone facientem suppeditabat eadem Regia Gaza, in Nummo *Hadrianopoleos*, alterius Thracicæ Provinciæ, signato itidem Caracallæ temporibus, cui similem apud Cl. Patinum inspexi, sicut & haud vulgarem *Dionysopolytarum*, quem præclaro ejusdem Viri his studiis excellentis beneficio, aliis quoque inspiciendum damus.

Lib. XXVII.

Præfert singularis hic Nummus, in priori quidem parte Gordiani & Serapidis capita (qualia Neronis itidem & Serapidis, aut aliorum id genus Cæsarum occurrunt) in posteriori vero, ut vides, Serpentem tortuosum, cum inscriptione ΔΙΟΝΥϹΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, urbis itidem Ponticæ cum Tomo, seu Scythiæ illius quæ postea inter sex Thraciæ Provincias relata, & cujus celebriora oppida Dionysopolim & Tomum recen-

set

set Ammianus. Ut haud mirum quoque, si eadem ser- Lib. xx.
pentis aut Draconis symbola præferre utramque videas. Apollinem alias & Bacchum tutelare utriusque loci Numen, signant earundem nummi apud Goltzium, & Tomi quidem Apollinem, utpote Coloniæ Milesiorum, quibus Apollo cultus; alterius vero Bacchum, cujus nomine dictam eandem, & ipsa loci appellatio, & exul in iisdem oris poëta alicubi retulit. Unicum præterea horum Dionysopolitarum nummum memini me observasse in penu antiquaria Collegii Claromontani Parisiensis à Sirmondo collecta, & quidem inter numismata Alexandri Severi. Haud vero crederem frustra me hactenus laborasse, in commemorandis tam præclaris & vulgo reconditis antiquitatis monumentis, quæ Dracones & serpentes id genus signant. Hinc utique non leve illud, sed singulare quoddam beneficium præstare videar haud vulgares id genus Nummos (& cujus generis Ægyptii aliquot, adhuc infra adducentur), quod ab iis etiam unice exigendum Cl. Bochartus, cum suis ad me litteris, tum alicubi in præclaro opere agnoscit. *Ex Nummis*, inquit, *id genus, cum depictis Draconibus figura eorundem & magnitudo erui potest, quorum minimi quinque cubitorum, maximi quadraginta traduntur.* De Animal. sacris pag. 429. Alterum præterea ex iisdem colligas, in *Macedonia*, *Thracia*, *Paphlagonia*, *Mysia*, *Ponto*, ac *Bithynia*, vicinis regionibus, haud alios locorum Genios & Custodes gratiores id genus Draconibus exstitisse. Consulto enim omitto plures Græciæ Asiæque nummos, in quibus eandem loci tutelam ac salutem videntur arguere, & ad quos respexit divinus Maro,

Incertus Geniumne loci, famulumne parentis
Esse putet.

Ubi audiatur Servii glossa; *Nullus enim sine* GENIO *lo-*

cus est, qui per ANGUEM *plerumque ostenditur. Persius: Pinge duos angues; pueri sacer est locus.* Quales etiam duos angues videas, aut arcum & pharetram amplectentes in Nummis ΚΡΗΤΑΙΩΝ aut ΑΣΙΑΕ RECEPTÆ: aut vincientes duo ligna in nummo Cyzicenorum; aut obvolutos velut circulum cum duobus in medio torquibus in Romano Numismate; aut coronatos eosdem cum Caduceo, Cornucopia, Palma, in nummo Otaciliæ Ægyptio. Etenim Ægyptiorum imprimis hanc fuisse de Serpentibus ac Draconibus opinionem, ut divini aliquid illorum naturæ tribuerent, docuit jam olim Philo Byblienſis apud Eusebium, ac proinde ut loci Genium ac Tutelam eorum symbolis adumbrarent, præter alia monumenta, arguunt plures inediti eorum Nummi, percussi sub Cæsaribus, Nerva, Trajano, Hadriano, Pio, aliisque; in quibus aut Dracones id genus coronati, aut iidem cum Caduceo, Sistro, Spica; aut etiam cum venerabili illorum Serapide depinguntur. Quo nomine etiam ΑΓΑΘΟΙ ΔΑΙΜΟΝΕΣ, seu *Boni Genii* iisdem nuncupati, ut observabam nuper in præclaro nummo Ægyptio Cimeliarchii Regii Parisiensis; in quo illinc Neronis effigies, hinc Draco coronatus cum inscriptione aliquantum exesa ΝΕΟ. ΑΓΑΘ. ΔΑΙΜ. ceu Νέ(ρων) Ἀγαθὸς Δαίμων. Ut inde certe liqueat, non solis Phœnicibus ita appellatum Draconum genus, de quo aiebat Philo modo laudatus, Φοίνικες ὃ αὐτὸ ΑΓΑΘΟΝ ΔΑΙΜΟΝΑ καλοῦσιν, *Phœnices vero ipsum* BONUM GENIUM *vocant*; quomodo & Servius interpretatur, ΑΓΑΘΟΙ ΔΑΙΜΟΝΕΣ, *quos Latini* GENIOS *vocant*. Tales utique duo illi Dracones, qui olim erranti Alexandro cum ductoribus & toto exercitu, ac inopi consilii viæ duces repente leguntur exstitisse, qui incolumem in Ammonis Oraculi

In Gaza Medicea.

Apud Euseb. de Præpar. Evang. lib. 1.

Ad lib. III. Georg.

culi sedem ducerent reducerentve: Rem aut si mavis fabulam narrantem Arrianum nosti, quod alias non Draconibus sed Corvis (auguralibus scilicet avibus) tribuit Strabo. At vero inter Ægyptios Dracones ac Serpentes, antiquis nummis effigiatos, nonnullos adhuc videas, quos haud male ad ASPIDES, notas utique in eo tractu, referunt eruditi antiquarii, & cujus generis unam hic exprimendam duximus, signatam in Ægyptio Faustinæ senioris nummo,

Lib. III. Lib. XVII.

E majorum nempe Aspidum genere, quibus haud injuria, ut vides, tumidam cervicem ac latum corpus cum Nicander tum Lucanus noster tribuunt; neque male eadem ad Ammiani descriptionem comparata, *quas omnes magnitudine & decore Aspis facile supereminens, nunquam sponte sua fluenta egreditur Nili.* Neque tamen unius magnitudinis Aspis apud Ægyptios, cujus duo genera Strabo, tria Galenus, plura quoque Ælianus recenset, & quidem aliquas trium quatuorve cubitorum; ad quas proinde haud male superior videtur referenda. Præcipuo vero honore cultam Aspidem apud Ægyptios, ceu divinæ potentiæ symbolum, liquet alias ex Plutarcho; ut non mirum sit proinde solitis Cereris insignibus, Papavere nempe ac spica, eandem hic ornatam intueri. Quis vero fœcundam frugibus re-

Lib. XXII. De Isid. & Osirid.

gionem ignorat? aut ejus Metropolim (in qua procul dubio percussus hic & similes nummi) cum aliis rebus, tum frugum copia opulentam, juxta [a] Arrianum, ac ut [b] Ammianus loquitur, *alimentorum uberi copia circumfluentem* non audivit? Unde & alia mittam, & insertam Justini legem Codici Theodosiano ac Justinianeo *de frumento Alexandrino*, & alibi in eodem Codice Theodosiano *Alexandrini status*, ceu commeatus frumentarii ex Alexandria Constantinopolim deferri soliti factam mentionem reperias. Quo spectant naves illæ σιτηγωγοὶ apud Lucianum, quas similiter ex Ægypto in Italiam commeatum ejusmodi docet transportasse, μίαν τῶν ἀπ' Αἰγύπτου εἰς Ἰταλίαν σιτηγωγῶν. Ut certe haud alio sit opus interprete, cur eadem urbs, vulgo in antiquis nummis, sub symbolo sedentis mulieris cum Cornucopia & duobus aut pluribus spicis adumbretur. De addito autem superiori Aspidi, præter Cereris insignia, peculiari capitis ornamento, agemus paullo infra. Sicuti vero pro Geniis, Oraculis, divinæ potentiæ ac virtutis symbolis habitos vulgo Ægyptios Dracones ac Serpentes haud aliunde luculentius constat, quam ex hac ipsa Nummorum supellectile, sic aliis quoque gentibus frequentata eo nomine ac publico ære itidem signata eadem Draconum ac Serpentum symbola, abunde supra videbamus. Nec frustra Arabes quoque ab iis auguria captantes diximus, quos utique auguriorum non studiosos solum, sed inventores perhibet Clemens Alexandrinus. Hinc Draconem quoque spiris variis involutum suppeditat apud Ligorium, in inedito opere, nummus Arabum ΔΟΥΜΑΘΗΝΩΝ. Neque Romani, ut jam vidimus, alieni ab ea religione. Unde factum ut sequentibus etiam sæculis inter signa Romanorum militaria, præter Aquilas, recepti

[a] Lib. III. περ. ἀνάβ.

[b] Lib. XXII.

In Navigio.

Lib. V. Stromat.

cepti etiam fuerint Dracones; qui ſummitati haſtarum aptati, non minus in acie & in caſtris, quam cives in urbibus defenderent ſcilicet ac tutarentur. Res ex Vegetio, Ammiano, Claudiano aliiſque jam nota. Volucres certe non minus ac priores illi, de quibus paullo ante agebamus,

Hi volucres tollunt Aquilas, hi picta Draconum
Colla levant, multuſque tumet per nubila ſerpens.

Claud. III. Conſul. Honor.

Quo loco ſubiit mihi opportune Luciani memoria, qui ridet alicubi ſcriptoris belli Parthici ineptias, tradentis, à Parthis Dracones (non effigiatos jam ſed vivos) contis adfixos & in altum ſublatos, procul in hoſtes conjectos, unde magna Romanorum ſtrages orta eſſet. Addit vero Lucianus, Dracones Parthis ſignum eſſe multitudinis (hoc eſt militaris apud eos ordinis nomen) & quidem inde dictum, quod mille circiter Dracones vivos unus Draco regere aut formare ſoleat. Neque tamen carere plane exemplo haud abſimile factum, ut teſtes alios mittam, liquet mihi ex Galeno, qui tradit virum quendam Carthaginenſem in prælio cum Romanis, ſerpentibus ceu venenatis beſtiis plenas ollas in hoſtes immiſiſſe, & ita incautos multos oppreſſiſſe, neque enim tela ejuſmodi in hoſtes mitti ſolita. Alias Aquila Draconem unguibus tenens, ut liquet ex Joſepho, inſigne olim fuit Spartanorum: quo ſignatæ erant illorum ad agnatos ſuos Judæos litteræ. Unde Aquilam etiam videas in Nummo horum Lacedæmoniorum Mediceo. Neque diverſum ab eo fuiſſe ſymbolum Tyranorum Ponti incolarum, arguit adhuc hodie eorum Nummus, in quo ſimiliter Draconem in gyrum circumflexum ore geſtat, cum inſcript. ΤΥΡΑΝΩΝ. Aquilam alias ac Serpentem mutuo ſe reſpicientes videas in nummis Nicomediæ percuſſis cum effigie

Quomod. Conſer. Hiſtor.

Lib. de Theriaca ad Piſon. pag. 460. edit. Græc. Baſil.

Lib. Antiquit. XII. cap. 8.

effigie Commodi. Non alatum jam vero ac sublimem, sed jacentem ac prostratum Draconem, mysticum nempe illum, exhibent Nummi Christianorum aliquot Cæsarum, Valentiniani Junioris, Libii Severi, Heraclii & aliorum, de quibus alio loco. Sicut autem Draconem divinitatis cujusdam ac salutis, ita PAGURUM Sapientiæ, ut volunt, symbolum, brachiis expansis papilionem apprehendentem exhibent denarii Gentis Durmiæ apud Ursinum, præter Græcos aliquot Nummos apud Goltzium.

Et ne solum vel propitios, vel infestos illos Aëris, Sylvarum aut Nili etiam incolas commemoremus, DELPHINOS vero φιλανθρώπους & *Oceani Cœlique decus* prætereamus ingrati, quos tamen magna Nummorum copia, haud minus ac Siculum vel Carpathium pelagus, conspiciendos præbet. Neque vero obvios ibi hospites, aut aliunde satis notos, frustra me credas adlegasse. Negat enim Bellonius, tales esse Delphinos, quales visuntur in Marmoribus & Numismatibus antiquis; repando nempe corpore, & dorso incurvo, quamvis in reliquis figuram consentire fateatur. Plinius vero postremam illam repandi & inflexi dorsi formam iisdem tribuit. Mirum autem, ut hoc dicam in limine, & vix ulli, opinor, quam Bellonio credibile, tot ac tam variis vetustatis monumentis male expressam figuram hujus piscis, obviam passim & familiarem in iisdem locis, in quibus illa auro, argento, ære cælabatur. Innumeri vero sunt, in quibus, ut paullo ante monebamus, vel capita exornat Urbium & Insularum Siciliæ, Græciæ Asiæque Delphinus; vel occurrit ille Neptuni Tridenti involutus; vel ubi modo singuli, modo plures etiam numero signant aversam Nummi partem. Cuinam vero persuadebit Bellonius in hunc errorem constanter

adeo

adeo tot littorum accolas conjurasse, familiari obtutu facile revincendum? Sed non hic opus est ea defensione. Nummos enim & Bellonium, aliosque ab eo dissentientes expediemus haud difficili, ut spero, negotio. Signatus nempe Nummis Delphinus haud uno habitu, idemque modo quietus & fixus, modo frequentius salientis & vectoris instar; Unde etiam vulgo depictum in iis videas, cum inflexo capite, repando seu incurvo corpore, cauda vero prominente & erecta; scilicet dum veluti Chori in speciem ludit per undas, *lascivaque jactat corpora*. Obvia hujus rei exempla suppeditant magna copia nummi locorum maritimorum, iique præ ceteris in quibus sessorem habent, cujus generis nonnulli paulo infra adducentur. Aliquando vero quietior Delphinus, & tum citra illam repandi corporis, aut sublatæ caudæ jactationem depingitur; sicut ille in nummo Vitellii, Tripodi innixus mox quoque inspiciendus. Falsus ergo Bellonius, qui eodem semper habitu depictum in Nummis Delphinum credidit, aut repandum ejusmodi aut inflexum corpus omnino illi salienti & ab undis exilienti detraxit, ac ita monumentis id genus, quæ ut plurimum tales nobis Delphinos repræsentant, fidem omnem voluit derogare. Præter enim luculentam veterum ac oculatorum testium nubem, quibus frequenter conspecta forma repandi illius dorsi; unde & *curvi Delphines* vocantur Ovidio; neque nos voluptatis illius fuimus inexpertes, cum nuper in navigatione Melitensi, Siculum littus legeremus. Sed vicissim haud minus censuræ obnoxii Plinius, aliique nonnulli recentiores, qui vel ob inspectos tantum salientes id genus Delphinos, aut eosdem in priscis aliquot monumentis depictos ea forma, perpetuam, neque aliam, quam incurvi & repandi cor-

poris figuram iisdem inconsulto tribuêre. Delphinos aliàs id genus, Tridente passim circumvolutos videas in nummis locorum mari adjacentium, Serpentum nempe instar tortuosos; qualis præter quamplures id genus, occurrit apud Goltzium in numismate Teni, unius è Cycladibus. Eorumdem vero Insulariorum nummum protulit quoque Tristanus, signatum ætate Alexandri Severi; qui tamen non Delphinum, sed ejus instar serpentem Tridente involutum exhibet: quod ad Neptunum Medicum cultum in ea Insula refert nobilis antiquarius; quam & serpentibus olim abundasse tradidit Hesychius Milesius, & ὄφιδουν quondam dictam Stephanus. Quæ certe satis idonea mihi videntur testimonia, cur non audeam continuo oculorum aciem temere desiderare in viro haud parum perspicace in contemplatione id genus monumentorum, atque ita in eo nummo, Serpentis loco, Delphinum Tridente involutum, familiare Insulariis & quidem his Teniis symbolum adfirmare: quod alias cum situs loci, tum productus à Goltzio nummus, omnino videretur arguere. Neque tamen dissimulandum, alibi ab eodem Tristano productum Maximiliani Herculii nummum, in quo itidem Serpens Tridenti implicatus visitur, sicut rursus mutatis vicibus Tridentem Apollini apud Tarsenses tributum legas, apud Dionem Chrysostomum, quod non debuit ibi viro magno negotium facessere. Haud magis utique, quam Jovi Tridentem, Fulmen Palladi, Apollini Hederam, Baccho Radios, Isidi Lunam, Arcum & Pharetram Veneri, Serapidi juncta Jovis, Solis, Plutonis, aliorumque Numinum symbola, tributa spectare in priscis id genus monumentis; qua de re infra. Alias vero Anticyris, teste Pausania, urbis insigne occurrebat Delphino insi-

Tabul. Insul. Græciæ.

Lib. de Origin. Constantinop.

Orat. XXXIII.

insidens cum Tridente Neptunus, qualis nempe in Tarantinorum nummis loci conditor Tara vulgo depingitur. Sed ex iisdem etiam monumentis colligas ea, quæ de reliqua figura hujus piscium Regis, Plinius aliique verius tradidere; rostrum nempe simum, oris scissuram longam, rictum latum, oculos magnos, pinnas in ventre ac dorso, ac duas in cauda veluti lunatas. Immo non figuram magis, quam naturam mansueti hujus hominum ac puerorum amatoris, discas ex adlatis modo iconibus, cum sessore puero: quam rem alias tot testibus & exemplis firmant vulgo auctores, ut ab incredulis etiam fidem videantur extorquere. Ut minus jam mirum videatur, quod legebam nuper apud Ecclesiasticæ Historiæ conditorem, non Citharœdum nempe aliquem, sed Lucianum martyrem à Delphino depositum apud urbem Nicomediæ Helenopolim. Adeo ut haud dissimilem quoque vectorem ego mihi optarim, cum nuper Bajas Puteolis commoto repente mari trajicerem, & exclamarim propemodum cum auctore veteris Epigrammatis inediti,

Philostorgus Eccles. Hist. lib. 1.

Εἴθ' ἅλιε δελφίζιν ἐμοῖς βασιλὸς ἐπ' ὠμοῖς
Πορθμεύθεὶς ἐσίδῃ τὴν γλυκύπαιδα ῥόδον.

Memineram enim forte illius adolescentis, quem dorso placide exceptum ex Bajano Puteolos ad ludum litterarium quocunque diei tempore secure Delphinus deferebat. Sed nota imprimis ex eodem Plinio, Æliano, aliisque, Delphini illius apud Jasenses historia; qui exstincti pueri desiderio, à quo se conscendi patiebatur, mox contabuit. In cujus singularis adfectus memoriam, signatum proinde Nummis Jasensium Delphino insidentem puerum tradit alicubi præter Ælianum Plutarchus, Τῷ πάθει ὀλίσιμον γ' ασεῦσι τὸ χάραγμα

De soler. Animal.

ΕΠΙ ΝΟΜΙΣΜΑΤΟΣ ἐφ' ΠΑΙΣ ὑπὲρ ΔΕΛΦΙΝΟΥ

ὀχεύμασι. Neque vero minus adludunt ad innoxios id genus amores, alii Nummi eximiæ vetuſtatis, quibus Delphinos itidem hominum, & maxime puerorum vectores aut colluſores videas. Tales cum vulgo priſci Tarantinorum, Brundiſiorum, Piſauriorum, Nummi, tum alii rariores Aliſarnæ Urbis Troadis, in quibus homo Delphino vectus, cum Victoria & Corona. Sed ſingulares inprimis hanc in rem & frequentes Corinthiorum nummi variæ magnitudinis, & nonnulli maxime cuſi ſub Divis fratribus M. Aurelio & L. Vero, in quibus modo Puer inſidens Delphino, modo ſupra eundem erectus, modo etiam Delphinus jacet ſub arbore, cui incumbit Puerulus dormiens; quales plures adſervat Gaza Medicea & Muſeum Patinianum. Quibus etiam adnumerandus venit ſequens nummus ſub Commodo percuſſus.

Neque mirus adeo tibi videbitur, non jam in mari vector, ſed adjacens etiam in terra ſuper incubanti puero Delphinus; qui apud juniorem Plinium blandos legiſti procul dubio Delphini & Hipponenſis cujuſdam pueri amores, & hæc inter alia: *Incredibile (tam verum tamen quam priora) Delphinum geſtatorem colluſoremque puerorum, in terram quoque extrahi ſolitum, areniſque ſiccatum, ubi incaluiſſet in mare revolvi.* Lib. IX. Ep. 33. Equidem non familiare ſolum noſti horum Corinthiorum ſignum, Ario-

Arionem nempe Delphino insidentem, ut præter alios notavit quoque Dio Chrysostomus, sed geminos id genus casus narrantem videas Pausaniam in Corinthiacis, unde nummi superiores possunt illustrari; & Lucianum præterea, qui puerum quendam mortuum, in Isthmum à Delphino deportatum narrat. Quin præter illum Citharœdum, aut vulgares id genus pueros, recordaris, ut opinor, haud absimilem Icadii ipsius Apollinis filii navigationem, Delphini tergo delati prope Parnassum incolumis. Signant adhuc rei memoriam nummi Delphorum, cum figura Delphino insidente, tum sacratus inde Apollini Delphinus; ut liquet tum ex Vitellii & Vespasiani nummis, in quorum aversa parte Tripus Delphino impositus, cum inscriptione AUGUR, tum ex nummo ejusdem Vitellii Quindecemviri, supra obiter à nobis adlegato, in quo Cortina Apollinis Delphici cum Delphino itidem superincumbente, infra vero Corvo.

Orat. XXXVII.

In Navigio.

Eo lubentius mitto alias eruditorum de hoc nummo conjecturas, quod hic optimum illius & luculentum dabimus interpretem Servium; *Inde cum Italiam peteret* (Icadius nempe) *naufragio vexatus, Delphini tergo excel-ptus dicitur, ac prope Parnassum montem delatus, Patri Apollini Templum constituisse, & à Delphino locum Delphos appellasse; Aras deinde Apollini tanquam Patri consecrasse, quas* Ad Æneid. lib. III.

ferunt vulgo Patrias dictas. Hinc ergo Delphinum aiunt inter ſacrata Apollinis receptum, cujus rei veſtigium eſt, quod hodieque QUINDECEMVIRORUM CORTINIS DELPHINUS *circumfertur, ob hoc ſcilicet, quia* QUINDECEMVIRI *Librorum Sibyllorum ſunt antiſtites. Sibyllæ autem Apollinis Vates, & Delphinus Apollini ſacer eſt.* Vides utique, mi OCTAVI, quam amice mutuam ſibi lucem præſtent doctiſſimus Grammaticus ac Nummus iſte Vitellianus, quod effugit alias Cl. Triſtani diligentiam, in ſuſcepta illius Numiſmatis explicatione: Et hoc pridem quidem notaveram, quum vidi poſtea in eundem quoque Servii locum jam incidiſſe Rubenium, eruditum Nummorum Areſchotanorum interpretem. Obvias & mythologicas harum rerum explicationes mitto: neque enim id jam agimus. Præter Delphinum vero, *Corvus* in hoc nummo conſpicuus, tanquam ſacratus Apollini, ut ſupra ex Plutarcho & Porphyrio notabamus, & bene etiam monuit Triſtanus; non autem *Cornix* hic ſtatuenda, ut dubitabant tamen Viri docti, & cum iis idem ille peritus alias veteris hujus memoriæ explicator Rubenius. Gemino nempe errore, quem in Celſo arguit alicubi Origenes,
Lib. I v. è Corvo, cujus mentio in ſacra Diluvii hiſtoria, Cornicem ſimiliter faciente: Τὸν Κόραϰα εἰς Κορώνλω μεϱείληφε. Ut vero ad Delphinos id genus geſtatores redeamus, neque mirum proinde blandi hujus puerorum & cantus amatoris ſeſſorem videre nonnunquam Cupidinem, ſicut præter denarios Gentis Cordiæ & Lucretiæ apud Urſinum, ac nummum Auguſti cum ſelectis aliis à Cl. Seguino vulgatum, in ſequente numiſmate hactenus inedito.

Per-

In Gaza Reginæ Christinæ.

Percussus ille Nicomediæ temporibus Commodi, in quo similiter occurrit Delphino insidens puer iste Dioneus, qualem etiam videas in nummo Perinthiorum signato sub Elagabalo, & nonnunquam in gemmis antiquis. Ut jam illam præteream, inspectam mihi apud vestratem Leonardum Agostini, in qua Cupido occurrebat, non Delphino quidem, sed vehiculo insidens, quod trahebant duo Delphini. Ac plane appositè ad superiores hujus Cupidinis Delphino insidentis imagines, legas olim adlusisse Palladam, in veteri Epigrammate, In eadem Gaza.

Γυμνὸς ἔρως ἐπὶ τῷτο γελᾷ, καὶ μείλιχός ἐστιν,
Οὐ γὰρ ἔχει τόξον καὶ πυρόεντα βέλη.
Οὐδὲ μάτην παλάμαις καθέχει Δελφῖνα κὴ ἄνθος,
Τῇ μὲν γὰρ γαῖαν, τῇ δ' ἁλὸς ἄμπαυε ἔχει.

Nudus Amor ea de causa ridet, ac blandus est; Non enim arcum habet, aut ardentes sagittas. Neque frustra manibus Delphinum cohibet ac florem; Illa enim Terram, hac Mare tenet.

Si floris loco, flagellum dextræ hujus sessoris tribuas, eundem continuo fatearis in superiori nummo ac illa imagine depictum, nudum nempe, inermem, & sinistra Delphinum, cui insidet, cohibentem: haud aliter nempe ac seminudas Nereides, Delphinorum quoque tergis inequitantes describit alicubi Lucianus; Sic alius adhuc Faustinæ nummus occurrit in eadem Augustæ Christinæ Gaza, in quo Venus cum pomo & hasta, In Dialog. Marin.

sta, Cupido supra Delphinum, à sinistra autem parte monstrum aliquod conspiciuntur. Alium quoque, eundemque præclarum Laodiceorum Nummum possidet, Gaza Medicea, qui hinc nudam exhibet Venerem, ornandis capillis intentam, Cupidinem etiam cum pharetra & sagitta, illinc vero Delphinum. Quæ utique haud leviter firmant Ursini conjecturam, ad Veneris mari ortæ intuitum priores illos denarios Gentium Romanarum referentis, aut vero parum illustrant, quæ de hoc ἐπιφροδίτῳ pisce dixit ingeniosissimus vates,

Seu fuit occultis felix in amoribus index,
Lesbida cum domino, seu tulit ille Lyram.

Quis vero huic marinæ originis puero, non credat magis appositum vectorem Delphinum, quam vel Hircum forte, aut etiam Tigrim? quibus tamen inequitantem videas Cupidinem in denario Gentis Fonteiæ apud Ursinum, ac præterea in nummo quodam M. Aurelii Mediceo. Neque aliter Matrem ejus παίδημον, Capro quoque impositam legas apud Pausaniam; unde prior denarius gentis Fonteiæ potest obiter illustrari. Ceteroquin haud aliena ab hac mansueta Delphinorum indole, quæ de iisdem ad naves placide accurrentibus ac apud eas corpora saltu jactantibus, socios etiam se iis ac duces præbentibus, vulgo narrant auctores auriti simul & oculati. Audi de navium adpulsu facundissimum Christianorum Tullium, Δελφίνων ἐν πολλῇ παιζόντων γαλήνῃ, καὶ παρ' αὐτὰς τὰς νηὸς σὺν πίσσῃ κυβιστώντων πολλάκις. *Delphinis placido tranquilloque mari ludentibus, ac sæpenumero apud ipsa Navis latera salientibus, capite in undas dejecto.* Qua de re etiam videas Græcum Philippi Epigramma in Anthologia. Huc autem spectat inter alios præclarus Alexandri Severi Nummus, in quo media Navis cum velo, ad cujus latus duo Delphini

Lib. v 1.

Tom. v. Hom. 1. p. 1. edit. Savil.

Lib. 1. cap. xxxiii. ep. 94. In Gaza Medicea.

phini occurrunt coronam sustinentes, & inscr. ΤΑΡ-ΣΟΥ ΜΗΤΡ. ΑΔΡ. ΣΕΟΥ. ΑΛΕΞΑΝΔΡ. Ex quo nummo alias, ut obiter hoc dicam, discimus quoque, caput Ciliciæ Tarsum, *Hadrianæ*, *Severæ*, & *Alexandrinæ* nominibus, à totidem scilicet Augustis, quorum beneficio restaurata fuit vel ornata, nuncupatam: haud aliter ac eadem quoque nomina obtinuisse legas *Amasiam* Ponti Metropolim, in vetustis illius nummis, aut alterum insuper *Antoninianæ*, ab Antonino nempe Caracalla, eidem Tarso tributum in alio nummo ejusdem Cæsaris, ΑΔΡ. ΣΕΟΥΗ. ΑΝΤΩΝΕΙΝ. ΜΗΤΡ. ΤΑΡ-ΣΟΥ, seu *Hadrianæ Severæ, Antoninianæ, Metropoleos, Tarsi*. Sed hæc alterius loci, & de Delphino hactenus. Quibus & hoc obiter addam, PELAMIDUM celebratam olim Byzantii piscationem, de cujus ratione præter Aristotelem ac Plinium, prolixe disserit Strabo; qui ex ea copiosum reditum Byzantinis Romanisque provenire commemorat. Tales autem occurrunt nonnunquam in priscis Byzantinorum nummis, qui vulgo duos id genus pisces præferunt, ut bene conjecit Tristanus, ex Sabinæ Augustæ nummo Byzantino à se quidem non inspecto, sed descripto tantum ab Occone sub mentione duorum piscium; qualem utique videas in sequenti nummo Plautillæ Musei Patiniani jam Regii, hic quoque tuis & legentium oculis subjiciendum. Lib. VII.

Merebantur equidem hi pisces signari in nummo suæ

Lib. VII. Metropoleos, ut festive Archestratus apud Athenæum, ingentis cujusdam Θωνίδος seu Pelamidis Μητρόπολιν vocat Byzantium. Unde patet etiam, cur hos pisces Oppianus sobolem Euxini maris indigitarit,

Lib. V. Halieutic. Φῦλα τ' ΠΗΛΑΜΙΔΩΝ ὅτε μιν γόνος εἴσι θαλάσσης
Εὔξεινος.

aut cur magnam piscatorum multitudinem inde Tarenti & Byzantii exstitisse, observet in Politicis Aristoteles. Erudite vero & ingeniose Tristanus, veteris illius oraculi de Byzantio (cujus Stephanus Byzantius, Eustathius, aliique meminere) versum extremum,

Lib. IV. c. 4. Ἔνθα ἰχθὺς ἔλαφός τε νέμον βόσκονται ἐπ' αὐτόν.

Ubi pisces nempe & Cervus pascentur in eodem pascuo, de Pelamide & Cornu Byzantino explicavit; duce utique Strabone, cui κέρας istud dictum simile Cornui Cervino, & in cujus angustia Pelamides, eodem authore, vulgo capiuntur. Alias apud Chalybes quoque frequentem fuisse Pelamidum piscationem alibi tradit

Lib. XII. idem Strabo. An vero commemorabo hic adhuc quatuor Pisces, expressos in præclaro quodam Neronis nummo, & quem jam excusere nobiles antiquarii, POLYPUM, SEPIAM, CAMMARUM & POMPILUM.

Erizzo ad denotandam Neronis impietatem, sævitiam,

tiam, libidines, ſignatum hunc nummum credit, cui certe ſuffragari non poſſum. Si Lucano enim forte licuit, ut viderunt jam viri docti, & aliquando pluribus ad elegantiſſimum Poëtam docebimus, Neronem oblique ſub laudum involucris perſtringere; non proinde exiſtimabimus, nummum auctoritate publica & florentis Principis imagine percuſſum eum in finem, ut vitia ejus ac infamiam illo ære ſignaret. Triſtanus aliquanto opportunius refert ad natales Claudiæ Neroni è Poppæa genitæ, & feſtum illud Amphidromia, quinto à natali die celebrari ſolitum, quo inter alia Polypi, Sepiæ, aliique id genus piſces mitti à propinquis & familiaribus conſueverant, ſicuti ab Athenæo aliiſque obſervatum. Sed obſtare videtur tum, (ut jam vidit Triſtanus) quod mos ille Græcus foret, nummus autem vel Romæ, vel certe in Romana Colonia ſit percuſſus, ut liquet ex Latina epigraphe anteriori nummi parte adſcripta; tum illud inſuper, quod vulgo non Cæſarum, ſed Auguſtarum vultus præferant nummi illi, qui fecunditatem domus Auguſtæ ſolebant indicare. Neque tamen alienum crederem, ad fecunditatem Poppææ reſpexiſſe, qui nummum cælandum curavere; quam & Nero *ultra mortale gaudium accepiſſe* dicitur apud Tacitum, & Senatus votis, ſupplicationibus, Templo etiam Fecunditati decreto proſequutus. Opportune itaque in hujus fecunditatis memoriam, & incredibile illud Neronis gaudium inde conceptum, ſignati videntur ii Piſces; quos fecunditatis præcipuæ obſervant Ariſtoteles, Athenæus, Plinius. Ne jam præteream Piſcem alium ſingularem, quem in nummo Lopaduſſæ Africi maris Inſulæ ſignatum videre licet apud Goltzium. Annal. XV.

Tab. Inſul. XXVIII.

Piſcis, ut vides, ex aculeatorum genere, cum aculeis nempe à cervice ad caudam, & porrecto ac peculiari quodam Roſtro. Qualis autem ſit, neque indicat Goltzii interpres Nonnius, neque certiores reddent neoterici, qui de Piſcibus ſcripſere, Rondeletius, Salvianus, Geſnerus, aliique, apud quos ei ſimilem vix facile reperias. At mox illud ſuboluit, ad APRINUM ceu PORCINUM piſcis genus omnino referendum; quale cum marinum tum fluviatile agnoſcunt antiqui auctores, Ariſtoteles, Athenæus, Plinius, & plures alii. Sicut enim obvii Elephanti, Leones, Boves, Equi, Canes, Aſini, Vituli, Vulpes, Lepores, aliique id genus, cum terreſtres tum aquatiles; ita Porci etiam iique & ſylveſtres & domeſtici; cui generi ſuperior Piſcis videtur nobis adſcribendus. Certe & Aprinum, quod præfert Roſtrum, & ſetæ inſtar Apri à capite ad caudam porrectæ omnino illud arguunt; ut haud immerito idem ſtatui poſſit cum eo Piſce, qui ΚΑΠΡΟΣ ſeu APER apud Ariſtotelem ac Athenæum vocatur. Obſtare forte illud poſſet, quod non marinum ſed fluviatilem videatur eum ſtatuere Philoſophus, dum illum in Acheloo amne generari obſervat; & ex eodem Plinius, apud quem *Caper* vocatur qui Ariſtoteli Κάπρος, manifeſto librariorum errore, quibus potius quam eruditiſſimo auctori puerilem Græcæ illius vocis ignorantiam malo equidem transſcribere. En utriuſque verba, & Ariſtote-

ſtotelis quidem, ὅτι γὰρ ἀφιᾶσιν, ὥσπερ γρυλλισμὸν, καὶ ὁ ΚΑΠΡΟΣ ὁ ἐν τῷ Ἀχελῴῳ, hoc eſt, Gaza interprete, *his enim quaſi grunnitus quidam emittitur.* APER *etiam piſcis, quem amnis Achelous gignit, vocalis habitus eſt.* Sic Plinius, *Et is qui* CAPER (legendum APER) *vocatur in Acheloo amne grunnitum habet.* At vero nihil obſtat, cur non & Aprum piſcem maris incolam ſtatuamus, quem Philemon Comicus apud Athenæum cum Scauro & Glauciſco marinis piſcibus conjungit, & apud Argivos frequentem docet, Lib. I v. Hiſt. Anim. cap. 9. Lib. x I. cap. 51. Lib. v II.

Εἰ δ' ἔλαβον ἄρα Σκάρον, ἢ κ' τῆς Ἀττικῆς
Γλαυκίσκον, ὦ Ζεῦ σῶτερ, ἢ 'ξ Ἄργους ΚΑΠΡΟΝ.
Quod ſi mihi tum datus fuiſſet Scaurus, aut ex Attica Glauciſcus, ô Jupiter ſervator, vel ab Argis APER.

Argos quidem ad Inachum fluvium ſita, ſed mari ſatis vicina, unde facilis marinorum Aprorum proventus. Idem vero Athenæus alibi dubitari docet ab Epicharmo, annon ſues iidem ſint cum Apro,

Χαλκῖδες τε Σ'ες τε Γ'έρακες τ' χ' ὁ πὼν Κύων,

additque Athenæus, εἰ μὴ ἄρα ὅτι οἱ αὐτοὶ εἰσι τῷ ΚΑΠΡΩ, *Chalcides & Sues, Milvi, ac pinguis Canis; niſi forte ſues iidem ſint cum* APRO. Marini itidem ii piſces, quos ibi cum ſuibus complectitur. Male autem Dalechampius Κάπρον ibi per *Capriſcum* reddit, ſicut alio apud eundem auctorem loco, quo juxta Ariſtotelem inter Piſces vocem ſolum edere obſervat, ΚΑΠΡΟΝ ἢ τ' ποτάμιον χοῖρον; APRUM, (non Capriſcum) *& fluviatilem Porcum*; quem locum citat etiam alicubi Euſtathius, ubi plures vocales Piſces enumerat. Nec prætereundus hic Heſychius, qui Aprum hunc eundem cum Phagro, marino itidem piſce, exiſtimavit, ut ejus verba hodie præferunt, Κάπρος· σύαγρος, ὗς ἄγριος, ἢ τ' φάγρον ἰχθύν. Mirum equidem, ut ingenue fatear, quod diverſos piſces, Lib. v III. Ad Odyſſ. M. pag. 1710.

Aprum & Phagrum, pro uno eodemque nobis obtrudat eruditissimus Grammaticus; quum diserte veteres accurate eosdem distinguant. Neque etiamsi aliqua occurrat inter eos adfinitas, continuo nomen & genus idem utriusque statuendum. Quin de Phagro agens Athenæus, plures recenset Pisces, quos ei similes narrant auctores; puta Erythrinum, Hepatum, Chromin, Anthiam, aliosque id genus, nulla Apri facta ibi mentione, de quo tamen, ut vidimus, non uno agit loco. Strabo etiam inter pisces Nili peculiares, Porcum & Phagrum, sed ut diversos recenset; χοῖρος καὶ φαγρεύς, ὃν καὶ φάγρον καλοῦσιν, *Porcus & Phagrorius, quem Phagrum etiam vocant*. De Phagro certe Nilotico testis luculentus Plutarchus, qui eum una cum Nilo apparere, ac optatum illius incrementum nunciare alicubi refert. Ex his autem modo adlatis omnino augurabar corruptum Hesychio locum, quem intactum reliquere novi editores, eundemque ita restituendum, Κάπρος σύαργος, ὃς ἄργειος, ἢ τὸ Ἀργεῖον ἰχθῦν. Aper nempe celebris apud Argivos piscis, ut supra ex Athenæo vidimus, & firmat præterea Eustathius, qui haud parum hanc nostram emendationem adserit; Γεωργεῖται δὲ καὶ εἰδος ἰχθύος ΕΝ ΑΡΓΕΙ ΚΑΠΡΟΣ εἶναι, ὡς δηλοῖ καὶ τὸ, ἐξ Ἀττικῆς γλαυκίσκον, ΕΞ ΑΡΓΟΥΣ ΚΑΠΡΟΝ. Adludit, ut vides, ad superiorem Philemonis versum citatum ab Athenæo, ac simul ad pervulgatum apud veteres proverbium de optimis piscibus, Glauciscus nempe ex Attica, & Aper ab Argis. Ignari autem hujus rei librarii, Ἀργεῖον ἰχθῦν, vel si mavis τὸ ἐξ Ἄργους, in notum sibi piscem φάγρον ἰχθῦν mutanda credidere. Certe majora lectionum portenta in optimum auctorem irrepsisse, vel nova quæ modo prodiit ejus editio satis evincit, & quæ plura adhuc in eodem restant emaculanda,

Lib. VII.

Lib. de Isid.

Ad Iliad. A. pag. 853.

culanda, cujus luculenta liceret hic nobis dare ſpecimina, qui aliquam operam in emendatione Grammaticorum Coryphæi etiam pueri olim poſuimus, favente tum his conatibus eoſdemque promovente magno Salmaſio. ſed hæc alterius loci. Cæteroquin idem Heſychius alibi, φαγώρεω ἰχθὺς μικὸς, pro quo φάγρω reponunt viri docti in nuperis adnotatis. At vero conſtare poſſe illam vocem φαγωρέα, aut vero in φαγρώεω mutandam, liquere videtur ex ſuperiori Straboniſ loco, ubi hunc piſcem utroque φαγρώρεα & φάγρα nomine dictum docet. Sed quod hic præcipue ſpectandum occurrebat, illud utique liquidum, cum marinos tum fluviatiles Porcos veteres agnoviſſe, & quidem priores cum mole ſpectabiles, tum aculeatis, & periculoſis ſpinis armatos; quæ certe haud male cum ſuperiori effigie quadrare videntur. Plinius, *Apion maximum piſcium eſſe tradit Porcum, quem Lacedæmonii Orthragoniſcum vocant, grunnire eum cum capiatur.* Idem alibi, *Inter venena ſunt piſcium Porci marini, ſpinæ in dorſo, cruciatu magno læſorum.* Non autem hic moror recentiores, qui de Piſcibus ſcripſere; quos in tradenda vel Apri vel Porci aquatilis veteribus commemorati figura graviter inter ſe diſſentire videas, diverſaſque ac multum inter ſe diſſimiles nobis obtrudere; ut ex Geſnero ac productis à Rondeletio & Bellonio iconibus conſtare poterit. Cautior, ut verum fatear, Rondeletius, qui Piſcem quendam pro Apro, cujus Ariſtoteles meminit, ſed dubitanter exhibet, in quo Roſtrum quidem ſuperiori Lopadouſſiorum haud valde diſſimile; ſed cujus in reliquis figura ſquamoſa & orbicularis haud perinde convenit, immo longe ſatis recedit. Quæ dubitatio aut diſſenſio neotericorum non mira adeo iis videbitur, qui & veteres etiam aliquos hic ſuſpenſos

Lib. xxxi. cap. 2.

Lib. xxxii. cap. 5.

& in-

& incertos obſervat; ex Athenæo certe haud liquido conſtare, an Τες & Ταυνίδες idem ſit piſcis genus, & quod locus ſupra à nobis adlegatus ſatis innuit, an rurſus Τες illi ſeu *ſues* iidem ſint cum Apro. Unde non continuo accedo veſtrati Salviano, qui unum & eundem piſcem omnino ſtatuit, qui Græcis dictus Κάπρος, Καπρίσκος, Κοῖρος, Τς & Μῦς, Latinis autem, *Caper, Aper, Porcus, Sus* & *Mus*; neque vero alium ab eo piſce, quem veſtrates *peſce baleſtrã* ſolent nuncupare. Quod certe, ut alia mittam, vel ſatis refellit adlatus ſupra Athenæi locus, quo juxta Ariſtotelem, Aprum & fluviatilem Porcum diſtinguit. Ne jam ulterius perſtringam illum errorem, quo ipſe Salvianus aliique pro Κάπρος & Καπρίσκος, ex corrupto aut certe vitioſo Plinii loco, *Caprum* & *Capriſcum* nobis obtruſere; quæ utique Caprina nomina non quidem Κάπρος, quæ vox Græcis Aprum ſeu Porcum ſylveſtrem ſonat, ſed Τράγος piſci quadrare poterant, cujus digna apud [a] Ariſtotelem ac [b] Athenæum occurrit mentio.

[a] Lib. VIII. hiſt. Anim. cap. 30.
[b] Lib. VIII.

De FABULOSIS *Animalibus in Nummis.*

Nec pigebit iis adnumerare fictitia illa & fabuloſa Veterum Animantia, CAPRICORNUM, SPHINGEM, SIRENEM, STYMPHALIDEM, SCYLLAM, CHIMÆRAM, CERBERUM, HYDRAM, GRYPHEM, PEGASUM, CENTAURUM, MINOTAURUM, PHOENICEM denique; quæ non magis inter Poëtarum figmenta, quam inter myſteria Gentilium locum frequenter habuere, & quorum figuram varie nonnunquam authoribus traditam, Nummi veteres ob oculos ponunt. CAPRICORNI, quidem vulgaris apud antiquos effigies, Capri nempe cum cauda piſcis involuta, ex monumentis id genus eruitur. Signatus ille vulgo in obviis Auguſti nummis, & cauſſam quidem adferente Suetonio, quod natus eſſet illo

illo ſidere, magnamque inde fati ac thematis ſui fiduciam haberet. Hinc ortæ de natali Auguſti, ejuſdemque horoſcopo graves inter Principes hujus ætatis Chronologorum dividiæ ac velitationes; aliis ad vetus Kalendarium, aliis ad emendatum ſeu Julianum, natalem ejus diem referentibus; unde de horoſcopante ſidere diverſæ oriebantur ſententiæ, & inexplicabiles quidam nodi. In iis vero ſolvendis haud infeliciter videtur laboraſſe Gotifredus Vendelinus, dum referente ac probante Alberto Rubenio in poſtremis operibus nuper editis, in Genethliaco themate Auguſti, ſortem Fortunæ Capricornum docet obtinuiſſe; vel ut ipſe potius Vendelinus ſæculi noſtri Ptolomæus eidem Rubenio dictus, ſuam hac de re ſententiam promit, *natum Auguſtum cum Horoſcopo ſurgentis Virginis, natumque eundem ſidere Capricorni quintam ſub terris domum Fortunæ ſignante.* Hinc utique appoſite (quod jam vidit eruditus hujus memoriæ inveſtigator ac interpres Rubenius) addita plerumque Capricorno in nummis Auguſtæis ſolita Fortunæ inſignia, Gubernaculum navis, Orbis, Cornucopia, ſicut videre licet in ſequenti ectypo.

Epiſt. Gotifr. Vendel. ad Albertum Rubenium.

Unde jam liquet, cur ille Αἰγοκέρως, Auguſti exemplo, fauſti ominis ergo, aliis quoque vel agnatis vel Cæſari-

bus in Nummis sit tributus. Hinc & in L. Cæsare ejus Nepote occurrit apud Tristanum, ac in Julia Paulla Elagabali Conjuge, & cum adstante Muliere, in præclaris nummis cum Hadriani, tum Antonini Pii, inscriptis FELICITAS AUG. Quæ insuper satis arguunt, cur *Felix* dictus sit Manilio Capricornus,

In Gaza Reg. Christin. & Medicea.

Lib. 11.

quid enim mirabitur ille
Majus in AUGUSTO FELIX *quum fulserit ortum.*

Ita etiam geminos id genus Capricornos, ut luculentos duorum Cæsarum felicitatis indices, videas in nummo aureo Vespasiani ac Titi.

Sicuti & in altero Augusti æreo, cum illa supremæ felicitatis laude servatorum Civium, seu OB CIVES SER. Ut non mirum proinde signatum quoque Capricornum, non in Romanis solum, sed in rarioribus aliarum etiam Græciæ aut Orientis Urbium Nummis, sicut Zeugmatis Syriæ, & Anazarbi Ciliciæ: neque proinde opus cum Tristano hoc ad situm eorum locorum, partim montosum, partim ad mare aut ad Euphratem referre. Quam vero cum Ægipane communionem habeat Capricornus, docere potest Theon ad Aratum.

De SPHINGE, in qua tradenda non omnes Oedipi fuere, res magis anceps videri posset. Hanc enim inter Ægyptiorum inventa antiquarii vulgo referunt; quod tamen ab Agatharchidis apud Photium, Diodori, Pli-

Plinii, aliorumque constanti relatione alienum, qui eas inter veras Simias recensent, & ex Æthiopia in Ægyptum deferri contendunt. His accedit recentior & oculatus quidem testis Philostorgius, qui ubi varia Simiarum genera, αἰγοπιθήκων, ἀρκτοπιθήκων, λεοντοπιθήκων, κυνοκεφάλων, Capris nempe, Ursis, Leonibus, aut Canibus similium enarrasset, in illo ipso terrarum tractu familiarium, in eandem etiam Simiarum classem refert Sphingem à se visam, ad muliebrem formam accedentem. Sed operæ pretium erit audire auctorem ipsum hoc adserentem in illo Historiæ Ecclesiasticæ compendio, quod primus evulgavit magnum nuper Patriæ meæ ac litteratæ Jurisprudentiæ decus, Jac. Gottofredus. Καὶ μὴν ἡ ΣΦΙΓΞ ἡμῖν ἐστι ΠΙΘΗΚΩΝ (αὐτὸ γὰρ ΘΕΑΣΑΜΕΝΟΣ ΓΡΑΦΩ) ἧς τὸ μὲν ἄλλο σῶμα λάσιόν ἐστιν ὡς τοῖς ἄλλοις πιθήκοις, τὸ δὲ στέρνον ἄχρι γε αὐτοῦ τοῦ τραχήλου ἐψίλωται, μάζας δὲ γυναικὸς ἔχει ἐρυθρᾷ τινὸς βαφῇ κεγχροειδεῖς, ἐπανασήματος, ἅπαν ἐν κύκλῳ τὸ γεγυμνωμένον τοῦ σώματος ὡειδοῦς, καὶ εἰς πολλὴν τινα εὐπρέπειαν ἀνθρωποφανεῖ. ὅλῳ τῷ ἐν μέσῳ χρώματι σπαρπαζομένῳ (leg. Gott. σπαρμοζομένῳ) τότε μὲν σπανίαν ἐπερωγύλωται μᾶλλον, καὶ εἰς γυναικείαν ἕλκει μορφήν. *Sed & SPHINX SIMIÆ genus est, (id quod CONSPICATUS SCRIBO) cujus quidem reliquum corpus hirsutum est, ut aliarum Simiarum: pectus vero ad collum ipsum usque glabrum est, mammas muliebres habet, rubra quadam tenuique, quæ milio similis est, papula totum corpus, qua nudatum est, in orbem percurrente, multumque decoris & gratiæ colori, qui in medio humano similis est, conciliante; facies vero rotunda plusculum est, & in muliebrem formam vergit.* Additque in sequentibus, Græcanicam de hac Sphinge narrationem inde natam, quod Thebas ab Ægypto delatum hoc animal, ferum in primis & ab Oedipo interfectum, fabulæ locum de- Lib. III. cap. II.

derit; alasque ob motus celeritatem eidem tributas, muliebre pectus ob similitudinem, & leoninum corpus propter innatam feritatem; sermonem vero illius animalis ad humanum accedentem, sed sono obscuro, ad ænigmaticum detortum. Neque mirum id esse, nam & multa alia Græcis (non Gentilibus hoc loco, ut vertit doctissimus interpres) morem esse in fabulam vertere: & ille hactenus. In eo itaque discrimen statuendum, quod fabulosæ omnino illæ fuerint Græcorum Sphinges, sicuti notat etiam Palæphatus; qualis nempe juxta Ausonianam descriptionem, *volucris pennis, pedibus leo, ore puella*, in obviis cum Augusti, & Chiorum nummis, tum in aliis simulachris Dianæ Ephesinæ, aut Galea Palladis, vulgo occurrit quum Ægyptias Sphinges ab iis diversas ac ἀπτέρυς, cum ex auctoritate veterum, tum ex monumentis in Urbe passim adhuc obviis, ac insuper ex Nummis etiam aliquot liceat observare. Quibus etiam accedit Ægyptii, & quidem luculenti scriptoris, Clementis nempe testimonium; qui nullas utique alas Sphingibus, sed totum corpus leonis, faciem autem hominis tribuit. Ita ut hinc errare pateat, tum qui non alias nisi alatas Sphinges credidere; tum qui inde omne hoc animantium genus continuo fabulosum statuunt. Nec juvat, quod vulgo tradunt antiquarii, ex Virgine ac Leone fictum ideo ab Ægyptiis, ut Nili sui incrementa hoc veluti symbolo adumbrarent: Notum enim, cum feracem monstris vel ignotis alibi animalibus Ægyptum & vicinam Æthiopiam, ut Strabo, Plinius, Ammianus, aliique observarunt, & juxta eosdem Theophylactus Simocatta, qui in specie de Nili animalibus ἀνθρωπομόρφοις multa veteres tradit commemorasse; tum è media rerum natura, & obviis in ea gente animalibus, sym-

lib. v. Stromat.

Histor. lib. VII. cap. 16.

symbola ac figuras virtutum ac rerum cœleſtium vulgo Ægyptios deſumpſiſſe. Nec diffiteor tamen, illam mixturam hominis & beſtiæ, Ægyptiis olim familiarem, ut præ aliis docet eximius apud Porphyrium locus, qui in aureo libello tradit volucrum & ferarum permixta ab iis cum hominibus corpora, ut oſtenderent ex Deorum ſententia, hanc quandam inter ſe communionem alere. Hinc Iſis ſub forma Leonis itidem, & cum facie muliebri occurrit nonnunquam in nummis Ægyptiorum, ſicuti in quodam Antonini Pii, quem ſervat Gaza Medicea: Ut mittam petitæ quoque ab aliis mixturæ illius humanæ & ferinæ exempla; ſicut adlati ſupra Amphipolitarum & Nicomedienſium nummi evincunt, in quibus Dracones cum humano capite viſuntur. Sed ut modo è Philoſtorgio, Simocatta, aliiſque notabamus, cum Æthiopiæ, Arabiæ, tum Ægyptii vel in primis Nili familiares accolæ id genus ἀνθρωπόμορφοι, ſeu *ambiguæ hominum & belluarum formæ*, apud Tacitum: unde & propter novitatem animalium, jucundam in eo tractu terrarum ſuſcepiſſe peregrinationem jam olim Severum, refert in ejus vita Spartianus. In eandem vero Simiarum id genus ſingularium elaſſem, quibus juxta Sphingem, multa cum Homine & Leone communia, Κήβες etiam (aliis Κήπες) relatos à veteribus novi, Agatharchide, Ariſtotele, Strabone, aliiſque; qui leoninam faciem, pantherinum corpus, priores autem pedes manibus, poſteriores humanis pedibus ſimiles tradunt. Neque tamen, ut verum fatear, unam ſemper iis formam adſingentes eoſdem videas. Cebos certe inter Simias referentem obſervo Proclum in Chreſtomathia apud Photium, Ὁ ΚΗΒΟΣ ἐστὶ δὲ ΠΙΘΗΚΟΥ εἶδος, CEBUS *eſt autem Simiæ genus*,

De Abſtinent. lib. IV.

Annal. II.

Cod. CCXXXIV. Biblioth.

Lib. x i. pag. 485. edit. Græc. Basil. eosdemque cum Simiis conjungentem Galenum, in eximio tractatu de usu partium, ubi docet, cur inferior maxilla, magna quidem Suibus, Asinis, Bobus, Equis contigerit, ἐλαχίστη ἢ ἀνθρώποις, καὶ ΠΙΘΗΚΟΙΣ, καὶ ΚΗΒΟΙΣ, καὶ Λυγξίν, *minor vero Hominibus*, & SIMIIS, & CEBIS & *Lyncibus*. Alibi vero eundem, Galenum legas cum Simiam, tum Cynocephalum, Satyrum, Lyncem rursus commemorantem, ὥσπερ καὶ ὅλως ἀπορῆς Πιθήκου, Κυνοκέφαλον, ἢ ΣΑΤΥΡΟΝ, ἢ Λύγκα, *ubi vero plane Simia indigeas, Cynocephalum, aut* SATYRUM *aut Lyncem* desumendum. In quem magni auctoris locum, quum opportune incidissem, dum in ejus operum lectione versarer, haud dubitavi continuo, per *Satyrum* (ignotum alias feræ genus) ad Cebum eundem respexisse; ut liquere mihi videbatur ex superiori loco, ubi eadem animantia, excepto Cynocephalo, conjunxisse memineram. Rem vero mox confecit Strabo, qui non solum alicubi Sphinges, Cynocephalos & Cebos itidem conjungit, ΣΦΙΓΓΕΣ, καὶ Κυνοκέφαλοι, καὶ ΚΗΠΟΙ, & SPHINGES *& Cynocephali*, & CEBI; sed clare alibi cultum docet apud Memphitas Babylonios Cebum, non jam ut priores leonina facie, sed Satyro simili; ἔστι δ' ὁ ΚΗΠΟΣ τὸ μὲν πρόσωπον ἐοικὼς ΣΑΤΥΡΩ, τ' ἄλλα δὲ κυνὸς καὶ ἄρκτου μεμιγμένος; *Est autem* CEBUS *facie quidem* SATYRO *similis, cætera vero inter canem & ursum*. Unde etiam colligas, haud unam fuisse horum Ceborum speciem, aliam quippe leonina facie & pantherino corpore; aliam vero Satyrum facie referentem, (ut cætera mittam) & Satyrum proinde magno Galeno nuncupatam. Quo etiam respexisse videtur Plinius, dum itidem juxta Galenum, Cynocephalos, Satyros & Sphinges alicubi conjungit, *Efferatior Cynocephalis natura sicut mitissima* SATYRIS *& Sphingibus*. Neque

Anatomic. lib. v i. pag. 167.

Lib. xvi.

Lib. xvii.

Lib. viii. cap. 54.

ægre

ægre ferent opinor Medicorum filii, haud magis ipsorum, quam Criticorum parenti hoc loco, & alibi quandoque lucem aliquam adtulisse. Sicuti vero inter diversa illa Simiarum genera, Cebi isti ad virilem aut Satyrorum formam accedebant; ita Sphinges rursus magis ad muliebrem, ut supra tradentem Philostorgium, testem oculatum, videbamus, & arguunt antiquæ illarum effigies ære aut marmore insculptæ. Neque vero hæc evertunt aliquot Nummi sub Cæsaribus signati, & ad Ægyptum spectantes cum vulgatis etiam Græcorum Sphingibus, non virgineis solum, sed alatis; quale ejusmodi παρθένιον πτέρον, ut Euripidi alicubi vocatur, occurrit in nummo veteri, cum inscriptione ÆGYPTOS, sed qui Romæ proculdubio percussus, non vero in Ægypto, ut existimabat Tristanus, sub Græco Sphingis habitu vulgo notiori, Provinciam illam veris alias Sphingibus abundantem designavit. In Phœnissis v. 813.

Sed ut demus aliquot id genus in Ægypto etiam percussos, quales utique occurrunt, fabulosas pro veris Sphingibus obtrudentes, cujus generis etiam suppeditat Mensa Isiaca; non ideo tot aliis veterum auctorum ac monumentorum testimoniis diversas apud Ægyptios Sphinges ceu Simias tradentibus, omnem continuo fidem valebunt derogare. Alatas quidem illas Græ-

Græcorum Sphinges quod ſpectat, mirantur docti antiquarii, cur eas paſſim in Chiorum Nummis liceat videre expreſſas; quum nemo id veterum dixerit, & Sphingem in Thebano tantum agro habitaſſe fabulentur. Quaſi vero fons & ratio omnium ſymbolorum aut inſignium, quæ occurrunt etiamnum in veteri illa ſupellectile, indicari aut erui hodie poſſent, aut vero res ejuſmodi continuo dent nobis explicatas, pauci illi qui ſuperſunt, priſcæ hiſtoriæ aut locorum enarratores? Mirentur vero iidem haud potiori jure cur illo Sphingis ſignaculo uſum quoque olim Auguſtum conſtet. Quod à Suetonio, Plinio, ac Dione obſervatum, non ſolum arguunt adhuc hodie hujus Cæſaris nummi, & ſignatus, ut Fulvio videtur, in Gente Cariſia denarius cum Sphinge, ſed expreſſa eadem cum Auguſto ac reliqua ejus progenie, in incomparabili illo Cimelio Regiæ Gallorum Gazæ, de quo poſt Triſtanum noviſſime egit Albertus Rubenius eo opere, cujus editione præclare meritum dicerem de his noſtris ſtudiis J. Georgium Grævium, ni ille propriis ingenii ac doctrinæ bonis dives, iis etiam litteras ac eruditos large liberaliterque demereretur. Cæterum en hic quoque Sigilli illius, ſeu Sphingis in nummo Auguſti occurrentis effigiem.

Sed ut ad Chiorum Sphingem revertamur, quid vero obſtat,

obstat, cur non statuamus continuo eandem tanquam fortitudinis & industriæ, juxta Plutarchum & Clementem apud Veteres symbolum, cum ab Augusto, tum à Chiis usurpatam? Nota certe abunde ex scriptoribus antiquis, Thucydide, Diodoro, Strabone, aliisque horum Insulariorum cum potentia mari quondam formidabilis, tum singularis quondam virtus ac industria; adeo ut omnium Ioniæ insularum nobilissima haud immerito Stephano nuncupetur. Nisi potius & illud placeat, Sphingem, tanquam in ænigmaticæ cujusdam & Oraculis allegoriisque involutæ sapientiæ symbolum à Chiis adhibitam videri. Neque id solum Ægyptiorum exemplo, quibus vulgo Sphinges ideo ante Templa positæ, quod, juxta eundem Clementem, doctrina de Deo esset ænigmatica & obscura; sed & recepto quoque apud alias Græciæ aut Asiæ urbes more. Sic à Phlegonte jam olim observatum, ut è Stephano Byzantio discimus, in priscis Gergithiorum Troadis Nummis, cum Sibyllam, tum Sphingem expressam; ἀφ' ἧς Γεργιθία ἡ χρησμολόγος ΣΙΒΥΛΛΑ, ἥ πως καὶ πεπόπωλο ἐν τῷ ΝΟΜΙΣΜΑΤΙ τῶν Γεργιθίων, αὐτή τε καὶ ἡ ΣΦΙΓΞ, ὡς φλέγων ἐν Ὀλυμπιάδων πρώτῃ. Inde vero explicandus mihi videtur denarius Gentis Carisiæ, qui hinc caput muliebre, illinc Sphingem exhibet. Lib. v. Strom. In voce Γίεμις.

Haud alia nempe illa Mulier, de qua silet Fulvius, quam Sibylla Phrygia, quam recepto, ut è Phlegonte audivi-

mus, more una cum Sphinge exprimendam curavit Triumvir Monetalis Carisius, ita ut etiam ad signum Augusto familiare respexerit, quod monuerat Ursinus. Nota autem non Phrygia solum, sed Erythræa etiam Sibylla, quas duas solas, non autem decem vult extitisse Martianus Capella, & postremam hanc Erythræam eandem cum Cumana contendit. Erythræ autem & Chios, vicinæ ac sociæ urbes, ut cum aliunde constat, tum ex errore Ammiani Marcellini; qui quod de Chio dixit Homerus, nempe superpositum illi montem Mimanta, id tanquam de Erythris ab eodem dictum refert, loci vicinia proculdubio deceptus. Hæc autem præclare illustrat Græcus Euripidis Interpres, Sphingem illam Thebanam, Socrati pro Vate aut Sibylla aliqua traditam narrans; Σωκράτης δὲ ἐγχωρίαν αὐτὴν φασὶ χρησμολόγον δύσγνωστα μαντευομένην, *Socrates vero tradit Vatem illam fuisse indigenam, obscura proferentem Oracula.* Accedit insuper celebris illa Prodici Chii de virtute ac vitio fabulis & allegoriis involuta tractatio, & quam diserte Clemens refert inter illustria ænigmatum & allegoriarum exempla, quibus veritatem sacris litteris contentam, à Græcis Barbarisque frequenter traditam satis fuse ostendit. Adeo etiam, ut brevi post factam doctoris illius Chii, ejusdemque allegoricæ doctrinæ mentionem, Sphingum usurpata eam in rem apud Ægyptios symbola, eodem loco moneat eruditissimus Patrum. Cui sententiæ de hac ænigmatica Chiorum Sphinge, videtur & hoc non parum suffragari: jactasse se imprimis hanc Insulam veri Fabularum & Allegoriarum parentis natalibus; unde & signatam accepimus illius Urbis monetam, illinc cum Sphinge, hinc cum Homeri effigie; cujus generis nummi nonnulli adhuc prostant, & qualem quoque adser-

Lib. xxxi.

Ad Phœnissas.

Lib. v. Stromat.

vat

vat Gaza Palatina. Quo loco præterire non possum ingeniosam ac eruditam doctissimi Bocharti notationem; Sphingem nempe φίκα Bocotis dictam, (ut liquet ex antiquis Grammaticis, Hesychio autem Βίκα) de muliere sagaci & per gryphos ac ænigmata, sui sæculi ingenia exercente, à voce Phœnicia פקה, *Pikea*, aut *Phikea*, quæ apertum ac videntem notat, unde & Picus insignis olim apud Aborigines vates sit nuncupatus. Dum vero in eo versor, casu quodam incido in aliam Cl. Tristani ea de re conjecturam; nempe ideo videri sibi signatam in Chiorum Nummis Sphingem, tanquam peculiarem notam ab iis impressam doliis illis aut vasibus, quibus forte vina Mareotica ab Ægypto delata continebantur, & quidem ad distinctionem, ut existimat, vinorum, quibus alias ferax erat eadem insula. Optassem equidem, ne excidisset nobili ac erudito antiquario inanis adeo ac omnino indigna reliqua Viri solertia & accuratione observatio. Quasi vero copioso præstantissimi vini proventu non abunde fuerit nobilitata hæc insula, (quod præter veterum testium nubem, Chia illa fictilia, quorum Athenæus meminit, & in iisdem Chiorum nummis vulgo cum Sphinge expressa, continuo arguunt; nec diffitetur Tristanus), ut necesse habuerit à peregrinis, & quidem Ægyptiacis vinis celebritatem quærere monumentis id genus? Galenus certe, inter ea vina, quæ antequam aucta Romanorum potentia celebratum fuisset Falernum, pro præstantissimis habita commemoret, tria recenset Asiaticæ, Chium seu Arvisium, à loco Insulæ ubi nascitur, Lesbium & Tmolitum à colle Tmolo, nulla ibi Mareotici facta mentione. Immo idem paullo ante monuerat, in tantum vinum Falernum eo præstare quod vulgo in cauponis venale prostat,

Schol. Hesiod.

Tom. 1. Comment. pag. 389.

Lib. 1.

Lib. 1. de Antidot. pag. 417.

ſtat, in quantum vino, quod in Ægypto naſcitur. Eandem Chio & quidem Arviſio vino, præ aliis Aſiaticis aut Inſulariis palmam tribuunt eruditi illi compotatores apud Athenæum. Unde licet colligere, non quidem caruiſſe haud incelebri vino Mareotico Ægyptum, ſicuti Barthio videbatur, quem jure eo nomine perſtringit Triſtanus; neque rurſus eam fuiſſe hujus vini Ægyptiaci præ aliis præſtantiam, ut Chii multum de eo debuerint eſſe ſolliciti, quibus longe optimum & commendatiſſimum domi naſcebatur. Aut quaſi etiam (ut demus his Inſulariis frequentatam vini Ægyptiaci vecturam) ideo Sphinx non ſolum fuerit continuo imprimenda vaſibus vino ſcilicet Mareotico onuſtis; ſed digna res utique viſa eſſet, quæ publice moneta nobiliſſimæ illius urbis, ad poſteritatis memoriam perpetuo ſignaretur? Quidni eadem ratione Alexandrum, compotatorem utique ſtrenuum, Sphinge pro ſignaculo uſum dicat, ac illius proinde nummis additam nonnunquam, ut videmus, Sphingem, (quæ percuſſi à Chiis nummi indicium) in memoriam ſcilicet aut cuſtodiam vini illius Mareotici, quo forte præ aliis delectaretur? Haud aliter nempe ac frumentum in quodam Indiæ loco repertum, ſigillo ſuo hunc Heroa obſignaſſe, jumentiſque impoſitum tradidiſſe, apud Arrianum legiſſe memini. Neque vero ideo Auguſtum, Sphingem ſigilli loco dicet uſurpaſſe; quem non Mareoticis, ſed Rheticis vinis maxime delectatum Tranquillus refert. Aut quaſi denique non liceat nobis, aliquanto magis probabiliter, immo certe confidenter ſtatuere, vel ad fortitudinis ac induſtriæ, vel ad ænigmaticæ cujuſdam & Oraculis allegoriiſque involutæ ſapientiæ ſtudium indicandum, familiare in eam rem & ſibi haud male conveniens Sphingis ſymbolum,

Lib. I.

Lib. IV. περ. ἀνάβ.

bolum, Chios olim opportune usurpasse. Sed quæcunque tandem fuerit ejus rei ratio, certe Sphingem signatam vidi in omnibus, quotquot versare mihi hactenus licuit, nobilis illius Insulæ numismatibus. Hujus generis aliquot, præclara inprimis ac minus obvia, occurrunt in Cimeliarchio cum Palatino tum Mediceo, & in posteriori quidem nonnulla cum monetæ pretio, nempe ΑΓΚΑΡΙΑ ΤΡΙΑ, aut etiam ΟΒΟΛΟΣ, & præterea cum singularis cujusdam pretii & raritatis epigraphe, ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΣ ΧΙΟΣ. Cujus attributi rationem, ut obiter hoc dicam, non adsequebatur in hac memoria versatissimus alias Cimeliarcha nuper Mediceus, Petrus Filton; qui à vini & frumenti copia, Cornucopiæ & Amphoræ symbolis in eodem nummo expressa, *Stephanephorum* ceu *Coronigeram* dictam hanc urbem existimabat. Alia enim longe causa hujus nomenclationis, quam cum aliunde, puta è Platone, Athenæo, Philostrato; tum inprimis ex Marmore Arundelliano, & Nummo quodam veteri, quem videbam nuper in Regia Gaza Parisiensi, præcipui magistratus constat exstitisse, cui Religionis & sacrorum cura incumbebat: qua de re consulendi ad utrumque illud antiquitatis monumentum Cl. Viri Seldenus ac Tristanus. Illud vero indictum haud licet præterire, Nummum ea de re sub Trajano Decio percussum, quem adtulit Tristanus, aliter ab eo descriptum, quam reperi in eodem vel simili numismate, quod possidet, ut modo innuebam, Regia Gallorum Gaza. Eadem nempe in utroque symbola hinc Decii Imperatoris, illinc vero Bacchi & Ariadnes in Bigis Pantherarum, nisi quod Regius nummus præeuntem insuper habeat Cupidinem, epigraphen vero accurate mihi inspectam, ΕΠ. ΑΥΡ. ΑΠΦΙΑΝΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΥ ΑΡΧΙ.

ΚΑΙ CΤΕΦΑΝΗΦ. ΜΑΙΟΝΩΝ, hoc est, *sub Aurelio Appiano, Athenæo, Pontifice & Stephaneforo, Mæoniorum.* Quam vero inscriptionem adfert Tristanus, ΕΠ. CΤΡ. ΑΥΤΙΑΝΟΥ ΒΑΧΑΡΑΤΟ Β. CΤΕΦΑΝΗ. ΜΑΓΝΗΤΩΝ, de qua potest consuli. Nollem equidem de fide nobilis antiquarii & de his nostris studiis bene meriti temere dubitare. At crederem facile, præter attritas vetustate litteras, eo inductum, ut Magnesiis hunc nummum tribueret, ob additum illud ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥ attributum, cujus in fœdere Smyrnæorum & Magnesiorum factam mentionem reperiebat in Marmore Arundelliano. Horum vero ΜΑΙΟΝΩΝ, sicuti scriptum in nummo Regio; plura memini me vidisse numismata; unum quidem cum Herculis effigie in Cimeliarchio Palatino, alterum vero in Gaza Reginæ Christinæ, cum capite muliebri velato & turrito, ac inscriptione ΜΑΙΟΝΙΑ, in aversa vero parte cum Fortunæ effigie, & epigraphe ΜΑΙΟΝΩΝ. Quod si revera similem nummum vidit Tristanus, qualem nobis descripsit, à Magnesiis sub eodem Decio & cum iisdem symbolis percussum; tum inde magis recepta in publicis monumentis horum Στεφανηφόρων auctoritas eluceſcit. Illud vero singulare habet superior Nummus Mediceus, quod non jam præsidi sacrorum, sed ipsi etiam Urbi tribuatur hoc nomen Στεφανηφόρα; adinstar nempe earum urbium, quæ Νεωκόρων appellationem, ædituis & sacrorum curatoribus propriam, ad se quoque derivarunt, & continuo in publicis Nummorum aliisque monumentis, loci aut Gentis nomini adscripsere: ut obvia passim hujus rei exempla contestantur. sed hæc obiter.

Tom. II. Comment. pag. 595.

SIRENUM vero genuina illa, quam iis veteres adscribunt, forma ex Nummis demum eruitur; superior nem-

nempe Virginis, reliqua, non in piſcem, ut vulgo, ſed in avem deſinens, juxta Ovidianam deſcriptionem,

Pluma, pedeſque avium, cum Virginis ora geratis.

Errat vero mea ſententia Aldrovandus, qui adſerit obiter Grammaticos Græcos à pectore ad ſuperiora, avis vel paſſeris effigiem, inferiori vero parte, formam Virginis illis tribuiſſe: plane contra Nummorum & auctorum veterum fidem. Vellem ut Grammaticorum illorum loca adtuliſſet; quum & Euſtathius, & Apollonii Scholiaſtes, & alii id genus nequaquam id tradant, nec ab Homeri, Apollonii, Ovidii, aliorumque deſcriptione diſcedant. Sed facilis fuit hic lapſus homini, qui omnibus aliis præſidiis potius, quam Græcis litteris inſtructus, apprime tamen inſtituto operi neceſſariis, præclarum alias & victurum opus adgreſſus mihi videtur. Errat enim gravius idem Aldrovandus, quum volucres id genus Sirenas haud plane fabuloſas cenſet, earumque viſa ſuperioribus ſæculis in Neapolitanis oris veſtigia, quibuſdam id tradentibus credit. Nimis certe credulus hic fuit, & Luciano confidentior; qui inſtituta quadam cum Sirenibus comparatione, continuo hanc addit cautelam, *ſi umquam tamen exſtiterint, εἴ ποτε ἄρα ἐγένοντο.* Quis enim neſcit, tres illius nominis Virgines Siculas, in totidem canora monſtra à Poëtis converſas, fabulæ locum dediſſe; quod præter alios docere illum potuiſſet Servius, *ſecundum fabulam tres in parte Virgines fuerunt, in parte volucres, Acheloi fluminis & Calliopes Muſæ filiæ.* Quod vero tradit idem doctiſſimus Grammaticus, unam voce, alteram Tibia, tertiam Lyra ceciniſſe, firmant adhuc ex parte nummi antiqui Neapolitanorum in quibus Parthenope Siren cum Tibia viſitur; qualis ille qui in Gente Petronia Fulvianæ collectionis occurrit.

In Nigrino.

Ad lib. v. Æneïd.

Hinc

Hinc nempe Augusti effigies, à quo instaurata Neapolis; illinc ut jam vidit Ursinus, Siren Parthenope. Ubi videas etiam gallinaceos pedes haud immerito Sirenibus à quibusdam ex antiquis tribui, sicut inter alios à Fulgentio; *Sirenes volatiles & inde gallinaceos pedes, quia libidinis adfectus omnia quæ habet spargit.* Ingenioſe vero doctissimus Bochartus nomen illud Sirenis, ab Hebræorum vel Phœnicum *Sir* seu *Cantico* derivat: nisi placeat potius Græcis, post metamorphosim dictas Σειρῆνες, à voce Σείρη ὀρνιθάριον τι ποιὸν, exigui volucris genere apud Hesychium, quo illas etiam Poëtæ vulgo induunt. Alas certe illis & cantum cum Musis communem tribuunt Veteres; unde Porphyrius, τὰς Μούσας ἐπτέρωσαν καὶ τὰς Σειρῆνας. Quin alatam etiam Sirenem, infra sellam sedentis mulieris spectare licet in nummo quodam Demetrii Soteris Mediceo, si fides habenda erudito nuper Admirandis Magni Ducis præposito: neque enim omnia & singula observare mihi licuit, quæ in tam ampla & divite penu omnis antiquitatis prostant. Recentium vero pictorum errorem in piscem eas convertentium, refellere poterant pictores antiqui apud Ælianum; quem jam ante Antonium Augustinum jugulasse animadverti vestratem Annibalem Caro, plurimæ elegantiæ Virum, in vernaculis Epistolis. Unde nollem amicissimum virum, & optime jam de hac antiquitate meritum, ac ulterius in dies meriturum, vulgato illo errore deceptum, Nummum

Mythol. lib. 1.

De Abstin. l. III.

Gen-

Gentis, ut existimat, Cossutiæ primum à se editum, in quo superne mulier, infra piscis, ad Sirenem detorsisse.

Nereidos nempe alicujus figuram continuo hic agnoscis, cujus generis, uti & haud dissimilem Amphitrytes, ac Tritonum videmus passim in antiquis Græcorum & Romanorum nummis. Consentanea iis quoque Syriæ illius Dercetos effigies, quæ dimidia itidem parte mulier, à femoribus autem ad pedes piscis, à Luciano commemoratur. Unde frequentes etiam ejusmodi figuræ, Mulieris nempe scopulo insidentis & parte inferiori aquis immersa, in priscis Syriæ ac Mesopotamiæ nummis occurrunt, de quibus alibi. In eundem etiam errorem incidisse observo vestratem Fortunium Licetum, qui in opere de reconditis veterum Lucernis novissimæ revisionis, ejusmodi Nereida vasi insidentem, superne nempe mulierem, infra vero piscem, de Sirene Parthenope accepit; cujus tamen longe aliam figuram paullo ante in denario gentis Petroniæ vidimus. Equidem (ne quid dissimulem) popularem illum errorem, implumes, vulgo Sirenes tradentium, tueri forte illud posset, quod apud Stephanum Byzantium ac Suidam legas; Sirenas nempe, suscepto cum Musis in Creta certamine, cantu inferiores deprehensas, præ dolore plumas abjecisse, indeque vicinum locum Apteræ seu *Implumis* nomen consequutum. Cui rei aut fabulæ posset suffragari rarissimus il-

De Rea Syria.

Lib. v i. cap. 35.

In voce Ἄπτερα.

lius urbis nummus qui exstat in Gaza Medicea, illinc cum capite muliebri ac epigraphe ΑΠΤΕΡΑΙΩΝ; hinc cum figura quadam stante, sed obscura ob nummum injuria temporis male acceptum, & quam ad Sirenem ejusmodi implumem forte liceret cum Cimeliarcha Mediceo referre. Sed neque eadem desinens in piscem, ut vulgo Siren hodie traditur; ac ut verum fatear, potior hic longe auctorum illorum & monumentorum veterum ratio, qui haud aliter quam alatas id genus Sirenas repræsentant, tum non alias earum sedes, quam in Siciliæ & Magnæ Græciæ seu Italiæ oris vulgo adsignarunt.

Ut vero in hos Sirenum scopulos impegisse intelligas ipsos antiquariorum antesignanos, neque prætereundus hoc loco error Fulvii Ursini, qui cum in Gente Petronia traditam supra Parthenopes Sirenes effigiem erudite observasset, aliam tamen haud parum diversam, obviam in denario Gentis Valeriæ, de Sirene quoque explicavit.

Neque enim Siren, galeata hæc avis & spiculis armata, sicut Ursinus existimabat, aut vero Harpyia juxta Antonium Augustinum; sed STYMPHALIS, nota è scriptoribus ac Poëtis antiquis Arcadiæ volucris, de quo avium genere & ratione nominis Lucretius,

Lib. v. —— *uncisque timendæ*
Unguibus Arcadiæ volucres Stymphala colentes.

quæ

quæ nempe homines invadentes, juxta Comicum, pinnis ferratis seu spiculis emissis advenas conficiebant, æreis autem crepitaculis juxta Apollodorum, aut vero crotalorum strepitu cum Diodoro, ab Hercule fugatæ primum, dein sagittis confixæ leguntur, sicut præter alios Boethius, Lib. 1. Bibliotheca lib. v.

Fixit & certis volucres sagittis. Lib. 1 v. Consol. Philos.

Hinc videmus Herculem, in veteri nummo Stymphaliorum, in memoriam scilicet hujus beneficii, signatum cum inscriptione ΣΤΥΜΦΑΛΙΩΝ ΣΩ, Σωτῆρ nempe, seu servatoris illius tractus. Unde etiam *Herculeas aves* vocat illas Stymphalidas Claudianus, quo non possumus dare meliorem superioris nummi interpretem,

Audieram memorande tuas Stymphale volucres, In Hystricem.
Spicula vulnifico quondam sparsisse volatu.
Nec mihi credibilis ferratæ fabula pinnæ
Visa diu, datur ecce fides, & cognitus Hystrix
Herculeas affirmat aves.

Agnoscis utique, *monstra hæc Stymphalia*, sicut vocantur Catullo, spiculis armata, & plane ad nummi fidem; quamvis Galeæ loco, cirrum iis in capite tribuentem Plinium norim; sed non mirum, armatam avem & ad prælia accinctam, Galea quoque à pictoribus aut cælatoribus antiquis ornatam. Ut certe haud parum sim lætatus in eandem de hoc Nummo sententiam incidisse quoque commendatissimæ famæ & eruditionis Virum, Nicolaum Heinsium nostrum; sicut ex litteris ejus ad virum omni laude virtutis ac doctrinæ ornatissimum Emericum Bigotium exaratis, haud ita pridem lubens percipiebam. Vides utique nihil fuisse huic monstro cum Sirene, præter alas, commune; quam non spiculis aut pinnis ferratis, sed aut Lyra In Maalium. Lib. x 1. cap. 37.

aut Tibia, ut ſupra videbamus, armant ac induunt Veteres; aut vero cum obſcœnis illis Harpyis, ſi vel Apollonii vel Virgilii deſcriptionem de iiſdem conſulas, qui non ſpiculis rurſus, ſed contactu omnia fœdare illas docent. Adeo ut cum Pythia vate apud Æſchylum exclamare liceat, haud eſſe diras illas volucres, quas utique aliter in tabula depictas vidiſſe ſeſe meminerat,

In Eumenid.

Οὐδ' αὖτε Γοργείοισιν εἰκάσω τύποις
Εἶδον ποτ' ἤδη Φινέως γεγραμμένας
Δεῖπνον φερούσας.

Signatas vero crederem (ut obiter hoc addam) has aves Arcadicas in denario hujus Valerii, vel in memoriam alicujus expeditionis in Arcadiam & vicina Stymphalo loca ſuſceptæ; haud aliter ac à geminis id genus incolis, marinis monſtris, Elephantibus, Camelis, Crocodilis, Maritimas, Africanas, Arabicas, Ægyptias victorias vulgo in nummis antiquis ſignatas noſti: Aut vero ad denotandam forte Familiæ originem, tanquam ex iis Arcadiæ locis in Italiam deductæ; conſueto iterum Gentium Romanarum more, memoriam ejus rei ſymbolis id genus poſteris prodendi, de quo alibi. A Sabinis quidem Romam tranſlata gens Valeria, juxta Halicarnaſſenſem, Sabini rurſus à Pelaſgis; Arcadia autem olim Pelaſgia, ut vel ex Stephano liquet, nuncupata. Ut mittam Arcadis Euandri ejuſdemque comitum in Latio ſedem; aut ſtellam in vertice capitis, anteriori parte ejuſdem nummi expreſſam, quo Stymphalis depingitur, in memoriam forte Arcadum ἀστεροσκοπίων.

Lib. IV.

SCYLLAM vero cum latrantibus canibus infima inguinum parte, obvius Sexti Pompeii denarius exhibet; figura ita Maronianæ deſcriptioni conſentanea, ut

ut illius nummi circa eadem tempora percussi interpres divinus Poëta extitisse videatur. De monstri vero hujus origine ac nomine, illud præter Grammaticos tradit Procopius, inde Scyllæ nomen ei inditum, quod in ea freti parte magna sit σκυλάκων seu canum piscium copia, quos catulos vocant. Alias idem monstrum quoque exhibet singularis quidam Nummus à Tarsensibus percussus, quem observabam nuper in Regia Gallorum Gaza, & cujus ectypum jam vulgavit Tristanus. CERBERUM autem, CHIMÆRAM, utrumque triceps animal & Poëtarum itidem figmentum, depictum, haud semel nosti in vetustis nummis. CERBERUM quidem cum Hercule ejus domitore in altera nummi parte, nummus Pisauriorum apud Goltzium & eidem geminus in Gaza Medicea repræsentat; sicut eundem Herculem, Cerberum pereutere paratum exhibent nummi Perinthi & Conticæ Heracleæ sub Gordiano percussi. Qui utique egregie illustrant id quod præter alios à Libanio traditum notaveram, & jam vidisse Tristanum postea deprehendi; domito demum illo monstro, conditam ab hoc Heroë urbem sibi cognominem Heracleam; in quam alias deductum ex inferis ab Hercule Cerberum refert Diodorus; Eundem rursus tricipitem Canem cum Plutone, seu juxta sedentis pedes, spectare licet in Gaza Medicea, in nummo insigni Trallianorum, cum Antonini Pii effigie. CHIMÆRAM vero non solum ostendunt vulgares Corinthiorum nummi, una cum Bellerophonte, sed & alii etiam Seriphiorum, cujus rei causam ignorare sese fatentur eruditi antiquarii. Haud aliam vero existimarem, nisi deductam forte in ea loca à Corinthiis Coloniam; sicut de illo more inde vulgo petendi gentis insignia agetur paulo infra. Ab Athenien-

Hist. Goth. lib. III. cap. 27.

De Vita sua pag. 12.

sibus quidem deductos primum novi Seriphios ex He-
Lib. VIII. rodoto; sed ita ut nihil obstet, alio tempore eosdem à Corinthiis instauratos. Polydecten vero & Dictyn Se-
Lib. I. Biblioth. riphi conditores referri ab Apollodoro videas. Alias non Bellerophontem quidem Chimæræ debellato-
Strab. lib. X. rem, sed Perseum in Insulam illam appulisse memorant
Eustath. in Dionys. auctores, qui adlato Gorgonis capite incolas in lapides converterit. Ut non mirum sit proinde *Saxi Seriphii*
Tacitus lib. IV. nomine ab Annalium scriptore eandem denotari, sicut
Lib. I. alias Origeni vocatur in opere contra Celsum, minima & ignobilissima Insula. Neque prætereundum hoc loco, observatum à me alicubi in penu antiquaria Pyrrhi Ligorii, quam habet Christina Augusta, nummum Hadriani, in cujus itidem aversa parte Bellerophon Pegaso vectus, & Chimæra depinguntur, cum loci nota ΑΛΑΙΩΝ ΚΙΛΙΚΩΝ. Interpretem vero illius Nummi dabimus Stephanum Byzantium, qui in voce Ταρσὸς observat, lapsum in terram cum Pegaso Bellerophontem, in solo hujus Ciliciæ Urbis oberrasse καὶ ΒΕΛΛΕΡΟΦΟΝΤΗΝ ἐν τῷ ΑΛΗΙΩ πεδίῳ πλανηθῆναι. Idem vero in voce Ἀλαὶ notaverat, urbem illam esse Ciliciæ, à qua dictum sit Ἀλήϊον πεδίον, & ad quam etiam spectat hic nummus. Consona quoque his legas apud Hesychium, in voce Ἀλήϊον. Chimæram alias cum Ibide calcantem Crocodilum, videre licet inter editas Gemmas antiquas Leonardi Agostini. HYDRAM autem, non jam triceps, sed septiceps monstrum, ejusdemque debellatorem Herculem, signatum quoque vidimus in variis Græcorum nummis, qui decantatos illius Amphitryoniadæ labores subinde ante oculos ponunt. Quo spectat præclarus quidam & plane singularis nummus Herculii Maximiliani, haud semel mihi inspectus in Gaza Christinæ Augustæ, & è

maxi-

maximorum, seu *Medaglioni*, quos vulgo appellant vestrates genere: in quo Hercules visitur Hydræ illius πολυκέφαλε, cum qua decertat victor, cum inscriptione HERCULI DEBELLATORI. Per Hydram autem, renascentem post tot funera, Christianorum gentem intendit designare novus hic Hercules; qui de prostrata scilicet eadem ac triumphata, cum Jovio suo Collega, hoc apud posteros monumentum voluit perennare. Gemina laus utrique Augusto impie quæsita jam olim in veteri lapide, quem adtulit etiam eminentissimus Annalium scriptor,

DIOCLETIANVS IOVIVS ET
MAXIMIAN. HERCVLÆVS
CÆSS. AVGG.
AMPLIFICATO PER ORIENTEM
ET OCCIDENTEM
IMPER. ROM.
ET
NOMINE CHRISTIANORVM
DELETO QVI REMP.
EVERTERANT.

Vides utique eum lapidem, luculentum nummi hujus commentarium, & utrumque vanæ haud minus quam impiæ jactationis monumentum. Sic Julianum in Epistolis audias Constantium vocare, πολυκέφαλον ΥΔΡΑΝ, HYDRAM *multorum capitum*; ut germanum illius Cæsaris in Christianos odium agnoscas. Ita improborum quoque supplicia, Hydræ renascenti comparat alicubi gentilis itidem Libanius; sicut alias Proæresii æmulos sophista Eunapius. Neque vero ad Hydrum serpentem ab Hercule peremptum, ut vulgo mythologi, sed ad Hydram quandam mulierem sophisti-

Epist. XXIII.

In Basilico.

ces

In Euthydamo. ces peritam, & ab Hercule non citra opem Jolai fratris devictam retulit jam olim eam fabulam Plato. Quod proinde symbolum, Hydræ nempe nummo, de quo agimus, expressæ, haud male scilicet in Christo addictorum sectam, & sociam utriusque Augusti in eadem debellanda operam, quadrare furentibus videbatur. Alias adinstar hujus Hydræ, ceu Draconis vulgo cum septem capitibus depicti in iisdem nummis, ἑπτακεφάλους Dracones apud Brachmannos exstitisse observantem lego Damascium in vita Isidori apud Photium. Quamquam novem etiam capita videas alios huic Hydræ adscribentes, atque inter eos Gregorium Nazianzenum, eo loco, quo appositè has ipsas quatuor, de quibus agimus, multicipes belluas commemorat ac describit; & cujus locum proinde, ut luculentum sequentium Nummorum interpretem haud pigebit hic adponere; τὼ ΥΔΡΑΝ ἢ οἴδεις πώποτε εἶπεν ἥμερον, ὅτι ἐννέα κεφαλὰς ἀντὶ μιᾶς προβάλλεται· εἶτα τῷ μύθῳ πιστέον· οἴδε τ' Παταρεικὼ ΧΙΜΑΙΡΑΝ, ὅτι τρεῖς καὶ ἀνομοίους, ὥστε εἶναι φοβερωτέραν· ἢ τ' ἐν ᾅδου ΚΕΡΒΕΡΟΝ, ὅτι ποσῶτος τε καὶ ὁμοίους· ἢ τὸ θαλάττιον κακὸν τ' ΣΚΥΛΛΑΝ, ὅτι ἓξ ἐν κύκλῳ καὶ φοινικοστόμους. *Atqui* HYDRAM *nemo unquam mansuetam dixit, quod novem capita pro uno proferret; nec Pataricam* CHIMÆRAM, *quod tria ac diversa, ut terrorem majorem adferret; aut illum apud Inferos* CERBERUM, *quod totidem & similia; aut* SCYLLAM, *æquoream pestem, quod sex in orbem, maximeque horrenda.* Mitto quæ in hac descriptione non videntur satis consentanea iconibus horum monstrorum, quas exhibent nummi antiqui; ut quum vel Hydræ, ut diximus, novem, aut Scyllæ sex in orbem capita tribuit, quum tria tantum ima inguinum parte eidem adscribant denarii Gentis Pompeiæ. Novi enim aut quam diversa nonnunquam de iisdem rebus

Tom. I. Orat. III. in Julian. I.

tradant

tradant antiqui fabulatores; aut quantum sibi nonnunquam pictores ac cælatores jam olim indulserint in iisdem exprimendis; aut denique quam veniam mereantur, qui in talibus recensendis minus se præstant accuratos. Verum ut habeant otiosi, quo ad illas horum Monstrorum Imagines, veterum id genus Auctorum de iis loca, & Poëtarum, quas ferunt fabulas jucunde exigant, en cum SCYLLAM biformem cum latrantibus Canibus, tum tricipitem CERBERUM; CHIMÆRAM triformem; septicipem HYDRAM; qualia in antiquis Nummis, cum suis debellatoribus Bellerophonte aut Hercule depinguntur. Neque enim hæc antiquariis solum scribimus, aut iis quibus obvia id genus monumentorum supellex continuo ante oculos posita, & quibus proinde levia hæc & trita forte videbuntur.

GRYPHAS autem & PEGASOS, alata & fabulosa monstra, Græcorum & Latinorum nummi frequenter repræsentant, quamquam de postremis videatur dubitare Plinius, an eadem fictitiis velit adnumerare: Æthiopiam enim multa similia monstra generare, pennatos equos & cornibus armatos, quos Pegasos vocant, alicubi agnoscit, at alibi, *Pegasos, equino capite volucres, & Gryphas aurita aduncitate rostri, fabulosos reor, illos in Scythia, hos in Æthiopia.* Ctesias vero in Indicis, veros id genus Gryphas agnoscere non veretur; ut alios mittam, quibus ad Euphratem traduntur inspecti, & proinde Εὐφρατήσιοι γρύπες nuncupantur; aut Magistrum Benjaminem, cui הנשר הגדול הנקרא גריפו *magnæ Aquilæ Gryphes dictæ.* Marinos autem Gryphas, in caudam nempe tortuosam desinentes, videre licet in nummis Yeliton apud Goltzium. Quod vero hic minime licet præterire, occurrit apud Tristanum nummus cum Gryphe & adscriptis litteris ΠΑΝ, quas ad Panem continuo refert, quem inde colligit priori nummi parte signatum, atque inde longam de Pane ῥῆσιν instituit. At vero ab ea facile potuisset ibi supersedere nobilis antiquarius. Neque enim Panem, sed Panormitanos Siculos innuunt initiales illæ litteræ ΠΑΝ, ut mihi continuo liquebat ad primum nummi apud Tristanum intuitum. Ita enim noveram signatos frequentissime Panormitanorum nummos. Et consultus mox Paruta id verissimum docuit, qui eundem inter Panormitanorum nummos refert.

Lib. VIII. cap. 21.

Lib. X. cap. 49.

In Itinerario.

Tom. III. Comment. pag. 83.

Idem

Sicilia Paruæ & L. Agoſtini Tab. IX.

Idem vero ille nummus, quem expreſſum à Triſtano reperies. De barbata & hirſuta figura conſule Auguſtinum Jueges in Annalibus Panormitanis, quibus traditos à Paruta nummos Panormi inſeruit & explicavit. Gryphem quod ſpectat, & de quo hic ſermo vertebatur, haud mirum eundem, qui Apollini, ut ſupra vidimus, ſacer habebatur, frequenter nummis variorum locorum inſculptum. Eundem certe crebro etiam ſignant nummi ejuſdem Inſulæ Syracuſani. Vetus alias Panormi inſigne, non Phœnicem exſtitiſſe, ut nonnulli crediderant, ſed Aquilam, ex antiquis id genus Panormitanorum nummis colligit vir doctus in ſcripto vernaculo Antiquitatum Panormitanarum. Gryphis vero vulgo haud diſſimiles PEGASI, quod nomen alias velocibus aut Circenſibus Equis tributum itidem noſti; quo & adludit Auſonius, ex emendatione viri magni,

Marianus Valgarnera Antichità di Palermo.

Pegaſus hinc dexter currant, ibi lævus Arion,
Funi ſed quartum det tibi Caſtor equum.

Sic alium Pegaſum, multis quidem palmis nobilem, ſed tandem ad piſtrinum infelici fato condemnatum, & eo nomine cum Theſſalia patria ſua expoſtulantem legas in veteri Epigrammate incerti auctoris,

Σοὶ πάτερ Θεσσαλίη πωλοτρόφε μέμψιν ἀνάπτω,
ΠΗΓΑΣΟΣ ὃς ἀθίνης πέρματ' ἐλώπασεν.

Neque vero multo felicius fatum nobilioris hujus, de quo agimus, Pegasi; à cujus fracto nempe calcaneo, & impresso ejusdem vestigio, caput Ciliciæ Tarsum denominatam tradit Polyhistor ille Alexander apud Stephanum Byzantium, & Avienus,

Impressaque solo liquit vestigia calcis.

A sessore vero ejus Bellerophonte, & inde orta pedis claudicatione, urbis etymon deducere malebat Thrax Dionysius, eodem Stephano auctore. Certe adhuc hodie rei seu fabulæ memoriam signare videtur impressus in Tarsensium nummo Medieeo, percusso temporibus Alexandri Severo, pes aut vero crepida. Haud aliter ac Lacedæmone olim locum quendam Sandalium appellatum tradentem lego Ptolemæum Hephæstionem apud Photium; ab Helenæ itidem Sandalio, quod illic exciderat, dum eandem Alexander persequitur. Σανδαλιῶτις alias dicta olim Sardinia, ut pro Σανδαλώτη bene apud Hesychium emendarunt viri docti, à figura, ut videtur, Sandalii. Cæterum ut *Pegasi*, sic *Volucres* dicti celeres id genus equi, qualis ille cui simulacrum aureum erexisse L. Verum Capitolinus refert, aut nonnunquam *Phœnices*, *Coraces*, sicuti Cleosthenis Equi apud Pausaniam; vel etiam *Aquilæ*, ut in veteri Epigrammate,

Cod. CXC.

Lib. VI.

Ὀπερ ἀελλοπόδων λάμψας πλέον ΑΙΕΤΟΣ ἵππων

aut nonnunquam *Aquilones*, ut in saxis antiquis, & qua ratione *Ventosos* eosdem jam olim dixit Ovidius,

Fast. IV.

Primaque ventosis palma petetur equis,

hoc est juxta Silium, de Equo itidem Circensi, *& ventos post terga relinquit*. Hyginus autem de Oenomao, *Equos aquilone velociores habuit*. Sed ut ad Pegasum redeamus, occurrit ille frequens in nummis Corinthiorum insigne, vel solus vel cum sessore Bellerophonte, modo cum

cum Leone, modo cum Chimæra depugnante, inscr. COL. L. JULIA. COR. seu *Colonia Laus Julia Corinthus*. Quo etiam referendi duo denarii Gentis Cæciliæ, à diligentissimo hujus memoriæ investigatore Patino primum editi.

Neque enim illi, quod arbitrabatur Vir amicissimus, ad Duumviros ad frumentum emendum; sed ad Coloniam Corinthum ab illis Duumviris deductam, omnino sunt referendi: sicut CORINT. etiam nomen in priori alterius denarii parte expressum satis aperte denotabat. Unde etiam his denariis nomina & memoriam debemus eorum ducum, à quibus excitatum denuo clarissimum illud Græciæ lumen. Veneris autem caput in altera nummi parte cum Corinthi inscriptione satis arguit, quam venuste urbem eam vocarit elegantissimus Orator, omnium urbium quæ sunt, aut quæ fuerunt VENUSTISSIMAM, πόλιν τῶν ἀσῶν τε καὶ γεγενημένων ΕΠΑΦΡΟΔΙΤΟΤΑΤΗΝ. Ut mittam quæ de Veneris apud Corinthios fano & cultu è veteribus, Strabone puta, Pausania, aliisque jam nota: aut quod Dio Chrysost. in Corinthiaca.

Stephanus de Urbibus. Hesychius, Eustathius ad Iliad. B. 290. Lib. IX.

veteres Grammatici docent, Κορινθιάζομαι idem esse quod ἑταιρεῖν, aut quod adhuc fœdius, τὸ μαστροπεύειν. Ut proinde satis opportune moneta illa Corinthiorum Pegaso signata, πῶλος iisdem juxta Pollucem vocaretur; καὶ ΠΩΛΟΣ τὸ ΝΟΜΙΣΜΑ τὸ ΚΟΡΙΝΘΙΟΝ ὅτι ΠΗΓΑΣΟΝ ἔχει ἐκτετυπωμένον; PULLUS *autem dicitur Nummus* CORINTHIUS, *ideo quod* PEGASUM *haberet insculptum.* Ea autem voce, non pullus solum, ad quem ibi respicit Pollux, sed præterea merx illa Corinthiorum vendibilis, si Hesychium consulas, vocabatur; πῶλος ἑταίρα, πῶλος γὰρ αὐτὰς ἔλεγον, οἷα Ἀφροδίτης πῶλος. Unde & Euripides olim, ὦ ἐν Κορίνθῳ, ἑταιρίδων, (ut citatur eidem Polluci alia occasione hic locus) seu de Corinthiacis agens prostibulis,

καὶ πὰς μὴ ἄξει πῶλον ἀνεψιᾶς.

Illud præterea ex iisdem Pegasis, aut πώλοις Corinthiacis colligas, cur in priscis Corcyræorum & Syracusanorum nummis, obvius passim occurrat Pegasus. De postremis res obvia in Sicilia Parutæ à Leonardo nostro recensita; & nos quoque haud unum hujus generis nacti sumus nuperrime in illa ipsa Syracusarum urbe. Corcyræorum vero Nummum cum signato Pegaso Severi temporibus exhibet Gaza Medicea, & alterum cum Plautillæ effigie, πάμπολιον Augustæ Christinæ. Corcyræ nempe sicut & Syracusarum Metropolis, quod Thucydides aliique authores docent, Corinthus. Retenta autem vulgo à Coloniis ceu Filiabus, Matris suæ insignia, & eadem publicis monumentis, ad memoriam prodendæ originis, consueto more contestata; quod vel hæc nummorum supellex clarissime nobis ante oculos ponit. Hinc idem Pegasus in nummis Ennæ Siculæ Urbis signatus, quippe à Syracusanis, quod Stephanus tradit, conditæ. Neque aliud arguunt

vel

vel frequens *Minotaurus*, in aliis Siculis urbibus, vel *Hercules* in Thasiorum, vel *Noctua* in Lebediorum Nummis, (ut sexcenta id genus mittam) nisi id quod aliunde etiam constat, à Cretensibus, Tyriis, Athenienſibus, eosdem illos populos propagatos. Ut vel inde satis liqueat, quantum lucis ad Geographiam veterem, & locorum origines emendandas, conferant id genus monumenta. Sed hæc alterius loci. Neque tamen Corinthi solum, aut Coloniarum ab ea deductarum, sed Africæ etiam insigne Pegasum videas in antiquis aliquot nummis, ob celerum nempe Equorum in ea regione proventum, ut bene jam monuit Cl. Tristanus. Præclarus autem alius quidam Antonini nummus, in quo apparet Mercurius Pegasum manu ducens; qui scilicet Aquilæ vice, alterum illum Ganymedem in cœlum veheret. Quo spectat alter insignis à Cl. Seguino nuper vulgatus, qui eundem catamitum exhibet sublimem inter Gryphis alas vectum: aut similiter Pegaso raptus in cœlum, ut Tristano visum, Augustus, ut Peireskio Marcellus, aut juxtâ Rubenium (cui & ego adsentior) Drusus Germanicus, in illa incomparabili Gemma Tiberiana. Honestiori utique vectura sublati in Deorum sedem, quam Vulcanus ille χερατίας; quem Asino alato, in cœlum à Baccho reductum, apud Aristidem legas. Mitto enim aut Comam Berenices ab eodem Equo alite in cœlum deportatam, juxta Catullum; aut eodem vectam vel Auroram, vel filium ejus Hesperum, juxta Lycophronem, aliaque prisca monumenta, quod jam erudite observavit Belgarum par insigne, Gevartius ac Rubenius. In Bacchum Tom. 1.

CENTAURI & MINOTAURI, ut feritate, ita sorte nascendi æquales, si Plutarcho credimus & Phlegonti Tralliano, qui ex promiscuis hominum & belluarum

rum congressibus nata hæc monstra credidere. Gemi-
Lib. de spe-cial. legib. num legas in eam rem apùd Philonem locum, qui ut Minotaurum ex Pasiphaes cum Tauro concubitu, ita ex infandis id genus hominum bestiarumque συνδυάσεις, tradit natos forte Centauros, Chimæras, aliaque id genus monstris similia. Quæ ratiò forte vel authoritas
In vita Pauli Eremitæ pag. 238. edit. Froben. movit beatum Hieronymum, ut dum visum Eremitæ simile monstrum refert, in incerto ponat quæ de illius natura ac veritate dicuntur: quod alias refellit Lucretius,

Ne forte ex homine & veterino semine equorum
Confieri credas Centauros posse;

& cùm Lucretio, ut alios mittam, non Palæphatus solum, sed aliquanto majoris auctoritatis Galenus. Hunc enim videas aperte negantem ἱππουσκελῆ ejusmodi ἄνθρωπον, aut ἱππάνθρωπον (ut hoc monstrum vocat, haud
More Nevoch. Part. 1. cap. 60. aliter ac Maimonides in præclaro opere, סוס אדם, hoc est, *Equum Hominem*) posse ex infandis id genus congressibus procreari, & Pindaro, utpote Poëtæ condonandum, à quo traditum sit, homines quondam Magnesiis equabus mixtos; unde continuo natus sit mirabilis exercitus, matribus quidem inferne, supra autem patribus similis. Plura audies eam in rem disputantem,
Lib. III. de usu Partium pag. 392. edit. Græc. Basil. in insigni illo de usu Partium commentario. Ut certe non ferenda sit vestratis F. Angeloni credulitas, optimo jure à Cl. Tristano jam castigata, dum ideo Centaurum in Gallieni nummis depictum statuit, quod scilicet ejusmodi monstrum Populo Romano exhibuerit spectandum Gallienus. Equidem haud unius generis nummi ita Centauros illos exhibent depictos, præter residua adhuc veterum statuarum monumenta, ut fabulosa monstra facile sese prodant. Hinc marem etiam & feminam Centauros spectamus in pulcherrimo

Num-

Nummo Juliæ Severi à Cl. Seguino evulgato, currum Liberi Patris trahentes, & feminam quidem inflantem fistulam.

Reliqua quæ ad præclari hujus nummi explicationem faciunt, petere licet ex eodem Seguino. Bacchum quidem itidem cum Ariadne sedentem exhibet alius nummus Faustinæ junioris, ab iisdem Nicænsibus percussus. Illud vero spectamus hoc loco Centaurorum ministerium, quale utrique præstant in superiori nummo; ut non mirum sit Centauros Baccho militantes, legere passim in Nonni Dionysiacis. Neque aliter Centaurus sagittarius occurrit comes Baccho adjunctus, aut Prusiæ sub Bacchi habitu depicto, in antiquis hujus Regis nummis Mediceis. Similem quoque Centaurum exhibet in eadem Gaza Medicea nummus Antonini Pii Ægyptius: Ut inde liqueat mos vetus Centauros illo habitu in nummis signandi, quem à Gallieno repetitum arguunt varia ejusdem numismata cum Centauro id genus Sagittario, & inscriptione Apollinis. Sagittarius enim, quod jam viderunt viri docti, vulgo in Dianæ tutela & Apollinis. Baccho itaque juxta & Apollini Centauri illi in antiquis nummis aut monumentis adscripti, unde & Manilius illustratur,

In Gaza Christinæ Augustæ.

Vid. lib. v. xiv. & xxxiii.

Et Phœbo sacer ades, & una gratus Iaccho
Crater, & duplici Centaurus imagine fulget. Lib. i.

Alias idem quoque ministerium, quod Libero Patri in

ſuperiori nummo, aliis quoque exhibentes cernimus hos ἱππανθρώπους. Sic Bigas Triumphales quas duo Centauri trahunt, memini me vidiſſe inter nummos Trajani Gazæ Farneſianæ. Victoriam quoque cum Bigis Centaurorum notavi rurſus in alio Trajani nummo Ægyptio. Centaurorum etiam Quadrigas eandem operam Herculi præſtantium exhibet nummus M. Aurelii, cum inſcriptione TEMPORUM FELICITAS. Quum tamen Centauros Herculem fugientes, ſuavi Sirenum cantu periiſſe tradat Ptolemæus Hephæſtio apud Photium, & inde Sirenas dictas Lycophroni Centauricidas. Quemadmodum vero Bacchum & Ariadnen à duobus Centauris in ſuperiori nummo Nicæenſium, ſic vel à duabus Pantheris ductos videas, ut in nummo Magneſiorum Trajani Decii, modo etiam à Satyro & Panthera ut in ſequenti numiſmate, cujus ectypum mihi indulſit illuſtris antiquarius Franciſcus Gottifredi.

In Gaza Barberina.

Percuſſus ille nummus, ut vides, ſub Antonino, Pio, ac ut licet augurari, in aliqua celebritate Bacchanalium. De Satyro vero aut Panthera Bacchi vehiculo ſubjunctis, trita omnia, & in ſuperioribus etiam excuſſa.

De PHOENICE vero, res forte anceps cuipiam videri poſſet, an continuo in hanc fabuloſorum animalium claſſem veniat adſcribendus. Equidem illibenter, non

non Tacito jam dicam, Plinio, aliisque id genus auctoribus, sed tot sanctissimis Viris, Clementi, Tertulliano, Origeni, Cyrillo, Gregorio Nazianzeno, & geminis sermonibus cogimur dicam mendacii scribere, qui aut veram, aut dubiam vel *possibilem* saltem de Phœnice narrationem credidere. Postremum certe videas omniscium Origenem haud refugientem in præclaro opere contra Celsum; quod ab aliis rursus nosti impugnatum, qui nullum id genus animal μοναδικὸν esse posse statuerunt, & quorum sententiæ lubentius & nos quoque suffragamur. Lib. IV. An vero Græcæ vocis apud Regium Vatem homonymia, & Palma in Syagris renascens, cujus Plinius meminit, occasionem illi de Phœnice fabulæ dederit, ut nuper observabat doctissimus Bochartus, fateor equidem haud mihi continuo probari. Lib. XIII. cap. 4. Ut enim demus sacros Christianorum Antistites, illa vocis φοίνικος apud Regium cantorem ambiguitate deceptos; at certe nemo dixerit eandem imposuisse Herodoto, aliisque antiquissimis inter Gentiles scriptoribus, à quibus traditam, & non à se repertam illam de Phœnice narrationem, avide in suos usus pii Antistites transtulere; Eo nempe consilio, quo irrisum & explosum adversariis resurgendorum aliquando corporum Mysterium, familiari apud ipsos Gentiles symbolo, adumbrarent tuerenturve; quod primum omnium nec perfunctorie factum à vestrate Clemente in aurea illa ad Corinthios Epistola; quod cedro & auro omni præstantius aurei sæculi monumentum Britannico orbi, ab annis haud ita multis acceptum ferimus. Inde etiam Phœnices vulgo in Cœnotaphiis Martyrum depictos, tanquam resurrectionis symbolum, liquet ex Actis Passionis S. Cæciliæ, ut jam observarunt viri docti. Illud vero sanctissimorum ho-

minum institutum egregie vel firmant vel illustrant obvii passim in nummis consecratorum apud Romanos Phœnices; qui Gentilium sententiæ de Augustis suis è busto ad cœlum prosilientibus, & in novam eandemque æternam vitam adsertis, prodita symbola adhuc hodie conspiciuntur. Hinc solemnes illæ inscriptiones, depicto Phœnici adscriptæ, ÆTERNITATI AUG.; ne miremur *æternam avem* dictam jam olim Claudiano,

Æternam ne perdat avem.

aut vero illud Christiani Vatis apud Eusebium, post recitatam de Phœnice Gentilium narrationem,

Ἕλληνικοῖς Ἕλλῆνες εἴξατε λόγοις
Πείθητε, λοιπὸν τὼ ἀνάστασιν σέβειν.
Græci ergo Græcis fabulis si creditis,
Ne jam negetis suscitari mortuos.

Unde Christianis etiam Cæsaribus idem novæ vitæ, vel novi quasi & fortunati quidem sæculi symbolum frequentatum. Præclarum inprimis ejus rei argumentum præbent obvii alias Nummi Constantini Junioris, in quibus Phœnix modo supra rupem, modo supra sphæram, ut in sequenti nummo, collocatus cernitur, cum memorabili illa inscriptione, FEL. TEMP. REPARATIO, seu *Felix Temporum Reparatio.* Cui insuper præmittemus insignem alium Nummum magni Constantini parentis, in cujus aversa parte occurrunt duæ figuræ cum Globo, supra autem Phœnix itidem radiatus, cum inscriptione illis temporibus familiari GLORIA SÆCULI VIRTUS CÆSS. Ejus autem iconem exprimendam curavimus beneficio viri commendatissimi nominis, Amplissimi Joachimi Camerarii nostri, præclari illius Nummi possessoris.

Ubi

Ubi videas nempe Phœnicem eadem figura, qua illum nobis Herodotus, Plinius, Solinus, vetus Poëta apud Euſebium, Claudianus, aliique tradidere; Aquilæ nempe magnitudine cum plumeo apice ſeu corona radiata, quam in ejus deſcriptione *ſolis imaginem* vocat Achilles Tatius; ut facile inde ſacrum ſoli animal & Horo in Hieroglyphicis, dictum *ſolis ſymbolum* adſequamur. Lib. III.

ACCEDUNT præterea alia quædam cælata in Nummis id genus monſtra, quibus ſymbolorum aut Naturæ Interpretes, poſſunt induſtriam ſuam excitare aut ornare luculentius. Unum quod inter Hieroglyphica Ægyptiorum animalia retulerim, exhibet Nummus Mediceus Hadriani, in quo cauda, corpus & pedes Leonis, pectus Crocodili, caput Iſidis cum flore, & deſuper *De* MONSTROSIS *Animalibus in Nummis.*

Sphinx cum rota. Hæc enim omnia Ægyptium nummum satis arguunt, & mea sententia, juxta familiaria illis symbola, Lunæ concordem cum Sole in hæc inferiora virtutem, & recurrens statis vicibus Jovis sui Ægyptii incrementum. In vicina quidem Æthiopia haud unum agnoscit monstrum Plinius, ex variis id genus animalium formis concretum, collo etiam, cauda, pectore Leonis, cætera diversum. Neque alienus ab hoc loco Nummus quidam plane singularis Gordiani Pii à Nicæensibus in Bithynia percussus, in quo figura inequitans monstro, capite equino, cum brachio veluti loco dextri pedis baculum serpenti involutum apprehendente, priori sinistro pede humano, duobus posterioribus equinis, cauda vero instar serpentis inflexa. Eques autem ipse ornatus galea ac thorace, dextra coronam tenens. Ipsa vero monstri inscriptio haud minus singularis, ΙΠΠΟΝ ΒΡΟΤΟΛΟΔΑ ΝΙΚΑΙΕΩΝ. Sed operæ pretium est, ipsam rarissimi & plane singularis Nummi iconem conspiciendam dare, beneficio Christinæ Augustæ, cum aliis id genus ex Regia vere ejus Gaza depromptam.

Lib. VIII. cap. 21.

Quid autem monstri alat hæc figura, fateor me juxta ignarissimos scire, neque ad quam vel histrioniam vel fabulam adludat hæc inscriptio, adsequi adhuc certo potuisse. Neque vel ex antiquis Strabo, vel Dio Chrysosto-

ſoſtomus, vel Memnon apud Photium, aliique, qui multa de hac primaria Bithyniæ Urbe, ejuſque vel Conditoribus, vel Tutelaribus Diis, Hercule, Baccho, Nicæa, Naiade, cæteriſque obſervarunt, vel quos conſului, eruditi monumentorum id genus interpretes, facem hic mihi prætulere. Si Arriani opus exſtaret, quo τὰ μυθικὰ Bithyniæ complexus apud Photium traditur, aut Alexandri, Menippi, Demoſthenis commemorata antiquis Grammaticis Bithyniaca, haberemus forte hanc rem magis explicatam. Quo loco mihi in ſolatium occurrit magni illius Herculis Muſarum, Joſephi Scaligeri confeſſio, profitentis tam multa in Nummis & inſcriptionibus antiquis latere, quæ nos fugiunt, & ex quibus tot præclara ac recondita liceret eruere, ſi illa utique poſſemus adſequi. Alius quidem Nummus ejuſdem Gordiani & ab iiſdem Nicæenſibus ſignatus, Bacchum eumque ſeniorem illum Barbatum exhibet, cujus cum [a]Diodorus meminit, tum ad Demoſthenem [b]Ulpianus, Pantheræ ſuper incubantem; urbis nempe illius περιπάτημα, ut ſupra notabamus, cum Victoriam, quam geſtat, & quæ ad Nicææ nomen videtur adludere.

In Scaligerianis pag. 222.

[a] Lib. IV.

[b] Ad Orat. κατ. μανδ.

Sed nihil Nummus ille ad priorem, neque magis alter Macrini Nicææ itidem percuſſus, cum figura monſtro ſimili, non Equo quidem ſed Elephanti inſidente, quem videbam nuper in Collegio Claromontano Pariſienſi. Cebos quidem Simiæ genus, priores pedes manibus,

nibus, posteriores autem humanis pedibus similes habuisse, supra ex Aristotele & Agatharchide tradebamus. At non Simiam hic, sed Equum cum dextra & pede humano, eique insidentem Equitem licet intueri. Ne quid tamen hic intentatum relinquamus, crederem facile ipsum Gordianum designari illo emblemate Bithyniam peragrantem, & quasi alterum Æsculapium, ceu gratum salutis auctorem conspicuum iisdem factum. Designati enim vulgo, ut nosti per Figuras Cæsarum Equestres, eorundem Adventus, & quidemali quoties in residuis hujus Gordiani nummis. Instar vero præsentis Æsculapii exceptum à Nicæensibus arguere videtur baculus ille serpente involutus, familiare hujus Epidaurii Dii symbolum; cujus etiam, ut antea monebamus, præ numinibus aliis salutares & frequentatæ vulgo apud Græcos Epiphaniæ. Æsculapium certe Nicææ cultum, haud minus ac Epidauri liquet ex Nummo Antonini Pii, in quo Æsculapius cum serpente ac epigraphe ϹΩΤΗΡΙ ΑϹΚΛΗΠΙΩ ΝΙΚΑΙΕΙϹ. Ut mittam Acesium juxta Æsculapium, & in ejus æde cultum apud Epidaurios, in alio nummo eorundem Nicæensium obvium, sicut præclare eruit illum & explicavit Tristanus. Neque cuipiam mirum videbitur, apprehensum aut gestatum ab illo Equo Æsculapium, qui equorum simul & hominum salutem huic Deo Epidaurio curæ olim fuisse meminerit, & eundem proinde juxta Equestrem Neptunum, invocari ab Hierocle in præfatione Veterinariæ Medicinæ, κεκλήσω δ' ἡμῖν συμφορεῖς ἓ λόγε τῆδε, ποσειδών τε ἵππειος, καὶ ὁ ἓ τ ἀνθρώπων ἡμῶς ΣΩΤΗΡ ΑΣΚΛΗΠΙΟΣ, ᾧ πάντως πᾶς ἱππων μέλει; *Invocentur vero & nobis operis hujus adjutores, Neptunus quidem Equestris, humani autem generis* SERVATOR ÆSCULAPIUS, *qui omnino etiam* EQUORUM CURAM *gerit*. Neque alias

alias à Gordiano abludens hujus Equitis effigies, maxime si Græcorum & Barbarorum nummorum rationem habeas, in quibus vulgo Cæsarum minus decoræ & inconcinniores formæ conspiciuntur, & adeo nonnunquam, ut fatente Cl. Seguino, Imperatores isti non vultu, sed solo nominis indicio agnoscantur. Ut certe id in eos quadret, quod de primis nascentis picturæ rudimentis observat alicubi Ælianus, adeo rudi & imperita arte efficta à pictoribus animalia, ut necesse haberent ad ea adscribere, hoc est Bos, Equus, Arbor. Accedunt vero firmandæ huic conjecturæ, aliorum quoque Cæsarum cum monstris cælatorum figuræ, in aliis barbaris & Ægyptiis nummis. Talis Hadrianus cum monstro Cynocephalo, in Nummo ejusdem Cimeliarchii inclytæ Reginæ. Ut jam mittam Isidem monstro etiam insidentem cum Sistro, quam Faustinæ nummus exhibet in eadem Gaza. Sed hoc fateor turbare videtur inscriptio illa superioris Nummi, ΙΠΠΟΝ ΒΡΟΤΟΛΟΔΑ ΝΙΚΑΙΕΩΝ, quæ & sensum reconditum & vocem Helladi hactenus, quod sciam equidem, inauditam videtur continere. Βροτοδαίμονας quidem novi dictos Græcis post mortem cœlo insertos, ut ex Hesychio constat; sicuti alias βροτολοιγὸν, Martem Homero, quod nemo ignorat, Amorem autem in veteri Epigrammate, quod Argentario, in Anthologia adscribitur, nuncupatum. Unde haud difficulter licebat illas voces in nummo distinguere, & supplere ΙΠΠΟΝ ΒΡΟΤΟΛΟΙΓΟΝ ΔΑΙΜΟΝΑ ΝΙΚΑΙΕΩΝ, *Equum hominum perniciem*, *Genium Nicæensium*. At non continuo licebat adsequi, quomodo illud attributum huic Equo conveniat, qui Æsculapii salutare numen apprehendit, ac proinde salutis potius quam perniciei auctor statuendus. Facessant certe præ illo Equite ei

In select. Numism.

Lib. x. Var. hist. c. 10.

Lib. 1. Epig. 77.

insidente, Bellerophontes, Persei, Antinoi, aliique in Pegaso, aut Gryphe sublimes; Hoc vero Equinum monstrum cum humano pede & brachio, quo Epidaurium Serpentem tenet, opportune mihi in memoriam revocat simulachrum illud apud Phigdenses Arcadas, cujus meminit Pausanias, Equino itidem capite, corpore tunica velato, una manu Delphinum, altera Columbam tractans. Aliud quoque in Syracusanorum nummis suppeditat Gaza Medicea, capite itidem Equino, cauda bifurca, stipiti incumbens, & Draconi cætera simile. Alterum rursus in iisdem videas alatum, Equino capite, cum duabus tibiis equinis, infra pectus caudam serpentinam. De quibus proinde usurpes illud Gregorii Nazianzeni, Θηρίον ἐκ πολλῶν θηρίων συγκείμενον ποικίλιδες καὶ πολύμορφον· *ex multis belluis conflatam variam quandam & multiplicem belluam.* Neque Serpens ille prætereundus, Equi dorso impositus, in rarissimo nummo Ægyptio Domitillæ Augustæ, Vespasiani Conjugis, quem vidisse contigit in Museo Lomeniano Cl. Patini, ac pro solita ejus comitate, illius ectypum ab eodem impetrare.

In Arcadicis.

Orat. 1.

Similem etiam Nummum habet Gaza Medicea sub Domitiano percussum. Referendum vero illud monstrum ad hieroglyphica id genus Ægyptia, ex diversis animantibus vulgo apud eos conflari solita; sicuti ex Porphyrio supra videbamus, aliisque antiquis eorum monumentis paullo ante commemoratis, & de quibus iterum

iterum Nazianzenus Ægyptum alibi compellans, ſecunda nempe in Julianum Philippica; τ' ἄλλα π ὅσα πλάσεις ἢ γεάφεις θηρία συώδεα καὶ ἀλλόκοτα; *aliaque quot-quot conficta tibi aut picta animalia, è diverſis generibus conflata & prodigioſa.* Ex his autem quæ ſupra adtulimus, abunde colligas, familiarem imprimis illi genti petitam à Serpente vel Dracone mixturam, ob divinitatem vel providentiam ei animalium generi paſſim apud eos tributam; ut ex præclaris & antiquis eorum Nummis luculenter demonſtratum. Alias ut equitantem hic vides Serpentem, ſic rurſus Serpenti inſtar Equi vel Cameli inequitantem ſamaclem, hoc eſt ſatanam, è libro Medrach tradentem legas Magiſtrorum doctorem in laudato ſupra opere. Cæterum plura id genus ex veterum Nummorum penu erui adhuc poſſent; unde iis qui monſtra vel vera vel fabuloſa congerunt, uberior materia diligentiæ & contemplationis ſuppeteret. Haud inanem illam inſuper ad myſteria veteris ſapientiæ, aut obſcura nonnunquam auctorum loca illuſtranda, facile unuſquiſque intelligit. Ita quidem, ut abunde de illorum judiciis ſecurus in poſterum eſſe debeam, qui ad aliquam Naturalis Hiſtoriæ lucem nihil omnino conferre id genus monumenta hactenus credidere; aut qui meam hac de re ſententiam, nimio cuidam erga Helenam, quam ornandam hic ſuſcepi, ſtudio & amori videbantur forte tribuere. Equidem quando id veris & novis ferme probationibus non viciſſemus, luculentos ejus rei teſtes ac præcones dare hic poſſem, in hoc ipſo naturalis hiſtoriæ argumento, aliorum induſtriam & conatus quodammodo ſupergreſſos. Unus eſt Ulyſſes Aldrovandus in Herculeo opere, qui Nummorum ſubſidium ad ejus illuſtrationem frequenter advocaſſe haud contentus, ampliſſimum alicubi hoc iis

Tom. I. Orat. IV.

Maimonid. Mor. Nevoch. p. II, cap. 30.

Ornitholog. lib. II. de Aquila.

testimonium præbuit; *Ut modo studioſi omnis Antiquitatis utilitatem aliquam ex noſtris hiſce Naturæ hiſtoriis percipiant, ſuis propriis ac aptis locis* NUMISMATUM *Imperatorum, aliarumque Familiarum antiquiſſimarum, & præſertim Aquilæ inſcribuntur, utrumque latus declarare decrevi: Atque id eo lubentius facio, cum cognoſcam hoc eruditiſſimo ſæculo in maximo haberi honore illa ſtudia in quibus variæ traduntur Hiſtoriæ, &* PRÆSERTIM ILLA QUÆ AD NUMISMATUM, *Marmorumque antiquorum lectionem ſpectant.* MULTA *enim ſub eorum cortice* LATENT MYSTERIA NATURÆ, *quæ maxime & perſcrutantium palato arrident animumque oblectant: Fateor equidem me* EX HISCE STUDIIS MAXIMUM SEMPER FRUCTUM PERCEPISSE, *atque hic inter alios authores Æneæ Vici, Huberti Goltzii, Gulielmi Chouli Galli, Sebaſtiani Erizzi opera uſum fuiſſe. Sed ſtudia iſthæc inprimis promovet autopſia ipſa, ideoque tum Romæ, Florentiæ, Ferrariæ, tum etiam in aliis locis apud Sereniſſimos Principes rariſſima multa vidiſſe* MIHI PLURIMUM PROFUIT. Quid potuit obſecro diu luculentius ad commendationem hujus mercis in hoc ipſo contemplationis genere, idque ab homine nullo ad id peculiari conſilio & tractatione adducto? ſuffragatur eidem clariſſimum Galliæ ſuæ lumen, & cum monumentis aliis reconditæ doctrinæ, tum noviſſimo de ſacris Animalibus immortale, Samuel Bochartus. Ille enim lecta priori hujus libri editione, & de nova iſta, quam adornabam certior factus, ab hoc inprimis ſingularium in Nummis cælatorum animalium argumento, immane quantum huic ſupellectili pretium ſtatuit, & quam inde magni nunquam ſatis æſtimandæ utilitatis fructus percipi poſſent, ſuis ad me litteris haud ita pridem ſignificabat. Superſedeo à verbis ejuſdem commemorandis, quia cum mea laude conjuncta verſantur.

DIS-

DISSERTATIO QUARTA.

DE PRÆSTANTIA ET USU NUMISMATUM ANTIQUORUM.

EQuidem illum, de quo modo agebamus, in ipsius NATURÆ contemplatione, rei hujus antiquariæ usum ac præstantiam, haud leviter vel firmat, vel illustrat; quod neque in ornanda PLANTARUM Historia supervacua omnis hæc Nummorum veterum supellex censeri debeat. Etenim qualis olim fuerit figura SILPHII aut LASERPITII Cyrenaici, decantatæ adeo apud veteres plantæ, nequidquam apud recentiores Herbarum collectores ac interpretes quæras; nec aliunde hodie quam ex Nummis disces. Hæc enim planta, quæ vel sola Cyrenaicam regionem per plura sæcula nobilitavit; unde & *Laserpiciferas Cyrenas* vocat Catullus, & cujus Laseris aliquot pondera in publico Populi Romani ærario recondita narrat Plinius, jam ante illius & Strabonis etiam ætatem, si fides eis habenda, apud Cyrenenses defecerat, cujus rei causam [a] hic in barbaros, [b] ille in publicanos transfert. Severi tamen ætate, Laseris illius Cyrenaici copiam adhuc Romæ superstitem extitisse, liquet mihi ex Galeno, qui in confectione antidoti, quale sibi frequenter paratum docet, adhibendi inter alia ὀπὸς Κυρηναικὸς diserte meminit. Ne putes solum in libris simplicium, hujus Laseris in genere magnum auctorem meminisse; unde loca

De SILPHIO *Cyrenaico in Nummis.*

[a] Libro XI.
[b] Lib. VIII. cap. 3.

Lib. II. de Antidot. p. 440. edit. Græc. Basil.

ca quædam viri docti ad Dioscoridem congesserant. Quod vero Aristoteles, Aristophanis interpres, Tzetzes, Hesychius, Suidas, olim tradiderant, Silphium in Cyrenensium Nummis vulgo signatum fuisse; manifeste etiamnum docent argentea & vetusta illius tractus Numismata, obvia in Cimeliarchiis antiquariorum. Unde etiam non piguit magnum Solini interpretem, nummos hujus generis, haud in uno Exercitationum Plinianarum loco producere; quo nobilissimæ illius plantæ vulgo ignotæ figuram ex iisdem repræsentaret; quod jam ante eum præstiterant duo Antonii, Piso & Augustinus in collectione Veterum Numismatum. Alteram quidem hujus Silphii figuram non parum diversam, ex antiquo Dioscoridis codice depromptam exhibet etiam idem ὁ πάνυ Salmasius; sed ita ut adulterinam eandem, aliam certe quam Cyrenaicam fateri ei sit necesse, & priorem ex Nummis prolatam, germanam & genuinam agnoscere. Nam quod alias prioribus curis, nihil in hac Nummi figura simile Apio reperiebat; cui similia tamen hujus *Libyci caulis* (sicut Lib. XIV. Antiphani vocatur apud Athenæum) folia, veteres auctores Theophrastus, Dioscorides, Plinius constanter tradidere, alibi postea producta accuratiori ex duobus aliis Nummis Silphii icone, feliciter retractavit; & sequens gemini nummi effigies deprompta ex Gaza Palatina hic ante oculos ponet.

Quod vero notat Tzetzes, in iisdem Nummis, non plantam solum, sed ipsos quoque signari Cyrenenses Sil-

Silphium Batto conditori ſuo offerentes (unde natum etiam proverbium Βάττε σίλφιον) fateor in reſiduis hodie Cyrenarum nummis nondum mihi obſervatum. Nec ideo tamen continuo illuſtri Scaligero accedo, falſi eo nomine Tzetzem arguenti; quod tamen pridem ante illum Græculum, levioris forte fidei, gravior aliquanto teſtis Ariſtoteles tradiderat: ſicut recte ex veteri Ariſtophanis interprete colligit Salmaſius, ut nulla amplius ſuperſit ratio dubitandi. Nec enim quia Nummi ejuſmodi hodie non exſtant, labat continuo illorum fides; quaſi omnia id genus numiſmata supereſſent, quorum veteres meminere, & præſertim gentis Africanæ; aut etiam talia adhuc quotidie non eruantur, prioribus antiquariis & ipſi olim Scaligero ignota. Ut mittam nihil alienum aut inſolitum, ſed familiare potius in Nummis id genus ſymbolum denotari, ut nobiliſſimæ apud ſe plantæ caulem offerrent ſuo Conditori; haud aliter ferme ac vel Palmæ, vel Lauri ramos, vel Spicas etiam offerentes nonnunquam Cæſaribus videas feraces iiſdem Provincias. Factum etiam illud Cyrenenſium Batto & ejus progeniei Silphium offerendi tangit Heſychius, ubi ſimul meminit Nummorum cum caule Silphii in iiſdem expreſſi; Βάττε Σίλφιον. παροιμία ἐπὶ τῶν ὑπερβαλλόντας τιμὰς ὑπομενόντων μεταπεπνευκέναι ἢ ἀπὸ τοῦ· Κυρηναίους ἐπὶ τῷ Βαττιάδων μεταδόσθαι ἐξαίρετον τὸ Σίλφιον, ὃ πέμπειν παρ' αὐτοῖς ὥστε καὶ ἐν τῷ νομίσματι ὅπου μὲν Ἄμμωνα, ὅπου δὲ Σίλφιον ἐγκεχαράχθαι. Ad quod proverbium reſpexiſſe obſervo celebrem ipſius Cyrenæ Antiſtitem; Τρύφωνι τὰ δῶρα παρεσκευάσαμεν, ὁπὸν Σιλφίου πολὺ Βάττε χαῖρε ἀκούεις αὐτό. *Tryphoni dona paravimus, Laſerpicium Silphii copioſum*, BATTI *ſcilicet* SILPHIUM *audis*. Locum vero Heſychii integrum adduximus, ut vindicaremus etiam illum à repre-

In Canon. Iſagog.

Syneſius ep. CXXXIII.

reprehenſione viri magni, qui poſtrema verba de Nummo Cyrenenſium cum caule Silphii, nihil ad explicationem proverbii *Batti Silphium*, nec ad honorem Batti quicquam pertinere, ad Solinum tradit. Atqui nihil hic peccavit, aut alienum adſeruit ſummæ accurationis Criticus; qui ubi rationem illius proverbii adtuliſſet, petitam ex more illo aut facto Cyrenenſium, præſtantiſſimum Silphium Batto, aut alicui ex ejus progenie offerendi, cauſam opportune adjungit, quod hæc planta in tanto apud Cyrenenſes honore haberetur, ut eam etiam in altera Nummorum apud ſe percuſſorum area ſignari curaverint; unde utique lux proverbio non mediocris accedebat. Nec minus etiam ibi lapſus eſt vir ſummus, dum eodem Heſychii loco deceptus, imberbis vultum ex Cyrenenſium Nummo prolatum, pro Jove Ammone obtruſit; aut quum ſententiam ſuam de priſcis & recentioribus Cyrenenſium Nummis ac figuris, in anteriori illorum parte expreſſis adtulit; qua de re uberior alibi dicendi erit locus. Battus enim, ut obiter hoc moneam, aut Ptolemæi Cyrenenſium Reges vulgo depicti cum Silphio, quod de poſtremis etiam adnotaſſe video Virum variæ & reconditæ doctrinæ Iſaacum Voſſium ad Melam. Equidem fateor poſſe τὸν πάνυ in ſententiæ ſuæ patrocinium, præter Heſychium, Suidam quoque advocare, qui itidem in una Nummi parte Ammonem, altera Silphium ſignatum à Cyrenenſibus tradit. Sed aut Suidas ipſe cum Heſychio deceptus, qui pro Batto aut Ptolemæis, Ammonem in iiſdem depictum credidere; aut quod longe mallem, alios adhuc Cyrenenſium præter hos, quos hactenus viderunt antiquarii, nummos inſpexere. Certe longe diverſa Ammonis effigies, qualem è nummo veteri protulit idem celeberrimus

rimus Voſſius, & de qua nos alibi in ſequentibus. Neque vero hic prætereundum, quod idem Suidas tradit, Ampeliotas Africanos Delphis caulem Silphii dedicaſſe; ut eximium quendam honorem habitum nobiliſſimæ huic plantæ vel inde facile adſequaris. Ut non mirum ſit, traditam quoque videre ab Arriano Cyrenenſium in cuſtodiendo Silphio ſollicitudinem, qui ſepem illi obducebant, quo greges ovium inde arcerent, & ideo quidem, quod magni fieret apud eos Silphium, ὅτι πολλοῦ ἄξιον Κυρηναίοις τὸ Σίλφιον. Unde etiam Auguſtus inter blanditias illas, quibus Mæcenatem ſuum nonnunquam demulcebat, *Laſer Aretinum*, eadem ratione qua illum *Ebur ex Etruria*, aut *Tiberinam Margaritam*, teſte Macrobio, ſolebat indigitare. Quin & illud haud pigebit addere, haud diſſimilem valde huic Silphio Cyrenaico figuram ex horto Patavino expreſſam, in libro Proſperi Alpini de Plantis Exoticis vidiſſe me non ita pridem apud laudatum modo Iſaacum Voſſium.

Lib. III. περ. ἀναβάσ. Lib. II. Saturnal. c. 4.

Alterius vero Plantæ, nec minus olim nobilitatæ luculentam etiam figuram Nummi Veteres nobis ſuppeditant. LOTUM Ægyptiam intelligo, quem Lilio ſimilem, immo Lilium Ægyptium, juxta Herodotum, tradunt vulgo auctores. Theophraſtus, Dioſcorides, alii, & uſibus variis ac dignitate in ea gente celebrem docent. At vero vulgo veteribus litem hic intendunt recentiores, qui illos ex una planta male duas effeciſſe exiſtimant; neque enim revera aliam eſſe Loton illam Ægyptiam, quam Nymphæam albam. Hujus enim Loti duo eſſe genera ſolo colore diſcreta; unum roſacei coloris, quod idem ſit cum Colocaſia ſeu Faba Ægyptia; alterum flore albo & Lilio ſimili, quod nihil aliud ſit quam Nymphæa Nilotica. Hæc inter alios viri ma-

De LOTO *Ægyptia in variis Nummis.*

gni ad Solinum ſententia, quam pluribus ibi adſtruere conatur. Sed ut largiamur multa habuiſſe hanc Loton, cum Nymphæa communia; puta originem in paluſtribus locis aut amnibus, florem Lilio ſimilem, caput inſtar papaveris, haud tamen omnino eaſdem plantas exſtitiſſe, conſtare poterit ex præclaris aliquot Ægyptiorum nummis, quibus frequenter cum flos Loti, tum Caulis, tum Fructus exprimuntur. Inſignes hanc in rem duo qui ſequuntur, quorum prior inſuper Harpocratem exhibet digitum ori admoventem, alter Iſidem Oro admoventem ubera.

Flos nempe ille expanſus, cui inſidet Harpocrates in priori nummo, haud alius quam Lotus, ut vel ex Plutarcho & Iamblicho liquet; ſicut erudite jam monuit Cl. Triſtanus. Aperte certe Iamblichus libro de Myſteriis Ægyptiorum; *ſi quidem Ægyptii fingunt in Loto ſedere Deum ſupra lutum.* Sic iidem, auctore Plutarcho, Solem infantem è Loto prodeuntem depingebant, addi-
Lib. de Iſid. ta ejus rei ratione, ἐδὲ τ ΗΛιον ἐκ ΛΩΤΟΥ νομίζουσι βρέφος ἀνισχεῖν νεογιλὸν, ἀλλ' ἔτως ἀναζολῶ ΗΛΙΟΥ γεγάφασι, τῷ ἐξ ὑγρῶν ΗΛίᾳ γινομένῳ ἄναψιν αἰνιττόμενοι; *Neque putant Solem infantem recens natum è* LOTO *exiiſſe, ſed* SIC ORTUM SOLIS PINGUNT, *innuentes, quomodo is ex humidis accendatur.* Caulis autem, quem manu geſtat, itidem Loti, qualem omnino deſcribit Proſper Alpinus, meliora

liora de hac planta, ut ipse agnoscit, edoctus ab erudito Medico, à quo Plantas Loti in Ægypto decerptas, cum floribus, fructibus, caulibus, foliis, se accepisse profitetur. Consule librum ejus, si tanti videatur, de Plantis Exoticis. Loti itidem Caulis, quem præfert infans Orus in altero nummo, Isidis matris uberibus admotus; Ornamentum autem illud capitis cum Harpocratis tum Isidis, Flos itidem Loti non expansus, quod non observavit Tristanus. Flores nempe in hac Planta candidis Liliis foliorum angustia proximi, multi ac densi, ut testis oculatus eosdem describit Alpinus; unde veteres etiam florem hunc non Lilio solum similem, sed nonnulli, ut etiam Herodotus, Lilium vocarunt. Unde jam adsequimur, non de Lilio, ut multi existimabant antiquarii, sed de hoc Loto explicanda illa capitis insignia, quæ frequenter in Ægyptiorum nummis occurrunt Lilio haud absimilia. Certe familiare fuisse Ægyptiis illud capitis insigne, sicut apud Græcos & Romanos Laurum vel Quercum, licet ex Heliodoro præterea colligere, apud quem præconum capita Niloo Loto redimita leguntur. καὶ πᾶς τις κεφαλὰς τῷ Νειλώῳ λωτῷ καταστέψαντες. Huc spectat etiam sequens nummus, in quo juxta hieroglyphica Ægyptiorum symbola, de quibus fuse jam egerunt Viri docti, Isidis caput Hydriæ impositum cernitur, cum simili capitis ornamento. Lib. x.

Nonnunquam vero floris loco, fructum ipsum Loti adhibitum videas inter duo folia, quo nempe insignitus occurrit Orus in superiori nummo, cum Matre Iside depictus. Loti nempe hujus fructus magnitudo, quanta papaveris maximi Theophrasto traditur. Eodem etiam capitis ornamento Osiris decoratus in quodam Ægyptio Trajani nummo à Cl. Seguino evulgato, ut facile mihi primum Gallorum antiquariorum decus largietur.

Lib. IV. Hist. Plant. cap. 10.

Non Loti, sed Perseæ Ægyptiæ ceu vulgaris Persicæ fructum existimarunt nonnulli in nummis id genus signatum, moti auctoritate Plutarchi, qui inter stirpes Ægyptias, Perseam Isidi maxime consecratam tradit. Mitto illud, quod Perseam Ægyptiam, & vulgarem Persicam confundant; quas tamen diversas arbores fuisse ac inter se haud parum dissimiles, vel ex Theophrasto satis liquet, & vere etiam ab eruditissimis viris observatum. Certe Perseæ Ægyptiæ fructum figura oblongum & Amygdalæ modo describit Theophrastus; Plutarchus autem citato loco, cordis speciem, folium autem linguæ referre tradit. Unde factum etiam observo, ut Arabes vocem ﻟﻮﺯ cum arborem fructum ferentem instar dactyli, tum Perseam etiam interpretentur. Dactylorum enim sicut & Perseæ fructus figura vulgo oblonga; unde & nomen illud prioribus hæsisse

Lib. de Isid. & Osirid.

fisse vulgo existimatur. Videant autem quam parum ea conveniant cum figura rotunda fructus, in commemoratis modo aut similibus nummis expressi. Coronam autem è Loto, Osiri familiarem, liquet insuper ex Plutarcho; qui refert Isidem ejus cum sorore congressum agnovisse, ex Corona Loti ab eodem apud Nephtyn relicta, καὶ πεμπόμενον ἰδοῦσα, τὸν μὲν ΛΩΤΙΝΟΝ ΣΤΕΦΑΝΟΝ, ὃν ἐκεῖνος ὡμίλει τῇ Νέφθει καταλιπεῖν. Lib. de Isid.

Locus autem signati superioris nummi, ut obiter hoc addam, singularis; nempe urbs Coptus, à qua lingua Ægyptia hodierna Coptica dici meruit, & quod oppidum à voce Ægyptia, quæ privationem notet ob Osirin ibi è vivis sublatum, derivat eodem loco Plutarchus. Cæteroquin diversum aliquanto à superioribus capitis ornamentum, in sequenti Galbæ nummo Ægyptio occurrit, quod an rursus ad Lotum referri possit, videbit ipse, qui hunc nummum alioque id genus, quos possidet præclaros & selectos, propriis observationibus brevi illustrabit, Patinus noster.

Florem autem Loti frequentius inter capitis ornamenta receptum videas in antiqua illa Ægyptiorum nummorum supellectile. Nilum certe, præter supra commemoratam Isidem, alibi etiam Osiridem, eodem ornamenti genere non caruisse, præter alios arguit nummus Hadriani Mediceus. Illum enim ἄνθεσι Νειλώοις, seu Nili floribus, quorum Heliodorus meminit, adnu- Lib. II.

merandum, jure Parenti suo hoc officium liquet præstitisse. Regibus vero & Reginis, ad Isidis nempe & Osiridis exemplum, eundem honorem habuerunt Ægyptii; sicut nummi aliquot superstites adhuc hodie contestantur. Juncta enim eodem modo videas Ptolemæorum cum conjugibus capita, cum flore illo in vertice, aut cum diademate in ejusmodi florem desinente. Quo refero nummos aliquot hujus generis in Gaza Medicea mihi inspectos, quorum unum eruditus illius Cimeliarcha male ad Jovem Ammonem referebat. Talem etiam florem Arsinoë Philadelphi & alter Ptolemæus in capitis vertice apud Ursinum præferunt; prior ex Nummo aureo, alter ex Gemma veteri expressus. Neque enim audiendus vir doctus, qui in Notis ad has Fulvii Imagines, florem illum de Silphio, & non de Loto accepit, ac proinde à Cyrenensibus profectum utrumque hoc monumentum credit. Figura enim illius floris ibi expressa à Silphio longius discedit, de quo paulo ante egimus, & Lotum revera Lilio haud absimilem prodit. Quæ omnia certe egregie illustrant haud ignotum eruditis antiquariis Diodori locum, quo receptum tradit apud Ægyptios, Leonum non solum, Taurorum & Draconum, capita Regibus suis circumdare; sed Arbores etiam, Ignem & suffimenta in vertice eosdem gestare; cum ut his decore se exornent, tum ut stuporem aliis & superstitionem simul injiciant. Ex quibus præterea lucem aliquam fœneratur Athenæus, qui Coronas plexas ex floribus Loti apud Alexandrinos commemorat, quibus postea *Antinoëarum* nomen suave poëtæ cujusdam commentum dedit. Ipsum certe Antinoum eodem Loti flore coronatum videbam non ita pridem in singulari ejus nummo incomparabilis Regiæ Gazæ Parisiensis. Immo

Lib. I.

Lib. XV.

mo etiam Animalium apud eosdem Ægyptios vel sacrorum vel nobilium capita, haud absimili ornamento insignita nonnunquam observo in priscis ejusdem gentis nummis; cujus generis en tibi Serpentem signatum inter Ægyptia Hadriani Numismata, cum Sistro & Caduceo.

Serpens ille forma & magnitudine conspicuus, ac è majorum, ut videtur, illarum Aspidum genere, de quibus supra egimus. Ornamentum autem capitis, si Tristanum consulis, qui præclarum illum Nummum jam ante evulgavit, lucerna, & ex earum quidem genere, quas in Pompa Isidis prælatas tradit Apuleius, *aureum* nempe *Cymbium in medio suo patore flammulam suscitans largiorem.* At certe florem potius esse, quam Lucernam aut illud Cymbium Apuleianum, cum abunde ex superioribus, tum ex accurato examine ipsius nummi liquere mihi videtur. Eo forte facilius referri posset prælatum capitis insigne in alio Serpente seu Dracone, insignis magnitudinis. Tom. 1. Comment. pag. 498. Lib. 1 x.

Pri-

Primus olim protulit eum Erizzo, inter nummos ejusdem Cæsaris Hadriani, qui insigne illud capitis de crista aut caruncula interpretatur. Fortunius autem Licetus in novissimo opere de reconditis antiquorum Lucernis, multis capitibus eundem Nummum sibi illustrandum suscepit, & eo fine imprimis ut Lucernam, hujus Serpentis capiti impositam doceret. Mitto quidem indigna erudito antiquario, quæ adfert ad illustrationem & explicationem hujus rei; ut quum de Adriani consilio suam in Græca & Latina lingua peritiam ostentandi, mixta scilicet nummi epigraphe ex Græcis Latinisque litteris L I Δ, nos vult certiores reddere; aut quum easdem numerales litteras festive sane interpretatur, *Lucernas Invenit Delta*, quæ certe nihil aliud sonant, ut vulgus antiquariorum novit, quam annum imperii Hadriani decimum quartum, quo percussus est hic nummus. Alias non jam florem aut Lucernam, sed Cristam revera aut carunculas præferre videtur alius nummus cum signato Dracone, & Caduceo itidem ac spica, cujus ectypum amicissimus Patinus nobis indulsit.

Lib. XVII. Strabo uno vel altero loco refert magnos Dracones in Æthiopia occurrere, quibus superne herba nascitur, &
Lib. XVI. quos haud injuria fabulosis alicubi adnumerat. Interpretes vero vulgo pro πόα seu herba, πτέρα ibi seu alas legunt, ac eorum fide, de volucribus scilicet draconibus hæc loca passim accipiunt viri docti. Ad illud vero draconum genus referre quis posset superiorem, modo expres-

preſſum, ni opportunius liceret de carunculis explicare, quas alias huic draconum generi veteres tribuunt. Neque aliter magnus Galenus de Baſiliſco agens alicubi, tres in capite eminentias docet illum habere, ἐπὶ τῇ κεφαλῇ τρεῖς ὑπερoχάς. Diverſi vero rurſus à ſuperioribus duo illi Dracones aut Serpentes, quorum alter mammoſus nempe Iſidem, alter Oſiridem nobis adumbrat. Lib. de Theriaca ad Piſon. p. 460.

Perſeæ fructum inter duo folia ſignatum credit Triſtanus in priori illo Dracone, qui Iſidem repræſentat. At Perſeæ Ægyptiæ fructum aliter deſcribunt nobis veteres, ut paullo ante innuimus, oblongum nempe & amygdalæ inſtar, cui minus convenit illa fructus effigies duobus foliis inſerti. Ut proinde melius Loto poſſet adaptari, cujus fructum inſtar Papaveris maximi eoſdem docentes diximus. Alterum vero illud inſigne appoſitum capiti Oſiridis ſub Dracone itidem adumbrati, frequenter ſignatum videas in Hieroglyphicis Ægyptiorum monumentis, de quibus conſulendi illorum promi condi Laurentius Pignorius in Menſa Iſiaca, & Athanaſius Kircherus in ſuo Oedipo. Ad quæ referenda etiam ſequens effigies, deprompta è penu antiquaria Viri eruditæ ac elegantis induſtriæ, Petri Bellorii noſtri, quæ Ægyptium ſeu Iſiacum ſacrorum miniſtrum exhibet, cum ſolito illo capitis ornamento, ſubligaculo ſacerdotibus Ægyptiis familiari, de quo Apu-

Lib. XI. Metam. leius, *ſed Antiſtites ſacrorum proceres illi candido linteamine cinctum pectorale adusque veſtigia ſtrictim injecti*, & appoſitis cum florum aut fructuum primitiis, tum inſuper Anſeribus vulgo Iſidi ſacris, ac juxta Artemidorum, in Templis diverſari ſolitis.

Oneirocr. lib. IV. cap. 85.

I. W. Ingrassen. F.

Sicut

Sicut autem Serpentes & Dracones passim floribus id genus coronatos, ita Arietem quoque cum simili capitis insigni conspiciendum præbet Nummus Hadriani Mediceus; sicut alias Leonem radiatum Ægyptii aliquot nummi, ut eo nempe symbolo Solem nobis adumbrarent, ut jam viderunt viri docti. Neque vero huc spectant, aut *Olea* coronati frequenter in Romanorum & Græcorum nummis, vel Boves, non victimarum solum more, sed quod apud Barbaros susceptæ etiam pacis indicium, ut ex Ammiano licet colligere; Lib. XXIV. aut Equi vel jugales, vel desultorii, in Triumphi nempe aut etiam Circensis vel Olympicæ victoriæ signum; aut Elephantes cum corona vel capiti, vel dorso imposita, in duobus præclaris nummis Caracallæ, priori Mediceo, posteriori apud Erizzum; aut Cervus denique *Corona Hederacea* cinctus, unus scilicet è Mithridatis (Liberi Patris nomen & habitum mutuati ut infra videbimus) custodibus juxta Ælianum, ac proinde in Lib. IV. ejusdem nummo signatus. Ita quidem, ut mihi jam cap. 40. non opus sit, *Laurum*, *Spicas*, *Populum*, *Apium*, *Quercum*, *Hederam*, *Oleam*, *Myrtum*, *Pampinum*, obvia cæteroquin in Nummis, & nota Deorum Dearumve, Regum, Cæsarum, Triumphantium, Bacchantium, Hieronicarum, & præterea Tripodum, Sellarum etiam Curulium decora vel insignia, in subsidium hujus contemplationis, quam commendare hic institui, advocare.

STROBILUM quidem seu NUCEM PINEAM, tanquam vetus Vindelicorum insigne, videmus in vetustis aliquot Nummis, cum Augusti effigie in anteriori parte. En duos id genus, quorum unus solam Nucem id genus Pineam, alter sedentem ac turritam mulierem, Urbis symbolum, in cujus gratiam percus- *De* NUCE PINEA *in Nummis ac ejus usu in Mysteriis Gentilium.*

ſus Nummus, exhibet, quæ dextra Strobilum itidem, ſiniſtra Cornucopiam tenet.

Marco enim Velſero lubenter adſentimur, qui eoſdem Patriæ ſuæ & nobili Auguſti Coloniæ, unde nomen etiam meruit, vindicavit; ac à Pinus in eo tractu frequentia, petitum Urbis ac Gentis inſigne erudite adſeruit. Nec mirum utique, quum & haud abſimilem quoque Strobilum ſignatum videre liceat in priſcis aliquot Græcorum Nummis, ob eandem nempe arboris illius copiam in eorum tractu. Hinc Mamertinorum nummus apud Goltzium cum Nuce Pinea, addito Martis capite, & inſcriptione ΑΡΕΟΣ, qui Mamers Oſcorum lingua vocabatur. Quum enim paſſim laudetur veteribus Pix Bruttiorum, (unde etiam eorum nomen derivat doctiſſimus Bochartus) in quorum ditione erat Mamertum; ita apud Urbem illam ſylvam fuiſſe narrat Strabo ferentem optimam Pinum, quod jam viderunt eruditi antiquarii. Neque vero alia de cauſſa ſignatum etiam reperio cum Delphino Strobilum in ſequenti nummo Syracuſanorum, quorum tractus non maritimus ſolum, ſed ferax etiam illo arboris genere.

Tab. xxvii. Mag. Græciæ.

Lib. v.

Oc-

Occurrit præterea Nux id genus Pinea cum symbolis aliis in præclaro Myrinæ urbis Æolidis nummo Mediceo, qualem etiam videre licet apud Tristanum, quamquam minus accurate expressum. Ut jam nihil dicam de Ærea illa Nuce Pinea, vetusti ac singularis operis, quam in Mole Hadriani, obvio adhuc & jucundo spectaculo, lubentes sane hic intuemur. Neque vero celebritatem locis aut monumentis id genus inde quæsitam miraberis; qui, ut alia mittam, nobilem hanc Nucem in Liberi Patris mysteriis, procul dubio apud eruditissimum Clementem legisti, idque firmatum antiquo illorum mysteriorum interpretis Orphei testimonio,

Tom. II. Comment. pag. 140.

ΚΩΝΟΙ καὶ ῥόμβοι, καὶ παίγνια καμπεσίγυια.
PINEÆ NUCES, *& trochi, & ludicra membra flectentia.*

In Protreptico.

Unde etiam vidisti, ut opinor, non semel in antiquis Bacchantium, qualia plurima hic in Urbe supersunt, monumentis, Nuces id genus Pineas Thyrsorum fastigio impositas. Immo inde factum observo, ut Κῶνοι etiam dicti sint iidem Thyrsi, quod erudite, ut solet, notat Hesychius, Κῶνοι οἱ θύρσοι, καὶ οἱ τρόβιλοι, καὶ οἱ τρόμβοι. Sacer quoque & frequens hujus cum arboris, tum fructus usus in sacris Cereris. In iis enim Pinus Ramum infra lectum collocare soliti, & Pinus fructum ceu Conum simulacro Deæ adponere, idque ad indicandam generationis vetustatem. Docet id Stephanus in voce Μίλητος, cujus verba partim mutila, partim corrupta, ita supplenda censeo ac emendanda; οἱ γὰρ Ἀθηναῖοι ἐν τοῖς θεσμοφορίοις ΠΙΤΤΟΣ ΚΛΑΔΟΝ ἐπὶ τῷ τιθάδα, καὶ ὅτι τὸ τῆ Δημητρὸς ἱερὸν ΚΩΝΟΝ (non κλῶνον) ΠΙΤΤΟΣ ἐπίθεσαν, ἀφ' οὗ τὸ ἀρχαῖον τῆς ἡμέρας. Strobilus nempe ceu Pinus fructus Græcis etiam κῶνος simpliciter, vel πίτυος seu πιτύϊνος κῶνος dictus; ut vel ex

ſuperiori Orphei verſu, ac præterea ex Theophraſto, Athenæo, Heſychio, aliiſque vulgo notum, idque propter figuram κωνοειδῆ. Athenæus quidem, Θεόφρας῾ ὃ τὸ μὲν δένδρον πεύκην ὀνομάζει, τὸν δὲ καρπὸν ΚΩΝΟΝ; *Theophraſtus autem arborem quidem Pinum vocavit, fructum autem* CONUM. Ut vel inde liqueat, nihil cauſſæ fuiſſe, cur nobilis & eruditiſſimus Senex noviſſimi Theophraſti Interpretes caſtigaret, qui obviam πεύκης vocem apud illum auctorem per *Pinum* reddunt, cujus loco *Picem* ſcilicet vertere debuiſſent; hanc enim eſſe πεύκην, Pinum autem πίτυν. Illud enim in Theophraſto veluti peculiare obſervat Athenæus, ut quem Pinus fructum alii πιτύϊνα κάρυα, aut πιτύϊον κώνον appellarint, ipſe κώνον ſimpliciter, arborem autem ipſam πεύκην indigitarit. Et ita certe accepiſſe poſtremam hanc vocem Theophraſtum, clariſſime liquet ex peculiari capite, quo πεύκης & πίτυος differentiam tradit: vulgo alias πίτυν de *Pinu* apud Græcos, & πεύκην de *Pice* invaluiſſe, extra dubium utique, nec probationibus res indigebat. Ut vero ad Stephanum revertamur, lacunam in eodem ſub initium ſuperioris loci occurrentem, cum voce Ἀθηναῖοι ſupplevimus; non ſolum quod apud eos, ut omnes norunt, & ab iis orta ſint ſacra illa Deæ legiferæ Theſmophorica, quorum ibi mentio; ſed etiam quod Miletus, ad quam refertur hæc à Stephano notatio, eſſet Colonia Athenienſium, ſicut vel ex Herodoto conſtat; & quam alias à Pinuum copia, aut quod primum ibi nata eſſet Pinus, πιτυοῦσαν dictam, obſervat in eodem loco Byzantius Grammaticus. Præclare autem eundem ac ſuperiora illuſtrat, qui & inde viciſſim explicandus venit, ſingularis quidam Catinenſium Nummus Mediceus, in cujus averſa parte figura occurrit nuda cum Ramo Pinus in dextra, ad pedes autem

Lib. II.

Lib. III. Hiſt. Plant. cap. 10.

Lib. I.

tem Nux Pinea cum epigraphe KATANAIΩN. Ad ista enim Liberi Patris aut Cereris mysteria liquet continuo referenda eadem symbola, in quibus, ut modo è Stephano videbamus, cum Ramus Pinus, tum fructus ejusdem solebat adhiberi. Sacrum autem Baccho ac Cereri locum, non tam mihi fidem faciebant luculenta veterum ea de re testimonia, vel obvii ejus urbis nummi, modo cum Bacchi Bigis Pantherarum aut si mavis Tigridum vecti, modo cum Spiceæ Deæ effigie; quam inspectus mihi coram loci situs, dum nuper Siciliam lustrarem. Unde etiam, ut ad aliorum quoque Numinum vel mysteria, vel symbola traductum eundem Pinus fructum intelligas, Æsculapius imberbis altera sceptrum, altera sativæ Pinus fructum tenens apud Pausaniam descriptus alicubi occurrit. Ex quo usu certe Pineæ Nucis in mysteriis ac Religione Gentilium, nata illa Talmudicorum prohibitio, quæ in libris eorum legitur, אלו דברים אסורים לכבור לנוים ; אצטובלין שוח וכו׳ *Hæ res vetitæ sunt, ut vendantur gentibus, nempe* NUCES PINEÆ, *ficus albæ, &c.* & addita mox ratione, quod vulgo eas ante Idola sua suspendant: quæ vides quam sint consentanea iis, quæ modo è Stephano aut Nummis de hoc more tradebamus. Equidem nugabantur suo more illi recutitorum Magistri, qui vocem אצטובלין, formatam è voce φρόυλος, ut sexcenta talia, de *fructu Cedri* interpretabantur; quod erudite jam ad Maimonidem notavit magnæ quondam spes altera non Bataviæ solum suæ, sed remoti Orientis, Dionysius Vossius. De arbore vero ipsa Pinu Deæ Matri sacra, aut vero Pane, Pinu cornua præcincto, quam eidem etiam adjudicant hæc monumenta, non agimus hoc loco: trita enim omnia & pervulgata, nisi forte illud ex Arnobio minus obvium, hanc

In Corinthiacis.

In Avod. Sara.

Lib. v.

Arbo-

Arborem ſtatis diebus in Cybeles ſanctuarium intromitti ſolitam. Cæterum ſicut Miletum, ita Lampſacum quoque πιτύεια olim dictam, à Pinuum copia, obſervat itidem in voce illius urbis Stephanus. Haud aliter vero ac ipſum Pinus fructum, Vindelicorum veterum aut Mamertinorum inſigne, exhibent antiqui nummi; ob frequentiam & celebritatem illius arboris, quæ Statio *Sylvarum gloria*, Plinio autem, *in maxima admiratione verſari* traditur: ſic LARICES etiam Pinui, vel eodem fatente Plinio, ſimillimas, nec alibi juxta eundem notas, quam in Padi ripa, depictas noſti in denario gentis Accoleiæ apud Urſinum: in commendationem ſcilicet hujus arboris variis etiam uſibus celebratæ, & memoriam originis horum Accoleiorum, quod jam præclare monuit Fulvius. Noſti enim conſuetum illum morem Græcis juxta & Barbaris ſolemnem, ab iiſque ad Romanos etiam traductum, ſicut vulgo feracia apud ſe Animalia, ita ſingulares quoſque ac domeſticos Flores, Plantas, Frutices, Arbores, earumve Fructus, publicis id genus monumentis, ceu genuina locorum illorum ſymbola vel inſignia, commendandi. Id enim & *Silphii* Cyrenenſium, & *Loti* Ægyptiorum exemplo modo videbamus, & evincit ulterius nota & copioſa Nummorum veterum ſupellex, in quibus *Abies* Germaniæ; *Apium* Selinuntiorum; *Oleæ* Athenienſium; *Palmæ* non Tyri ſolum, Damaſci, Judææ, Alexandriæ, ſed Phœnicum præterea in Sicilia, Africa & Hiſpania Coloniarum; *Spicæ* Italiæ, Siciliæ, Hiſpaniæ, Ægypti, Africæ; *Vitis Ramus* aut *Botrus* Chiorum, Entellanorum, Thaſiorum, aliorumque id genus locorum, optimorum vinorum proventu nobilium; *Dictamnus* Cretenſium aliquot locorum; *Thuris Ramus*, ut infra videbimus, Arabum; *Malum Medicum* Parthorum

Lib. XII. cap. 10.

rum; *Manna* urceo inserta Hebræorum; *Rosa* denique (ut vulgo existimatur) Rhodiorum, vel insignia, vel quasi indices quidam conspiciuntur.

Ac Rhodiorum quidem obvios illos Nummos quod spectat, equidem vulgo in iis ROSAM insculptam, hodiernos videas antiquarios magno passim consensu statuere: quamquam haud adfabre factam nonnulli fateantur, ac proinde superiori sæculo, quidam Heliotropium, alii Rosolaccium eandem plantam interpretarentur. At verò Florem illum, non Rosam, aut posteriores has plantas indicare, sed Florem Mali Punicæ seu BALAUSTIUM, quo ad tingendas lanas utebantur olim Rhodii, nuper mihi coram adserebat recondita vir doctrina ac insigni ingenio Isaacus Vossius. Fundus illi hujus observationis, corruptus quidem sed emendatus ab eodem ex libris antiquis, Alciphronis locus; ἀφεὶς τὸ φορτίον αὐτῆς ἰχθύσιν, ἀφεὶς ἢ καὶ ἡμᾶς ἐν τῷ σκάφῃ, ὤχετο δή λέμβῳ κωπηρέσι πισὶ ΡΟΔΙΟΙΣ ΒΑΛΑΥΣΤΟΥΡΓΟΙΣ ἀναμιχθείς· *Sarcinam vero relinquens piscibus, nobis etiam in scapha relictis, trajecit in lembum, permixtus remigibus quibusdam* RHODIIS BALAUSTIORUM *opificibus*. De hoc Flore autem Balausstio ad tingendas lanas opportuno, testis luculentus Plinius; *Sed circa Carthaginem Punicum Malum cognomen sibi vindicat*, mox *Flos* BALAUSTIUM *vocatur*, *& medicinis idoneus*, *&* TINGENDIS VESTIBUS, *quarum color inde nomen accepit*. Neque, ut verum fatear, id mihi continuo mirum videbatur, signatam nempe nummis Rhodiorum illius usus memoriam: qui memineram haud absimili ratione, Concham Purpuræ Tyriæ exstare in antiquis aliquot Tyriorum nummis, quales videas apud principes Gallorum antiquariorum Tristanum & Seguinum. Ut mittam productum ali-

De ROSA *vel* BALAUSTIO *in Rhodiorum Nummis.*

Nonnius ad Goltzium.

Ant. Augustin. Dial. 11.

Epistol. 11.

Lib. XIII. cap. 19.

Tom. 1. Comment. pag. 98. cubi ab eodem Triſtano, Hierapolitarum nummum, in quo lanæ manipulum capiti Cereris impoſitum inde colligebat, quod præſtantiſſima apud eos tinctura Straboni commendaretur. Accedebat mox Dioſcoridis, quem conſulebam, auctoritas; qui Βαλαύſτιον illud, ſeu agreſtis Mali Punicæ florem deſcribens, plura ejus genera recenſet, ac inter alia πορφυρέν (ut Oribazius apud eundem legit, alii πυῤῥὸν,) καὶ ῥοδόχρων, *purpureum & roſaceo colore*. Præterea quod florem illum agreſtis Punicæ, ſimilem adſerat Cytino, ſeu flori ſativæ Punicæ; qui certe cum flore in nummo Rhodiorum expreſſo haud male quadrare videbatur. Neque aliter Balauſtium deſcribit alicubi Galenus, niſi florem eſſe ſylveſtris Punicæ, ſicuti ſativæ Cytinum. Confudit quidem ſuo more Plinius utrumque hoc Mali Punicæ genus ſativum & ſylveſtre, cum ſuperiori loco, tum alibi, ubi Balauſtium in genere vocari dicit floſculos in Cytino erumpentes, antequam Malum ipſum prodeat. Melius utrumque diſtinxit juxta Dioſcoridem & Galenum, magnæ accurationis Grammaticus, Βαλαύſτιον εἶδος ροιᾶς φέρον ἄνθος ἁρμόζον πρὸς ἰατρείαν; *Balauſtium ſpecies Mali Punici, florem ferens ad curationes opportunum*, ſeu ut Plinius de eodem loquitur, *medicinis idoneum*. Haud male vero hæc illuſtrant Arabes, quibus non ſolum بس deſcribitur Malum Punicum ſylveſtre, quod ſine fructu florem profert, & ex quo Mel collectum exſugi tradunt; ſed quibus etiam flos ille non ſolum جلنار, ſed voce ejuſdem ferme ſoni cum Græco Βαλαυſτίῳ, vocatur بلوسطون. Unde ſatis liquet, haud de alio, quam de hoc Balauſtio intelligendum eſſe Theophraſtum in loco, quem minus adſequuti ſunt viri docti, & qui aliquam inde lucem mutuatur. Ubi enim

Lib. VI. Simplic.

Lib. XXIII. cap. 6.

Heſychius.

enim inveſtigandum docet, an ex plantis aut arboribus quæ vulgo flores ante fructus emittunt, dentur etiam, quæ flores tantum ſteriles & ſine fructu proferant, mox id duobus exemplis firmat, ἐπεὶ γάρ γε ἔνια καὶ ἀμπέλου καὶ ῥοᾶς ἀδρώσαι πελεκαρπεῖν· ἀλλὰ μόνον μέχρι τοῦ ἄνθους ἡ γένεσις· *Etenim genus quoddam & vitis & PUNICÆ fructum perficere nequit, ſed ad florem uſque generatio tantum pervenit.* Magnus Heros Julius Scaliger, ex natura rerum ignota ait hæc genera. At quod Punicæ illud Mali genus ſpectat, quod non ultra florem procedit, non aliud, ut vides, quam hoc Balauſtium, & Arabum eodem modo ab iis deſcriptum. Eleganter autem mox ſubdit Theophraſtus floris illius deſcriptionem, quæ ad firmandam ſententiam de Rhodiorum nummis multa videtur habere opportuna; γίνεται δὲ καὶ πότε τὸ ῥοᾶς ἄνθος πολὺ καὶ πυκνόν· ἄνωθεν ὅλον ὁ ὄγκος πλατύς, ὥσπερ ὁ τῶν ῥόδων, κάτωθεν δὲ στενώτερον δι' ὃ ὡς μικρὸν ὥσπερ ἐκπεπερασμένον κύτινον ἔχων τὸ ἄνω χειλώδη. *Flos quoque Punicæ copioſus denſuſque eſt, ſuperiori parte globoſus, latus* AD INSTAR ROSÆ; *inferiori anguſtior eſt, à qua pauliſper quaſi Cytinus expanſus in ſummo labiis multis præditus.* Ita emendant hunc locum viri docti, quem paulo aliter expreſſit Gaza, & inde hanc ſuam emendationem firmant, quod flos utriuſque Punicæ ſativæ & ſylveſtris, maxime autem ſylveſtris, Roſam æmuletur. Ut non mirum proinde videri poſſet, ſi in Rhodiorum nummis obvium florem de Roſa vulgo acceperint antiquarii, qui revera eſſet flos ſylveſtris Punicæ. Sic Sidam herbam Niloticam, ita dictam à ſimilitudine cum Malo Punico, quod Græcis Σίδη etiam vocatur, docet alibi Theophraſtus, florem habere calici Roſæ ſimilem ſed majorem, τὸ δὲ ἄνθος ὅμοιον ῥόδῳ κάλυκι. Ut jam illud mittam, haud novum fuiſſe in hac Inſula aliiſve locis, ut arbores alibi frugiferæ,

Lib. I. Hiſt. Plant. c. 22.

Lib. IV. Hiſt. Plant. cap. 11.

in iis ſteriles tantum flores emitterent. Certe Perſeas arbores in Ægypto frugiferas, in Rhodo vero florere tantum nec fructum ferre obſervat Theophraſtus. Sic ut vero apud hos Inſularios florem hunc agreſtis Punicæ, è doctiſſimi viri ſententia, ſic ipſum Malum ſativæ Punicæ ſignatum noveram in priſcis aliquot nummis cum Dionyſii Siculi Tyranni, tum Poſidoniaton, quales videre licet apud Goltzium. Neque enim ſolum variis uſibus celebrem apud Medicorum filios, ſed myſticum etiam apud veteres fructum, juxta commemoratum paulo ante Strobilum, legiſſe non ſemel recordabar; haud abs re proinde antiquis id genus monumentis inſculptum. Simulachrum certe Jovis Caſii exſtitiſſe Peluſii refert Achilles Tatius, geſtantis Malum Punicum, *cujus ratio plane foret myſtica*, τὸ ᾧ ῥοιᾶς ὁ λόγος μυστικός. Unde etiam in Sacris Theſmophoricis ab ejus uſu mulieres olim prohibitas docet alicubi Clemens Alexandrinus; ac ideo, ut licet inde colligere, opportune Proſerpinæ à Platone Mali Punici granum ei datum, ne diu apud matrem remaneret, quod tradit Apollodorus. Alias nobilior adhuc uſus ejus apud Perſas, qui, referente Herodoto, Mala Punica argentea in armis geſtare ſoliti; ut non mirum inſignis hujus Mali donum magno Regi à ruſtico quodam oblatum, longe gratiſſimum accidiſſe. Sicut itaque fructum ipſum, non uno nomine veteribus celebratum, antiquis id genus monumentis haud fruſtra inſculptum obſervabam; ita ejus florem traditis ſupra uſibus apud Rhodios, ut liquet ex Alciphrone, commendatum, publica eorum moneta ſignari quoque meruiſſe, haud ægre largiebar. Immo quum iidem Rhodiorum Nummi, in altera Nummi facie, ſolis imaginem præferant, opportune indicabat idem doctiſſimus Voſſius Arnobii locum

Lib. III. Hiſt. Plant. cap. 5.

Lib. III. In Protrephio.

Lib. I. Biblioth. Lib. VI.

Ælianus Var. Hiſt. lib. I. c. 33.

cum, ubi ſcribit, è genitalibus Agdeſtis prodiiſſe plantam Balauſtiis onuſtam; unde apparebat arborem hanc Atti, id eſt ſoli ſacram fuiſſe. At vero hæc omnia longe clarius ante oculos ponent tum Rhodiorum Nummi cum Sole & flore in iiſdem vulgo ſignato, tum Cytini ſeu floris Mali Punicæ adſpectus, cui ſimile plane Balauſtium tradit Dioſcorides. Priorem è nummo Gazæ Palatinæ, poſteriorem è Matthioli ad Dioſcoridem Commentario habes hic depictum. Lib. v.



Vide jam ac ſtatue, OCTAVI, cui ſententiæ lubentius accedas; an ROSAM ſcilicet cum vulgo antiquariorum, an vero cum doctiſſimo Voſſio, Florem agreſtis Punicæ ſeu BALAUSTIUM (à quo Βαλαυστόβαφες tinctores illos Rhodios vocat Alciphron) nummis Rhodiorum traditum velis definire. Neque vero te vel

quemquam alium moveat, aut Rhodi à Rosa, ut Græco Pindari Interpreti, è quorundam sententia traditur, deducta nomenclatio; aut vero Eustathii, qui in eandem de Rosa illa Rhodiorum opinionem concessisse mihi videtur auctoritas. Notæ certe Grammaticorum veterum ineptiæ, in eruendis locorum nominibus, ex quavis nominum adfinitate continuo arreptæ, & à magnis viris sæpe jam ac feliciter profligatæ; quod & nobili huic Insulæ haud mirum quoque accidisse. Præterquam enim, quod alias Rhodi originationes, haud minus forte ineptas, tradunt nonnulli Grammatici, ut ῥόδα τὸ πολυῤῥεῖν, seu à *multa agitatione aquarum*, antequam insula illa emergeret; aut vero juxta Diodorum, à Rhode Nympha: sic aliunde etiam à Syriaca nempe aut Chaldaïca voce ירוד *Ferod*, hoc est Draco, & per aphæresin רוד *Rhod*, ob Serpentum nempe & Draconum copiam, eandem deducebat doctissimus Bochartus. Certe eadem ratione ὀφιοῦσσαν prius dictam, & serpentibus abundasse observant antiqui auctores & Grammatici, Diodorus, Heraclides, Hesychius, aliique: Neque tamen inde soli Rhodo peculiare hoc nomen *Ophiusæ* extitisse, ibi cum viro magno colligas; qui Ovidium, Cyprum per *Ophiusia arva* alicubi designantem, aut memoria lapsum, Rhodi nomen perperam Cypro tribuisse contendit, aut pro *Ophiusia* legendum *Amathusia*, audaci nimis conjectura, & quam nulli è veteribus libris agnoscunt. Nihil enim obstare debet, cur non & Cyprus dicta fuerit olim *Ophiusa*, sicut erudito non minus quam ingenioso vati indigitatur, quo nomine præter Rhodum, plura alia loca ita dicta observo non uno loco apud Stephanum de Urbibus; puta *Besbicum*, parvam insulam ad Cyzicum, *Cythnon* ac *Tenum*, duas è Cycladibus, *Libyam* seu *Africam*, ac præterea urbem

Lib. v.

Lib. x. Metam. v. 229.

bem ad Pontum Euxinum *Tyram*. Quin etiam Plinius inter insulas Cretæ vicinas, *Ophiussam*, quandam alicubi recenset. sed hoc obiter. Neque vero ideo hæc de Rosa, aut Rhodi vulgo inde deducta nomenclatione dicta quisquam putet; quasi varia ac nobilia quidem loca à cognominibus Floribus, Plantis, Fructibus appellationem derivasse ignorem: sicut vere nonnunquam eam inde eruunt prisci auctores & Grammatici. Illustrant id certe cum *Miletus* & *Lampsacus*, quæ πιτυοῦσι, prius dictæ à *Pinus* copia, ut supra vidimus, tum insuper exempla φυλωνύμων, *Cyparissi*, *Eleæ*, *Daphnus*, *Sycarum*, *Cotinusæ*, *Selinuntis*, *Tremithus*, *Rhamnusiæ*, *Cerasuntis*, *Ericousæ*, *Myrrhinæ*, quæ locorum id genus nomina haud male deducere videntur Græci Grammatici, à cognominibus apud eosdem Græcos arboribus aut plantis, *Cypresso*, *Olea*, *Lauro*, *Ficu*, *Oleastro*, *Apio*, *Terebintho*, *Spina Alba*, *Ceraso*, *Erice*, *Myrtho*. Sic *Stœchas* planta in Cycladibus frequens, à qua & *Stœchades* Insulas ad mare Ibericum derivat alicubi magnus Galenus, & apud Ammianum oppidum *Zaitha* in finibus Romani & Persici imperii, *locus*, *qui Olea arbor interpretatur*. Immo ut *Rhodum* à *Rosa*, sic *Cyprum* à flore aut arbusto *Cyprio*, *Tralles* Ἄνθειαν seu *floridam* prius dictam à copia florum ibi provenientium, observant iidem veteres Ἐθνικῶν collectores, aut interpretes. At vero, neque inter illa exempla à Plantis nempe ac Floribus quidem denominatorum locorum, relatam videas, quod minime tamen fuisset prætereundum, claram hanc Rhodum; puta vel à Stephano, qui aliquoties & ex professo quidem hoc agit, aut ab ipso Eustathio, ubi in simili argumento versatur. Neque etiam, ubi loca Rosetis feracia vel nobilia commemorat Plinius, Rhodum recenset; quod tamen vel sola nominis ratio inde scilicet

Lib. 17. cap. 12.

Lib. 1. de Antidot. pag. 435. Lib. XXIII.

In vocibus Συκεών, Τερμιδῆς, & alibi. Ad Dionys. Periept. Lib. XXI. cap. 4.

cet petita, & Insulæ celebritas omnino suasisset; qui *Prænestinas*, *Campanas*, *Milesias*, *Trachinias*, & Rhodo viciniores, *Alabandicas*, aliasque id genus non omittit. Ut jam *Melitensem Rosam* Tullio, aut *Midæ Rosetum* Tertulliano, *Rosam Hierosolymitanam*, *Pæstanam*, plurescque id genus aliis commemoratas præteream. Neque insuper (quod huc inprimis facit) inter ea quæ Rhodi eximia nascebantur, & quorum meminisse observo nonnunquam auctores antiquos, Rosam relatam facile reperias. *Uvas passas* & *Caricas* Rhodiorum laudant
Lib. 1. non semel, ac inter alios Hermippus apud Athenæum: *Panaceam* eorundem non minus ac Triccarum vel Epi-
Lib. 1. de Antidor. pag. 428. dauri Andromachus Neronis Medicus apud Galenum; *Rhodiam Radicem* alii, quod in Rhodo nascatur: quamquam Dioscorides, & ex eodem Galenus illam videantur tantum in Macedonia agnoscere, & inde dictam, quod contrita Rosas redoleat. Adde herbam *Helenium*, quam ab Helena dictam, in Rhodo frequenter provenire tradentem video Ptolemæum Hephæ-
Cod. cxc. lib. iv. stionem apud Photium; περὶ τῆς Ἑλενείου βοτάνης, ἡ ἐν Ῥόδῳ φύεται, *de Helenio herba, quæ in Rhodo nascitur*. Sic & *Silig-*
Lib. iv. hist. Plant. c. 2. *qua Rhodia* Theophrasto aliisque laudata; & *Crocinum Unguentum* è Rhodo nobilissimum, Apollonio libro de
Lib. xv. unguentis commendatum, referente Athenæo. Quibus insuper licebit addere, aut *Æruginem* ac *Cerussam*,
Lib. vii. cap. 12. peculiare Rhodiorum opus, auctore Vitruvio; aut
Lib. vii. cap. 3. *Ostrum* seu *Rubrum* illud, quod de hac Insula creari tradit idem auctor, & de quo mox plura; aut etiam *Balaustium* de quo agimus, & quo lanas itidem inficiebant Rhodii, nisi ex Alciphrone liquere videretur, aliunde illud ab iis petitum. De *Rosa* vero Rhodiorum, ut vides, ne γεὺ quidem; si unum forte excipias Grammaticum, Græcum Pindari Interpretem, vocis homonymia

eo,

eo, ut videtur, cum ſuis auctoribus adductum. Neque vero alia etiam de cauſſa patrocinari obſervo illi ſententiæ Euſtathium, & Roſam vetus Rhodiorum inſigne agnoviſſe. Futilis certe, neque digna erudito alias Grammatico ratio, quam adfert ejus rei: Roſam ſcilicet, non ſolum Soli domeſticam, ſed & Rhodum Inſulam, ob homonymiam vocis cum Roſa, Soli ideo ſacratam; Pindarum enim juxta alios, ſacram Soli Rhodum indigitare. En ejus verba, ne quidquam interpretatione noſtra videamur illi adfingere; Γ'ρέον ὃ ὡς ἐ μόνον τὸ ἄνθ@ τὸ ῥόδον ὠκείωται τῷ ἡλίῳ, ἐ ἔργον ἡ ῥοδοδάκτυλ@ ἠώς, ἀλλὰ καὶ ἡ Ρ'όδ@ ἡ νῆσ@ ἀφ' τὴν πρὸς τὸ ἄνθ@ ὁμωνυμίαν. ἡλίῳ γὰρ ἱερὸν τὴν Ρ'όδον ἄλλοι τέ φασι καὶ ὁ Πίνδαρ@. Quid vero ineptius, quam ab homonymia vocis Rhodi cum Roſa, devotæ inde Soli urbis cultum arceſſere? de quo inter alios Manilius, Ad Odyſſ. E. p. 1527.

Tuque domus vere Solis, cui tota ſacrata es. Lib. IV.

Quia ſcilicet Roſa in Rhodiorum nummis ſignata, ut videtur certe collegiſſe Euſtathius, ideo etiam Solis effigies, quam paſſim præferunt Rhodiorum nummi, & ſupra etiam adlatus, iis quoque fuerit inſculpenda? Quis vero neſcit Phœbeiam Urbem, Solem jactaſſe Ἀ'ρχηγέτην; quem proinde ὦ Ρ'οδίων ἄρχε compellat Jupiter apud Lucianum; non quod Inſula illius Dei donum fuiſſet, juxta Pindarum; ſed ob rationem à Plinio adlegatam, Rhodi nempe aut Syracuſis nunquam tanta nubila obduci, ut *non aliqua hora Sol cerneretur*: quod ipſum etiam de Alexandria obſervat Ammianus, *nullo pene die incolentes hanc civitatem, Solem ſerenum non vident.* Adeo tamen, ut juxta Euſtathium, niſi acceſſiſſet vocis hujus Inſulæ cum Roſa homonymia, tota illa luce caruiſſet Phœbeia Rhodus; aut Phœbus ipſe addictæ ſibi ſponſæ, ut [1] Pindaro vocatur, amoribus, & admirabi- Ariſtid. de Concord. ad Rhod. In Jove Tragœdo. Lib. II. cap. 64. Lib. XXII. [1] Ἀ'ελίοιο πολυμήτεω Ρ'όδου. Olymp. VII.

li illo Colosso fuisset omnino privatus. Sed satis est ineptiarum. Illud autem inde colligas, quod hic spectandum veniebat, eam Rhodi à Rosa denominationem, & Rosæ inde in Rhodiorum Nummis depictæ petitam rationem lubricam valde, nec idonea ulla auctoritate stabilitam. Rursus vero florem illum agrestis Punicæ seu Balaustium vel Purpurei vel Rosacei coloris, Dioscoridi commemoratum, ad tingendas Rhodiorum lanas valde opportunum fuisse, immo etiam familiare: sicut Plinium certe hunc ejus usum diserte tradentem jam ante vidimus. Quamquam alias occurrit Purpuræ Rhodiacæ mentio apud Vitruvium, loco supra indicato, *Hoc Rubrum Rhodo etiam Insula creatur.* Phœnices nempe Rhodi olim incolæ; ut pluribus id ex auctorum veterum fide aliisque argumentis erudite adseruit celeberrimus Bochartus; qui proinde purpureo ac puniceo colore lanas inficiendi artificium sibi familiare videntur in eam Insulam intulisse. Purpureus autem ille color, seu puniceus & eximie rubens, (hæc enim vulgo apud veteres synonyma) non è Concha solum vel Tyria, vel Coa vel Laconica, aliorumque maritimorum locorum, aut etiam Rhodiaca, sed præterea è Florum & Herbarum succo, ad ejus imitationem, lanarum infectoribus frequenter parabatur. Ad utrumque morem respexit Tertullianus; *Nimirum enim Deus demonstravit succis Herbarum, & Concharum salivis incoquere lanas.* Ita florem quendam Purpureum apud Indos observat Ctesias, ex quo purpura Græcâ non inferior conficiebatur. Hinc itidem factam è radicibus tincturam apud Hierapolitas Phrygios, coccineam & purpuream æquare observat Strabo. De herbis quoque tradit in genere Plinius, Transalpinam Galliam, inde tyrium atque conchylium tingere; quod alibi

Lib. VII. cap. 3.

Lib. de veland. mulierib.

In Indicis.

Lib. III.

Lib. XXII. cap. 2.

alibi rursus de vacciniis & purpura inde petita explicat, *Item vaccinia Italiæ in aucupiis sata, Galliæ vero etiam purpuræ tingendæ causa*, ut omnino legendus ille locus cum doctissimo Turnebo, & optimo codice Chifflet-iano. Quæ firmat etiam Vitruvius, *Eadem ratione Vaccinium temperantes, & lac miscentes, purpuram faciunt elegantem.* Mitto jam aut Fucum illum Cretensem, è quo fiebant præstantissimæ olim tincturæ, & purpura quidem potiores, quamdiu erant recentes, ut diserte tradit Theophrastus; aut Coccum è granis Galatiæ, Africæ, Lusitaniæ, Imperatoriis, ut Plinius alibi loquitur, destinatum paludamentis, aut denique Byssinas vestes purpureum colorem imbibentes, unde & byssum pro purpura sumi nonnunquam in veteri fœdere, docuerunt jam viri magni. Inter βάμματα itaque illa veterum, Ruber seu acutissimi ruboris color solitus inprimis commendari, eoque magis, quo ad purpureum propius accedebat. Hinc Hesychio καταβαπῆ explicatur καθηρυθραίνῃ ἐρυθρῷ βάμματι. Sic hujus generis tincturæ celebratæ, quæ Sardibus fiebant, ut liquet rursus ex Hesychio, cujus locus emendandus; βάμμα Σαρδιανικὸν (non Σαρδινικὸν) τὸ φοινικοῦν, Διάφορα γὰρ τὰ ἐν Σάρδεσι βάμματα. Sardium nempe in Lydia illæ tincturæ punicei seu coccinei coloris, non vero Sardiniæ Insulæ; ut ex hoc loco perperam colligebant viri docti. Id vero, quod pridem notaveram, & certe haud erat notatu difficile, à magno etiam Salmasio animadversum vidi in nova, quæ modo prodiit, Hesychii editione. Hinc itaque profectæ illæ vellerum tincturæ, & floridarum lanarum infectores, in quos passim insurgunt prisci Ecclesiæ doctores, Clemens, Tertullianus, aliique, & *medicamenta ex fuco, quibus lanæ colorantur*; quo loco tamen ne quid dissimulem, vocem *genæ* pro *lanæ* omnino

Lib. XVI. cap. 18.

Lib. VII. cap. 14.

Lib. IV. hist. Plant. c. 7.

Lib. XXII. cap. 2.

Lib. I. de cultu femin.

reponendam censeo: neque enim ibi agit gravissimus Censor de tinctura vestium, sed de pigmentis illis, quibus solitæ jam olim mulieres faciem inficere, aut genis ruborem conciliando, aut supercilliis nigrorem. Unde continuo addit, *& illum ipsum nigrum pulverem, quo oculorum exordia producuntur.* Ita infra, ne de veritate hujus emendationis dubites, GENAS RUBORE *maculant, oculos fuligine porrigunt*, alibi, *quæ cutem medicaminibus urgent*, & rursus alio loco, *faciem morosiorem lavacro macerant, & aliquo eam medicamine interpolant.* Et plane in eundem sensum, de utroque more Clemens; καὶ τὰ ὄφρυσι τῷ ἀσβόλῳ ἀναματτόμεναι, καὶ ΨΙΜΜΥΘΙΩ ΤΑΣ ΠΑΡΕΙΑΣ ἐπιχρώμεναι; *& supercilia fuligine illinunt, &* FUCO GENAS *terunt.* Melius vero ibi interpres Ψιμμύθιον per *Cerussam* vertisset, quæ eundem usum præstabat: diversæ enim Plantæ, Fucus, Cerussa, Anchusa, ex quibus vulgo fiebant medicamina illa aut pigmenta muliebria, quibus genis ruborem conciliabant. Galenus certe, magnus & accuratus auctor, de simili mulierum cultu aut medicamine agens alicubi, ἀγχούσῃ καὶ ψιμυθίῳ καὶ φύκει κεκαλλωπισμέναι, *Anchusa & Cerussa, & Fuco ornatæ*, seu illitæ. Quæsitus itaque jam olim impense in vultu æque ac in vestibus rubor ex Plantarum & Radicum succis, & quam in rem, ut vulgo jam notum, Fucus inprimis adhibitus (neque ille tamen unius generis) cum ad inficiendas purpuras, tum ad colorandas genas. Ad priorem vero usum opportunum fuisse inprimis Balaustium seu Florem agrestis Punicæ, quo usi tinctores Rhodii in lanis inficiendis, & purpureo aut puniceo colore imbuendis, facile utique licet colligere. Cui rei poterat maxime inservire Balaustium juxta Dioscoridem vel Purpurei, vel alias Rosacei coloris. Rosæ enim inter alios colores

De Virginib. veland.

Pædagog. lib. III. cap. 2.

In Protreptico.

colores vulgo puniceæ, de quibus, ut mittam obvia è Marone *punicea roſeta*, Propertius, Eclog. v.

Et dare puniceis plena caniſtra Roſis.

Ut proinde non ſolum ex illo flore agreſtis Punicæ mel collectum exſugeretur, quem ejus uſum ſupra tradentes Arabas innuimus; ſed eximia illa etiam & purpurea tinctura peteretur. Ita ut vere in eam quadraret vetus illud Rabinorum proverbium, אשׁ עסקך ברומנא. *Pretioſum ſit opus tuum inſtar Mali Punici.* Neque mirum proinde ab eodem opere dictos Alciphroni Rhodios tinctores, βαλανεῖς. Sic à Purpurarum copia vel præſtantia, loca quædam olim denominata leguntur; ut præter alia, Cythera πορφυρῆσα Ariſtoteli dicta, auctore Stephano, Διὰ τὸ καλὸν τὸ φοινικοῦν πορφύρων. Grammaticus vero aliquis, ex eorum nempe genere, qui ineptas quaſque verborum originationes undecunque venantur, ipſam etiam Rhodum inde dictam continuo argutaretur; nempe quaſi Ῥοδίον, ſeu à puſilli Mali Punici genere, de quo Menander apud Athenæum, Ῥοδία ἀυτὰς ὠνόμασεν Διὰ τέτων, *Rhodia ipſas ea de cauſa nominavit.* Equidem ab hoc fructu, nobilem Hiſpaniæ urbem, priſcis Illiberin vel Illiberrin, *Granatam*, à Malo Punico, vulgo *Granato*, nuncupatam tradunt; quam aliunde tamen, & à voce barbara *horreorum domum* denotante, derivantem video Alvarum Gomezium, & cui accedit Cl. Mendoſa ad Concilium Illiberitanum. Ab iiſdem Malis Punicis, quæ Græcis etiam Σίδαι vocabantur, appellatum alias crederem, vicum quendam agri Corinthiaci Σιδοῦντα dictum; cujus Xenophon, Plinius, Stephanus, aliique meminere. Illum enim malis præſtantiſſimis, iiſque purpureis abundaſſe, docent varii auctores, apud Athenæum, Antigonus, Caryſtius, Nicander, Euphorion ſeu Archytas. Eadem utique ratione, qua alibi Si-

Lib. XIV.

Lib. II. de Geſt. Franc. Ximenii cap. I.

Lib. III.

Lib. c 17. dam dictam tradit ex Agatharchide idem Athenæus, regionem Malis Punicis feracem, de qua contendebant Bœoti ac Athenienſes. Illud vero minime adhuc prætereundum hoc loco, duos mihi occurriſſe nummos in Cimeliarchiis Galliæ ac Italiæ veſtræ, cum iiſdem Rhodiorum ſymbolis, Solis nempe, & in altera nummi parte Floris illius, de quo hic ſermo. Unus nempe cum addita epigraphe ΣΤΑΣΙΩΝ. Hujus autem nominis urbs haud alibi hactenus mihi lecta, quam apud Stephanum; ſed qui in Perſia, & quidem in magna rupe poſitam docet. Inter P. Ligorii collectiones antiquarias ineditas, obſervatus etiam mihi Nummus Elagabali, qui in averſa parte præfert Coronam Querneam, & inſcriptionem ΔΗΜΟC ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC CΤΑCΙΟC. Quænam autem fuerit hæc Staſis Metropolis, fateor me ſatis adſequi non poſſe. Neque enim concedes opinor, extra Romani Imperii fines quærendam, aut è Perſide arceſſendos nummos, cum Romani Imperatoris effigie percuſſos. Unde ut libere dicam, vereor ne vel nobis hic imponat Ligorius, vel ſibi ab aliis imponi paſſus ſit, perperam deſcripta hujus nummi epigraphe; cujus rei infinita occurrunt exempla in operibus illius ineditis, de quibus noſtrum ſupra judicium protulimus. Staſin vero illam cum Rhodiorum ſymbolis, in Cypro forte inveſtigandam crederem, Rhodo haud procul diſſita, à qua nempe urbe dictus ſit Staſinus ille Cyprius, cui Cypria poëmata à Proclo tributa novi apud Photium. At vero Metropolim eandem Cypri, nemo facile ex fide nummi à Ligorio producti continuo ſtatuet; quem Inſulæ primatum Paphum olim ac Salamina, poſtea vero, ætate nempe Conſtantinopolitanorum Cæſarum, poſtremam ex iis tum Conſtantiam ſeu Juſtinianopolim dictam obtinuiſſe,

In Bibliotheca Reginæ Chriſtinæ.

nuisse, aliunde constat. Alter vero Nummus cum iisdem Rhodiorum symbolis, Lutetiæ nuper admodum mihi inspectus inter Numismata Peireskiana, quæ jam possidet illustris Harlæus, cum loci nota ΖΕΙΝΙΩΝ: de quo loco altum adhuc magis apud antiquos & recentiores Geographos silentium. Omnino autem liquet ex additis symbolis, spectare juxta priorem Stasiorum, ad aliquam Rhodiorum Coloniam, aut Urbem vel Vicum, qui in ditione Rhodiorum fuerit. Plures enim deductas à Rhodiis, & quidem in Hispaniam usque Colonias, aliunde liquet. Et hæc quidem hactenus de Nummis nobilissimæ hujus Insulæ, ac symbolis vulgo iis insculptis; de quibus liberum sit lectori judicium, in quam velit sententiam concedere.

Sicut vero *Malum Punicum*, seu potius florem ejus *Balaustium*, in commemoratis modo Rhodiorum Nummis investigabamus; ita suavem alterius quoque Mali, olim adhuc nobilioris adspectum, liceat mihi ex eadem penu subministrare: Exhibet vero illud rarissimus & plane singularis nummus, quem possidet singulare Urbis & horum studiorum decus, Camillus Maximi; cujus beneficio eundem hic lectorum oculis subjiciemus. *De Nummo* PARTHICO *& Malo* MEDICO *in eodem.*

Nummus ille, ut continuo vides, Parthicus, & ex eorum genere, quos *Sagittarios* vocarunt olim Persæ, ut liquet ex Plutarcho; τὸ γὰρ Περσικὸν νόμισμα ΤΟΞΟΤΗΝ ἀπόμουν ἔιχεν· *Numisma vero Persicum* SAGITTARII *nota* In Apothegm.

nota signatum est. Immo, quod nummi ipsius adspectus, mihi aliquoties visi, satis arguit, barbarici illi seu Parthici metalli, cujus glebulam à se repertam continuo ad Trajanum Imperatorem, tanquam singulare quoddam Cimelium misisse se profitetur Plinius secundus, scripta eodem nomine ad ipsum Trajanum epistola; *Quod paullo tardius feci, dum requiro gemmam, quam sibi habentem imaginem Pacori, & quibus insignibus ornatus fuisset, subtractam indicabat. Volui enim hanc quoque, si inveniri potuisset, simul mittere, sicut glebulam misi, quam se ex* PARTHICO METALLO *adtulisse dicebat; signata est annulo meo, cujus est apostrophragisma, Quadriga.* Quid vero vel jucundius vel utilius, suavissime OCTAVI, quam simile quid oculis usurpare, quod magni muneris loco Terrarum Domino miserat, aut mittendum quærebat Romanus Præses, & qua de re per epistolam sollicite adeo monere illum non dedignabatur? Geminum certe beneficium præstare agnosces hunc singularis raritatis Nummum, quale ex Gemma cum Pacori imagine quærendum sibi putabat Plinius. Ac de insigni quidem capitis, cui simile omnino videas præferre Parthum genuflexum in nummo Trajani inscripto REX PARTHIS DATUS, agetur in sequentibus alio loco, ubi insignes rursus Arsacidarum nummos proferemus. Notus præterea mos & habitus illius gentis, flexo genu dextro sagittandi in acie solitæ, & aliarum quoque gentium sagittariis haud inconsuetus. Talem etiam videas cum inter Thasiorum nummos apud Goltzium; tum in veteri nummo inter Panormitanos relato in Sicilia Parutæ à Leonardo nostro, nova nummorum accessione locupletata.

Lib. x. Epist. 16.

Tab. XIII. Insul. Græciæ.

Hæc



Hæc autem ipso adspectu, & vulgatis de illo more auctorum testimoniis, liquida satis & manifesta. Unde jaculum illud ante sinistrum genu protensum in priori nummo, revocat mihi in memoriam, aut Romanos in prœlio quodam contra Parthos, duce M. Antonio, procumbentes in genua objectis scutis; aut Chabriæ Athenienſis ducis inventum, objecto genu scuto, projectaque hasta, impetum excipere hostium milites suos docentis. Arcus vero & amentatum jaculum in eodem Parthico nummo conspicua, solita gentis illius arma, ut vulgo notum, ac de Persis jam olim tradidit Arrianus. De Arcu inprimis, notum ita propriam ac solennem fuisse Regum illorum armaturam, ut ex eodem à Dario una cum scuto amisso, & apud Alexandrum conspecto, eum continuo ut mortuum deflerent mater, uxor, & filiæ captivæ. In describendis Persarum armis, Pharetram etiam opportune addit Herodotus, qualem gestat pileatus miles in posteriori nummo depictus, ad sinistrum latus adpensam. Ad dextrum enim femur pugiones gestasse olim Persas idem auctor observat. Arcus autem ille in utroque nummo signatus, docere potest, quo jure Parthi Dionysio vocentur ἀγκυλότοξοι,

Plutarchus in M. Anton.

Cornel. Nep. in Chabria.

Lib. VII.

Arrianus lib. II.

Lib. VI.

Πάρθοι ναιετάουσιν ἐρήϊοι, ἀγκυλότοξοι.
Parthi degunt Martii, curvis arcubus utentes.

Unde conferri etiam potest cum iis, quæ de Parthici

Lib. XXII. vel Scythici Arcus (quem pro eodem sumit Ammianus Marcellinus) figura tradiderunt veteres, & quam non semper adsecuti sunt viri docti. Opportune quædam ea de re notantem vide doctissimum Isaacum Vossium ad Melam. Agnoscis utique hinc aperte, non corniculatam fuisse Arcus illius figuram, instar litteræ C; ut ex male intellecto Agathone colligebant viri docti; sed eandem incurvam quidem, juxta Dionysium & Melam, angulos utrinque extimos habuisse; cui proinde Arcui haud male Ponti figuram comparantes videas cum Melam, tum Ammianum. Sed in postremo miror mendum non animadvertisse viros longe eruditissimos, quod tamen totum loci sensum perturbabat, & aliam longe figuram huic Arcui tribuebat, ut fatetur etiam ad Melam vir doctissimus, quam vel auctores alii, vel ipsa indubia nummorum ac lapidum monu-

Lib. XXII. menta præferunt. Verba sunt Ammiani; *Cum Arcus omnium gentium flexis curventur hastilibus, Scythici soli vel Parthici circumductis utrinque* EXTRORSUS *pandis & patulis cornibus*; Ita enim legendum omnino statuo, non *introrsus*, quæ vox meras hic tenebras offundebat. Id vero quod depicti illi Arcus Parthici cum pandis extrorsum cornibus luculenter arguunt, innuebat etiam Terentianus,

Ceu Parthus solet aut Scythes
Arcus cornibus EXTIMIS.

Eadem quoque cum superiori, figura Arcus, quem Herculi passim tribuunt antiqua numismata; quippe cujus Arcum Scythicum itidem fuisse tradunt antiqui auctores. At vero hic non tam anterior, quam aversa pars Nummi illius Parthici spectanda occurrebat; quæ an florem repræsentaret, an fruticem, vel arborem, & qualem hujus generis Plantam, non significabant eruditi

diti Urbis Antiquarii. Vidi etiam alibi, qui ad primum Ectypi ad me transmissi intuitum, non Plantam, sed Montem ibi cælatum existimarent, neque illos de plebe, sed è primo ordine Antiquariorum. Neque vero Apollodorum, Arrianum, Quadratum, aliosque, quos laudatos veteribus memineram, rerum Parthicarum scriptores licebat mihi consulere, qui si temporum injuria mansissent superstites, hærentem forte sublevassent. Nobilem quidem & familiarem in Parthia florem Philadelpheum nuncupatum videbam in Apollodori de rebus Parthicis apud Athenæum fragmento; Lib. XV. sed quem ita describit, ut nihil ad illustrationem hujus Nummi conferre mihi liqueret. Verum hic hærenti occurrit opportune, haud aliud symbolum vel insigne præclaro illo Nummo, quam fructus MALI MEDICÆ designari. Neque certe, ut id statuerem, una me ratio impellebat. Primo consuetus ille mos tam Græcorum, quam Barbarorum, abunde jam à nobis illustratus, singulares quosque ac domesticos vel Flores vel Plantas, monumentis id genus tradendi. Inter Plantas vero seu Arbores præter cætera loca peculiares & singularis olim raritatis, Medicam Malum relatam continuo noveram; & juxta eosdem auctores, Theophrastum, Plinium, alioque, non alibi quam apud Medos & in Perside nasci. Adeo ut non mirum, si quemadmodum Silphium suum Cyrenenses, Lotum Ægyptii, Dictamnum Cretenses, Malum Punicum alii, ita quoque Malum hoc sibi proprium Medi seu Parthi (nosti enim utriusque nominis communionem) eidem memoriæ commendarent. Secundo, non raritas solum, sed nobilitas & celebritas hujus Arboris, seu *Felicis Mali*, quæ, ut ille ait, *inclaruit etiam carminibus Mantuanis*, & de qua Plinius, *Nec alia arbor laudatur in* Lib. XII. cap. 3.

Medis. Tertio, quo etiam ſpectat uſus ejuſdem apud Parthos, & ne promiſcuum putes, Proceribus tantum apud eos conſuetus; de quibus idem tradit haud uno in loco Plinius; eos commendandi halitus gratia, grana hujus Mali, & quidem ſolos uſurpare ſolitos: PARTHORUM *populis hoc præcipue & à juventa propter indiſcretos cibos, namque & vino fœtent ora nimio, ſed* SOLI PROCERES *medentur grano* ASSYRIACI MALI, *cujus eſt ſuavitas præcipua in eſculenta addita*. Quod etiam alibi rurſus monet; & quo reſpexit etiam divinus vates, agens de hoc Malo

Lib. x i. c. 53.

Lib. x i i. cap. 53.

——— *animos & olentia Medi*
Ora fovent illo.

Poſtremo denique, ejuſdem Mali Aſſyriacæ vel Medicæ ac ejus Fructus deſcriptio, ita à Veteribus tradita, ut certe huic figuræ nummo expreſſæ haud parum conſentanea mihi videretur. Arbor nempe, ſi illos audias, mediocris, brevi trunco, cujus rami longi, craſſi, firmi, acutis ſpinis; Fructus autem, quos vulgo eoſdem cum Citriis ſtatuunt; quæ certe manifeſto meam de hoc Nummo ſententiam adſerere mihi videntur. Neque vero illud valde me moratur, quod eam arborem lauro ſimillimam deſcribat divinus poëta, aut quod vulgo eandem omnino cum vulgata Citro ſtatuant Herbarum Interpretes. Illud enim ſcio peregrinam fuiſſe arborem, & parum proinde cognitam in Italia aut alias in Romano orbe; quæ Plinii etiam ætate adhuc in ſola Media aut Perſide naſcebatur; *ſed niſi apud Medos & in Perſide naſci noluit*. Immo neque ejus fructus niſi ſero admodum, è Perſide in Græciam tranſportatus; ut licet colligere ex Antiphone Comico apud Athenæum. Nihil mirum itaque, ſi de tam remota arbore & vulgo incomperta, multa ſecus tradiderint Romani ſcri-

Lib. x i i. cap. 3.

Lib. i i i.

ſcriptores, quos in deſcriptione plantarum exoticarum, licet minus remotarum, haud ſemel hallucinatos conſtat. Neque illud ita liquidum aut in confeſſo, quod vulgo creditur, eandem omnino fuiſſe arborem cum vulgata Citro; quamquam haud diſſimilem fructum credatur protuliſſe. Certe id negabat diſerte Apuleius in Commentariis illis, quos ex profeſſo de Arboribus ſcripſerat, ſicut tradit Servius, *apud Medos naſcitur quædam arbor ferens* MALA *quæ* MEDICA *vocantur; mox hanc plerique* CITRUM *volunt, quod* NEGAT *Apuleius in libris quos de Arboribus ſcripſit, & docet* LONGE ALIUD GENUS ARBORIS *eſſe.* Sic in Italia pervulgatas jam fuiſſe Citros Plinii ætate, & Medicam Malum à Citro diverſam eidem ſtatui, haud male videtur colligere vir magnus ad Solinum. Sed ut demus libenter, Mali illius Medicæ fructum ad Citrium acceſſiſſe, à quo etiam non recedit ovata fructus illius figura in ſuperiori nummo Parthico expreſſa; haud continuo ſequitur eandem plane arboris aut fructus etiam figuram exſtitiſſe, ſingularem illam adeo Medicam Malum cum Italica aut Europæa Citro. Notum enim, quam pro ſoli ratione varient nonnunquam eædem Arbores, aut Plantæ; ut jam olim monuit Theophraſtus, *καὶ γὰρ τὰς χώρας ὥσπερ καὶ αὐτὰ τὰ δένδρα διαφέρειν καὶ τὰς ἐργασίας οὐκ ἄπορον. Nam pro regionibus ſicut & arbores ipſæ variant, cultura quoque inter ſeſe diſtare, haud pro abſurdo intelligi debet.* Quam meam de ſingulari hoc & rariſſimo Nummo ſententiam eo lubentius ſum amplexus, quod eam probari omnino videam clariſſimo Aulæ Electoralis & Athenæi Heydelbergenſis Medico, Joanni Caſparo Fauſio noſtro; cui ob ſingularem in Hiſtoria Plantarum peritiam, legendam hanc noſtram notationem commiſeram. Firmabat vero illam

Ad Georg. lib. II.

Lib. I I. Hiſt. Plant. cap. 6.

lam vir doctissimus, monstrosis aliquot Citriorum iconibus, quæ ab aliquot Botanicis observatæ, cum superiori fructu Mali Medicæ adfinitatem aliquam habere illi videbantur. Neque vero prætereunda hoc loco, quæ à Marantha de Malis Medicis alicubi commemorantur; quod nempe *Mala Medica operoso cultu ita efformant, ut & maris & feminæ sexu distinguant: rem certe admirabilem & visu jucundissimam. Maris enim pomum adnatum habet quoddam veluti infantis genitale ejusdem cum pomo corticis & coloris: feminæ muliebre pudendum ad veram ejus effigiem efformatum videtur, quo simile magis sculptor non fingat.*

Lib. 11. Meth. cognosc. simplic. cap. 11.

De Malis Aureis Hesperidum.

Punicis vero & Medicis Malis, cur non & MALA HESPERIDUM AUREA liceat continuo subnectere, quæ cum Medicis eadem viri quidam doctissimi videntur statuere? Herculis nempe fabulam, de Dracone Arboris in Mauritania custode, ab eodem interempto, & adportatis inde in Græciam pomis aureis, signant antiqui aliquot nummi, cujus generis unum hic exhibemus.

Tom. 11. Com. pag. 285.

Percussus ille nummus sub Geta, & à Tristano etiam adlatus, sed sine ulla inscriptione aut nota loci, in quo signatus, qualem nullam adserit in eodem exstitisse. At vereor equidem ne obscuræ aut exesæ vetustate litteræ

teræ ut alibi haud ſemel, ita hoc loco viri alias perſpicacis oculos fugerint. Occurrit enim mihi ſimilis omnino ejuſdem Getæ nummus in Gaza Chriſtinæ Auguſtæ, qui à Pergamenis percuſſum arguebat, & in quo hanc inſcriptionem eruebam, ΕΠΙ CΤΡΑ..... ΝΟΥC. ΑΝΕΘΕ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Hoc eſt, *ſub Prætore ..... Dedicavit, Pergamenis Bis Neocoris.* Solum nempe in eo Prætoris nomen, ærugine deletum occurrebat, de quo non anxie nobis laborandum. Cæterum haud abſimilem quoque nummum, cum eodem Herculis habitu, & cuſtode Heſperidum Dracone in arbore itidem pendente, ac inſuper panario pomis Heſperidum repleto, quod in Pergamenorum nummo omiſſum, ſignarunt olim Tarſenſes Gordiani temporibus, qualem ſervat Gaza Medicea. Inde vero continuo colligas, vana eſſe poëtarum figmenta, quæ de tribus tantum Heſperidum Malis vulgo fabulantur: quibus accedit Antiphanes Comicus apud Athenæum,

Φασὶν τὰ χρῦσᾶ μῆλα ταῦτ' εἶναι τρία
Μόν'. Lib. III.

Dicunt Aurea hæc Mala tria eſſe Sola. Mitto jam reliqua, quæ hic ad decantatam fabulam ſpectant, aut ad natales & nomen pervigilis illius Draconis. Κηπυρὸν eundem dictum Euphorioni Chalcidenſi, auctor eſt Helladius apud Photium, καὶ τὸν τὰ χρυσᾶ μῆλα τὸν ἑσπερίδων φορεῖντα ὄφιν Κηπυρὸν ὠνόμασε; *Et ſerpentem aurea mala ferentem* Κηπυρὸν (*ſeu horti cuſtodem*) *nominavit.* Mirum viros eruditiſſimos, vel Hœſchelium editorem, vel Interpretem Schottum, non obſervaſſe locum in mendo cubare. Neque enim ferebat Serpens Mala illa Aurea, ſed hortum vel arborem eadem ferentem cuſtodiebat, Κηπυρὸς ea de cauſſa nuncupatus. At quid proclivius fuit, quam φορεῖντα in φερεῖντα vertere; ſicut omnino Codic. CCLXIX. Biblioth.

liquet

liquet eo loco legendum, & appoſite ad cuſtodis illius officium. Eundem vero Leonis Nemæi fratrem exſtitiſſe, tradit Ptolemæus Hephæſtio itidem apud Photium. Servium autem non moror, qui fabulam illam de hoc Serpente, & malis Heſperidum aureis, de gregibus ovium rufam lanam habentibus, & ab Hercule, occiſo paſtore illarum cuſtode, abactis explicavit; & ideo quidem, quod oves Græcis μῆλα dicantur; à rubore autem lanæ auro ſimilis, exiſtimaſſe qui audierant, mala aurea in Africa naſci. Nugæ & ſomnia Grammatici. Neque, ut verum fatear, magis arridet alia viri longe eruditiſſimi, & cujus mira alias ὀξυῤῥοπία in explicandis ex Oriente poëtarum fabulis, interpretatio, qui libro de Coloniis Phœnicum, Aurea Mala à dracone adſervata, de opibus ab alio congeſtis interpretatur; ideo quod *malon* vel *melon* Arabice opes ſonet, nempe ملن. Ut enim poëtarum fabulis adſcribamus, quæ de horti vel arboris illius natalibus, cuſtodia, malis revera aureis, Herculis victoria vulgo fabulantur; at certe arborem illius nominis obviam in eo tractu, & fructum ejuſdem aurei coloris fabulæ locum dediſſe, liquet ſatis manifeſto ex iis quæ de hoc arborum genere & earum fructu vel Theophraſtus, vel citati ab Athenæo auctores tradidere. Ἑσπερίδα enim, cujus Theophraſtus meminit, non de herba aliqua cum Plinio, ſed de malo Heſperidum intelligi debere, monuerunt jam viri docti. An vero hæc Mala cum Citriis eadem fuerint, ut Rex Juba litteris conſignaſſe traditur apud Athenæum; an vero cum Aurantiis, ut alii ex nominis adfinitate & colore colligunt, non anxie hic nobis diſquirendum putamus? Vir doctus ex Batavorum Aſclepiadarum ordine, qui poſtremus Theophraſtum luculentis commentariis illuſtravit, multus in eo eſt, ut illorum

Cod. cxc. Biblioth.

Ad lib. IV. Æneid.

Lib. v. de cauſ. Plant. cap. 25.

Lib. III.

lorum refellat ſententiam, qui cum Citriis vel Aurantiis eadem hæc Heſperidum Mala crediderant, ac ut eadem fuiſſe cum Cydoniis, vulgo Cotoneis probet. Sed vereor equidem, ut intentum obtineat. Cydonia mala à primaria Cretæ urbe denominata, ad quam naſcebantur, & unde primum in Græciam adlata, ſicut Medica, Punica, aliaque id genus à regionibus, quæ iiſdem feraces erant, quemadmodum & de Ceraſis conſtat, de Ceraſunte Romam primum à Lucullo perlatis; de quibus præter alios, Hieronymus; *Unde & de Patria nomen arbor accepit.* Heſperidum autem Malis hortus in Africa & ad Atlantem; unde in Græciam ſeu ab Hercule ſeu à quovis alio adportata, idem etiam loci natalis nomen, è quo primum adducta, retinuere. Si vero Cydonia & Heſperidum Mala eadem fuiſſent, cur non id uno verbo prodidiſſent veteres, qui utriuſque arboris & fructus non ſemel meminere? immo cur de iis, ut diverſis fructibus aut plantis, diverſo etiam loco agit Athenæus, vel antiqui auctores ab illo producti? Multa certe in ſuperioribus de Cydoniis confabulati erant eruditi illi convivæ, & quidem de aliis eorum ſpeciebus, ſicut de iis, quæ ſtruthia vocabantur. In Græcia autem pridem nota erant, nec diffitetur vir doctus, cum Cydonia illa, tum quæ Heſperidum Mala vocabantur. Hinc poſtrema cum Nuce Pinea, aliiſque id genus ſymbolis, in Bacchi myſteriis vulgo recepta tradit Orpheus apud Clementem loco cujus anterior verſus ſupra jam indicatus, ſequens autem iſte,

Tom. 1. Epiſt. ad Euſtoch.

Lib. III.

Μῆλα τε χρύσεα καλὰ παρ' Ἑσπερίδων λιγυφώνων. *Et Mala Aurea pulchra ab Heſperidibus canoris.* In Protreptico.

cui æque proclive fuiſſet eadem à viciniori Creta arceſſere. An vero ideo hæc mala, ut obiter hoc mo-

neam, in Bacchi mysteriis locum habuere, quod Mala & reliquos fructus Bacchus invenisse crederetur, ut
Lib. III. Neoptolemus tradit alicubi apud Athenæum? Alias vero, Hesperidum itidem Mala apud Lacedæmonios exstitisse, odore quidem grata, sed non edulia, ὄσμα nempe καὶ ἄβρωτα, observat cum Pamphylus apud Athenæum, tum Hesychius inde emendandus, sicuti jam factum à magno Casaubono; Ἑσπερίδων μῆλα ἐν Λακεδαίμονι ἄβρωτά τινα μῆλα, pro quo prius vitiose legebatur; ἐν Λακεδαιμονίᾳ βρωτά τινα μῆλα. Vides præter Pamphyli auctoritatem, quam proclivis & necessaria emendatio, una littera α à fine prioris litteræ in initium sequentis retracta. At doctus ille Medicus, Theophrasti commentator, vulgatam Hesychii lectionem præfert, ut suam de Malis Hesperidum pro Cydoniis sententiam tueatur; nec Hesychium ex Pamphylo, sed Pamphylum apud Athenæum ex Hesychio emendandum contendit, ubi βρωτὰ nempe pro ἄβρωτα sit reponendum: legendum proinde in Athenæo ὄσμα ᾗ εἶναι καὶ βρωτὰ, καλεῖσθαι ᾗ Ἑσπερίδων μῆλα, *suaviter nempe olere & edulia, vocari autem Hesperidum mala.* Absurdum enim fuisse, ut poma id genus ἄβρωτα Diis suis apponerent Lacedæmonii, quod tamen ex Timarchide paullo ante tradiderat Athenæus. Sed fallitur omnino vir doctus, nihilque certius petita à Casaubono Hesychii emendatione ex Pamphyli apud Athenæum verbis, & quam alias loci ratio plane suadebat. Neque enim ἐν Λακεδαιμονίᾳ, sed ἐν Λακεδαίμονι omnino ibi legendum constat; α illud proinde otiosum optime insequentem vocem retrahendum. Quid vero opus fuisset, aut Athenæi convivis, aut magnæ accurationis Critico Hesychio, illud ut singulare de his Lacedæmoniorum malis adnotare, quod forent nempe edulia?

Digna

Digna res utique, quæ posterorum memoriæ proderetur, dari fructus, quos degustare ac edere liceat? At vero illud peculiare in hoc Malorum genere, & proinde notatu dignum, quod odore quidem grata essent, non autem gustu vel sapore: quod ipsum de fructu Mali Medicæ observarat jam olim Theophrastus, τὸ δὲ μῆλον οὐκ ἐσθίεται μᾶλλον, ὄσμον δὲ πάνυ, *Pomum autem ejus non manditur, sed odore præcellit.* Hinc eadem etiam Hesperidum Mala non vulgo quidem in privatorum mensis, sed rite Diis à Lacedæmoniis adposita, ob odoris nempe præstantiam; sicut reliqua incensa, quæ iis eo nomine adolebantur. Terrestrium enim erat Deorum, seu malorum potius Geniorum comessationibus & cibis delectari; quod ex [a] Iamblicho, [b] Porphyrio, ac [c] Origene contra Celsum haud uno loco mihi liquet; at vero Cœlestium, odore seu Arabicis lætari halitibus, ut loquitur Martianus Capella. Sed condonandum facile Medico, μᾶλλον alias ἀνταξίῳ, si Theologiæ Gentilium mysteriis non fuerit continuo initiatus.

Lib. IV. Hist. Plant. cap. 4.

[a] in vita Pythagor. cap. 4.
[b] Lib. II. de Abstin.
[c] Lib. VII. & VIII.

Neque vero PALMAM, tot usibus nobilem, & his monumentis toties insculptam, liceat hic indictam præterire. Equidem non adducam obvios Palmæ ramos, aut in Victoriæ manibus elatos, aut vero vasibus vulgo insertos, tanquam pretium victoribus; eosque modo unum, modo duos, modo plures, nonnunquam, & frequenter cum inscriptione ludorum, quorum præmia constituebantur, puta, ΑΚΤΙΑ, ΠΥΘΙΑ, ΧΡΥΣΑΝΘΙΝΑ, ΟΛΥΜΠΙΑ, ΕΠΙΝΙΚΙΑ, ΣΩΤΗΡΕΙΑ, ΜΕΓΙΣΤΑ, ΑΡΙΣΤΑ, ΑΥΓΟΥΣΤΙΑ, ΣΕΥΗΡΙΑ, ERACLIA, SACRA, CAPITOLINA, OECUMENICA, ISELASTICA, CERT. QUINQ. seu *Certamina Quinquennalia*; quæ in præclaris nec obviis passim nummis leguntur. Mitto etiam, Vasa cum insertis

De PALMIS, *& variis earum generibus in antiquis Nummis.*

id genus Palmæ Ramis, ſive ſingula, ſive plura, Menſæ frequenter impoſita; juxta morem antiquum, quo victoribus Olympicis Coronæ ſupra Menſas collocatæ, Lib. v. ut refert Pauſanias. Duo ejuſmodi Vaſa ſupra menſam impoſita, quamquam ſine commemoratis Ramis, exhibet inter alios præclarus nummus Caracallæ, cum memorabili inſcriptione, SEPT. TYRUS METRO COLONIA ACTIA ERACLIA. Unde certe diſcimus ab Hercule Tyrio, noto loci Numine, dictos ibidem ludos Heraclios ſeu Herculanos. En præclari nummi iconem, quam beneficio Chriſtinæ Auguſtæ hic inſerendam duximus.

Cæteroquin tria etiam Vaſa cum Ramis Palmarum, qualia frequenter alibi occurrunt, ſuppeditat nummus Valeriani Mediceus, inſcriptus ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΤΡΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Neque vero vel de origine hujus moris, Palmas victoribus in ludis tribuendi, quem ad Theſeum refert Pauſanias; vel de cauſa, è Plutarcho & Gellio pridem nota, quod ſola hæc arbor opprimentibus non cedat, aut eadem eaque viridia ſemper folia retineat, trita & pervulgata omnibus commemorabo. Illud forte minus vulgatum, ejuſmodi Palmæ Ramum Lacedæmoniis peculiari voce Σαρὶς dictum; quod me docuit Heſychius, Σαρὶς κλάδος φοίνικος, Λάκωνες. Crederem facile, etiamſi nullam ſcirem aliunde Laconum & Judæorum cognationem, latere in hac voce

voce vestigium Hebræorum vel Phœnicum שרר *sarar*, quod *principatum tenere* denotat, ob dignitatem nempe & usum hujus Palmæ, quo respexisse crederes Horatium,

—— *Palmaque nobilis*
Terrarum Dominos evehit ad Deos.

Quin valde apposite hanc in rem Artemidorus alicubi auctor est, Principum liberos per Ramos Palmarum designari. Unde certe haud male collegisse videtur Tristanus, signatos in quodam Constantii nummo tres Palmæ Ramos, denotare tres Magni Constantini filios. At hic non tam excisos Palmæ Ramos, quam Arborem ipsam spectare intendebamus. Quum enim varia tradantur Palmarum genera veteribus, ac Theophrasto inprimis, qui haud perfunctorie de iis egit, aliæ nempe *Palmæ* pro natali solo *Siculæ*, *Africanæ*, *Creticæ*, *Cypriæ*, *Ægyptiæ*, *Judaïcæ*, *Phœniciæ*, *Syriacæ*, *Babylonicæ*; aliæ autem ex iis humiles & depressiores, aliæ majores, aliæ rursus steriles, aliæ frugiferæ; & ex frugiferis aliæ communes, aliæ Caryotæ; singula hæc antiquariæ hujus penus contemplatio haud parum vel juvat, vel illustrat. Omnium certe, quæ modo commemorabamus, locorum Palmas, exceptis forte Babylonicis, signant adhuc antiqui nummi. Et steriles quidem Palmas, quales vulgo Italicas & Europæas agnoscit [a] Plinius, Græcas alicubi [b] Theophrastus ac [c] Plutarchus, videas passim in SICILIÆ nummis Panormitanis, cujus generis plures exhibet Paruta. Babylonicas itidem steriles observat [d] Theophrastus, ex quibus lectos & vasa conficiebant. Tales nempe, quarum [e] Talmudici doctores meminere in Sanhedrin, ubi infrugiferas memorant Palmas Babylonicas, quæ scilicet ad aquas Babyloniæ amaras crescerent, ac ideo corruptæ ut fructum

Oneirocr. lib. 1. c. 79.

[a] Lib. XIII. cap. 4.
[b] Lib. II. Hist. Plant. cap. 3.
[c] Sympos. lib. VIII. *Siculæ Palmæ.*
[d] Lib. II. Hist. Plant. cap. 8.
[e] Sanhedr. fol. 96. 2.

ctum ferre non possent. Cæteroquin frugiferis Palmis abundasse Babyloniam, & inter alias quidem Regiis dictis omnium præstantissimis, quæ in horto Bagoæ nascebantur, observat Theophrastus, & ex eodem Plinius. Neque vero SICULAS steriles omnes fuisse, sed fructum etiam habuisse nonnunquam, licet immitem forte & immaturum, liquet ex aliis Panormitanorum nummis apud Parutam, qui frequenter Palmas exhibent cum adpensis Dactylis; consueto scilicet & peculiari hujus arboris more, quæ non fert fructus inter fòlia, ut vulgo reliquæ arbores, sed in summo trunco germen emittit cum pendentibus utrinque palmulis. Tres vero Palmas Panormitanis adscriptas, hic cælandas duximus, inter se aliquantum diversas.

Lib. 11. Hist. Plant. cap. 8.

Prior, ut vides, è Sterilium genere ac sine fructu, quales vulgo Europææ: Altera cum adpenso fructu seu Dactylis, & quæ vulgaris Palmarum id genus frugiferarum figura: Tertia reliquis humilior, quæ proinde videtur ex illo pumilarum genere, quale in Sicilia frequentissime provenire Theophrastus ac Plinius tradunt, & cui juxta Græcos ac Romanos, peculiaria etiam nomina tributa videas in linguis Orientis, Rabbinorum צִיר Arabum autem ڈقل & ڈاما. Fructus etiam ejus haud parum diversus, ni potius Florem statuamus, ac ipsam arborem proinde nummo illi insculptam, è mascularum genere, quæ solæ eidem Theophrasto

phraſto ac Plinio, in ſpatha aut in palmite florere dicuntur. Neque vero florem ſolum, ſed fructum in maſcula agnoſcunt iidem auctores, & juxta illos Herodotus; ut inde liqueret eam non ſterilem omnino aut infrugiferam ſtatuendam, ſicuti vulgo perhibetur. Lib. I.
Certe apud Arabas à voce ذكر, quæ Palmam marem notat, fit vox ذكراء, quæ dactylos ſed viles innuit. Quum tamen iidem auctores cum Græci tum Arabes, fecundas tantum Palmas fœminas diſerte agnoſcant, & ex inſertis adſperſiſve maris floribus feminas fecundari, & præſtantiores dactylos producere doceant, nulla maſculæ Palmæ fructus ratione habita; hinc vulgo etiam mares Palmæ infrugiferæ, & fructus ille, quem nonnulli iiſdem tribuunt, ab aliis cum flore ejuſdem haud immerito confunditur. Et quum vel maxime in Arabum ſcriptis, ob copiam & uſum ejus frequentem, utramque paginam faciant & Palma, & quidquid ad eam ſpectat, cujuſcunque ſit ſexus; hinc varia etiam legas apud eos nomina, quibus & maſcula Palma, ut mas tantum admiſſarius, & modus ille feminas fecundandi, & flos maris ſeu ſemen ejuſdem in feminæ ſpatham indi ea de cauſa ſolitum, exprimi conſuevere: quibus haud parum illuſtrantur, quæ à Græcis aut Romanis, ex aliorum relatione, ea de re jam olim obſervata leguntur. Neque vero male illum Palmæ hujus vel florem vel fructum ſignare mihi videtur Palma tertio loco expreſſa, diverſa utique à femina βαλανηφόρῳ, quæ ſecundo loco occurrit. Quod hanc enim ſpectat, haud ita ſteriles omnes Palmæ Europææ, ac proinde Siculæ, ut fructus plane non ferant, ſicut vulgo Italicæ aut aliorum locorum; ſed quarum fructus videtur immitis ſtatuendus, juxta maritimas quaſdam Hiſpaniæ Palmas, de quibus id tradit Plinius, aut ad maturitatem Lib. XIII. cap. 4.

tem non perveniens; ſicut de Cypriis quibuſdam obſervat Theophraſtus, alibi autem in genere de Palmis in Græcia natis, & juxta eundem Plutarchus locis ſupra indicatis. Niſi illud etiam placeat, pleroſque illos è Panormitanis Parutæ nummis cum Palma & Equo ſeu integro ſeu dimidio obvios, à Carthaginenſibus, quod arguunt ſymbola & frequentes in iis Punicæ litteræ, ſignatos, & Africanis proinde potius quam Siculis adſcribendos. In qua ſententia fuiſſe jam olim video, virum hujus antiquitatis intelligentiſſimum Antonium Auguſtinum, qui nummos id genus ad Carthaginem refert. Certe vel ſignatum Equi caput ſatis arguit, aut Carthagine percuſſos, aut in Carthaginenſium Coloniis (qualem Panormum ſcimus) cum ſolitis Metropoleos inſignibus. Quod minus novum Panormi contigiſſe, quæ Regia erat Carthaginenſium in Sicilia, hoc eſt juxta Polybium, *βαρυπάτη πόλις τῶν Καρχηδονίων ἐπικρατείας*. Eædem itaque Palmæ in nummis Panormi & Carthaginis; quamquam, ut vidimus, nec iis deſtituebatur Sicilia, ut non & proprias Palmas in iiſdem monumentis cælaſſe nonnunquam credi poſſit. Certe peculiaris adhuc Palma occurrit in nummo Selinuntiorum: unde haud alio opus habemus interprete, cur *palmis onuſta* Silio, divino autem Vati *palmoſa ſelinus* nuncupetur.

Lib. III. Hiſt. Plant. cap. 8.

Dialog. VI.

Lib. I.

Et Palma illa quidem cum frugifera, ut cernis, tum è pumi-

pumilarum genere, cujus fructum Arabes peculiari voce ﺟﻮﺯ vocant. CRETAM vero Insulam, haud u- *Cretica.*
no quoque Palmarum genere feracem, docet itidem Theophrastus. Hinc Palma juxta Aquilam signata in veteri & præclaro nummo Hierapytnæ urbis Creticæ, quem olim adnotaveram in Gaza Christinæ Augustæ, & cui geminum nuper forte apud Cl. Patinum inspectum, opportune hic inferendum duximus.

Prior Nummi pars caput turritum ac muliebre, notum in nummis cum Cybeles tum urbium symbolum notat. Aversa autem, cum Jovis (cujus natalibus & sepulchro celebris Insula) alitem, tum Palmam cum Dactylis præfert, locum insuper signati nummi ΙΕΡΑΠΥΤΝΙΩΝ, & Prætoris aut Magistratus nomen, ΙΜΕΡΑΙΟΣ. Hinc adserenda urbis hujus scriptura apud Strabonem, ubi pro corrupta lectione ἱερέα πύδνης, ma- Lib. x.
gnus Casaubonus restituendum putabat Ἱεραπύδνης, probante id nequidquam nobili ac eruditissimo sene in Exercitationibus ad Græcos Authores nuper editis. Emendanda eadem apud Dionem, qui in rebus Cretensium ejusdem loci, sub nomine Ἱεραπύδνης me- Lib. xxxvi.
minit. sed hoc leve. Urbis vero illius situm, ac rationem nominis docet nos Strabo; ad Pytnam nempe Lib. x.
Idæ collem sitam, à quo sit denominata, ἀφ' ἧς Ἱεραπύτνα ἡ πόλις. Etiamsi vero Idam hunc πολύδενδρον καὶ μεγαλόδενδρον Eustathio alicubi vocari nescirem, haud mi- Ad Dionys.
rum utique vel novum occurrisset, Arborem in ejus- Perieget.

modi nummo ſignatam videre. Collis autem hujus Pytnæ, & cognominis urbis nomen à Phœnicibus profectum, ex ipſa vocis formatione mihi continuo liquere videtur. Certe in pleriſque Creticis, Phœnicium quid latere, idque ſe docturum alias, conteſtatur doctiſſimus Bochartus, eruditiſſimo opere de Coloniis Phœnicum; & ipſius Inſulæ nomine Cretæ, ac urbis in eadem Itani exemplis interim firmat. ſic πίτυλω haud dubito præferre itidem veſtigia vocis cum iiſdem litteris radicalibus פטן vel פוטן, qua in oriente *dives pecorum* denotatur. Creta enim inter alia decora, paſcuis & gregibus ferax, unde Dionyſio ΔΟΙΟΣ vocatur:

Πολλή τε λιπαρή τε ΔΟΙΟΣ, ἥς ὕπερ Ἴδη.
Magnaque pinguiſque, & bona paſcua habens, quam ſuper Ida.

Hinc in Ida Collis ille Pytna, paſcuis id genus abundans, & ad quem poſita urbs Hierapytna, à loci aut templi alicujus religione *ſacræ* inſuper appellationem apud Cretenſes nacta; ſicuti pleraque Palæſtinæ, Syriæ, ac Phœnices loca illud ΙΕΡΑΣ attributum frequenter ſibi vindicare obſervo in antiquis & ſelectis nummis *Æliæ Capitolinæ, Gaderæ, Cæſareæ, Tyri, Sidonis, Gabalæ, Bybli, Apameæ, Damaſci, Seleuciæ, Samoſatæ*, (ut Ammiano vocatur) qua de re alibi: Illud vero ferme præteriiſſem, eundem hunc nummum Hierapytnæ ſignatum, reperiri inter nummos Siculos Parutæ, ut caſu dum hæc ſcriberem obſervabam; quem nempe non ferendo errore, ad Himæram Siciliæ urbem refert, deceptus proprio Viri ſeu Prætoris, non loci nomine ΙΜΕΡΑΙΟΣ, quod recepto more, gentili ΙΕΡΑΠΥΤΝΙΩΝ additum, pro quo rurſus male ΙΕΡΑΠΙΤΥΣ expreſſit. Sed Parutam, qui nummum ipſum non viderat, in errorem induxit Erizzo, è cujus deſcriptione fatetur

Tab. xxv. n. 9.

fatetur se nummum illum ita cælandum curasse. Iste enim agens de Dea Syria, obvia in Philippi numismate à Syris Hierapolitanis percusso, nummum hunc, de quo agimus, à se visum describit, in quo Pinus scilicet occurrat cum adjacente Avi, epigraphe autem IEPA ΠITTΣ; unde *sacram Pinum* efficiebat, aliisque litteris additis IMEPAIOΣ. Sed solenne Erizzo, nobili alias antiquario, graviter in citandis aut explicandis Græcis, quos adfert nummis hallucinari, & quem proinde caute in his legendum, nec ei temere fidem obstringendam novi. Magna quidem de his antiquitatis studiis benemerendi voluntate, sed exigua aut nulla etiam Græcæ litteraturæ peritia instructum, virum multarum alias imaginum, ad nummorum id genus explicationem sese comparasse mihi satis liquet: quod hactenus fatale plerisque fuit, si unum vel alterum excipias, qui in describendis vel interpretandis Græcorum nummis laborarunt. Quid statuas enim, cum aut Carrarum notæ Mesopotamiæ urbis primariæ, & Romanorum Coloniæ nummum, proinde consueto more, MHTP. KOA. KAPPHNΩN, seu *Metropoleos Coloniæ Carrenorum* inscriptum de Colcharenis, Græciæ scilicet gente, (qualis nulla legitur eo nomine) interpretatur? aut vero quum Magnesiorum Ioniæ nummum, sub Gordiano percussum, & cum addito Prætoris Aurelii Theodoti nomine, legit & explicat, *Anno primo Theodoti Regis Magnetum*; quasi scilicet aut privatim alias, aut vero illo ævo, Magnesiorum civitas, quæ pridem Asiæ Proconsulibus parebat, Reges suos habuerit? Mitto sexcenta id genus, quibus adnumeranda jam venit prava illa lectio & interpretatio hujus nummi Hierapytniorum Cretensium, alio perperam vel ab eodem Erizzo, vel à Paruta detorta. Opportune enim

Discor. sopr. le Medagl. p. 700. quart. Edit.

Pag. 66. ibid.

mihi non unus ſolum, ſed geminus nummus inſpectus, ut ſupra innui, cum iiſdem omnino litteris ac ſymbolis, quibus nihil clarius exprimi potuit, aut minus tot errorum cauſam præbere. Immo alios etiam ejuſdem generis adſervat Gaza cum Palatina, tum Medicea, & in eo ſuperioribus rariores, quod aliud proprium viri aut Magiſtratus nomen ſignatum habeant; nempe unus Palatinus & Mediceus ΞΑΜΑΓΟΡΑΣ, alter itidem Mediceus ΜΕΝΕΣΘΕΥΣ; & in quos proinde ſi incidiſſet Paruta, eoſdem ad Himæram urbem procul dubio haud retuliſſet. Cæterum eadem in iis ſymbola; hinc nempe capitis turriti, illinc Palmæ & Aquilæ, cum inſcript. ΙΕΡΑΠΥ. ac in uno etiam integra, ΙΕΡΑΠΥΤΝΙΩΝ. Quod vero hic etiam minime reticendum, occurrit inter Marmora Arundelliana, quæ cum Notis in Apologiam Apuleii vulgavit Cl. Pricæus, antiquum fœdus horum Hierapytniorum cum Præſiis, Cretenſibus itidem, & quorum nummum poſſidet Chriſtina Auguſta, cum Cerere ac Bove, & inſcript. ΠΡΑΙΣΙΩΝ. Obſervavi etiam fragmentum fœderis Hierapytniorum in magno Inſcriptionum opere, ubi ΙΕΡΑΠΥΤΝΙΟΙ itidem inſcribuntur; ne liceat de vera Nummorum hujus oppidi epigraphe dubitare. Neque vero Palma in iis expreſſa, ex illo bifidarum aut trifidarum genere, quas in Creta frequenter naſci obſervat Theophraſtus. Ad poſtremas haſce trifidas referre quis poſſet Plantam peculiarem, expreſſam in nummo Camaræ apud Goltzium.

Theſ. Grut. p. v.

Palmæ Trifidæ Cretenſes.

Tab. Inſul. iv.

Ca-

Camara, ut ex Ptolemæo & Stephano ſcimus, urbs Cretæ. Ejuſdem meminiſſe videtur Agatharchides apud Photium, ſi Schottum illius interpretem audimus; ὅτι κέχρηται ὁ Συγγραφεὺς ἀττικισῇ καίτοι ὢν τῇ φωνῇ καμάρας λέξει. Quæ ita vertit Schottus, *hinc digreſſione facta auctor monet, ſe quamvis Attice loquatur; Camaræ tamen (urbis in Creta) dialecto familiariter uti.* Sed quum duplicem ſenſum admittat ille locus, certe longe potior ille mihi videtur, qui nihil aliud innuit, niſi Agatharchidem, etiamſi Atticorum more ſcribat, uſum voce καμάρας, notæ alias ſignificationis, ſed quæ minus Attica videbatur. Neque enim Camaræ natus aut cæteroquin Cretenſis Agatharchides, ſed Cnidius, ut Diodoro, Joſepho, Luciano, aliiſque vocatur; neque etiam Cretenſi uſus dialecto, (quæ præter voces ἰδιογλώσσας, quales plures apud Heſychium legas, Dorica ut plurimum fuit, ſicut eruditis notum) ut ſatis arguit luculentum hujus Auctoris, quod apud Photium exſtat, fragmentum, communi ferme dialecto conſcriptum. Neque etiam illa Camaræ hujus inter Cretenſes urbes nobilitas aut fama, (cujus obſcura valde apud veteres, qui ſuperſunt, mentio,) ut peculiaris dialecti anſam Agatharchidi præbere potuerit. Sed hæc obiter. Similem vero hujus oppidi Nummum habet Gaza Medicea; niſi quod loco crurium, quæ expreſſit Goltzius, aliud quid, aut duas nempe figuras, aut Piſces

Cod. CCL. cap. 30.

videbatur signare ejusdem Cimeliarcha. Hæsisse autem me fateor aliquamdiu, cui frutici aut plantæ, eam quæ in nummo cum Goltziano, tum Mediceo occurrit, continuo adscriberem. Cretam quidem ἰδιόφυτον novi, & feracem plantis sui generis, aut selectis; adeo ut in ea Insula multi Botanici alerentur à Romanis Imperatoribus, & quotannis Romam mitterentur Ἀγγεῖα seu Vasa plena Creticis Plantis, quæ τὰ πλεκτὰ nuncupabant, nempe διὰ τῶν λύγων (non λυγῶν, quod aliud sonat) εἶναι πλέγματα, *quod è viminibus essent contexta.* Utrumque me docuit Galenus, ac præterea Plantas easdem è Creta vulgo adferri chartulis involutas, quibus singularum nomina adscribebantur; quasdam vero solam habere inscriptionem nominis, aliquas cum accessione soli aut campi, in quo proveniebant. Postremum quidem beneficium præstat nobis hic Nummus, de priori aliunde ratio ineunda. Quod si in voce Camaræ, natali solo, ut videtur hujus Plantæ, quærendum esset illius vestigium, *Cammarum* aconiti speciem & à figura Cammari marini ita dictam docet Plinius, & quæ proinde huc non quadrat: ut mittam non *Cammarum*, sed Κάμμορον Græcis appellatam, quod jam observarunt viri docti. Neque huc etiam spectat alia Planta Κόμαρις, vel Κόμαρος, quæ occurrit in Lexicis recentiorum Græcorum, quam eandem cum Halimo contendit vir summus ad Solinum. Sed neque majorem communionem cum planta expressa in nummo hujus urbis Creticæ habere mihi videbantur aliæ Plantæ ejusdem Insulæ, quas præ cæteris suo loco commendant nonnunquam antiqui scriptores Historiæ Plantarum, puta *Dictamnum, Nymphæa, Chamædruas, Radix Idæa* (de cujus solo lis adhuc ambigua, an Creticum vel Phrygium), *Amylum, Siser, Heraclium, Anisus, Poterion,* Cu-

Lib. 1. de Antid. edit. Græc. Bas. p. 424. 425.

Lib. XXIII. cap. 3.

Theophrastus, Dioscorides, Galenus, Plinius.

Cupreſſus, *Populus nigra*, *Trifolium*, *Seſeli*, *Stœchas*, *Fucus*, aut denique herba illa Ἄλιμος, quæ Solino inter Creticas ſola recenſeri meruit, quod admorſa nempe diurnam famem prohiberet. Unde ratione ſubducta, nihil occurrit opportunius, quam Palmis trifidis adſcribere ſuperiorem plantam ſeu arborem, quæ peculiares erant huic Inſulæ. Palmam certe continuo videtur arguere truncus cum denſis gradatiſque corticibus, quibus Palmæ vulgo ſe faciles ad ſcandendum præbent: quod etiam de iis jam olim monuit Plinius, & quas radices in caudice Palmæ prominentes, per quas conſcendi poteſt, Arabes peculiari voce عرجون indigitant. Modum autem, quem adhibent vel Arabes vel Ægyptii in ſcandendis Palmis, docuit jam nos olim Lucianus; cujus locum ea de re noviſſime illuſtravit inſigni Vir eruditione ac virtute, mihique unice venerandus ſenex, Palmerius à Grentemeſnil. Nec alienum quod de bifidis his aut trifidis Palmis obſervat Theophraſtus, ſtaturam caudicis à parte qua finditur vel quinum cubitum, pareſque inter ſe prope partes ipſas adſurgere. Neque prætereundum hoc loco, tradi eidem Palmas diverſi admodum generis, fructu nempe, figura, magnitudine, foliis haud parum diverſas; ne aliquod diſcrimen hujus Palmæ cum ſuperioribus, aut vulgaribus alias Palmis, multum hic negotii faceſſat. Plinius quidem undequinquaginta Palmarum genera ſtatuit; ac Arabes, apud quos frequens hæc arbor, longe plura. Si quis tamen Carduorum aliquod genus, aut Plantam aliam in illo nummo expreſſam malit, ubi veris id vicerit, haud difficulter adſenſum impetrabit. Neque vero ſolum trifidas, ſed in quinos etiam truncos diviſas Palmas in hac Inſula agnoſcit Theophraſtus, ſed cujus locus levi emendatione indiget, ἐν ᾗ τῇ Λάπαθῃ (aut Λαπ-

Lib. de Dea Syria.

Lib. II. hiſt. Plant. c. 2.

Λαπαιών) τινὰ καὶ πεντακέφαλον. Ita enim legendum nomen illius Urbis Creticæ, quæ Λάππα vocabatur, & cujus Gentile Λαππαῖος, liquet iterum ex antiquo loci ejus nummo inscripto, ΑΣΥΛ. ΛΑΠΠΑΙ. seu Ἄσυλος Λαππαίων; unde insuper sacram eandem seu inviolati soli, ut Livius alicubi explicat hanc vocem Ἄσυλα, exstitisse constat. Eadem urbs & Λάμπη dicta, auctore Stephano, sicut & Λαμπαίης illius incolas vocant cum [a] Polybius, tum [b] Dio Cassius, quorum iste eosdem una cum Cydoniis libertate aliisque beneficiis ab Augusto adfectos narrat. Alibi vero eadem urbs juxta indubiam Nummorum scripturam, recte Dioni Λάππα etiam vocatur. Occurrit quoque idem Lappæorum nummus apud Goltzium, sed in quo Asyli nomen tantum per ΣΥΛ. expressum, è superiori quem inspexi in Cimeliarchio Reginæ Christinæ, suppleri debet. His etiam adscribendus nummus insignis Domitiani, observatus mihi inter alios incomparabilis Regiæ Gallorum Gazæ, cum eadem inscript. ΛΑΠΠΑΙΩΝ. Creticis vero Palmis, CYPRIAS jam subnectere liceat, quarum haud unum genus exstitisse observat Theophrastus, & ejus simia Plinius, qui inter alia folium ibi latius, fructumque reliquis rotundiorem tribuunt. Alias frugiferæ etiam vulgares Cypriæ, sed quarum fructus seu Dactyli, instar Ægyptiorum recentes consumerentur. Ejusmodi Palmam βαλανηφόρον, & cum latis, ut videtur, foliis, signat adhuc hodie Cypriæ urbis Lapethi nummus.

In Gaza Christinæ Augustæ. Lib. XLV.

[a] Lib. IV.
[b] Lib. LI.

Lib. XXXVI.

Tab. IV. Insul. Græciæ.

Cypria.

Gen-

Gentile nempe loci nomen juxta Stephanum, cum Λαπήθη tum Λαπηθὼς, quod postremum hic in nummo exprimitur. Navium cæteroquin stationem & navalia habuisse hunc locum observat idem Stephanus; unde etiam nominis originem ex Oriente haud incommode deducit doctissimus Bochartus. Egregie vero id firmat Scylax, aut qui sub ejus nomine circumfertur, cui Phœnicum urbs eadem Lapethus vocatur Λάπηθος Φοινίκων, ut recte ibi pro Λήπηθις emendat vir magnus Is. Vossius; & unde simul liquere videtur, cur Palma in superiori nummo hujus Urbis depicta. Hanc urbem certe inter primarias Cypri exstitisse, ex Hieronymo præterea colligas, ubi de adventu Hilarionis in eam Insulam verba facit: præmissa enim Paphi mentione, addit, *hoc Salamina, hoc Curium, hoc* LAPETHUS *& urbes reliquæ conclamabant.* Ita enim legendum ibi postremæ illius urbis nomen, pro quo *Lapithe & Lapetha* occurrit in Frobeniana editione & libris scriptis, quod jam vidit in Scholiis ad hunc locum Erasmus. Sic in Excerptis Polybii Peireskianis, corrigendum idem Urbis nomen ἐν Λαπήθῳ, pro quo ἐν Λαπίθῳ effecerunt viri docti ex corrupta codicis lectione ἐν Αλπίθῳ, ac moti procul dubio auctoritate Ptolomæi, apud quem itidem corrupte Λάπηθος vocatur. Cyprias Palmas excipient vicinæ, nec iisdem, ut modo audivimus, dissimiles ÆGYPTIÆ

Tom. 1. Epist. in vit. Hilar.

pag. 197.

Ægyptiæ.

aut ALEXANDRINÆ, cujus generis unam habes in ſequenti nummo.

Percuſſus ille ab Alexandrinis Ægyptiis, ſicut arguit nummi inſcriptio. Feracem certe Palmis fuiſſe illum tractum, aliunde ſatis liquet; ſed cujus fructum partim viliorem, partim eſui minus aptum deſcribit Strabo, cujus locum, quia ſecus nonnullis acceptus, adſcribemus; καθ' ὅλου μὲν τῆς Αἰγύπτου δὲ φοίνικος ἀγλῶες ἐστὶν, καὶ ἀκφέρουσι καρπὸν οὐκ ἀβρώσιμον ἐν τοῖς περὶ τὸ Δέλτα τόποις, καὶ περὶ τὴν Ἀλεξάνδρειαν, ὁ ἐν τῇ Θηβαΐδι φοίνιξ ἄριστος τῶν ἄλλων φύεται· hoc eſt, *Cum in tota Ægypto Palma ſit è vilium genere, vel fructum ferat eſui non aptum in locis apud Delta & Alexandriam, tamen in Thebaïde Palma omnium optima naſcitur.* Ex hoc loco collegiſſe videtur vir magnus ad Solinum, id quod non ſemel innuit, Palmas nempe in tota Ægypto ſteriles fuiſſe ſeu infrugiferas præter Thebaïcas, aut vero Alexandrinas, ſed quarum poſteriorum fructus non erat edulis. Neque aliter Strabonis Interpres priora illa verba verterat; *Cum in tota Ægypto Palma ſterilis ſit:* quum tamen id non dicat Geographus, ſed vilioris aut minus præſtantis Palmæ genus totam Ægyptum habuiſſe, excepta Thebaïde, in qua longe optimum proveniebat. Aliud nempe ἀγλῶες ſeu vile & plebeium, ut vocat Palmulas id genus.

Lib. XVII.

Lib. XIII. c. 4.

nus Plinius; aliud ἄκαρπον, seu sterile & infrugiferum: prioris generis Ægyptiæ Palmæ, præter Thebaïcas, posterioris Græcæ, aut alias vulgo Europææ. Certe non steriles quidem Palmas Ægyptias tradit fide dignus inprimis auctor Theophrastus, sed earum fructus juxta alias Africanas, Syriacas, Phœnicias, virides adhuc ac recentes vulgo suaves & gustu quidem gratos, minime autem durare, ut recondi possint, sed protinus putrescere, ac proinde recentes consumi, exceptis qui in paucis aliquot locis arenosis proveniebant. Quod ipsum repetit adhuc alio loco, ubi docet recondi tantum posse è Syriacis Palmulis eas, quæ in convalli nascebantur, *quæ vero* IN ÆGYPTO *& Cypro & alibi gignuntur, has recentes omnes consumi*; ὅσ' ἢ ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩ καὶ Κύπρῳ ἢ ᾗ ἄλλοις χλωρὰς ἐκλίσκειν. Lib. 11. Hist. Plant. cap. 8.

Inde itaque Straboni ἀγρίας seu viles, vel ut Plinius loquitur de vulgaribus Dactylis, *plebeiæ* Ægyptiorum Palmæ, quod vulgo recondi & servari earum fructus non possent, & servati putrescerent, ac proinde recentes tantum ac virides comederentur, non vero quod plane steriles essent, aut ἄκαρποι. Sic idem Plinius: *Fructus Palmarum soli servati, qui in Judæa ac Cyrenaica Africæ, non qui in* ÆGYPTO, *Cypro, Syria, & Seleucia Assyriæ.* Excipienda tamen illi erant, præter Judæam ac Cyrenas, vel Convallis Syriæ palmaria, vel pauca illa loca arenosa Ægypti & Phœnices, in quibus Palmarum fructus non edules solum, dum adhuc recentes, sed servari etiam ac recondi soliti. Certe de Thebaïcis Palmulis, id alio loco innuit; *Thebaïdis fructus extemplo in Cados conditur, cum sui ardoris anima.* Ergo diversi ab his fructus Palmarum Ægyptiarum, qui recentes omnes consumebantur, neque proinde tamen, sicut perspicue jam intelligis, steriles istæ ac infrugiferæ. Lib. XIII. cap. 4. Lib. XIII. cap. 4.

Hinc etiam vel alii è neotericis, qui Ægyptum luſtrarunt, vel Proſper Alpinus, cujus exſtat opus de Plantis exoticis, & qui in Ægypto diu medicinam profeſſus eſt, referunt maturas Palmulas in Ægypto autumnali tempore. Ut jam illud præteream, quod quum variæ ſint Dactylorum ſpecies, quæ ſeptuaginta ab Arabibus commemorantur, hinc multæ etiam occurrant ex iis ἀγλυεῖς, ſeu viliores, quas pro divite ſua copia, peculiaribus etiam vocibus indigitant iidem Arabes, puta حاصل & دقل; unde tamen nemo dixerit ſterilia aut infrugifera id genus Palmeta. Nec illud urgebo denique, quod Theophraſtus agens alicubi de arboribus, quæ in certis regionibus frugiferæ, in aliis ſteriles occurrunt, illuſtret id exemplis & Perſeæ extra Ægyptum, & Populi nigræ extra Cretam, Palmæ autem in Græcia ſterilium; ubi opportunus utique locus fuiſſet id ipſum de Palma Ægyptia obſervandi. PHOENICEM vero Palmis etiam abundaſſe, vel ſola nominis ratio videtur indicare, quod inde petitum multis exiſtimatur; Tyrum certe Phœnices Metropolim, Patriam ſuam agnoſcit Palma in Meleagri Epigrammate, quod extat inter alia inedita antiquiſſimi Codicis Palatini, qui Vaticanæ Bibliothecæ cum reliquis acceſſit,

Lib. 11. Hiſt. Plant. cap. 3.

Phœnicia.

Φοίνιξ μὲν νίκαν ἐνέπει, πάτραν τε μεγαυχεῖ
Μητέρα Φοινίκων τὴν πολύπαιδα Τύρον.
Palma quidem victoriam indicat, Patriam vero jactat
Matrem Phœnicum liberis fecundam Tyrum.

Ut non mirum ſit proinde eandem Urbem dictam Achilli Tatio φυλώνυμον, quod Phœnicia urbs foret. Hinc frequens adhuc hodie Palma in Nummis Tyri, Aradi, aliorumque Phœnices locorum, ſed quæ nihil ſingulare habet aut à cæteris diverſum. Idem de SYRIA-

Lib. 11.

Syriaca.

RIACIS Palmis licet ſtatuere, cujus generis oſtendunt præclari aliquot Damaſcenorum Nummi, olim inter plures id genus ſelectiores, ab incomparabili Peireskio collecti, & nuper mihi obſervati Pariſiis apud illuſtrem Harlæum. Ex iis autem illud continuo colligas, haud fruſtra à Palmarum frequentia & nobilitate laudatam olim hanc Syriæ, ut in ejus Nummis vocatur, Metropolim, & quam proinde *ramis germinare* dixit Statius; neque male etiam inde poſſe illuſtrari, quæ de Nicolais Palmulis, à Nicolao nempe Damaſceno ad Auguſtum miſſis, [a] Plutarchus ac [b] Athenæus tradidere, quorum patriam nempe cum Hierichuntem, tum Damaſcum agnoſcit vetus Geographus, qui ſub Conſtantio vixit. Neque vero debuit Triſtanus, ad Pruna Damaſcena eaſdem Palmulas, quas ab hoc Nicolao ſibi familiari, *Nicolaos* denominavit Auguſtus, promiſcue detorquere; quum eas diſerte Φοίνικας, & Φοινικαλάνδς vocent illi auctores, quibus nihil cum prunis illis Damaſcenis commune, quæ κοκκύμηλα τὰ ἐν Δαμάσκῳ aut Δαμασκηνὰ vulgo vocant veteres, Dioſcorides, Galenus, Athenæus, aliique, qui eorum meminere, ac præſtantiam præ reliquis laudant. Eadem etiam βερίβυλα nuncupata, colligi videtur ex eodem Athenæo, ac præterea ex Suida, aut ex Theocriti Scholiaſte, qua de re eſto penes eruditos Botanicos judicium. Hujus vero generis DAMASCENA PRUNA, haud dubito ſignari in quodam nummo Damaſcenorum, quem duobus locis vulgavit idem Triſtanus, opportune hic quoque inſerendum. Quæ aliunde ad Nummi explicationem faciunt, nec ſunt hujus loci, petat Lector ex ipſo Triſtani opere, nec ſuſcepti laboris pœnitebit; ſaltem Pruna & Dactylos Damaſcenos, cum illo confundere & promiſcue ſumere caveat.

Vid. Athenæum lib.

[a] Lib. VIII. Sympoſ. quæſt. IV.
[b] Lib. XIV.

Tom. I. Comment. pag. 231.

At dum non tam in Prunis, quam in Dactylis Syriacis ac Phœniciis commemorandis versamur, sciendum postremos peculiari voce Phœnicibus dictos Σῆκας & Σκηθαλάνας. Hesychius, Σῆκλαι φοινικοβάλανοι· Σκηθάλανοι τὸ αὐτὸ φοίνικες. Salmasius ὁ πάνυ, ut ex nova Hesychii editione mihi constat, emendabat postremum Σκηλοβάλανοι; scilicet, ob eam quæ præcedebat vocem, Σῆκλαι. At quum æque hæc corrupta esse potuerit, crederem illam potius ex sequenti emendandam, neque in voce Σκηθάλανοι quidquam movendum, ob rationes quæ mox indicabuntur. Minus autem moror diligentem Medicum, qui postremus Theophrastum illustravit, & qui iis, quæ monenda erant in hoc Hesychii loco, prætermissis, quæ sana erant male refingit; dum non Phœnicibus, sed recentioribus Græcis ita dictum Palmæ fructum interpretatur, & postrema Σκηθάλανοι τὸ αὐτὸ φοίνικες, legendum putat Σκηθάλανοι τὸ αὐτὸ φοίνιξ, vel, τὸ αὐτὸ καὶ φοινικὶς; quæ explicat de purpura, seu purpureo colore. Absurde & ab hoc loco aliena. Quum autem perspicuum sit ibi Hesychium, consueto more vocem peregrinam & Phœnicibus ac vicinis usitatam adtulisse, qua Palmarum fructum sibi familiarem, vulgo Græcis βάλανον aut φοινικοβάλανον nuncupatum, indigitabant, certe inde etiam illius explicationem petendam liquet.

In-

Indictam vero reliquit eandem doctissimus Bochartus, in commemoratione earum vocum, quas tanquam Phœnicias apud Hesychium occurrentes, cum aliis id genus sibi explicandas susceperit. Ego vero Σῆνας & voce hybride Σκηθαλάνας dictas existimarem Phœnicibus Palmulas, quæ in Convalle Syriæ Palmaria, aliisque Judææ Convallibus nascebantur. שׁחה enim & שׁוח Judæis, Phœnicibus, Assyriis *deprimere*, unde שׁוחא *fossa*, seu locus cavus valde ac depressus; βάλανος autem, ut vulgo notum, Palmæ fructus, posterioribus Græcis δάκτυλος dictus. Audiamus vero Theophrastum de locis Palmarum irriguis agentem, εἶναι δ' πολὺ πιεῖσαν ἐν τῷ ΑΥΛΩΝΙ, ἐν ᾧ καὶ τὰ ΦΟΙΝΙΚΟΦΥΤΑ συγχάνει. τὸ ΑΥΛΩΝΑ δ' τῆσαν λέγειν σύμπαντες Σύρους, ὅσοι μὲν τὴν Ἀραβίας μέχρι τῆς ἐρυθρᾶς θαλάττης, καὶ πολλοὺς φάσκειν ἐληλυθέναι. τοῦτο δὲ ἐν τῷ ΚΟΙΛΟΤΑΤΩ πεφυκέναι σύμπαντα ΦΟΙΝΙΚΑΣ· *Tale autem in* CONVALLE *qua* PALMARIA *sunt exuberare*; CONVALLEM *illam per Arabiam usque ad Rubrum tendere mare, Syros adfirmare, ac plerosque qui inde venissent, referunt. Ejus itaque* CONVALLIS PARTE CAVISSIMA PALMAS *exoriri narrant.* Lib. II. Hist. Plant. cap. 8.

Et notandum adhuc inprimis, quod innuit rursus alio loco, διαφέρειν δὲ ΜΟΝΟΥΣ δώδεκα φασὶν τὰ ἐν Συρίᾳ σύμπαντα ἐν τῷ ΑΥΛΩΝΙ· *Recondi autem ex iis* (Palmæ nempe) *fructibus qui in Syria nascuntur, illos* TANTUM *posse, quos* PALMARIA CONVALLIS *parturit, volunt.* Αὐλὼν vero Gazæ interpreti Convallis, & si Hesychium consulas, πόρος· hoc est שׁוחה, vel *fossa*, seu locus cavus & oblongus. Sic Plinius docet præter decantatas Hierichuntis Palmas, commendatas insuper quarundam Judææ convallium. *Quamquam laudatæ & Archelaïde & Phasaëlide atque Liviade, gentis ejusdem* CONVALLIBUS. Hinc itaque cum Σῆνας,

tum

tum voce hybride (quales frequentes apud Orientales commerciis & communione Græcorum receptæ, ſicut טטראמולין *Tetramulin* de quadrigis Mularum, aliæque id genus) Σακοβάλανοι dicti Phœnicibus ac Syris βάλανοι ſeu Palmarum fructus, qui in id genus Palmariis Convallibus, earumque, ut diſerte tradit Theophraſtus, CAVISSIMA & depreſſiori parte naſcebantur, & qui ſoli tranſportari inde & recondi ſolebant. Niſi vero potius Palmulas ita dictas ſtatuamus à voce סוח *ſoucha*, quæ cum *natare*, tum *rigare*, ſeu *lavare* apud Orientales notat. Irriguis enim locis & multa aqua Palmas gaudere, Theophraſtus ac Plinius docent. Quibus accedunt cum Strabo, qui nobile illud Hierichuntis palmetum totum irriguum tradit; tum Joſephus, qui inde etiam celebratiſſimas ejus Palmas, appoſite hic inprimis, *irriguas* vocat; τῆ ΦΟΙΝΙΚΩΝ ΕΠΑΡΔΟΜΕΝΩΝ γῆ πολλὰ τῇ γλύκει καὶ τῇ παρηγορίαις διάφορα; PALMARUMQUE IRRIGUARUM *genera tam ſapore, quam nominibus varia*; docetque quæ in ripis Jordanis proveniunt, longe eſſe fertiliores, minus autem quæ ab eo ſunt remotæ. Immo inde etiam, quod hic rurſus palmarium, peculiare & vicinum Palmæ nomen apud Arabas, quibus سقى *ſaka* non *rigare* ſolum, ſed *Palmas aut vites colendas dare*, & vox سقيا *ſakion*, cum *nubem* magnis guttis effuſam, tum *Palmam* ſignificant. Neque minus occurrunt aliæ adhuc Arabum voces, ab eadem radice profectæ, quæ & abundantem pluvia nubem, & locum Palmis feracem notant. Ut etiam inde liquere videatur, aliter ſentire eoſdem Arabas, quam auctores, è quorum relatione tradebat Theophraſtus, Palmas aquam ſcaturientem potius, quam pluviam quærere. Adferemus locum,

Bell. Jud. lib. 1. c. 4.

ut

ut leve simul in eo mendum eluamus; ὀπιζηλεῖν (non ὀπιζηλῆ) ἢ μᾶλλον τὸ ναμαλιαῖον ὕδωρ ἢ τὸ ὀπὸ ξ διός. Necessariam illam, utut levem & obviam emendationem totius loci contextus satis superque arguit, nec aliter legisse videtur illius interpres Gaza. Vides autem, ut opinor, satis perspicue, ex eodem fonte profectum illud Arabum ﺻﻔﻲ *sakion*, & Phœnicum apud Hesychium Σάκαι ac inde Σακαῖλαιοι de Palma & Palmæ fructu iisdem usurpatum. Unde etiam jam constat apud Hesychium, non postremam, sed priorem ex duabus illis vocibus emendandam, ubi Σάκλαι male pro Σάκαι legitur. Ex his vero rursus lucem aliquam ac emendationem fœneratur corruptus Plinii locus, agens de communibus Palmulis; *Ex reliquo genere plebeiæ videntur, Syri & Jubæ Tragemata appellant; Nam in aliqua parte Phœnices Ciliciæque, populari etiam nomine à nobis appellantur Balani.* Multa hic mirantur viri docti, aut à Plinii mente aliena, aut mihi nulla admiratione digna. Ego hoc unum de quo silent, cur nempe agens de Palmulis seu Dactylis Plinius, moneat quo nomine scilicet Cilicibus vocarentur: quum tamen de Palmis Cilicum, nec ipse in superioribus aut alibi, nec Theophrastus meminerint; qui alias accurate agunt de vario illarum natali solo, & multi sunt in commemorandis Palmis Europæis, Asiaticis, Africanis. Unde nullus dubito, expungendam hanc Ciliciæ vocem, & ita legendum ac distinguendum locum; *Syri & Jubæ Tragemata appellant. Nam in alia parte Phœnices Syriæque populari etiam nomine, à nobis appellantur Balani.* Hoc vult Plinius, Palmulas communes Syris quidem vocari Tragemata; à Romanis autem easdem Balanos appellari, nomine scilicet de hoc fructu populari etiam seu recepto in alia parte Phœnices ac Syriæ. Hæc ut vides ἀκόλαθα,

Lib. XIII. cap. 4.

λαθαι, & cum doctissimo Grammatico consona, qui has Palmulas observat Phœnicibus dictas Σκηθαλάνας. Sed librarii, qui sensum loci non adsequebantur, & quibus molesta proinde videbatur ista de Syris aut Syria repetitio, continuo à vicina Cilicia auxilium petiere. Illud vero *in alia*, pro *in aliqua*, habent codices antiqui, ac inter alios Chiffletianus, quod notavit Dalechampius. Unde illud etiam recte admisit ὁ πάνυ in Plinianis Exercitationibus, qui bis hunc locum tentat, cæteroqui irrito successu; modo illud *Ciliciæque* retinendo; modo quod absurdum ei videretur, vocari Plinio Balanos popularem Romanorum vocem, quæ tamen esset Græca, in vocem *Græciæque* mutando, & *Phœnices* ibi non de regione, sed de Palmulis interpretando. Et hæc quidem omnia, si quid judico, valde ἀσύχως, & contra Plinii mentem. Communes nempe Palmulæ exsiccatæ scilicet, Dioscoridi ξηραὶ, dictæ Syromacedonibus Græca voce τραγήματα. Cujus appellationis fontem docet nos Xenophon agens de Babyloniis palmulis; τὰς δέ τινες ξηραίνοντες, τραγήματα ἀπέθεσαν; *Nonnullas vero exsiccatas pro bellariis reposuerant.* Earundem rursus Palmarum fructus, iique vulgares, in alia parte Syriæ ac Phœnices appellati Βάλανοι: sicut præstantiores Palmulæ, voce ex Phœnicia & Græca coalescente, Σκηθάλανοι, seu *irriguæ*, ob rationes indicatas. Idem autem nomen Balanorum, Palmulis vulgo ex illo terrarum tractu petitis tribuerunt etiam Romani; nomen scilicet cum fructu, ut sæpe accidit, mutuando. Sic Plinius paullo ante agens de Palmulis alterius soli, nempe Orbis meridiani; *Eæ breves, candidæ, rotundæ, acinis quam* BALANIS *similiores.* Balani itaque proprie communes Orientis Palmulæ seu *Dactyli*, sicut posteriori nomine Græcis tandem ac inde vulgo Lati-

Lib. 1. cap. 129.

Lib. 11. de Exped. Cyri.

Latine loquentibus dicti. Quamquam non ita recentem hanc appellationem, ut volunt viri magni, possem ex Artemidoro colligere, qui Hadriani ac Pii temporibus vixit, & apud quem hæc reperio; αἱ δὲ φοίνικος βάλανοι, αἱ ἀπὸ δάφνης ΔΑΚΤΥΛΟΙ καλοῦνται; *Palmarum Balani, qui maturi* DACTYLI *vocantur.* sed, ut verum fatear, postrema ista existimarem omnino glossema alicujus magistelli, qui priores voces φοίνικος βάλανοι, ut passim Græcis olim dicti Palmarum fructus, ac una etiam voce φοινικοβάλανοι, per vocem de iisdem recentioribus demum Græcis familiarem explicandam sibi in ora libri credidit, unde ab imperitis librariis in textum postea recepta; ut sexcenta talia, quæ in optimos auctores utriusque linguæ, quod eruditis notum, irrepsere. Certe cum ante, tum apud auctores Artemidoro coævos, & etiam infra ejus ætatem, Athenæum, Galenum, & è Latinis Solinum aliosque, qui ex professo de Palmis agunt, & eorum fructibus, ignota adhuc illa Δακτύλων & *Dactylorum* de iisdem appellatio. Neque vero, ut ad priora redeam, mirari debuit vir doctus ad Theophrastum *Balanum*, quæ vox Græca est, *popularem* dici Syris ac Phœnicibus, haud magis certe quam *Tragemata*, vocem itidem Græcam, & Syris tamen pro Palmulis, auctore eodem Plinio, haud minus usurpatam. Nec enim ignorare debuit, his gentibus linguam Græcam juxta vernaculam antiquam, popularem evasisse post Macedonum in Syria imperium ac sedem; adeo etiam ut publica monumenta Græca lingua vulgo consignarent; quod vel tot nummi illorum locorum omnium clarissime docent. Sicut vero aut Palmariæ Convalles, aut illarum fructus irrigui Josepho dicti, ut vidimus, hoc est Σκηνοβάλανοι celebres per ea loca; sic à Palmarum copia *locus Palmarum* quidam

Oneirocr. lib. IV. cap. 50.

dam dictus vicinus Babyloniæ, de quo occurrit mentio apud Talmudicos, מפום והרא צניתא דבבל *ab ostio fluminis usque ad locum Palmarum Babyloniæ*; & pars Arabiæ olim, (quod jam monuit doctissimus Bochartus) דקלא *Dikla* nuncupata. Ad quas præterea voces דקלא & דקל *Dikla* & *Dakkel*, quæ Palmam apud Syros & Assyrios indicant, sicut etiam apud Arabas دقل, crederem omnino recentiores Græcos adlusisse, qui petitas ex eo tractu Palmulas, seu Palmæ fructus, Δακτύλους nuncuparunt. Quod enim vulgo viri docti, & juxta eos vir magnus ad Solinum, à digiti longitudine aut figura ita demum dictas existimant, haud mihi continuo probatur. Nam quum non Caryotides solum, quod largiuntur, sed reliquæ etiam Palmulæ, quas ab ea digiti figura Dactylos appellatas volunt, non unius generis aut figuræ tradantur, & quidem Plinio diserte, differre figura rotunditatis aut proceritatis, certe parum opportune Palmulis commune Dactylorum nomen hæsisset, rotundis nempe perinde ac proceris. Immo quum adhuc hodie Ægyptiis Palma seu arbor Dactylos ferens *Dachel* nuncupetur, haud possum satis mirari rursus eundem τ. πάνυ, illam ab hac voce δακτύλῳ deflexam statuere? An fugit hic virum, infinitæ alias, ut ingenue fatemur, doctrinæ, communis illa & antiqua דקל *Dakkel* seu *Dachel*, hoc est Palmæ in Syria ac vicinis locis appellatio, ut eam præter Arabas, apud Ægyptios adhuc hodie permanentem, ab hac voce δακτύλους, recentioribus demum Græcis pro Palmæ fructu (quod ipse alias contendit, & longe verissimum) usurpata, derivandam sibi putaverit? Quam proclivius certe & longe convenientius, ab antiqua voce & Palmæ natali solo propria, recentiorem Græcorum appellationem de illius fructu inde petito deducere?

Beracoth fol. 31. 1.

ducere? maxime cum obvia occurreret ratio duplex illud κ in κ & τ permutandi, juxta solitas ejusmodi litterarum adfectiones haud solis Doribus usitatas, qui τὸ κ τρέπουσι εἰς τ dicuntur Moschopulo, aliisque priscis Grammaticis, & cujus rei varia exempla iidem suppeditabunt. Qua ratione etiam ex *Dakkel* factum Græcorum Δάκτυλος, & Gallorum *Datte*, de eodem Palmæ fructu. Sic vicissim τ Orientalium in κ Græcorum conversum, ut ex תכלא *Tacla*, factum Græcorum Κάχλα vel Κάχλη, quod viderunt jam viri docti. Neque vero felicius alibi, usitatum iisdem Ægyptiis *Tamar* pro sicco Palmæ fructu, deducit itidem ὁ πάνυ, à Græca voce τράγημα; quum tamen haud ignoraret, illud ipsum תמר *Tamar* commune esse Palmæ nomen apud Hebræos, & apud Arabas. Immo quum constet in specie Arabas, juxta modernos Ægyptios, denotare hac voce ﺗﻤﺮ non promiscue quosvis Dactylos, sed siccos tantum & servari idoneos. Hujus generis vero tulisse inprimis vel inclytam Palmis JUDÆAM haud *Judaïca.* ignoras. Equidem inter regiones præstantissimis Palmis feraces, & quæ Romanis accesserant, primas illi genti vulgo deferunt, & quidem locis circa Hierichuntem, Strabo, Plinius, Galenus; nisi quod Plinius, ut supra vidimus, addit alias quasdam Judææ Convalles, ut Anhelaidis, Phasaelidis & Liviadis; quod ex parte firmat etiam Josephus, qui Phasaelidis palmeta Liviæ Augustæ testamento à Salome relicta commemorat; ut vel inde eorum præstantiam facile adsequamur. Hinc vero Palma vulgo Judææ symbolum in antiquis Romanorum nummis. At vero quod Strabo innuit, duplex erat illa Palma apud Judæos, sicut & in Ægyptia Thebaïde, Caryota scilicet & Communis; Διττὸς ἦ ἐστὶν ὅτε ἐν τῇ Θηβαΐδι, καὶ ὁ ἐν Ἰουδαίᾳ, ὅτε ἄλλως, καὶ ὁ

Bell. Jud. lib. 11. c. 8.

Lib. XVII.

Communes. Καρυωτὰς. Communem illam Palmam cum Dactylis nempe seu vulgaribus Palmulis signant vulgo nummi Vespasiani ac Titi, cum JUDÆÆ CAPTÆ epigraphe.

Eadem Palmæ hujus figura, ut vides, cum frugiferis vulgaribus, quas vel aliorum locorum Nummi, vel traditæ ab Historiæ Plantarum scriptoribus icones repræsentant. At CARYOTAS illas Palmas omnium præstantissimas, & fructus ferentes cum magnitudine tum figura à communibus diversos, qui nobis ex iisdem Herbariis, quos vocant, ante oculos posuerit, fa-

Caryotæ. teor me nondum reperisse. Unde rem haud opinor ingratam me facturum censeo, si eandem obviam in præclaro nummo, & qui fere in omnium antiquariorum manibus versatur, ostendam. Nummus est sub Nerva percussus, in memoriam sublatæ vexationis, qua Judaici ritus jure aut injuria accusati graviter mulctabantur; cum illa proinde memorabili inscriptione, FISCI JUDAICI CALUMNIA SUBLATA.

Pal-

Palmam hic cernis Judææ ſymbolum, & quidem ferentem fructus, cum magnitudine tum figura ab aliis diverſos. Neque illi certe alii, quam Caryotides, Iſidoro *Nucales*, qui inter Judaicos eminebant; & ad quos reſpexit Poëta,

Hoc lenitur ſputo Jani Caryota Calendis.

Immo haud alii, qui eam decantato adeo Hierichuntis Palmeto celebritatem conciliarunt; unde illud Cleopatræ ab Antonio inſignis cujuſdam muneris loco datum, ab eadem cum aliis poſſeſſionibus magna mercede impetraſſe ſibi locari Herodem, refert Joſephus. Eo autem magis huic memoriæ præ aliis commendari merebantur, quod non vulgares ſed rariores etiam eſſent apud ipſos Judæos; idque gentis illius verſutia, quâ hanc Palmam Caryotam & Balſamum, quo pretium augeret, non permittebat naſci in pluribus locis. Docet id alicubi Strabo agens de Ægyptiorum rebus, nec abſimili verſutia ab iis adhibita in Byblo Ægyptia, quo reditus inde itidem augerentur. Præter hanc rationem, quam innata gentis avaritia ſuadebat, crederem etiam acceſſiſſe ſolitam ejuſdem φιλωτίαν; ut quod apud ſe optimum & vix alibi naſcebatur, aliis gentibus inviderent, idque nonnunquam ſub idololatriæ Gentilium obtentu. Certe de Palmulis hanc apud Talmudicos prohibitionem legas, אף דקל טב וחצב ונקליבם אסור למכור לעו׳ *Etiam Palmulas bonas, & Hederam, & Nicolaos non licet vendere gentibus.* חצב illud per *Hederam* reddimus, quæ ſolita eſt ejus vocis, juxta doctiſſimum Buxtorfium, apud Talmudicos ſignificatio; quamquam ad aliquam Palmæ ſeu Dactylorum ſpeciem videatur hoc loco referenda. Media enim ponitur inter Dactylos & Nicolaos, utrumque Palmæ fructum. Sed ut vulgo permiſcent omnia

Bell. Jud. lib. 1. c. 13.

Lib. XVII.

Avod. Sara. 1. in Miſchna.

omnia illi doctores, forte nativa illa *Hederæ* significatio hoc loco relinquenda, quæ ideo prohibita gentibus vendi, quod nempe in Bacchi mysteriis frequens esset. Talia enim quæ vulgo idololatriæ gentilium inservire putabantur, vetita iisdem venundari; qua de re pleni Talmudicorum libri, & adlatum supra Nucis Pineæ exemplum satis docet. Alias triduo tantum ante festa Gentilium prohibitæ iis vendi res omnes ultra diem duraturæ; ut docet nos Magistrorum Coryphæus, peculiari de Idololatria Commentario. Immo idem alicubi negat, fructus ad quæstum interdictos, licet idolorum cultui destinatos, quamdiu necdum eis oblati sint. At vero specialis hæc & indefinita circa Palmulas, easque præstantissimas, Talmudicorum prohibitio: ex qua utique illum fructum, tanquam suavitatis & raritatis præcipuæ, in sacris etiam Gentilium præcipuum quendam locum habuisse, haud obscure licet colligere; ni aperte id de eodem testaretur Plinius; *Nam quos ex his* (Palmæ fructibus) *honori Deorum dicamus Chydæos appellavit Judæa, gens contumelia numinum insignis.* Chydæos nempe per contemptum, quasi viles seu vulgares; quo nomine Palmulas id genus dictas, liquet præterea ex Dioscoride, ex quibus maturis vinum Palmeum fieri docet. Frustra ergo Plinium exagitat vir doctus ad Theophrastum; quasi præ ira & odio in Judæos ita fuerit abreptus, ut quid ageret aut scriberet, ignoraret: quod optimum enim in suo genere, honori Deûm tribui, non quod vile & abjectum. At id non ex sua, sed ex Judæorum Hellenistarum sententia dicebat Plinius, & in quos proinde tanquam in Numina, & omnem eorum cultum contumelioſos invehitur. Et quum pro *Chydæos* absurde idem vir doctus obtrudat apud Plinium vocem *ἰδίας*, an quæso vox ea Hebræa

Mos. Maimon. c. 9. §. 1. Cap. 7. §. 20.

bræa magis aut Chaldaïca priori illa Chydæorum, quam proinde à Judæis inditam præfracte pernegabat? Datas autem honori Numinum Palmulas, quod aperte tradit Plinius, & haud obscure innuebant sua illa prohibitione Talmudici; firmare præterea videtur nummus Damascenorum, à Cl. Tristano alicubi vulgatus, in quo occurrit mulier nuda lancem Dactylis plenam serpenti adponens, quæ vulgo Deæ salutis symbolum in antiquis nummis. Per *Nicolaos* vero, quorum mentio in illo Talmudicorum præcepto, Palæstinæ Caryotas, de quibus agimus, intelligendos, liquet abunde ex doctoribus Gemaricis, qui hanc vocem נקלס seu *Nicolaos*, alibi in Mischna Talmudis Babylonici occurrentem, per vocem קורייטי seu *Caryotam* explicant, quorum utraque Hebræis quidem esset peregrina, posterior tamen notior in terra Israëlis. Hanc doctorum de illis vocibus sententiam legas apud doctissimum Buxtorfium, in voce קורייטא. Inde vero jam indubie colligas, *Nicolaos* illos Palmæ fructus ad Augustum missos, & ita ab eo denominatos, non Dactylos communes, sed revera Caryotas fuisse, quibus nomen illud *Nicolaorum* adhæsit; male proinde ab Isidoro *Nicolaos* & *Nucales* seu Caryotas distingui; *Alii Thebaïci, qui & Nicolai, alii Nucales, quos Græci* Καρυωτὰς *vocant*. Immo inde liquet, non in Græciæ solum, sed in Orientis etiam linguas, & usum transiisse hanc *Nicolaorum* de his Palmulis appellationem; ex quibus agens de iis Plutarchus haud parum illustratur, τὰς μεγίστας καὶ καλλίστας τῶν Φοινικοβαλάνων ΝΙΚΟΛΑΟΥΣ ὀνόμασε, καὶ μέχρι νῦν ἄτως ὀνομάζονται· *Maximas & pulcherrimas Palmulas* NICOLAOS *nominavit, sicque* ETIAMNUM DICUNTUR. Apud Arabas vero, quibus Palmæ & earum fructus tam varias sortiuntur appellationes, eundem usum ho-

Tom. I. Comment. pag. 230.

Sympos. lib. VIII. quæst. 4.

rum Nicolaorum obtinere videas vocem haud remotam نخل de Palma præstanti ac selecta (appositè plane ad ἀπολέκτους palmulas, quarum Xenophon meminit) à radice quippe نخل Hebræis נכל seu *nachal*, quæ *secrevit* & *elegit* apud eos notat. Ex quo fonte itaque, eam *Nicolaorum* de Palma apud Talmudicos appellationem profectam posset quis forte arguere, ni obstarent cum aperta illa Plutarchi & Athenæi de origine hujus vocis testimonia, tum ipsorum Talmudicorum doctorum confessio, eam vocem ut plane peregrinam, & ignotæ sibi significationis profitentium. Ut jam mittam opportunum hic *Caryotæ* exemplum, & adlegati supra *Strobili*, ac sexcentarum id genus vocum, quæ è Græcia & Latio in eorum usum & sermonem paulatim irrepsere. Neque vero superiora potest infringere citati apud Suidam scriptoris auctoritas, qui de Palmulis silens, Placentas à Nicolao Damasceno ad Augustum missas, *Nicolaos* ab eo dictas tradit. Sed facile scriptorem illum cum Plutarcho, Athenæo, Plinio, ac insuper cum Talmudicis doctoribus conciliabimus; qui nomen hoc *Nicolaorum*, non Placentis, sed Palmulis tribuunt; si dicamus Placentas illas ab hoc Nicolao ad Augustum missas, procul dubio ex his Caryotis confectas. Tales certe Placentæ è καρύοις, (unde Caryotarum nomen) olim usitatæ, & peculiarem etiam inde appellationem nactæ. Hesychius, Καρύων, πλακοῦς ἔχων κάρυα. Immo ejusmodi è Dactylis aut Caryotis Placentas, fuisse jam olim inter præcipuos Orientalium cibos, liquet adhuc ex non una voce Arabica, qua edulium delicatum ex butyro & Dactylis confectum indigitant; qualis الوقه item موخف. Tam Caryotæ itaque quam Placentæ ex iisdem constantes, & ab hoc Nicolao

Lib. II. de Exped. Cyri.

lao ad Augustum missæ, *Nicolaorum* nomine ab eodem donatæ videntur. Ex his autem Caryotis fiebant potissimum vina illa Palmea, quibus Oriens olim utebatur. E vulgaribus etiam Dactylis confecta liquet alias ex Dioscoride ac Plinio. Sed è Caryotis, ut peculiari ac longe præstantissimo Palmularum genere, optimum etiam & nobilissimum vinum parabatur; unde & apud Talmudicos קוריוט pro vini specie legitur. Succo nempe commendatæ olim inter alia Caryotæ; Plinius, *Ab his Caryotæ maxime celebrantur & cibo quidem sed & succo uberrimæ. Ex quibus præcipua vina Orienti, iniqua capiti, unde pomo nomen.* Lib. XIII. cap. 4. Nugæ quæ de nominis tradit origine. Aliud κάρυον, unde καρυωτὸς φοίνιξ, seu *nucalis palma*, & inde vinum Caryoticum; aliud κάρη seu κάρηνον. Et quanquam ab hac voce, seu à capite prior illa profluxisset, non inde continuo dictum liqueret vel fructum, vel vinum ex eo confectum, quod nempe capiti noceret. Id quidem non Caryoticis solum, sed palmeis in genere vinis commune, ut iniqua essent capiti, haud difficulter largiemur. Hoc enim & cibo è recentioribus Palmulis tribuit [a] Dioscorides, & vino etiam palmeo Xenophon, & ex eodem [b] Athenæus, καὶ οἶνῳ φοινικῷ πότον ἡδὺν μὲν καὶ κεφαλαλγῆς; *Vinum quidem illud potu suave erat, sed capiti noxium.* [a] Lib. I. cap. 129. [b] Lib. XV. Immo id extra dubium ponit vox Arabica ܫܟܪ (hoc est Hebræorum שכר seu *Sicera*) qua *vinum dactylorum & potus inebrians* ex æquo innuitur; at non proinde à capite deducta, sed à verbo ܫܟܪ *ebrius fuit* aut *inebriavit.* Sic vinum ea de caussa, ut videtur, quod caput & cerebrum turbaret, vocarunt Orientales Syri, Assyrii, Hebræi, חמר & חמרא, à voce nempe חמר, quæ non caput rursus, sed *turbare* & *incalescere* apud eos indicat. Et hæc scripseram, quum miratus

sum in eandem cum Plinio sententiam descendisse non solum Hermolaum Barbarum in Corollariis suis ad Dioscoridem, sed etiam virum magnum, in nova accessione nobilissimi operis de Idololatria Gentilium, verum aliud agendo procul dubio, neque re satis accurate expensa. Cæteroquin vinum hoc Palmeum inebriandi vim habuisse, ex Hieronymo præterea colligas, in Epistola ad Nepotianum; SICERA *Hebræo sermone omnis potio nuncupata, quæ* INEBRIARE *potest, sive illa quæ frumento conficitur, sive pomorum succo, aut quum favi decoquuntur in dulcem & parvam potionem, aut* PALMARUM FRUCTUS *exprimuntur in liquorem.* Tom. 1. Epist. 2. pag. 16.

Hæc autem omnia rursus valde illustrat sequens apud Chrysostomum locus, quem satis opportune in meis ex aureo Auctore Excerptis reperio; ΣΙΚΕΡΑ ἡ ἐν παῦδα φησὶ τὸ ΦΟΙΝΙΚΩΝ καὶ ΟΠΟΝ, ὃν ἐπετήδευον, σωτρίβοντες τὸ καρπὸν καὶ καταβλῶντες εἰς ΟΙΝΟΥ μεταχημάτισεν φύσιν. ΚΑΡΩΤΙΚΟΝ ἢ ἐστὶ τὸ πιεῖτο καὶ μέθης ἐργαστικόν. SICERAM *autem hic vocat* PALMARUM SUCCUM, *quem adservant, pressum & contritum fructum in* VINI *naturam transformantes. Est autem illud* CAPITI GRAVE, *& ad* EBRIETATEM *provocans.* Tom. 1. ad cap. v. Esa. pag. 1058. edit. Savil.

Aliud nempe aurei Oratoris Καρωτικὸν, seu Xenophontis ea de re κεφαλαλγὲς, aliud Καρυωτὸς. Inde vero crederem ad Palmam arborem, & Caryotam inprimis, è cujus fructu & succo, auctore Plinio, præcipuum id genus vinum in Oriente parabatur, respexisse Maimonidem sequenti illa sua lege; אילן שיה וגוים משמרין אתפרותיו ואומרים שהם מוכנים לעשותשר לבית כום פלוני ועשין מהן שכר ושותים איתו הרי זה האילן אסור בהנאה: *Arbor sit cujus fructus custodiebant gentiles, dictantes eos servari ad faciendam inde potionem pro hujus vel illius Idoli delubro, si de* De Idolol. cap. VIII. §. 7.

de potione ex iis confecta biberint die festo, usus illius arboris interdicitur. Ex illo autem Palmei vini usu in Oriente, profectæ communes illæ Arabum voces, quæ *custodire Palmetum aut Vineam, Palmarum & Vineæ custodem, Palmas aut Vites colendas dare* ex æquo significant. Neque vero Judæam solam ac Thebaïda, sed Babyloniam insuper ac ulteriorem Orientem, Caryotis illis feracem fuisse, ex Diodoro ac Strabone abunde licet colligere; quam prærogativam etiam inter Fortunatas Insulas, Canariæ tribuit alicubi Plinius. Apud Strabonem quidem legitur, Palmam Judæorum Caryotam, ὐ πολὺ χειρίω ἃ Βαβυλωνίᾳ, *non multum meliorem quam Babylonia*; at crederem omnino ibi legendum, ὐ πολὺ χείρω, *non multum inferiorem*; quod longe & scribendi usui, & veritati convenientius. Babylonicæ enim Palmæ, juxta Theophrastum, & inter illas quidem Regiæ, omnium præstantissimæ cum magnitudine, tum virtute. Unde & selectos Palmarum fructus apud eosdem Babylonios, eosque magnitudine & pulchritudine mirabiles, non in promiscuo quidem usu familiæ, cui vulgares relinquebantur, sed Dominis tantum servatos docet alicubi Xenophon. Quin & Anich, scriptor è recutitorum gente, ac proinde hoc loco fide dignus, auctor est קשב vocari in Oriente Palmæ speciem in Perside provenientem, præstantiorem Palmis, quæ nascuntur in Palæstina. Et de Palmis hactenus tam Caryotis, quam Communibus, quæ in antiquis Nummis signantur.

Lib. VI. cap. 32. Lib. XVII.

Lib. II. Hist. Plant. cap. 8.

Lib. II. de Exped. Cyri.

Alias quidem Plantas haud vulgares eadem adhuc latifundia possent nobis suppeditare. Neque enim Palmas suas solum Palæstina, sed cum Urnam, cui MANNA imposita, tum VIRGAM AARONIS exhibet adhuc in variis Nummis, qui aut Hebræis seu

Assyriis, aut frequenter Samariticis litteris signantur. Utriusque generis hic habes.

Nihil aliud innuunt litteræ diverso caractere utroque nummo expressæ, nisi *Siclus Israëlis*, & *Hierosolyma sancta*. Posterior cum litteris Samariticis, idem omnino cum eo, quem repræsentat & describit R. Azarias, & quem se Ferrariæ nactum tradit: ובביתותה כטבע הנז' ראיתי כחוב באותיות דלעילא שקל ישראל ובאמצעו צי־צנת שד עליה אשר לרעתי דל שקל דוד ומצד אחר ירושלים הקדושה או ירושלימה קדושה ובאמצעו מטה בעל טלשה פרחים כפי אלו חוצורות משני עבעיו ולבי אומר לי כי חרב נחמני צל שכח וכתב שקל השקלים תחת שקל ישר אל. *In circuitu autem monetæ vidi scriptum litteris superne quidem* SICLUS ISRAELIS, *in medio Urna cum litteris* שד *supra positis, quod meo judicio est* SICLUS DAVIDIS. *Ab altero latere Jeruschalaim hakaduscha, aut Jeruschalaima Kaduscha, seu* HIEROSOLYMA SANCTA. *In media Virga tribus floribus insignita hac ab utroque latere forma. Dicit autem mihi cor meum R. Nachmanidem piæ memoriæ oblivione scripsisse* sakel hasekelim *pro* sekel Israël, *seu Siclus Israëlis*. Quæ alias ad Siclos id genus Hebræorum spectant, ita jam accurate excusserunt viri docti & litteraturæ Orientalis callentissimi, Waserus, Willalpandus, Schikardus, Waltonus, Hottinguerus, aliique, ut non occurrat

Menor Enaiim pag. 171.

currat hic ulterior de iis dicendi locus. Hoc unum monere liceat, plures id genus nummos Samaritici litteris inscriptos & cum aliis etiam symbolis, suppeditare Cimeliarchium Mediceum. Neque vero pretiosas suas merces hic nobis invidit Sabæa. THURIFERAM certe ARBOREM, quanto usu olim sacram & nobilitatam scimus, tanto, vel fatente Plinio, ignotam ejus faciem, neque ab ullo Latinorum, penetrata licet à Romanis Arabia, traditam. At cum Ramum illius arboris, tum CALAMUM præterea ODORATUM ex præclaro Trajani nummo opportune eruit felicissimæ indaginis antiquarius Tristanus. Lib. XII. cap. 14.

Arabiam nempe à Trajano in formam Provinciæ redactam signat hic nummus, ut vel innuunt litteræ ARAB. ADQ. seu *Arabia Adquisita*. Provinciam autem illam consueto more repræsentat mulier cum Camelo, dextra Ramum, sinistra Calamum tenens. Ramum autem illum esse arboris Thurem ferentis, cum proprium Arabiæ decus suadet, tum similitudo cum Lauri foliis, qualem illi Arbori tribuit Theophrastus, δαφνοειδὲς καὶ λειόφυλλον εἶναι, *Thuris folium laurinum leveque*. Plinius autem; *Cortice lauri esse constat; quidam & folium simile dixere*. Alii quidem, juxta eosdem auctores, folio pyri sed minore, aut lentisco similem hanc arborem tradunt; quæ nec multum abludunt à superiori Lib. IX. Hist. Plant. cap. 4. Lib. XII. cap. 14.

riori effigie. Virgas etiam Thuris ſuo tempore ad Romanos commeaſſe tradit Plinius, ſed ramuſculis vacuas, ut licet ex eodem facile colligere. Quo etiam referendus mihi videtur Ramus ille, quem Rex Arabum Aretas ſupplex manibus præfert in antiquo & inſigni denario Gentis Æmiliæ.

De reliqua Nummi explicatione conſuli poteſt Urſinus. Calamum autem, quem ſiniſtra præfert mulier Arabiam repræſentans in ſuperiori Trajani nummo, eundem eſſe cum CALAMO ODORATO, celebri itidem Arabum merce, erudite probavit Triſtanus. Ita ut ſuperior nummus utrumque illud repræſentet, de quo olim Propheta; *Ut quid mihi* THUS *de Saba adfertis, &* CALAMUM SUAVE OLENTEM *de terra longinqua?* Quid jam DICTAMNUM memorem, herbam Cretæ, quod nemo neſcit, peculiarem, & quam præferunt non ſemel illius Inſulæ Numiſmata, ſicut præter alia, in ſingulari Paphiorum nummo Mediceo? An vero expreſſi in nummis Cauloniaton Italiæ vel Magnæ Græciæ ramuſculi, eandem plantam repræſentent, ut exiſtimabat Goltzius, fateor me dubitare, ac ad vulgarem lectionem lubentius referre. Mitto jam Coronam ex HYPOGLOSSO ſeu LAURO ALEXANDRINA, qualem in præclaro Myrinæorum nummo obſervavit itidem Cl. Triſtanus. Quamquam autem vulgo diverſæ illæ plantæ ſtatuantur, quod Dioſcorides, Galenus, aliique diverſis locis de iiſdem agant;

Jerem. VI. 20.

Tom. II. Comment. pag. 141.

ita

ita tamen utramque describunt, ut vix certe magnum inter eas discrimen fatearis. At vero illud obstare mihi videtur, ne continuò cum Tristano, Laurum Alexandrinam in eo nummo signatam putem, quod hanc diserte tradant Theophrastus, Dioscorides, aliique, fructum seu baccam in medio folio gerere instar ruscì; at in nummo illo quem videas apud Tristanum, fructus extra folia è pediculo pendeat. Decepisse videtur Tristanum secus producta à Matthiolo (quod ei nonnunquam solemne) figura, hujus Lauri Alexandrinæ, nec consona cum iis quæ de hoc frutice veteres & è recentioribus etiam nonnulli tradidere. An advocabo hic præterea FICUM RUMINALEM, quam cum pastore Faustulo, Lupa ac gemellis signat obvius Gentis Pompeiæ denarius apud Ursinum, & alius inter Incerta ab eodem relatus?

Immo eandem etiam ære incisam una cum fœta sue signari credidit Erizzo, in sequenti nummo Adriani.

Scrofa, quam ibi cernis multos fœtus enixam, ea nem-

pe quam sibi juxta Vatum præsagia, circa Laurentem agrum repertam, Junoni immolavit Æneas, & ad cujus repertæ locum, Lavinium ab eo condita, & mox in vicinia ab Ascanio Alba. At nihil ei cum Ficu Ruminali commune, quæ ad Romuli & Remi natales, & Romæ condendæ auspicia, ut vulgo notum, spectabat; & cum Lupa proinde ac gemellis, non cum hac fœta sue signanda veniebat. Non alia itaque hæc Arbor in superiori nummo statuenda, quam ILEX, sub quo arborum genere reperiendam hanc suem præsagiebant Æneæ Helenus ac Tiberinus:

Cum tibi sollicito secreti ad fluminis undam
Littoreis ingens inventa sub ILICIBUS *Sus*
Triginta capitum fœtus enixa jacebit.

Et certe alia longe Ficus Ruminalis figura in superiori nummo, alia hujus Ilicis; ut mirari satis non possim, quid nobilem antiquarium impulerit, ut illas arbores inter se, & discretas pluribus sæculis historias aut fabulas improvide confuderit. Neque vero parum hæc illustrant præclari quidam nummi, mole & raritate insignes, qui eandem suem fœtam exhibent, cum symbolis insuper Æneæ Anchisem ferentis, & superne Lavinio; aut cum Ænea & Ascanio navi egredientibus, & ardente Ilio. Prior nummus itidem Hadriani in Regia Gallorum Gaza, posterior Antonini Pii in Cimeliarchio Christinæ Heroïnæ mihi visus. An denique hic alias Plantas vulgo haud ignotas ulterius commemorabo? puta vel NYMPHÆAM ALBAM, Fluviorum imaginibus nonnunquam adpictam; aut APIUM, frequens in Selinuntiorum nummis, & à quo Urbi nomen; unde præterea Plutarchum illustramus, qui tradit alicubi Selinuntios Delphis aureum Apium dedicasse. Mererentur forte opportunius in hunc censum referri va-

Lib. Et apud Delph.

ri variæ adhuc Plantæ exoticæ, quibus ſignatos nonnunquam alios Nummos memini me vidiſſe, ſed cum obiter & aliud nonnunquam agendo, tum quorum ectypa non poſſidemus, ut hic certo liceat aliquid de iis pronuntiare. Talis forte vel Commagenorum in Syria nummus, cum adpicto flore ſeu herba, & Cleopatræ alicujus effigie in anteriori parte; aut Antiochi Euergetis, cum flore itidem aut herba in averſa nummi area, quos in illuſtribus Italiæ veſtræ Cimeliarchiis aliquando me vidiſſe recordor. Priorem cum addita Nummo epigraphe ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ, eandem Plantam facile crederem cum herba in illo tractu celebri, & à natali ſolo COMMAGENE itidem dicta, (ſicut Herba *Medica*, *Sinopis*, *Rhodia* vel *Idæa Radix*, aliæque id genus) ex qua præſtantiſſimum & quantivis pretii medicamentum parabatur, quod impenſe laudat Plinius; *Alioquin celeberrimi uſus eſt ad hoc in* COMMAGENE *Syriæ parte cum Cinnamo, Caſia, Pipere albo*, HERBA quæ COMMAGENE *vocatur, obrutis nive vaſis, odore jucundo, utiliſſimum ad perfrictiones, convulſiones, cæcos ac ſubitos dolores, omniaque quæ acopis curantur, unguentumque pariter ac medicamentum eſt.* Et de his hactenus. Quamquam ni alio nos vocaret inſtituti operis ratio, haud alia deeſſent etiamnum, ex quibus adſertam vindicatamque Nummorum in hoc contemplationis genere utilitatem liceret adhuc pluribus evincere.

In Gaza Chriſtinæ Reginæ.

In Gaza Mediceâ.

Lib. XXIX. cap. 3.

DISSERTATIO QUINTA.

DE

PRÆSTANTIA ET USU

NUMISMATUM

ANTIQUORUM.

SEd forte majus erit operæ pretium, à brutis Animantibus, aut Plantis, ad nobiliorem rerum geſtarum HISTORIAM oculos convertere; qui frequentior ſolet eſſe & quidem immenſus hujus Nummorum tractationis campus. Neque tamen ſollicitam quandam & operoſam hujus rei probationem à me exigis hoc loco, OCTAVI præſtantiſſime, quod nec unius eſt Diſſertationis argumentum; & de quo, ut ingenue fatear, minus etiam videtur hic mihi laborandum. Vix enim hæc res hodie ullam habet dubitationem apud eos ipſos, quos vel nullo, aut levi admodum uſu antiquariæ hujus ſupellectilis vulgo inſtructos videas. Ut mittam felicem multorum induſtriam, hic jam luculenter præluxiſſe; quorum curæ & lucubrationes in hoc genere talium cupidis paſſim ante oculos verſantur. Quamquam, ſi meam quoque ſymbolam, ad aliquam ſuſcepti argumenti illuſtrationem liceat obiter conferre; non una certe ratio, ſingularem & mirificam quandam Nummorum utilitatem in hoc genere, continuo ſuadere mihi videtur.

Cauſæ utilitatis Nummorum in HISTORIA.

Primam equidem ſubminiſtrat illa injuria, vel temporum vel Barbarorum, vel epitomatorum, quos vocant, quæ mancam & mutilam magna ſui parte Hiſtoriam

riam priscæ ætatis ad nos hodie transmisit. Nec enim ullus ignorat, quota pars Historicorum veterum ex illa publica litterarum calamitate superstes evaserit; aut quam laceri præstantissimi quique ex iis hodierna die occurrant. Ruinas utique in iis agnoscas veterum operum aut ædificiorum, passim hic etiamnum obvias; in quibus modo atria & vestibula, modo diætas & lararium, modo laquearia & fastigia desideres: aut si mavis familiare exemplum Navis alicujus decumanis fluctibus quassatæ, in qua vel puppim, vel latera, vel proram frequenter requiras. Unde præclara multorum opera, quæ in colligendis reliquiis, aut resarcienda id genus jactura laboravit, in tantum laudem industriæ vel invenit, vel meretur, in quantum priscis illius naufragii tabulis eadem inniti consuevit. Altera ratio occurrit, illa crebra repugnantia apud Historiæ veteris scriptores Græcos & Latinos in rebus etiam gravissimis, ut nescias quibus nonnunquam acquiescere, aut quorum judicia & authoritas pluris apud te valere debeant. Ita confusa aut discrepantia sæpius apud eos tempora, patriam, nomina, aliaque præcipua rei gestæ momenta videas; ut dum in iis conciliandis aliquot Criticorum ingenia se exercent, eadem ab hoc conatu saniorum crebrius deterreant diligentiam. Id jam olim agnovit non aliarum solum partium scriptor luculentus, scribens contra Apionem; sed & fassi sunt haud illibenter testes domestici; qualis aut Dio Chrysostomus, qui observat multa incerta & repugnantia occurrere in historia superiorum temporum; quod & Strabo jam ante illum monuerat, priscos scriptores de iisdem rebus scribentes haud parum inter se dissentire. Nec id præteriit optimus censor Fabius, qui Livium frequentissime dicit dubitare, & quo teste *alii ab aliis*

Joseph. lib. 1.

Orat. XI.

Lib. VIII.

Lib. II. Instit. cap. 4.

aliis historicis dissentiunt; cujus quidem rei argumenta nullus adhuc hodie luculentiora dabit vel crebriora illo ipso Romanæ Historiæ principe Patavino. Hæc autem hodie tolli non potest aut argui diversitas, nisi ope & præsidio illorum, quos ut indubiæ fidei testes, secure hic liceat convenire. Tertia ratio ex eo potest intelligi; quod multa iisdem Historiarum aut Annalium conditoribus, vel odio, vel amore, vel incuria sint perperam tradita; quæ emendari hoc tempore, aut revinci, nisi publicis quibusdam tabulis non possunt. Adeo ut non continuo existimem à livore profectum illud Vopisci judicium quod hic opportune sese mihi ingessit: *Neminem scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum, prodente me, quin etiam in quo Livius, in quo Sallustius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus manifestis testibus convinceretur.* Nec incommode rationem hujus rei tradit, ipse fidei non usque adeo exploratæ Historicus; quo teste scilicet, *tanta componentium rerum monumenta vel securitas, vel par huic vitium credulitas fuit.* Quarta accedit, quod omissa multa sint & præterita diligentissimis alias scriptoribus, quæ tamen ad summam rei gestæ, aut historiæ integritatem, momentum non leve conferre videbantur. Nec enim ulli facile, utut accurato & sedulo historiarum conditori, ea felicitas hactenus contigit, omnia scilicet vel adsequi vel tradere in amplissima nonnunquam materia, aut ab illius ætate longo temporum intervallo submota. Id vero supplere demum possunt reliqua Lapidum Nummorumve ejusdem ævi monumenta; in quibus publica fata populorum, aut gesta cæteroquin digna posterorum memoria, opportune fuerunt consignata. Qua ratione jam olim gravissimus auctor Polybius, ex ærea Tabula ab Hannibale descripta in Italia,

In Aureliano.

Curtius lib. IX.

Lib. III.

lia, & Lavinii reperta, fatetur ſeſe fidem rerum geſtarum depromere. Unde & apud Dionem Pruſæum, Orat. x. Ægyptius quidam haud vane jactat, partim in Templis, partim in Columnis ſcriptam apud eos præcipuam priorum temporum memoriam. Adeo ut Livius etiam in dubiis rebus & vetuſtate incompertis, ad Lib. IV. inſcriptiones antiquas non dubitaverit continuo pro- cap. 20. vocare. Quinta denique ſupereſt, obſcure aut obiter multa paſſim iiſdem ſcriptoribus tradita, quæ nova & dilucida cujuſdam expoſitionis face indigent, ut legentium oculis quodammodo ſubjici poſſint, & eorum aviditatem luculentius explere. Ac talium immenſa quædam ſeges in Hiſtoriæ veteris latifundiis ſeſe offert, quorum uſus vel voluptas vix commode poſſet hodie percipi, niſi aliunde lux illis & evidentia quædam major accederet, aut anniſi eſſent veteres, æs, argentum,

—— *impreſſiſve aurum animare figuris.*

Optimus enim, juxta Plutarchum, ſcriptor Hiſtoriæ, De Gloria qui ita eam texit, ut picturas omnino referat; & ad Athenienſ. quam evidentiam niſum præ cæteris Thucydidem tradit, ut auditorem nempe tanquam ſpectatorem redderet. Hæc autem ſingula in veteri Nummorum ſupellectile adjumentum quoddam præcipuum, & ſingulare præſidium agnoſcere, non pœnitendi certe beneficii acceſſio cenſeri debet.

AD HISTORIAM EXTERNAM minus conferre hic Nummi iis videbuntur, qui Romanos ſolum tractant, & vix aliis peregrinis, Græcis nempe & Aſiaticis vulgo pretium ponunt. Haud una tamen in iis ſe offert Nummorum utilitas, ſeu in tradendis Regum vel Ducum apud Græcos aut Barbaros *Appellationibus*, ſeu in illuſtrandis præclaris eorum *Natalibus* & *Factis*. Ita ut vicem hodie fungantur illorum Clypeorum, qui in tem-

templis ad memoriam rei gestæ adpendi olim consueverant, & ad quos crebro provocant antiquæ historiæ enarratores. Apud MACEDONAS quidem, fundatores amplissimi illorum imperii, ab HERCULE Leonicida genus derivasse, vel eorundem imagines in Nummis obviæ cum Leonis exuviis etiamnum arguunt. Quod ipsum tradit ex eorum fide, non è vulgo, sed vere natus in ostro Imperator; qui exuvias leonini capitis stirpis auctorem referentes, Macedonum Regibus familiares, & quibusvis apud eos coronis ac gemmis potiores scribens, addit, καὶ μάρτυρ ἀξιόπιστ@ αὐτὸ Νόμισμα τ Μακέδον@ Ἀλεξάνδρ, τοιαύτη ἐνθύνι καλλωπιζόμεν, *ac* TESTIS *hujus rei fide dignus est* NUMMUS *Alexandri Macedonis ejusdem figura insignitus.* Vides hic utique eruditissimum Cæsarem, ad Nummos, tanquam ad indubium originis illius ac moris indicium secure provocantem. Hic vero vir doctus illius editor, ipsum profert ALEXANDRI Nummum cum illis leonis exuviis, detracta etiam omni galea capiti adaptatis; quod postremum singulare & minus obvium in iisdem numismatibus credit. Idem vero capitis insigne in antiquioribus etiam AMYNTÆ, & PHILIPPI Nummis adhuc hodie intuemur, ut præteream *Pharetram* & *Clavam*, quæ tum in ejusdem Amyntæ, Philippi, Alexandri, tum posterioris PHILIPPI numismatibus, ejusdem originis fidem faciunt. Ut facile videas, non frustra esse omnino, quæ de antiqua HERACLIDARUM in Macedonia sede, prisci auctores magno consensu tradidere. Idem certe hic Nummi, quod Tabulæ veteres apud Synesium præstant; quas tradit successionem Regum ab HERCULE, suo tempore adhuc apud Cyrenenses arguisse. Neque aliter eadem leonina pelle amictum Polynicem

Stirps Macedonum & Alexandri.

Constant. Porphyrogen. Them. l. II.

In Catastasi.

legas

legas apud Hyginum, quem alias Ursi pelle induunt Tragici; quam ut illâ Thebanam originem argueret. Jactata nempe passim apud Veteres, neque ab unis Nepotibus, illa Herculis successio; quem (solemni adhuc temporibus nostris insania, Gentem suam ab antiquis Regnorum aut Imperiorum Conditoribus derivandi) generis sui auctorem talium aucupes passim referebant. Unde etiam eosdem à Socrate apud Platonem explosos videas, & illis opportune inculcantem, vigesimum ab Hercule, etiam quinquagesimum reputare debere illud esse fortunæ. Quod autem Heraclidis pellis Leonina toties in veteribus Nummis obvia, idem Tydeo pellis Aprina præstitit; qua auctore Hygino opertus itidem incedebat, quo à Caledone Apri interfectore genus se suum derivare indicaret. Si vero Philostratum audimus, non inane solum fuit generis insigne hæc pellis leonina, sed singularis cujusdam virtutis & præstantiæ. Tradit enim ille, sed fide Sophistica, Ajacem adhuc infantem leoninis illis Herculis exuviis involutum, in eaque parte factum invulnerabilem. Antiquissimis nempe mortalibus primo è foliis arborum, mox ex animalium exuviis quæsita corporis tegumenta; de quibus Lucretius,

In Theæteto p. 175. edit. Henr. Stephan.

In Heroïcis p. 693.

Pellibus & spoliis corpus vestire ferarum. Lib. v.

Hinc, quod notum, & pelliti olim Patres conscripti, & ferarum pellibus induti, Mauri, Germani, aliæque horridiores gentes, veteribus commemorantur. Immo progressu temporis, non solum gentibus minus cultis, idem vulgo habitus retentus; sed iis quoque, qui horridius aut simplicius vitæ genus professi, se ad priscam illam simplicitatem componebant: quales nempe aut sanctissimi illi Viri, Elias, Esaias, Zacharias, Servatoris Præcursor; aut Gentilium etiam Heroës, de quibus

Strabo lib. XVII.

aperte id testantem video Apollonii Scholiastem, Δέρμα γὰρ ὁ μὸλ· σύνηθες γὰρ τοῖς Ἥρωσι τὸ δερμαδοφορεῖν· *Pellis quidem; consuetum Heroïbus pellem gerere:* aut sapientiæ studiis apud eosdem Gentiles clari, sicut de Dione oris aurei constat, quem sæpe leoninum exuvium gestasse Suidas & Photius tradunt. Inde etiam priscis Christianorum Ascetis, simile quæsitum corporis tegumentum; qui nempe sæculo renunciantes, vel ex arborum foliis, vel ex ferarum pellibus indumenta sibi conficiebant. Talis vel Paulus ille Eremita, qui authore Hieronymo, *contextis palmarum foliis vestiebatur*; aut Hilario apud eundem, *sacco membra coopertus, & pelliceum habens ependyten*; aut Simon ille Monachus, de quo refert Isidorus Pelusiota, ἡ σίσυρα σωίζουσι γυμνὸν ὃν ἀμπέχεται· *ex caprinis pellibus contexta vestis qua amictus est, nudum esse ostendit.* Scilicet his insignibus, seu animalium exuviis, sicut Macedonum Reges sese Herculis traduces, ita isti se Eliæ, aut Joannis successores contestari cupiebant.

Ad lib. 1. Argon. v. 324.

In vit. Pauli Eremitæ.

In vita Hilarionis.

Lib. 1. Epistol. 475.

Sed splendidiorum adhuc Natalium, qui Alexandrum Herculis non tam traducem, quam fratrem probarent, CORNIGERI ejusdem in Nummis habitus fidem facit; qui illum scilicet Jovis Ammonis filium non minus arguit, quam inscriptio ejusdem apud Philostratum, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC Ο ΔΙΟC; aut altera apud eundem, PATRI AMMONI. Unde & Alexandrum, non alio nomine designat Ovidius in Ibi;

De Cornutis Nummis Alexandri Magni.

Lib. de vit. Apollon. 1. cap. 6.

Quam qui CORNIGERO *de Jove natus erat.*

Ita ut eodem illo habitu se adhuc hodie conspiciendum in Nummis præbeat, quo illum Clemens Alexandrinus depictum refert; quo teste scilicet, *voluit autem & Alexander Ammonis filius videri, &* CORNUTUS *insculpi à Statuariis.* ἐθέλετο ἢ καὶ Ἀλέξανδρος Ἄμμωνος υἱὸς εἶναι,

In Protrepico p. 36.

εἶναι, καὶ ΚΕΡΑΣΦΟΡΟΣ ἀναπλάττεσθαι πρὸς τὰ ἀγάλματα τούτων. Quo cultu etiam frequentasse illum convivia innuit Ephippio apud Athenæum; indutum nempe Ammonis veste, CORNUBUS, Clava præterea & pelle leonina. Eodem nempe quo frater Bacchus instituto; cui ideo Cornua adscribit alicubi Diodorus, quod Cornigeri Ammonis esset filius; quibus certe generis insignibus nescio an aliquis hodie Natales suos aut Patrem ambitiose adeo probari vellet. Ut tamen non mirum sit amplius, cur Æra Alexandrina apud Arabas Epocha *Alexandri Bicornigeri* dicatur, ut observat illustris Scaliger; aut cur ille ab iisdem ذوالقرنين DULKERNAIIM, Δίκερως nempe seu *Bicornis* vocari soleat. Ita enim Heros ille cum in Alcorano, tum in aliis scriptis Arabum vulgo designatur. Si vero rationem hujus appellationis ab iis quæras, continuo audies ita dictum, quasi nempe Orientis & Occidentis domitorem. Id certe tradunt præter alios & Glossator eorum Gieuhari, & clarissime in compendio Astronomico & Nautico Achmad ben Magad, Cl. Seldeno citatus ad Origines Eutychianas; cui vocatus eo nomine DULKERNAIIM, seu Bicornis Alexander, quod, ut habent Arabica, *Orbis totius Rex erat à Cornu seu plaga Orientali, usque ad Cornu seu plagam Occidentalem.* Consona iisdem lego apud Abul Pharagium, وسمي ذلقرنين لبرغه قرني الشمس الشمس وعما المشرق والمغرب *appellatusque est Dhulkarnain*, id est, duo habens Cornua, *quod duo Solis cornua adsecutus esset Orientem & Occidentem.* Neque etiam Græcis scriptoribus ignota illa Orientis & Occidentis Cornua, arguit præter alia Κέρας Ἑσπέριον, seu *Cornu Occidentale* apud Diodorum de Africæ regione usurpatum, cui præerat Amalthea.

Lib. VI.

Lib. III.

Dyn. V.

Lib. III. pag. 202.

Verior tamen & ſimplicior meo judicio hujus denominationis ratio, quæ ſcriptores illos Arabas fugiſſe videtur, petita nempe à cornuta hujus Alexandri effigie; quam vocis originem appoſite cum altera illa de Orientali & Occidentali plaga indicavit etiam ὁ Ἀλεξικώτατος Golius, meus olim in hac lingua informator. Immo neque Alexandri ſolum apud Arabas, ſed quaſi ejus, ſi Diis placet, ſuperſtitum adhuc Nepotum retenta alibi in Oriente appellatio. In provincia certe quadam Balaxiæ, ſingulos Reges tanquam ab Alexandro genus ducentes, ZULKARNEN, (DULKERNAIIM verius) ſeu *Bicornigerum* dici refert Paulus Venetus. Horum autem omnium ratio lateret ferme nos hodie, ni opportune Cornigerorum cum Alexandri, tum ſucceſſorum Numiſmata appellationis hujus cauſam & fontem indicarent.

Lib. 1. cap. 25.

De Cornutis Nummis Succeſſorum Alexandri, aliiſque ejuſdem generis.

Tranſiere enim ad ejus Succeſſores, una cum imperii dignitate, eadem quoque Capitis inſignia; quo ſe utique vel oris & habitus ſimilitudine, neceſſarios quaſi & legitimos hæredes probarent. Hoc ſtudio certe incenſum Philippum, penultimum Macedonum Regem, narrat Polybius; illum ſerio nempe in id per totam vitam incubuiſſe, ut ex cognatione Alexandri & Philippi videretur; quod arguit adhuc hodie depicta ejus in nummis effigies cum leoninis Herculis δερμάτων exuviis. Neque enim ſolum projectam Alexandri cervicem, & levitatem oculorum in aliquot Hæredum ejuſdem imaginibus ſpectamus, quod adnotaverat jam olim Plutarchus; verum etiam leoninam pellem, & CORNUA ARIETINA, quæ Ptolemæorum, Lyſimachi, aliorumque in nummis capita etiamnum decorant. Nec jam an ARIETINA illa, ut modo innui, vel HIRCINA Cornua fuerint, admodum laboro;

Lib. v. pag. 360.

In Pyrrho.

boro; quod ſollicitum habuit virum doctum in notis ad Græca Goltzii numiſmata, ob Plutarchi Caprina Pyrrho tribuentis auctoritatem. Utriuſque enim generis, nempe *de* CAPRIS *&* ARIETE *cornutos*, ut vocat illos Tertullianus, in his monumentis videas (ut de TAURINIS jam nihil dicam); quæ nec graviſſimi auctoris fidem minuunt, nec ideo eadem inter ſe confundi patiuntur. Tryphonis certe nummum cum HIRCINO Cornu protulit Willalpandus, cujus ectypum etiam è Cimeliis Chriſtinæ Auguſtæ depromptum infra ſubjiciemus. Equidem non uno Cornuum genere inſignes occurrunt in antiquis nummis Gentilium, DII, FLUVII, HEROES. De DIIS, ita jam olim illa diſtinxit Porphyrius in aureo libello, ut JOVI Arietina, PANI Hircina, LIBERO autem PATRI Taurina præbeat Cornua, ἕτω δὴ καὶ οἱ Ἕλληνες τῷ μὲν Διὸς ἀγάλματι κριὸν προσῆψαν κέρατα, Ταύρῳ δὲ τῷ Διονύσῳ, τὸν δὲ Πᾶνα ἐξ ἀνθρώπου καὶ αἰγὸς συνέθηκαν. *Ita vero Græci, Jovis quidem ſimulacro Arietis Cornua, Bacchi vero Taurina adaptarunt; Panem autem ex homine & Capra compoſuerunt.* Quo nomine etiam hos Gentilium Deos ſuggillat alicubi Arnobius; *ſed quid ego Diis datas falces & fuſcinas rideo? quid* CORNUA *& galeros?* Ac de JOVE quidem ſeu AMMONE κριοπροσώπῳ trita videntur omnia; niſi quod haud vulgarem ejus effigiem ex antiquo Cyrenenſium nummo protulit doctiſſimus Iſaacus Voſſius, in eruditiſſimis notis ad Melam, & eandem ex emendato Curtii loco præclare aſſeruit.

In Apologetico.

De Abſtinent. lib. III.

Lib. VI

Neque piguit hic eandem effigiem lectorum oculis ſubjicere, quod diverſam rurſus figuram Jovis itidem Ammonis in aliis nummis antiquis ſignari haud ignorem. Talis certe, quem apud Cl. Seguinum inſpectum, ejuſdem beneficio hic vulgamus.

Ammonem, ut vides, aperte arguit non tortum ſolum Arietis cornu, ſed vel ſola inſcriptio ΘΕΟC ΑΜΜΩΝ, *Deus Ammon.* Signatus autem ille nummus à Mytilenæis Lesbi incolis, ut liquet ex averſa nummi parte, & in memoriam quidem concordiæ & communionis cum Pergæis. Unde autem oriatur illa diſcrepantia in tradenda figura hujus Ammonis aperiendum. Juppiter nempe ſub Ammonis nomine & Arietis forma cum Afris, tum Græcis etiam cultus. Prior ille vulgo celebrior, ſede nobiliſſimi Oraculi ſacratus, ac Libyci Dei nomine paſſim dictus. Dionyſius,

Καὶ τέμενος λιβύηος θεοῦ ψαμάθῳ ὑπὸ πολλῷ.
Et Templum Libyci Dei in arena multa.

Et

Et Nonnus,

Βῆλος ἐφ' Εὐφράτιο Λίβυς κεκλημένος Ἄμμων. Lib. XL.
Belus ad Euphratem Libycus vocatus Ammon. Dionys.

Sic Propertius,

Hoc neque arenosum Libyci Jovis explicat antrum. Lib. IV. Eleg. I.

Quæ loca in re alias haud obscura ideo adtulimus, ut eadem opera Suidæ medicas manus præstaremus, apud quem legitur Ἄμμων ὄνομα θεοῦ Ἑλληνικοῦ. Eruditissimus Reinesius explicabat *Dei Gentilis*, non *Græci*, juxta Portum, quem eo nomine perstringit. At uterque fallitur. Legendum enim omnino, Ἄμμων ὄνομα θεοῦ Λιβυκοῦ, quod vulgo Ammonis, ut videmus, adtributum. Neque certe Suidam in explicanda Ammonis voce, de hoc Jove Libyco mentio effugere poterat. Celebris itaque passim non apud Afros solum, sed apud Græcos aliosque hic Libycus Juppiter; quamquam vulgo minus nota esset ejus effigies, quod satis innuit Curtius; *Id quod pro Deo colitur, non eandem effigiem habet, quam vulgo Diis artifices accommodarunt. Umbilico maxime similis est habitus, smaragdis & gemmis coagmentatus.* Lib. IV. Postremum observat etiam Diodorus. Lib. XVII. Huic vero consentanea illa effigies superioris nummi ab ipsis Afris percussi; quo referenda etiam illa Afri Scriptoris, hunc Jovis habitum ridentis, *Si nudo Jovi* CORNUA *detrahat.* Arnob. lib. VI. At vero non Afris solum, sed Græcis etiam cultus Juppiter Ammon, eique simulacrum cum Arietinis cornibus erectum, figurâ in reliquis consentaneâ illi, quam vulgo Jovi Græci artifices commodant. Tale simulacrum apud Megapolitanos Arcadas observat Pausanias, ἄγαλμα Ἄμμωνος Lib. VIII. πρὸς τῇ οἰκίᾳ τῇ τῶν περαγώνων Ἑρμαῖς εἰκασμένον, κέρατα ὑπὲρ τὰ κεφαλῆς ἔχων κριοῦ. *Ammonis simulacrum domi quadratis Mercuriis simile, Arietis cornua capiti habens adposita.* Cujus

jus Ammonis ſimulacrum πλεόγωνον opportune exhibet ſequens marmor, quod inter Illuſtrium imagines ab Achille Statio ſuperiori ſæculo vulgatas ſpectatur.

Illuſtr. Vir. &c. Rom. 1569. n°. 47.

Agnoſcis utique quam præclare Pauſaniam illuſtret, è quo viciſſim explicandum veniebat hoc Marmor. Inde etiam lucem mutuatur Nummus ille à Mytilenæis percuſſus, cum adpoſito Dei ipſius Ammonis nomine.

Nihil

Nihil enim ſingulare habebat Græcorum Ammon præter Arietis cornua, ut innuebat Pauſanias, & liquet ex reſiduis ſtatuarum & nummorum id genus monumentis; non vero peculiarem illum habitum umbriculo ſimilem, & ex ſmaragdis ac gemmis coagmentatum, quem Libyco tribuunt Diodorus & Curtius, ac vindicat eidem Cyrenenſium nummus. Immo inde factum obſervo, ut quum Libycus Ammon, quantum nomine & fama pervulgatus eſſet apud veteres, tantum ob itineris moleſtiam incredibilem, vulgo ab hominum conſpectu remotior ageret, inde etiam minus notam ejus effigiem ſub illo Græci Ammonis κριοπροσώπου habitu, veteres nobis aliquoties adumbrarint. Certe cum alias in denariis aliquot Gentium Romanarum, tum in pluribus nummis Ægyptiis ſub Trajano, Hadriano, aut Antoninis percuſſis, occurrit aliquoties Serapidis aut Jovis Ægyptii caput cum Cornu Arietino, ad Græci Ammonis formam depictum. Quin non Juppiter ſolum, ſed JUNO etiam AMMONIA apud Eleos culta, ut in Eliacis obſervat itidem Pauſanias. Ad quam ſpectare videtur ſequens nummus Pyliorum apud Goltzium, quod jam vidit Nonnius.

Haud vero prætereundum, inde etiam factum, ut Juppiter Bœotiis Καραιὸς vocaretur. Heſychius, Καραιὸς ζεὺς παρὰ βοιωτοῖς, ἔτω προσαγορεύεται ὡς μέν τινες φασὶ διὰ τὸ ὑψηλὸν εἶναι ἀπὸ τῆς κάρης. Neque enim apud Arcadas

ſolum, ſed cum Lacedæmone, tum etiam Thebis cultus hic Ammon κεροπρόσωπος; unde delubri hujus
Lib. IX. Rei apud Thebanos meminit alibi Pauſanias. Καρμὶς autem Thebanorum, factum ex Hebræorum vel Phœnicum, quorum erant coloni, כר, quibus ovinum genus, & כרים Aries etiam bellicus in veteri fœdere vocatur. Fruſtra itaque à capite ſeu à voce κάρα, quod *ſublimis* nempe foret hic Juppiter, hoc ejus adtributum derivabat, quamquam dubitanter & ex aliorum fide, Heſychius. Mitto vero cauſas vulgo notas, quas cum Hiſtorici, tum Grammatici & Mythologi veteres juxta ac recentiores adtulere, cur Arietina cornua huic Jovi tribuat antiquitas. Plures enumerantem vi-
Ad Æneïdos IV. de Servium aut Hyginum, quos nihil moror. At meo judicio longe veriſſima & reliquis potior, quam adfert
In Euterpe. antiquiſſimus auctor Herodotus; Arietina ſcilicet facie depictum Jovem Ægyptiis, à quibus Ammonii hauſerint eorum coloni, Ἄμμωνα enim ab Ægyptiis Jovem vocari; quod firmat etiam Plutarchus, libro de
Lib. V. Iſide, ac præterea Origenes contra Celſum. Notus certe cum vetuſtiſſimus mos Ægyptiorum ſub animalium figuris Deos ſuos effingendi; tum præcipuus Arietis apud eoſdem cultus, ut fecunditatis ſymboli. Unde ab iis primum tranſlata Arietina facies ad Deorum hominumque parentis ſymbolicam effigiem. Neque vero ſolum Juno Ammonia, ſed SISPITA etiam ſeu LANUVINA in Latio culta, non jam κεροπρόσωπος, ſed τραγοκέρως vel αἰγοκέρως, cum CAPRINIS nempe Cornibus, cujus effigies obvia in denariis Gentis Papiæ, Prociliæ & Roſciæ apud Urſinum; Talia etiam PANI & SATYRORUM gregi vulgo tributa; cujus generis præclara Marmora paſſim hic licet intueri. Neque vero fictis Gentilium ſimulacris, Cornutos

id

id genus Capripedes continuo adscribendos tradentem novi Hieronymum, qui & talem Paulo Eremitæ occurrisse, aliumque sub Constantino Cæsare Alexandriam perductum narrat, & quem universo mundo teste defendi ibidem adserit. Consulat eum si velit Lector; longior enim narratio, quam ut hic eam intexamus. At vero non Hircina jam, aut Arietina, sed TAURINA Cornua, ISIDI, BACCHO, FLUVIIS adposita videas in antiquis eorum simulacris. De ISIDE consulenda Hieroglyphica Ægyptiorum monumenta, & qui in iis explicandis laborarunt viri docti. Galeam certe Isidi è Bovis capite à Mercurio datam auctor est Plutarchus. BACCHUM quod attinet, inde liquet non frustra illum Ταῦρον & Ταυροκέρωτα dictum à poëtis antiquis, quod alicubi Athenæus observat; quibus certe nominibus apud Euripidem aliquoties designatur; & quo etiam respexit alicubi Plutarchus, Bacchum innuens, ἄξιε Ταῦρε, *bubulis* nempe, ut de Jove alicubi Arnobius loquitur, *cohonestatum cornibus*. Hinc eundem etiam *Tauri* seu *Tauriformis* nomine & habitu apud Cyzicenos cultum, idem etiam Athenæus notat; Κυζικῷ ἔτι καὶ Ταυρόμορφον ἵδρυται. *Cyzici Tauriformis etiam statuitur*. In cujus proinde honorem institutum in eadem urbe festum Ταυροχολία licet ex Hesychio colligere, Ταυροχολία ἑορτὴ ἐν Κυζίκῳ. Sic apud Ægyptios Bacchi simulacrum Tauri forma exstitisse; apud Argivos autem βουγενῆ eundem dictum, auctor est Plutarchus. Hujus vero Bacchi Ταυροκέρωτος memoriam servant adhuc antiqui aliquot nummi. Unum alia occasione supra protulimus, vulgatum jam à Cl. Seguino, qui Bacchum cum Iside vehiculo insidentem exhibet cum bijugibus Centauris. In eo enim videas minuta Cornua, quasi primum prodeuntia, quale nempe cor-

Tom. 1. in vita Pauli Eremitæ pag. 238. edit. Froben.

Lib. de Iside.

Lib. XI. In Bacchicis v. 362. & 406.

In quæst. Græcis.

Lib. V.

De Isid. & Osirid.

nu è Bacchi temporibus erumpens obſervat alicubi Philoſtratus. Huc referendum etiam caput imberbe cum Cornu Taurino, & corona è pampino, quod inſuper ſatis arguit nummi inſcriptio, ΔΙΟΝΥΣΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ ΜΑΡΩΝΙΤΩΝ. Talem certe cum prædicto Cornu, adnotavi inter nummos argenteos Principis Auguſtini Chiſii, tuo beneficio mihi inſpectos. Et quo ſpectare etiam mihi videtur imberbis ταυροκέρως in ſequenti nummo Megaræ in Sicilia percuſſo.

In Imaginibus pag. 574.

Cultum per ea loca Liberum Patrem ſatis arguit cum ſitus vino ferax, tum inde frequentes Botrus, obvii in nummis locorum adjacentium Entellæ, Naxi & aliorum. Hinc & alius nummus ΜΕΓΑΡΑΣ ΥΒΛΑΣ dictæ, non autem ὑελαίας, ut exiſtimarunt viri docti, in quo figura ſtans cum Scypho, quem effundit. Noctua vero, ut obiter hoc dicam, in averſa nummi parte ſignata, in memoriam nempe deductæ in ea loca Coloniæ à Theocle Athenienſi, ut ex [a] Thucydide & [b] Strabone liquet. Aliquando vero eundem Bacchum, non διπρόσωπα jam, ut vocatur alicubi Auſonio, ſed uno Cornu inſignem depingunt nobis antiqua id genus ſimulacra, ſicut in ſequenti nummo Agyrinæ, urbis itidem Siculæ, cujus pars averſa Minotaurum exhibet.

[a] Lib. VI.
[b] Lib. VI.
Ep. XXVIII.

Scili-

Scilicet juxta Horatium,

Te videt insons Cerberus aureo Cornu decorum.

Nisi forte quis malit GERYONEM illo nummo designari, quem ut Heroëm religiose ab Agyrinensibus cultum observat civis ejusdem loci Diodorus; idque Hercule procurante; Ὡσαύτως ὴ καὶ τῶν βοῶν τῶν ἀποθυπωθεῖσαν ἴχνεσιν τῷ ἀφ' ἑαυτοῦ σωθησομένων ὀπιθεὶς, τιμᾷ καθιέρωσεν Ἡρωι Γηρύονι ὁ μέχρι νῦν τιμᾶται ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων· *Notas item boum ungulis expressas de se adpellavit; atque tum ædem Heroi Geryoni consecratam dedit, quam nunc quoque religiose incolæ colunt.* Unde etiam liqueret, haud frustra Taurinum Cornu illi tribui, quem à Boum custodia celebrem antiquæ fabulæ repræsentant, & quo interempto, Boves Herculem abegisse memorant. Nisi obstare illud videatur, quod parum figuræ tricorporis hominis, qualem vulgo hunc Geryonem depingunt fabulæ, quadret superior effigies. Ex ipsa vero Nummi inscriptione ΑΥΓΥΡΙΝΑΙΩΝ, Stephanus obiter emendandus, apud quem Ἀγυρίνη & Ἀγυρινᾶιοι, pro Ἀγυήνη & Ἀγυηνᾶιοι perperam legitur. Cur vero Taurina Cornua Baccho tributa, varia adferunt veteres; aut ad natales demonstrandos, quod Cornigeri Ammonis esset filius, juxta Diodorum; aut quod bobus sub jugum ductis primus sementem fecerit eodem auctore; aut à vini ferocia, quod nimio vino homines truces fiant, cum Festo & veteri Interprete ad Horatium; aut denique, quod Cornibus usi sint antiqui ad Lib. IV. Lib. III.

pocula, unde Bacchum Cornigerum depictum, & Ταῦρον poëtis dictum adserit Athenæus, cui plane consona apud Eustathium legas. Cornu certe antiquitus poculi loco fuisse adhibitum, docet etiam alter Homeri Scholiastes, qui vulgo Didymus creditur, πρὸ δὲ γὰρ ἀρεθλεῦσαι τὸν τῶν ποτηρίων χρῆσιν, κέρασιν ἔπινον· ita enim postrema emendanda, pro quo corrupte legitur εἰς κέρας ἔπινον, quod vidit etiam eruditus & florentis spei juvenis Gilbertus Cruperus in Crepundiis ineditis, qui ἐν κέρασιν ἔπινον eodem loco legendum statuit. Auctor quoque Etymologici MS. qui Photius Patriarcha existimatur, & apud eruditissimum Marquardum Gudium nostrum mihi inspectus, Κεράσαι, τὸ πάλαι γὰρ κέρασι ἔπινον, ὅθεν καὶ ἡμεῖς, τὸ αὐτὸ ποιεῦμεν. Neque aliter vel Athenæus, vel Eustathius, locis supra indicatis, quam solitos veteres κέρασι πίνειν. Inde vero Ταῦροι dicti videntur pincernæ apud Ephesios; Hesychius Ταῦροι οἱ παρὰ Ἐφεσίοις οἰνοχόοι· quamquam non in Bacchi, sed Neptuni sacris ita appellatos apud Eustathium legam, ὅπερ ἦν παρὰ Ἐφεσίοις, οἱ ἐν τῇ δὲ Ποσειδῶνος ἑορτῇ οἰνοχοοῦντες νήφειν Ταῦροι ἐκαλοῦντο. Immo non Pocula solum, sed Taurina etiam Tympana Bacchantium apud Claudianum,

Insudant tonsis Satyri, TAURINAQUE *pulsu*
Baccharum Bromios invitant TYMPANA *remos.*

Quin Liberi Patris exemplo, LIBERAM etiam & CERERES cum Cornu Taurino signare videntur varii Siculorum nummi, in quibus caput muliebre occurrit cum spicis & Cornu Taurino è temporibus erumpente, aliquando etiam sine spicis; cujus rei indicia suppeditabunt inprimis aliquot Panormitanorum numismata apud Parutam. Obvium autem & liquidum ex superioribus, cur vel frugum Mater, vel Bacchi socia, eodem illo Taurino insigni decorentur. Immo non Baccho solum, aut commemoratis modo Deabus, sed

Ad Iliad. N. pag. 917.

Ad Iliad. Ω. v. 189.

Ad Iliad. Υ. pag. 1205.

In sec. Consul. Stilich.

Num. 130. 149. &c.

sed FLUVIIS etiam Taurina Cornua tributa vulgo à Poëtis nosti, ut vel Eridano à divino Vate,

Et gemino auratus taurino cornua vultu Eridanus.

aut Tiberi vestro à Claudiano, —— *taurina levantur Cornua temporibus raucos sudantia rivos.* In Cons. Prob. & Olyb.

quomodo & *Tauriformis Aufidus* dictus Horatio, & Mosellæ *taurinæ frontis honorem* adscribit Ausonius. Hunc Idyll. IX. vero morem fluvios sub Taurina effigie depingendi, ad certos quosdam populos restringere videbatur loco haud ignoto Ælianus; Βασὶν μὲν ἂν εἰκάζοιεν οἱ Στυμφάλιοι μὲν τὴν Ἐρασῖνον καὶ τὴν Μέλοπα, Λακεδαιμόνιοι δὲ τὴν Εὐρώταν, Σικυώνιοι δὲ καὶ Φλιάσιοι τὴν Ἄσωπον, Ἀργεῖοι δὲ τὸν Κηφισσόν. *Bobus quidem similes faciunt Stymphalii Erasinum & Metopen, Lacedæmonii Eurotam, Sicyonii & Phlasii Asopum, Argivi Cephissum.* Ejus vero moris vestigia, & quidem latius usurpati, licet in antiquis quoque nummis observare. Sic ACHELOUM cum Taurino cornu depictum exhibent vetusti nummi Ambraciotarum & Acarnanum, quos male Nonnius ad Minotaurum refert. Vulgo enim iste barbatus, ille imberbis, cujus hic habes ectypum. Lib. II. Var. Hist. cap. 33.

Ad Acheloum certe referendum fluvium in eo tractu celebrem, vel ex Strabone præterea colligas, οἱ δὲ εἰκάζοντες ἐξ αὐτῶν ταληθὲς, ΤΑΥΡΩ μὲν ἐοικέναι λέγεσθαι τὸν ΑΧΕΛΩΟΝ φασὶ, καθάπερ καὶ σὺν ἄλλοις ποταμοῖς, ἀπό τε τοῦ ἤχου, καὶ τοῦ κύκλῳ τοὺς ῥεύθρα καμπὰς ἃς καλοῦσι κύρτας· *Qui autem ex fabulis verum colligunt,* TAURO *similem forma* ACHELOUM *aiunt, ut & alios fluvios, ob strepitus & flexus alveorum,* Lib. X.

rum, qui Cornua dicuntur. Neque vero prætereundum, id de Acheloo ſuperiori nummo expreſſo, jam animadvertiſſe Laurentium Pignorium in Expoſitione Menſæ Iſiacæ. At bicornem etiam RHENUM, videre licet in ſequenti nummo Poſtumi.

Ratio autem obvia hujus rei, quod nempe in duo brachia ſcindatur; unde & Crines pro fluminum brachiis apud Aëtium, quod ad Solinum jam obſervavit Vir maximus. Duas vero cauſas illius moris reddit Strabo loco paulo ante commemorato; primam ob ſtrepitum aquarum, alteram ob flexus alveorum: quam poſtremam tradit etiam alicubi Euſtathius, κέρατα ποταμῶν ἤτοι καμπάς. Priorem vero, cum ob ſtrepitum, tum ob vim aquarum, reperio apud Euripidis Scholiaſtem, qui in cauſſas etiam anquirit hujus moris; Ἐπεικῶς ἢ σὺν ΠΟΤΑΜΟΥΣ ΤΑΥΡΟΓΡΑΦΟΥΣ ἐζωγράφηντε καὶ ἔλεγον, ἴσως ὅτι ὠθεῖται πλησίως τῷ μυκήματι τῶν ταύρων ἡ ἀπήχησις τοῦ ὕδατος· ποιεῖ δὲ τοῖς σφοδρῶς ῥέουσι ποταμοῖς διὰ τὸ βίαιον τοῦ ὑδάτων, ἅπερ τοῦ γλωῦ διαῤῥήγνυσι παρεμπίπτοντα ὡς τοῖς κέρασιν οἱ ταῦροι. Hinc & OCEANUS Fluminum Pater Ταυρόκρανος dictus Euripidi, Ἢ πόντον, Ὠκεανὸς ὃν Ταυρόκρανος ἀγκάλαις· *An per Pontum, quem Oceanus habens Taurinum caput cubitis &c.* Unde & NEPTUNUS Heſiodo Ταύρειος Ἐννοσίγαιος, Heſychio autem Ταῦρος, Ταύρειος ὁ Ποσειδών; quin & feſtum illi ſacrum Ταυρία eidem doctiſſimo Grammatico, Ταυρία ἑορτὴ τὶς ἀγομένη Ποσειδῶνι; & Pincernæ

Ad Iliad. N. pag. 917.

Ad Oreſtis verſ. 1380.

In Oreſte v. 1380.

cernæ in ejuſdem feſto Ταῦροι apud Epheſios, ut paullo ante monuimus. Ad hunc TAURUM Neptunum referendum videtur ſequens Marmor, quod barbatum ſenem exhibet, cui frons turgida duobus Taurinis cornibus, barba autem vulgo hiſpida, qualis Neptuno in antiquis id genus monumentis tribuitur.

Immo hinc videas etiam Patrem Vatum de fluvio Xantho haud fruſtra alicubi tradentem,

Iliad. Φ. —— μεμυκὼς ἤυτε Ταῦρος.

Pag. 1233. *mugiens inſtar Tauri*; & in eundem locum Euſtathium obſervantem, ex mugitu illis communi factum, ut Tauros Mari & Fluviis immolarent veteres, quod ibi innuere voluerit Homerus: Ita certe apud Plutarchum legas, Lucullum tranſitus cauſa, Taurum Euphrati ſacrificaſſe. Horum vero vel Deorum, vel Fluminum exemplo, CORNUTI etiam in antiquis nummis HEROES, ALEXANDRUM puta, ut ſupra innuimus, ejuſque SUCCESSORES. Neque vero illi uno Cornuum genere inſignes. ARIETINA quidem geſtaſſe ALEXANDRUM vidimus, in cognationis memoriam cum Ammone κεροπροσώπῳ; & illius exemplo, LYSIMACHUM, alioſque, ex Herois illius Hæredibus. Cujus moris ratio & hæc forte dari poſſet, quod ſicut Diadema à Perſis, ita etiam Arietina Cornua ab iis mutuatus ſit Alexander. Equidem illud capitis ornamentum Perſarum Regi, ſuo ævo tribuentem video Ammianum, ex veteri forte

In Lucullo.

Lib. XIX. conſuetudine depromptum; *aureum* CAPITIS ARIETINI *figmentum interſtinctum lapillis pro diademate*. Rex Perſarum equidem per Arietem Cornigerum

Cap. VIII. v. 20. deſignatur apud Danielem, & Darius alio loco per Arietem Cornutum. Hinc & illud Petri Chryſologi de

Cap. VIII. v. 26. Perſarum Regibus ſui temporis, *Nunc impoſitis ſibi Cornibus, quaſi viros ſe eſſe doleant, effeminantur in Lunam.* At vero, ad κεροπροσώπους iſtos Alexandri hæredes, ſpectare etiam liquet ſequens Marmor, quo duo capita occurrunt juncta virile & muliebre, ac prius quidem cum inſigni Cornu Arietino ſpectandum venit.

In Hortis Mediceis prope Villam Julii III.

Cre-

Crederem facile unum è PTOLEMÆIS, & quidem Cyrenarum Regibus, una cum Conjuge illo Marmore expreſſum; juxta conſuetum illis gentibus morem, Ægyptiis inprimis & Cyrenenſibus, Reges ſuos ac Reginas una junctis capitibus effingendi; cujus rei alia occurrunt in ſequentibus exempla, & firmabit interim

iſte Nummus Mediceus, Cornutam rurſus utriuſque Conjugis imaginem præ ſe ferens, ni ſculptoris incuria Cornua ſint pro floribus expreſſa, quibus ornata ſæpe Ægyptiorum Regum capita alibi jam diximus.

Neque vero male Cornu illud Arietinum Cyrenarum Regem ornabat in ſuperiori Marmore, vicini Ammonis exemplo, qui non ignoras illud Poëtæ pervulgatum,

Laſerpiciferis jacet Cyrenis,
Oraclum Jovis inter æſtuoſi.

At non Arietina ſolum, ſed TAURINA etiam CORNUA geſtaſſe videas aliquot ex Alexandri hæredibus, ut SELEUCUM, cujus rei cauſam tradit Appianus, quod ſacra quondam faciente Alexandro, fugientem Taurum cornu apprehendiſſet; quod Politianus male ad Lyſimachum tranſtulit. Id enim diſerte de Seleuco refert Appianus; nec etiam Taurinum, ſed Arietinum Cornu ſpectatur in obviis Lyſimachi nummis. Tale etiam apud Lutatium, Mithræ ſimulacrum, vultu Leonis, Perſico habitu, utraque manu reluctantis Tauri cornua comprimens; quomodo & Hercules Acheloum domans, apud Poëtas vulgo & in nummis etiam depingitur. Sic figura nuda cornubus apprehendens Taurum inſpecta mihi in nummo Gazæ Barberinæ, ex eo numiſmatum genere, quæ vulgo *Crotoniatas* vocant. Unde etiam ad hoc Seleuci factum, quod refert Appianus, adludere videtur ſequens nummus, qui

In Syriacis.

Miſcellan. cap. LXXIX.

qui hinc Seleucum Regem, illinc Taurum cornipetam exhibet.

Aliam vero causam adfert Libanius; Seleucum nempe ex ære apud Athenienses exstare cum Taurinis Cornibus; Τιμῶσι εἰκόνι χαλκῇ τὸν ΣΕΛΕΥΚΟΝ ΤΑΥΡΟΥ ΚΕΡΑΤΑ τῇ κεφαλῇ προσθέντες, τοῦτο δι᾽ ὃ τὸ γνώρισμα τοῦτο. *Statua ærea* SELEUCUM *honorant*, TAURINA CORNUA *capiti ejus adaptantes, illudque propter Ius insigne.* Ius certe simulacrum juxta Isidem βοκέρων seu *bovinis cornibus* Herodoto vocatur; unde etiam auctor est Philostratus, statuam ei in antiqua Nino positam, cui ab utroque tempore parva prominebant cornua: Apollonium etiam plura de ea Statua reputasse & collegisse, quam vulgo existimabant illius urbis Sacerdotes. Haud aliter nempe ac Hyllum Herculis filium, Cornu parvum ad lævam capitis partem adnatum habuisse refert Ptolemæus Hephæstio apud Photium. Neque etiam prætereundus DEMETRIUS POLIORCETES Antigoni filius, quem cum Taurino cornu è temporibus prodeunte exhibet sequens Nummus.

In Antiochico. pag. 351.

Lib. 11.

Lib. 1. de Vit. Apol. cap. 3.

Non ferendus autem Nonnius, qui hunc Nummum alioſque ejuſdem Regis, ad alium Demetrium, Antigoni nempe Gonatæ filium, & Macedonum Regem tranſtulit; quum omnino, ut aliunde etiam conſtat, ad nobiliorem illum Demetrium Poliorcetem ſit referendus. Nequidquam etiam hærent eruditi antiquarii, an Arietinum, an Hircinum, an Taurinum Cornu eodem nummo ſit expreſſum. Taurinum enim omnino ſtatuendum eſt, illudque à Demetrio uſurpatum Liberi Patris exemplo, cujus cultum & morem æmulatus à [a] Diodoro & [b] Plutarcho traditur; quod ipſum etiam de Patre ejus Antigono refert [c] Herodianus. Adeo ut ΤΑΥΡΟΚΕΡΩΣ non minus dici debuerit hic Demetrius, quam Attalus ille Apollinis oraculo vocatus eo nomine apud Pauſaniam legitur. Alias geminum Cornu Taurinum cum Elephantis proboſcide, AFRICÆ ſymbolum conſtituere videas in denario gentis Norbanæ; idque ut facile licet augurari, ob frugum copiam, unde & Africæ quaſi *terræ Spicarum* nomen eruebat alicubi doctiſſimus Bochartus. Neque vero Arietina ſolum vel Taurina, ſed HIRCINA etiam Cornua antiquorum Regum capitibus adpoſita nonnunquam videas. De Hircino Cornu obvio in nummo TRYPHONIS ſupra monuimus, & infra adhuc alia occaſione viſuri ſumus. De PYRRHO itidem indicatum, geſtaſſe illum Hircina Cornua; unde etiam agnitus legitur apud Plutarchum, depoſita nempe inſigni Galea; *καὶ τοῖς τραγικοῖς κέρασιν, & Hircinis Cornibus*. At vero omnium clariſſime id evincit nummus ANTIGONI vulgo TUTORIS Macedoniæ Regis, cujus caput ornatum Cornibus Hircinis, iiſque prominentibus & Clypeo incluſum, è Muſeo Chriſtinæ Auguſtæ depromptum hic exhibemus.

[a] Lib. xx.
[b] In Demetrio.
[c] Lib. i.
In Phocicis.
In Pyrrho.

Simi-

Similem etiam possidet Gaza Palatina & Medicea. Macedonum autem Regem satis arguunt Clypei illi cum stellis, quales itidem videas in nummis Antipatri apud Goltzium, aliisque inscriptis, ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΠΡΩΤΗΣ; unde utique adsequimur consuetum Regionis illius symbolum. Ad Antigonum autem Gonatam spectare non posse superiorem nummum, sicut dubitare videbantur eruditi antiquarii, satis evincunt nummi illius Gonatæ cum adscripto nomine à Goltzio producti, & ab isto non parum diversi. Unde superest, ut illum Antigono Tutori adscribamus, cujus nota cum Arato & Achæis contra Lacedæmonios societas, multisque Græcorum monumentis celebrati fama & virtus. Ut non mirum sit, in aversa nummi parte, Palladem videre armatam, quæ dextra Clypeum tenet, sinistra autem Fulmen vibrat. Neque vero te fugit opinor, inde etiam profectum morem illum Regum aut Heroum κεραλοφόρων; quod sicut norunt viri docti, olim Galeæ militares, præfixa vulgo ad terrorem haberent animalium Cornua. Id certe de Thracibus observat Herodotus, æreas habuisse Galeas & desuper Bovis Aures & Cornua. Sic de Gallis Diodorus, in more illis positum, ut æreas haberent Galeas cum magnis appendicibus, quibus vel Cornua adfixa, vel Avium aut Quadrupe-

Tab. Græc. XXXVIII.

Tab. Græc. ead.

Lib. VII.

Lib. V.

drupedum facies adjunctæ. Hinc & alibi docet, ideo Ammoni tribui caput Arietinum, quod hoc signo ornatam in bello Galeam gestasset. Hinc & Hastis etiam Capreæ Cornu præfixum apud Æthiopas, Herodotus itidem & Strabo alicubi adnotarunt. Servium autem mitto, quem ratio hic fugit, apud quem *Cornua Cristæ* divino Vati commemorata sunt Comæ, ideo quod Cornua sint proprie Cincinni ob adfinitatem vocis κείρειν. Κίρρα certe Græcis de capillis promiscue dici haud ignoramus, sicut Cornua apud Satyricum,

Cæsariem madido torquentem cornua cirro,

& quomodo apud Arabas ڪرو de Cirro seu demisso seu torto sumi notant eorum Lexicographi: at alia ratio hujus vocis, ubi de Galeis aut Cornibus veterum Heroum agitur. Quam melius itaque ex linguis Orientis potuisset hujus rei fontem eruere; quibus, ut omnes hodie sciunt, eadem voce *Cornu*, *Corona*, *Potentia*, ac *Splendor* vulgo nuncupantur. Unde Cornu Regium insigne apud Phœnices, & Hebræorum קרן seu *Cornu* Chaldæis Interpretibus aliquoties מלכותא seu *regnum* redditur, ut vidit illustris Grotius, & *Cornua* pro *Regno* & *Regibus* passim in veteri Fœdere. Certe vel ex cornuta Alexandri, Seleuci, Lysimachi, Demetrii, Antigoni, Ptolemæorum, aliorumque id genus effigie satis jam liquet, cur per decem Cornua decem nempe successores Alexandri è Syriæ puta aut Ægypti Regibus designentur apud Danielem; *Et habebat Cornua decem.* Item, *Porro* CORNUA *decem ipsius Regni*, DECEM REGES *erant.* Unde clarius etiam adsequimur, cur à divino Revelationum Auctore dictum, καὶ τὰ δέκα ΚΕΡΑΤΑ ἃ εἶδες, δέκα ΒΑΣΙΛΕΙΣ εἰσιν; *Et decem* CORNUA *quæ vides, decem sunt* REGES. Alibi autem, *Et video ex mari bestiam adscendentem, quæ habebat capita septem,*

Ad lib. XII. Æneid.

Hesychius Κίρρῳ πρίσει, Auctor Etymolog. MS. Κίρρος τὸ τρίχωμα, &c.

VII. 7.

VII. 24.

Apoc. XVII. 12.

XIII. 1.

ptem, & CORNUA DECEM, & *in* CORNIBUS *ſuis* DECEM DIADEMATA. Ut non mirum etiam, vel Cornua aurea, Coronæ vicem teſtantia prælata in pompa Philadelphi apud Athenæum; vel Cornua inter auguria imperii nonnunquam relata; ut à Capitolino inter alia portenta, quibus illud Antonino Pio ſuperos præſagiiſſe oſtendit, *Et poſt Conſulatum in viridario Taurus marmoreus, Cornibus ramis arboris accreſcentibus adpenſus eſt.* De MOSE vero, cui & vulgo Cornua in Nummis ejuſdem & Simulacris, ſed recentioris fabricæ, tributa, res nota ex homonymia vocis קרן, quam cum vulgo alii Interpretes de radiante & ſplendente Moſis facie explicent loco Exodi πολυθρυλλήτῳ, Vulgatus expreſſit, *quod cornuta eſſet facies:* unde nata illa pictorum & cælatorum de adfingendis Moſi cornibus præpoſtera induſtria. Quamquam & Hieronymum haud ignorem, Cornutam revera effectam Moſis faciem exiſtimantem; neque alienum ab illa ſententia illuſtrem Grotium, qui inde factum obſervat, ut Mneues, qui apud Ægyptios cum cornibus colebatur, ipſi Aben Eſdræ non alius credatur à Moſe. Neque tamen diſſimulandum, præter vulgatum Interpretem, reliquos omnes, Græcos, Samaritanum, Syrum, Chaldæum, Arabem, de radiis & ſplendore vultus Moſis eundem Exodi locum ſimpliciter interpretari; quibus certe accedit fide dignus interpres Paulus, cui per δόξαν καὶ πρόσωπον redditur juxta nempe LXX Interpretes, δεδόξαται ἡ ὄψις καὶ κερώμαται καὶ πρόσωπον αὐτοῦ, & quod explicat Chaldæus Paraphraſtes כאפיתו ארי פני ויו יקרא *quod multiplicatus eſſet ſplendor gloriæ vultus ſui.* Quo reſpexiſſe etiam videtur Photius Patriarcha in Etymologico MS. cujus ſupra meminimus, ΚΕΡΑΣ ὅτι ἀλλάφοεα, τὰ τείχα &c. καὶ ΤΗΝ ΔΟΞΑΝ, καὶ κεφαλήν. Fa-

Cap. XXXIV. v. 29, 30.

Ad cap. LX. Eſaiæ.

II Cor. III. 7.

 cta

cta autem Cornuti Mosis & νομοθέτης mentio, revocat etiam mihi in mentem antiquum Catinensium nummum, quem CHARONDÆ, patriæ suæ aliarumque adhuc urbium Legislatori, tribuebat vir doctus in Epistola edita ad Cl. Seguinum. Quam sententiam dum inde adstruit diligens antiquarius, quod vulgo divinis honoribus adfecti sint legumlatores, & Zaleuci exemplo evincit, firmare luculentius poterat Iamblichi testimonio, qui de Charonda id nominatim observat, divinos eum honores à Civibus suis consequutum. Sed ut ingenue dicam, SILENUM omnino referre mihi videtur producta à viro docto & expressa illo Nummo effigies; quem frons calva, simus nasus, reliqua facies, ipsum denique Cornu, verum Bacchi nutritium, satis superque arguunt. Neque aliter effingunt illum antiqua marmora, quibus hic toties insculptus occurrit; nisi quod Cornutus aliquando, alumni & Satyrorum exemplo, nonnunquam sine Cornibus occurrat. Ad quem Silenum etiam haud incommode referendus videtur Cornutus itidem & barbatus senex in alio Catinensium Nummo, quem inter reliquos ejus loci vulgavit Paruta.

De vita Pythag. c. 30.

Haud mirum vero eundem in nummis Catinensium signari, quibus non semel Bacchus alumnus insculptus, & quorum ager, ut alibi jam diximus, totus Cereri & Libero

Libero Patri facer. De CORNU vero AMALTHEÆ, quo ceu abundantiæ & fecunditatis symbolo, nihil frequentius signant Romanorum Nummi, & cum Dearum quidem ac Virtutum effigie, res vel pueris nota. Cur vero hoc nomen Κέρας Ἀμαλθείας, tertiæ è renatis Jobo filiabus tribuerint LXX Interpretes, pro quo *Keren Happuc* habet textus authenticus, Vulgatus autem *Cornu Stibii*, fratri meo in Historia Jobi, quam paratam habet, disquirendum relinquimus. Alias veterum aut recentiorum de eodem loco expositiones mitto. Mihi, ut ingenue dicam, haud displicet Chaldæi Paraphrastis interpretatio de splendore gemmæ, significationi utriusque vocis apud Hebræos consentanea; τῷ קרן nempe de *splendore*, τῷ פוך autem vel חפוך de *gemma*. Equidem ad formam virginis commendandam, omnino videtur adlusisse impositum hoc ei nomen; cui etiam deducta illa à splendore gemmæ, seu lapilli appellatio egregie quadrat. Nec aliter adhuc hodie cum Coraliis, Margaritis, alio denique pretiosi lapilli genere, formarum spectatores aut præcones easdem conferre consuevere. Accedit ratio mercis Arabicæ, quæ illius tractus feminis & nobilioribus quidem, cum olim tum adhuc hodie familiaris, scilicet ut Erytræis lapillis, de quibus passim poëtæ, seu rubri maris spoliis se exornent,

Job. XLII. 14.

Nec minus Eois pectus variare lapillis.

Quæ rursus virgini Arabicæ, & quidem summo loco natæ, ceu petitæ inde illius appellationi apprime conveniunt. Qui de *Stibio* cum vulgato Interprete vocem eo loco explicant, minus id mihi probant. In Fuco enim muliebri, tria illa jam olim recepta haud ignoro, Purpurissum, quo genis aut labiis ruborem; Cerussam, qua candorem ori aut collo; Stibium vero, quo nigro-

Tom. 1. Epist. ad Furiam pag. 81.

rem oculis illibant. Unde *orbes Stibio fuliginatos* vocat alicubi Hieronymus, qui eadem hæc, quæ modo innui, ita in fuco muliebri distinguit. At cultus ille, quo infuscantes nativum decus, ora oculosque depingebant, inter lasciviæ muliebris argumenta vulgo ipsis Gentilibus habitus; unde turpe jam illud olim visum poëtæ,

Naturæque decus mercato perdere cultu,
Nec sinere in propriis membra nitere bonis.

Ut equidem minus mihi fiat verisimile, inde virum sanctum & gravem, filiæ nomen & commendationem quæsiviſſe. Immo levem certe gratiam hodie inirent, qui à pigmentis id genus muliebribus, Veneres suas laudandas sibi aut appellandas crederent. Nisi forte illud placeat, à splendore nigrorum oculorum, hanc Sancti Herois filiam indigitatam; quod egregie certe illustrat vox קרן pro *splendore faciei*, seu *radiis* è facie micantibus, à Mose aliisque scriptoribus sacris frequenter adhibita. Nigri autem oculi maxime nitentes, & vulgo olim inter prima formæ munera; unde & Græcis κυανόφρυες & μελανόφρυες dictæ id genus Veneres. Quia autem Stibio nigror ille, ubi nativus deficiebat, procurabatur; hinc vox הפוך quæ *Stibium* frequenter notat, de ipso nigrore sumi potuit; haud aliter certe ac apud Arabes, è quorum gente hæc Virgo μελανόφρυς, vox كحل tam de *Stibio* quam de ipsa *nigredine oculorum* dicitur. Et hæc obiter, ne vel indicta plane nobis abiret nobilis Virgo, Cornu nomen præ se ferens, & si fides Græcis Interpretibus, Cornu Amaltheæ, toties in hac nummaria supellectile obvium. Quî autem aut quando factum, ut quod eximium olim honoris ac dignitatis insigne habebatur, ludibrii & contumeliæ argumentum etiam apud vilissimum quem-

quemque tandem evaserit, nihil adtinet hic operose disquirere. Id certe non heri primum aut hodie receptum, satis liquet ex Artemidoro; apud quem destinato cuidam proco, & ex Ariete cui insidebat lapso, futuræ mox conjugis adulterium portendi auguratur nonnemo his verbis, ὅτι ἡ γυνή σε μοιχᾶται καὶ τὸ ΛΕΓΟΜΕΝΟΝ ΚΕΡΑΤΑ αὐτῷ ΠΟΙΗΣΕΙ. *Quod Uxor tua mœchabitur, & QUOD DICI SOLET CORNUA tibi FACIET.* Quæ postrema satis indicant id vulgatum σκῶμμα, jam ante Artemidori ætatem proverbii loco invaluisse. Ut non mirum sit, sequutis posteà sæculis, Andronicum Comnenum Imperatorem, Cornua in infelicium maritorum ludibrium suspendere solitum, quorum toros adulterio fœdarat, ut liquet ex Niceta, & jam vidit in originibus patriis vir ingenio & eruditione insignis Ægidius Menagius. Immo id in Hebræorum Apologis jam olim exstare, tradentem video Drusium; ut qui nempe haberet uxorem adulteram, illi vulgo adfingerent duo cornua, quod rursus in Quæstionibus Hebraïcis ita explicat; *Cæterum reperimus etiam secundum priorem sensum in libro Ebræo, qui Masal Cadmoni vocatur cap. 26.* עוד פנו קרן *quod significat cutem faciei cornutam, de eo cui uxor adultera erat.* Et de Cornutis Veterum Nummis hactenus in eorum gratiam, qui meam de illis sententiam aliquoties efflagitarunt; quibus dum satisfactum cupio, liceat mihi adaptare hoc ingeniosissimi Nasonis, quamquam alio respiciens, votum,

Lib. II. Oneirocrit. cap. 11.

Ad Exod. XXXIV. v. 29. Lib. I. quæst. 1.

——— *& nondum cornua sumpsi*
Nec mihi sumendi causa sit ulla velim.

Equidem nec à Diis solum & Heroïbus Natales aut Insignia, sed NOMINA etiam ac APPELLATIONES mutuatos nosti magnanimos illos Alexandri Hæredes.

De variis Cognominibus successorum Alexandri.

Neque enim Jovis illa vel Herculis cognatione contenti, ni Deorum etiam titulos & honores aperte invaderent. Unde perſtringit alicubi Dio Chryſoſtomus, illam eorundem in adoptandis Nominibus vanitatem, qua *Ceraunos* ſeu *Fulmina*, *Aquilas*, *Poliorcetas*, immo *Deos* quoque, inepte non minus ac impie ſe ipſos nuncuparunt. Tales utique adhuc hodie in antiquis nummis adparent Ptolemæi, Seleuci, Antiochi, Demetrii, Tryphones, aliique, non ſolum cum ſplendidis NICATORIS, NICEPHORI, MAGNI, EUSEBIS, EUERGETIS, PHILOPATORIS, EUPATORIS, PHILOMETORIS, PHILADELPHI, AUTOCRATORIS etiam ſeu *Imperatoris* Cognominibus; verum etiam cum ambitioſa, SOTERIS, EPIPHANIS, CERAUNI, DIONYSI, THEOPATORIS, DEI quoque citra ullas ambages appellatione. Ita quidem ut iis maxime occurrunt inſigniti, qui magis in Deum ſacrilegi, aut in proximos impii, aut in ſocios perfidi exſtitere, aut alias cladibus magis quam victoriis nobilitati leguntur. Quæ recepta tamen in Oriente inanis & ſuperba titulorum nomenclatio, ad poſteros quoque eorum aut hæredes tranſiit; ut adhuc hodie obvia in iiſdem oris exempla ſatis ſuperque arguunt. Diverſus vero à Dione Chryſoſtomo Sophiſta Libanius, qui eadem cognomenta jure deſumpta à patriis Syriæ Regibus alicubi contendit, & inde de præclaris ſingulorum moribus faciendum judicium ſecure pronuntiat. Ut jam in hunc cenſum non referam, minus decoras, aut alias à Regionibus quibus imperitabant, deductas appellationes, PHYSICONIS, AULETIS, LATHURI, HIERACIS, SEDETIS, ZEBENNIS, CYZICENI, quas inſuper eorundem Alexandri Hæredum Nummi exhibent. Illud vero vel bene-

Orat. LXIV.

In Antiochico.

beneficium vel commodum adfert ampla illa Cognominum id genus ſupellex in Numiſmatibus antiquis adhuc frequens, ut confuſos vulgo inter ſe Antiochos, alioſque barbaros Reges diſtinguere, aut illuſtres eorum appellationes, de quibus ſilent ferme Auctores, ex iiſdem deprehendere liceat.

De Cognominibus NICATORIS; NICEPHORI, &c. *in variis Nummis.*

NIKATOPOΣ quidem nomen, SELEUCO in Nummis antiquis tributum occurrit, quos ad illum vulgo referunt Antiquarii, à quo SELEUCIDARUM incepit ſeries & regnum; & quod illi à victoriis potius, quam à Nicatore cæſo inditum refert [a] Appianus. At intercedere illud videtur, quod Epiphanis cognomentum iidem Nummi præferant, ſcilicet BAΣIΛEΩΣ ΣELEYKOY EΠIΦANOYΣ NIKATOPOΣ; quale demum ab uno ex Seleuci hujus ſucceſſoribus Antiochis primo uſurpatum innuere videtur idem Appianus, & de quo Epiphanis nomine paullo infra. Nicatoris quidem cognomentum primus intulit SELEUCUS, Regum poſt Alexandrum maximus, auctore Arriano; cui mortuo Templum *Nicatorium*, tanquam Heroi exſtructum tradunt iidem veteres. Firmat id præclare Strabo, qui ſcribit Antiochenſes, Seleucum Nicatorem ut Heroa coluiſſe, & in Caſio monte apud Seleuciam feſtum ei diem egiſſe. Quo reſpexiſſe etiam Heſychium obiter obſervo, Νικάτωρ ἥρως ὃν καὶ πυθοῖ τιμῶσι πινές, ubi perperam antea *Nicanor* legebatur, errore in ſcriptis & editis veterum libris familiari. Nec audiendus eſt proinde illuſtris Scaliger, qui obſervata hac nominis varietate, Nicanorem tuetur auctoritate Nummorum, in quibus ΣELEYKOY NIKANOPOΣ, (à Goltzio ſcilicet deceptus) Nicatorem vero dialecto Macedonica dici demum exiſtimat. Non ſemel, ut obiter hoc dicam, alienis oculis virum incomparabilem num-

[a] In Syriacis.

Lib. VII. πεϱ. ἰϐηϱ.

Lib. XVI.

Animad. ad Euſeb. p. 128.

nummos veteres inſpexiſſe deprehendo, quorum alias fidei & auctoritati plurimum ſolet & merito quidem, tribuere. Ita ut vel unum hoc adferam, forte mihi dum hæc ſcriberem oblatum; nummum citat in iiſdem Eu-
Pag. 313. ſebianis, COL. JUL. AUG. PEL. BER. ſcilicet, *Colonia, Julia, Auguſta, Pella, Berytus*; Ubi cur Pella vocetur Berytus, dicit ſe non magis ſcire, quam quare Berytus Beroë. At facile poterat prius illi dubium exi-
In Gaza Reg. Gall. mi. Nummi enim illius inſcriptio, COL. JUL. AUG. FEL. BER. ſeu *Colonia Julia Auguſta Felix Berytus*;
L. v. c. 20. quod jam olim notarat Plinius, *Berytus Colonia, quæ Felix Julia appellatur.* Sicut rurſus videas in aliis Nummis Gazæ Mediceæ & Lomenianæ COL. JUL. AUG. PELLA. Ita ut inter diverſas illas duas urbes, nulla fuerit proprii nominis communio, quæ ex prava nummi lectione viro magno negotium faceſſebat. A primo autem illo Nicatore, Heroum conſecratorum more, urbs Syriæ Νικαλοεὶς denominata, quæ rurſus inter nummos Veſpaſiani occurrit apud Goltzium cum inſcriptione ΝΙΚΑΤΟΡΙΤΩΝ; Factum vero poſtea, ut illud Nicatoris cognomentum, ambitioſe etiam nonnulli ex Herois illius ſucceſſoribus uſurparint. Talis DEMETRIUS Soteris filius, cui idem nummi veteres largiuntur, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΘΕΟΥ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ, qui corrupte apud Joſephum, Juſtinum & eundem Scaligerum in Excerptis Græcis, Nicanor hactenus vocatur. Eadem vero ratione NICEPHORI nomen ANTIOCHO DEO, Alexandri Balæ, ut videtur, filio adhæſiſſe, docet rarior ejus nummus cum inſcriptione ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ, quod vix aliunde conſtare exiſtimem. Exemplo ſcilicet Jovis
In Hadriano. Nicephori, cujus Spartianus alicubi meminit, & à quo

quo urbs dicta videtur Nicephorium circa Edessam sita, juxta Stephanum; ni forte hunc Antiochum Nicephorum, conditorem illius loci, liceat ex eodem nummo colligere. Immo non solum Nicatores aut Nicephori, sed ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΙ etiam dicti quidam è Seleuci posteris, Herculis nempe exemplo, cujus se traduces profitebantur, & cui *Callinici*, & *Alexicaci* cognomina inter primos tributa refert alicubi Aristides. Notus vero error Ammiani, qui Seleucum illum Nicatorem cum Callinico confundit, dum priorem cum Arsace fundatore Parthici imperii superatum scribit, *cui victoriarum celebritas hoc indiderat cognomentum.* Neque enim Nicator, sed Pronepos ejus Seleucus Callinicus ab Arsace devictus, ut viderunt jam ad eum locum Viri docti, & de quo occurrit itidem nummus, ΣΕΛΕΥΚΟΥ ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. At præter eundem Callinicum, quartum vulgo in serie Regum Syriæ, idem etiam cognomentum usurpasse video DEMETRIUM PHILOMETOREM in antiquo nummo amplissimi Camerarii nostri, cujus inscriptio ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ.

In Hereu. lem.

Lib. XXIII.

Ad quem Demetrium spectet hic Nummus difficile videtur hodie statuere, quum utriusque appellationis *Philometoris* & *Callinici*, alicui è Demetriis tributi, nulla quod sciam occurrant alibi vestigia; sicut nec alias Demetrii *Philopatoris*, aut *Philadelphi*: qualia tamen cogno-

menta Ptolemæorum aut Antiochorum exemplo geſtaſſe quoque Demetrios video in antiquis & ſelectis eorum nummis. Tales certe inter numiſmata Peireſkiana obſervati mihi Pariſiis, apud illuſtrem Harlæum, inſcripti nempe præter Demetrium Nicatorem ſupra commemoratum, ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ ΘΕΟΣ ΦΙΛΟΠΑΤΩΡ ΣΩΤΗΡ; alius ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΦΙΛΟΜΗΤΩΡ· ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ; tertius denique, ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΘΕΟΥ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ: quæ utique quantivis neque ſatis æſtimandi pretii cimelia lubenter hic evulgamus, quæ præterita hiſtoriarum & annalium conditoribus, Regum illorum cognomenta ita accurate ſignant. Quum autem duo in Syriæ Regum ſerie Demetrii vulgo ab auctoribus ſtatuantur; unus *Soter* dictus; alter filius ejuſdem *Nicator*; quibus tertius addi poteſt ex Joſepho & Appiano Demetrius *Eucærus* Antiochi Euſebis filius; ex ſuperioribus nummis licet colligere, *Soterem* dictum etiam *Philopatora*; *Eucærum* vero Philippi fratris exemplo, *Philadelphi* cognomen ſibi quoque vindicaſſe: nempe juxta nummum ejuſdem Philippi à Goltzio productum, & Scaligero
Pag. 150. quoque citatum in Euſebianis, ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. At quis fuerit Demetrius ille Philometor, qui Callinicus itidem exemplo alterius Seleuci vocatur in nummo ſupra expreſſo, & qualem vidit etiam Goltzius, parum liquere videtur. Neque enim idem cum Nicatore, qui ſolus illius nominis ſupereſt in ſerie Regum Syriæ; neque vero ad filium Antigoni Demetrium Poliorcetem, aut alterum Demetrium Macedonum Regem & Antigoni Gonatæ ſucceſſorem referri debet; quorum alia vulgo effigies in antiquis eorundem nummis. Barbatus nempe Demetrius Nicator, ut vel apud Goltzium videas; Poliorce-

liorcetes autem alio vultu, quem ſupra expreſſimus cum cornu taurino, quem alias à ſingulari erga parentem Antigonum pietate φιλοπάτορα vocat Plutarchus. Unus videtur ſupereſſe Demetrius Poliorcetæ filius, ab Arſinoë in Cyrenarum Regni poſſeſſionem miſſus; ſed mox tanquam matris adulter à Berenice filia, cui deſponſatus erat, interfectus. Ad Soterem alias Demetrium, vulgo Duodecimum in ſerie Seleucidarum, referendi ſunt alii nummi à Phœnicibus Tyriis aut Sidoniis percuſſi; quales vidi in Gaza Medicea, cum inſcript. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΙΔΩΝΙΩΝ, aut ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΤΥΡΙΩΝ; pro quo poſtremo apud Goltzium corrupte legitur, ΤΥΡΙΩΝΟΣ, quaſi *Tyrion* nempe dictus fuerit ille Demetrius. Neque vero eoſdem ad peculiarem aliquem Sidonis aut Phœnicum Regem Demetrium referre debuit nobilis Gazæ illius cuſtos. Phœnice enim, cujus Metropoles Tyrus & Sidon, pars & appendix Syriaci Regni Seleucidarum. Ad quem Soterem Demetrium referendus etiam ſequens nummus.

In Demetrio. Juſtin. lib. XXVI. c. 3.

Juxta vero antiqua illa Nicatoris aut Callinici cognomenta, inde etiam ſequiori ævo inter titulos Perſarum Satrapæ ΝΙΚΗΤΗΣ apud Simocattam legitur. Qua ratione nempe apud Romanos jam olim, INVICTI occurrunt Cæſares dicti in antiquis aliquot nummis, ut SEVERI INVICTI AUG. P. FIL. in nummo Getæ, & INVICTUS AUGUSTUS COS. III. in

Hiſt. lib. IV. cap. 17.

alio Alexandri Severi, apud Triſtanum. unde adpoſite Manilius de Auguſto,

Lib. I. *Sit pater invictus patriæ, ſit Roma ſub illo.*

Certe ipſi ROMÆ adtributum INVICTÆ iidem quoque Nummi nonnunquam largiuntur; ut aureus Priſci Attali, INVICTA ROMA ÆTERNA; alius Alexandri Tyranni, INVICTA ROMA FELIX CARTAGO. Quin ſicut NICATORIS cognomen Seleuco, ita VICTORIS prænomen magno CONSTANTINO uſurpatum; ut rurſus ex ejuſdem nummis liquet; in quibus VICTOR CONSTANTINUS MAX. & ad ejus exemplum Filius Conſtantius, VICTOR Terra Marique CONSTANTIUS inſcribitur apud Ammianum, qui alibi JULIANUM ejus ſucceſſorem VICTORINUM per ludibrium dictum obſervat. Notæ vero ejuſdem generis VICTORIÆ, NICE, CALLINICE, AGATHONICE, frequentes mulierum appellationes, quas tradunt antiqua marmora.

Lib. XVII.
Lib. XV.

De Cognomine ΣΩΤΗΡΟΣ *in variis Nummis.*

ΣΩΤΗΡΟΣ vel SERVATORIS cognomen PTOLEMÆO LAGI à Rhodiis primum conceſſum, nummi ejuſdem repræſentant; quod illi utpote Syriæ everſori præter fas omne tributum contendit Joſephus, & quale aliis pluribus dein cum Lagidis, tum Seleucidis adhæſit. Notat vero Arrianus, eundem juxta quoſdam SOTEREM dictum, quod vulneratum & jacentem apud Mallos Alexandrum objecto ſcuto protexerit, ſed falſo; neque enim illi pugnæ interfuiſſe Ptolemæum, ut ab ipſomet memoriæ proditum eſt. Id vero illi cognomen, quocunque tandem jure aut titulo delatum, cum BERENICE conjuge commune apud Ægyptios evaſit; unde ΘΕΩΝ ΣΩΤΗΡΩΝ nomine poſt mortem ambo conſecrati; ut non ſolum ex monumento

Origin. lib. XII. c. 1.
Lib. VI. περ. ἀνάβ.

Adu-

Adulitano, de quo paullo infra, licet colligere, sed præterea ex Inscriptione veteri, & Porphyrii Excerptis apud Scaligerum. Quo nempe nomine Æsculapius & Salus ΣΩΤΗΡΕΣ itidem vocantur in alia Inscriptione antiqua; aut quo elogio Patres Conscriptos Prusias Bithyniæ Rex in aditu Curiæ olim salutavit, χαίρετε ΘΕΟΙ ΣΩΤΗΡΕΣ, sicut eodem Antigonum ac Demetrium prosequuti sunt olim Athenienses; aut denique juxta Phari inscriptionem ab Architecto Sostrato Cnidio expressam, ΘΕΟΙΣ ΣΩΤΗΡΣΙΝ. Unde etiam Heros vocatur alicubi Straboni idem Ptolemæus, non aliter ac Seleucus Nicator cum eidem auctori, tum Hesychio, ut modo videbamus: ad eum enim referri debet, quod tradit Geographus, Elaiticam Præfecturam dictam à fratre Ptolemæi primi, non autem ab Heroë. Heroës enim vulgo habiti primi Urbium aut Imperiorum conditores; quales ambo illi cum Seleucus, tum Ptolemæus. Hæc autem SOTERIS, de qua hic agimus, appellatio, à JOVE SOTERE desumpta, (quibus nominibus illum apud veteres cultum, satis liquet, ac testes passim obvii) inde ad Conservatores aut Benefactores Urbium vel Populorum, civium adulatione aut metu passim translata, ut præter alios docere potest Eusebius, ὡς εἰκὸς τ̃ παλαιῶν ἀπεραφυλάκτως οἷα ΣΩΤΗΡΑΣ ἐθνικῇ σωτηθεία παρ' ἑαυτοῖς τὸν τιμᾶν εἰωθότων τ̃ τρόπον; *Quippe prisci illi, absque ullo discrimine, cunctos de se bene meritos Gentili quadam consuetudine tanquam* SERVATORES *colere hujusmodi honoribus consueverant.* Indè nempe in Seleucum, Antigonum, Demetrium, Gelonem, aliosque collatum ab Athenienses & Syracusanis hoc nomen; ut cum ex Diodoro, Plutarcho & Athenæo constat, tum satis arguunt conjuncta vulgo apud Græcos scriptores ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ καὶ ΣΩΤΗΡΟΣ

Pag. 201. in Euseb. Thes. Grut. MLXXIII. 5. Polyb. Exc. Leg. XCVII. Plutarch. in Demetr. Strab. XVII. & Lucian. Qu. Conscr. Hist. Lib. XVII. Hist. Eccl. l. VII. c. 18.

ΡΟΣ cognomina; quæ & Samaritani Antiocho Deo tribuunt apud [a] Josephum, & Nilo etiam alicubi [b] Julianus ac [c] Heliodorus. Frequenter vero non vivis solum, sed mortuis & consecratis delatum hoc ΣΩΤΗΡΟΣ nomen, sicut de Antigono Tutore observat Polybius, Lib. v. *παιχαρὲν δ' μόνον ἐκλήθη παρ' αὐτὸν τὸν καιρὸν Εὐεργέτης, ἀλλὰ καὶ μεταλλάξας* ΣΩΤΗΡ· *quapropter non solum eodem tempore vocatus est Euergetes, sed etiam post mortem* SERVATOR. Deorum enim apud illos hæc propria fuit appellatio, qui Ἄναξες, hoc est Σωτῆρες, dicti, juxta Græcum Euripidis Interpetem, Ἄναξ κυρίως Σωτήρ; unde Deos proprie utroque hoc nomine, homines vero καταχρηστικῶς vocari innuit, Ἄνακτας ὡς δευτέρους Σωτῆρας. Hinc non mirum præter JOVEM ΣΩΤΗΡΑ, paullo ante adlegatum; aut præter NEPTUNUM, quem ΣΩΤΗΡΑ dictum apud Herodotum legas, scilicet, ut Lib. VII. de se loquitur apud Lucianum, pro virili *σώζων ὁπόσοι πλεομένους*, *servans navigantes*; aut præter CASTORES, In Jove Tragœdo. (quos ΣΩΤΗΡΑΣ omnibus dici observat Strabo, eadem nempe qua Neptunus de causa) insuper APOLLINEM, ÆSCULAPIUM, BACCHUM, HERCULEM, tanquam benefica numina, sub eadem ΣΩΤΗΡΩΣ nomenclatione olim cultos; ut præter Pausaniam, aliamque veterum testium nubem, docent adhuc evidentius antiqui nummi. Tales vel Lapitharum in Thessalia inscripti ΑΠΟΛΛΩΝ ΣΩΤΗΡ, cujus generis unum hic è Gaza Palatina, ob nummi elegantiam cælandum duximus.

[a] Antiq. lib. XII. c. 1.
[b] Ep. XI.
[c] Lib. IX.
Lib. v.
Ad Hippolyt. v. 88.
Lib. VII.
In Jove Tragœdo.
Lib. v.

Qui

Qui Nummus, ut obiter hoc dicam, egregie illustrat, id quod à priscis Grammaticis traditur, ac inter alios ab erudito Apollonii Rhodii Scholiaste, hos Lapithas dictos ἀπὸ Λαπίθου καὶ Στίλβης νύμφης, *à Lapitho Apollinis filio, ac Stilbe Nympha.* Hinc enim Apollo cum Stella, quæ ad Stilben adludit, illinc Apollinis Lyra. Neque aliter ab hoc Apollinis filio eosdem Lapithas deducebat Diodorus; non vero à Lapitho Periphantis filio, ut apud Stephanum ex Epaphrodito traditur. Cæterum juxta Parentem Apollinem, alter ejusdem clarior filius, SOTER itidem inscriptus in Nummis Nicæensium, ϹΩΤΗΡ ΑϹΚΛΗΠΙΟϹ, aut ΣΩΤΗΡΙ ΑΣΚΛΗΠΙΩ ΝΕΙΚΑΙΕΙΣ, in nummo Regiæ Gallorum Gazæ. Cujus Æsculapii exemplo, dicti passim Medici Σωτῆρες, ut præter Lucianum aliosque, apud Aristænetum de Panacio Medico, Σωτῆρα τ' ἀνδρὸς πρεσβεῖον, *Servatorem virum vocantes*; & quos proinde titulos *Medici* & *Soteris* conjungentes videas Chosroëm Persarum Regem in Epistola ad Mauritium Imperatorem, ἀναγορεύθητε ὑμᾶς κλῆσις καὶ ΣΩΤΗΡΑΣ καὶ ΙΑΤΡΟΥΣ τῶν Περσῶν πολιείας; *renuntiari vos Conditores, & SERVATORES, & MEDICOS Persarum Reipublicæ.* Præter ÆSCULAPIUM vero aut ejus adsecias, ΣΩΤΗΡΕΣ itidem BACCHUS & HERCULES; ille in nummis Maronitarum, ΔΙΟΝΥΣΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ ΜΑΡΩΝΙΤΩΝ, iste autem in nummis Thasiorum, ΗΡΑΚΛΕΩΣ ΣΩΤΗΡΟΣ· quomodo & hic Heros in aliis adhuc nummis, puta Stymphaliorum Arcadum inscribitur. Quam appellationem eidem Herculi, non ut belluas conficienti, sed ut Tyrannorum eversori, eximie alicubi vindicat aurea Dionis facundia; quæ ob similia beneficia generi humano præstita, SERVATOREM eum jure dictum commemorat. Unde factum,

Ad lib. 1. Argon. v. 42.

Lib. IV.

Lib. I. Epist. XIII.

Hist. Theophili Simoc. pag. 185. edit. Reg.

Orat. II.

ctum, ut ejus exemplo Athenienſes eadem appellatione fuerint inſigniti, auctore Demoſthene, καὶ μὴν ἡ τῶν Ἡρακλέους παίδων ὡς τὰς ἄλλας ἔσωσε ΣΩΤΗΡΕΣ ὠνομάσθησαν, *quin etiam inter Herculis Liberos, qui alios ſervavit,* SERVATORES *dicti ſunt.* Quem titulum iiſdem Athenienſibus in Panegyrico vindicat Iſocrates. In Thebanis autem eundem ſuggillat Græcus Orator, qui Philippum Macedonem, gravem ſaluti Græcorum Regem, eodem SERVATORIS titulo cohoneſtabant. Quo nomine quoque Tullius Verrem exagitat, eodem titulo à Siculis decoratum. *Itaque eum non ſolum Patronum iſtius Inſulæ, ſed etiam* SOTERA *inſcriptum vidi. Syracuſis heu quantum eſt! ita magnum, ut Latino uno verbo exprimi non poſſit. Is eſt enim* SOTER, *qui ſalutem dedit;* & quæ ibi plura rationem hujus nominis illuſtrant. Græcorum enim more, ad Romanos quoque vel Præſides vel Auguſtos tranſiit uſus illius appellationis, quam Auguſto etiam tribuit Philo, ὁ ΣΩΤΗΡ καὶ Εὐεργέτης Σεβαστός· & firmat vetus Inſcriptio, Ἱέρεως θεᾶς Ῥώμης καὶ Σεβαστοῦ ΣΩΤΗΡΟΣ, *Sacerdotis Deæ Romæ & Auguſti* SERVATORIS, ad exemplar nempe Sacerdotis annui ΣΩΤΗΡΩΝ Antigoni & Demetrii ab Athenienſibus, ut Plutarchus refert, inſtituti. Sic alibi rurſus de CAIO idem Philo, ὁ ΣΩΤΗΡ καὶ Εὐεργέτης εἶναι νομιθείς. Hinc eandem quoque Athenienſes decernunt HADRIANO, in præclaro Nummo inſcripto, ΟΛΥΜΠΙΟΝ ΣΩΤΗΡΑ ΤΟΝ ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ. Ita ſequutis temporibus Rex Regum Choſroës, ſed auxilii indigus, litteris ad Mauritium Imperatorem ſcriptis, eum ΣΩΤΗΡΟΣ nomine cum epithetis aliis compellat; ſicut Romanos in genere, ut paullo ante vidimus, ΣΩΤΗΡΑΣ vocare non erubeſcit. Julianus vero Cæſar, Euſebiam Auguſtam, conjugem Conſtantii,

In Orat. Funebr.

Orat. de Corona.

In Verrem. II.

In Flaccum. Theſ. Grut. CV. 9.

Plut. in Demetr.

De legat. ad Caium.

Excerpt. Legat. edit. Reg. p. 188.

Orat. III.

tii, ΣΩΤΕΙΡΑΝ etiam vocat. Mulieribus enim nonnunquam tributum hoc nomen, exemplo BERENICES supra indicatæ, aut alterius ex eadem Lagidarum stirpe, non SOSPITÆ, sed *Ægypti feralis Erynnis* CLEOPATRÆ, cui tamen ΣΩΤΗΡΟΣ cognomen nummi etiam largiuntur. Ita enim legam potius vel ΣΩΤΕΙΡΑΣ, quam cum Tristano ΣΩΤΗΡΑΣ. Σωτὴρ enim & Σώτειρα ex æquo Græcis *servatrix* in casu recto, non autem Σωτῆρα. Hinc Venus Σωτῆρ in Inscriptione veteri, Ἀφροδίτῃ θεᾷ παναγάθῳ καὶ ΣΩΤΗΡΙ. Quod autem antea recte conjeceram, evicit postea idem Cleopatræ nummus mihi inspectus inter alios Regiæ Gazæ Parisiensis, inscriptus ΘΕΑΝ CΩΤΗΡΑ; pro qua priori voce male ΟCΑΝ legerat idem Tristanus. Neque dissimilis error viri incomparabilis in Eusebianis novissimæ revisionis, ubi fide similis Nummi hanc Cleopatram Ægyptiace Οσωσώτειρα cognominatam tradit. Alias idem ΣΩΤΕΙΡΑΣ cognomen occurrit adhuc hodie in præclaris aliquot Nummis: quo scilicet præter Minervam apud Athenienses, DIANA Syracusis, CERES Apameæ, PROSERPINA Cyzici colebantur; ut ostendunt selecta illorum locorum numismata, vel ΣΩΤΕΙΡΑ tantum inscripta cum Dearum illarum effigie, vel ΚΟΡΗ CΩΤΕΙΡΑ, ut in sequenti nummo Cyzicenorum.

Thes. Grut. LIX. 1.

In addend. ad Græc. Euseb. pag. 430.

In Gaza Christinæ Augustæ.

Quæ illustrant utique lapides antiqui, in quibus aut eidem Proserpinæ, SANCTÆ, SERVATRICI; aut alias FORTUNIS, SALUTARIBUS, inscripta elogia: exemplo nempe APOLLINIS SALUTARIS, ut vocatur iste in nummis Volusiani. Quod Σωτείρας attributum, cum FORTUNÆ etiam tribuit Pindarus, Σώτειρα Τύχη; tum alicubi THEMIDI; alibi etiam MEDEÆ, tanquam navis Argo servatrici. Ut jam illud præteream, inde *Soteria* vel Σωτήρια, dictos olim ludos in Deorum honorem celebratos; ut liquet rursus ex præclaro nummo Ancyranorum, percusso temporibus Caracallæ, ACKHΓEIA CΩTHPEIA IC Θ. ΠΥΘΙΑ ANKYPAC. Mitto vero hic notos ex libris juris civilis, *loci* vel *locorum servatores* in celebrioribus oppidis constitutos, qui saluti civium eorumque commodis consulerent: seu ut Porphyrius alicubi loquitur, ὁ σωτηρίας τῶν πόλεων προεστώτες. Unde insuper satis liquet, quam meliori titulo ac jure non unius Urbis aut Populi, sed universi generis humani liberatorem antiqua Helleniſtarum pietas SOTEREM salutavit.

Od. Olymp. XII. VIII. XIII.

In Museo Cl. Seguini.

Lib. IV. de Abstin.

De Cognomine EPIPHANIS *in variis Nummis.*

ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ familiare in iisdem Numismatibus nomen occurrit, quo præsentes in Mysteriis Deos, Gentiles olim prosequebantur. Unde etiam Epiphaniæ frequentes & salutares eorum adparitiones dictæ; ut eruditis notum. Hinc Lucianus agens de Hephæstione ab Alexandro consecrato, somnia ejusdem, Epiphanias quasdam, aliaque ejusdem vaticinia ab adulatoribus refert jactata, quo juvenili Alexandri cupiditati indulgerent. Ita ut eundem Heroïbus illis vel Divis continuo adscriberent, de quibus in genere ait Polybius, περὶ Ἡρωας τε καὶ θεὺς ἐπιφανομένους. Inde autem ad Reges Alexandri successores, tanquam manifestos

De Incredul.

Lib. III.

&

& conſpicuos quoſdam in terris Deos, Hephæſtione certe haud inferiores, & tum magis viſibiles, tranſlata eadem appellatio; ut præ aliis nummus ANTIOCHI clare exprimit, cum utroque titulo ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. Quod ipſum firmat egregie Appianus, qui Antiochum narrat Epiphanem dictum, quod expulſis è patrio regno tyrannis, quaſi patrius & domeſticus Rex illis adparuiſſet, βασιλεὺς οἰκείως ὤφθη. Qua ratione certe apud Libanium dicuntur Cæſares Conſtantius & Conſtans, ſuis Provinciis ἀντὶ πατέρων φανέντες, aut apud Claudianum, In Syriacis. In Baſilico.

—— *venerabilis illi,* De Bello Gildon.
Ceu Numen PRÆSENSQUE *vocor.*

Epiphaniæ enim illæ Gentilium, quod obſervo, & hic ad rem facit, maxime de patriis ac domeſticis Diis & eorum manifeſtatione vel præſentia (ut Tullius illam vocat) ſumebantur; ut præter alios, auctor mihi Dio Chryſoſtomus, qui tradit vulgo credi conditores Heroas ac Deos, ut maxime eos decet, adire frequenter ſuas civitates, & maxime feſtis ac ſolemnibus diebus, aliis autem non conſpicuos. Neque vero inanes habitæ ejuſmodi Epiphaniæ, ſed qualis hujus Antiochi apud Syros ſuos præſentia, efficaces & ſalutari quodam auxilio præditæ; quæ nempe aut ægris ſalutem, aut adflictis ſolatium, aut laborantibus præſidium portendere conſueverant. Hinc (ut tria hæc beneficia paucis complectar) Iſis culta apud Ægyptios ob ægrorum in adparitionibus curam, teſte Diodoro, Διὰ τὴν ἐν θεραπείαις ἐπιφάνειαν; & Philippo Medico ob ſanatum Alexandrum *grates habebant veluti præſenti Deo,* auctore Curtio. Hinc ruſus tradit Eunapius, Antiſtitem à Juliano Cæſare miſſum in Græciam calamitatibus adflictam, καθάπερ θεοί τινα ἀποπέμπων φανέντα. Diodorus vero celebriorem re- Orat. XXXIII. Lib. I. Lib. V. In Maximo.

Lib. v. fert Deorum Samothraciæ Epiphaniam, ob admiran-
Lib. III. da quæ præstabat in periculis auxilia; & Polybius, con-
sternatis Pœnis Heroëm quendam ἐπιφανέστα, viam iis
docet per Alpes indicasse. Ut vel inde satis liqueat,
cur eodem sensu quo ἐπιφάνεια, ita παρουσία quoque non
solum pro *præsentia* Numinis, sed pro *efficacia* quoque
II. c. I. v. 2. usurpetur in Epistola Divi Petri; aut cur apud Mac-
II. c. XII. cabæorum scriptores, non semel ἐπιφάνεια præclarum
v. 22. Dei factum notet, ut jam vidit ὁ πάνυ Grotius. Unde
perspicuum etiam, cur tot gaudiis & acclamationibus
prosequerentur Gentiles hanc domesticorum suorum
Numinum apparitionem, ut Syri ad conspectum hu-
jus DEI EPIPHANIS ANTIOCHI; aut Memphi-
In Thalia. tæ apud Herodotum, qui ad Dei sæpe apud suos ma-
nifesti præsentiam, Ægyptios refert ingenti gaudio de-
libutos festos etiam dies agere. Præsentiam enim illam,
non votis solum sed sacrificiis etiam, & vario myste-
rium apparatu consueverant elicere, quo respexit Eu-
In Proœre- napius, καὶ προσεῖχεν ὥσπερ αὐτοκλήτῳ τῇ ἀνδὸ πνὰς πρα-
sio. γμαλείας φανείσῃ θεῷ, *& adhæsit tanquam sponte vocato, &
citra prævias quasdam sollicitationes præsenti Deo.* Ubi nem-
pe eam adparitionem intelligit, quæ sponte à Deo con-
cessa, citra operosiorem adparatum, quo solebat eadem
provocari. Sacra enim instituta à Gentilibus ad impe-
trandas vel celebrandas illas domesticorum Numinum
Lib. I. c. 31. adparitiones, cum aliunde, ut tentatis Tullo sacrificiis
apud Livium, tum ex Athenæo licet colligere; qui re-
Lib. XII. fert Demetrium Phalereum, fratre Himeræo ab Anti-
patro trucidato, illius Epiphania celebrasse, ὡς τὰ ἐπι-
φάνια τοῦ ἀδελφοῦ θύων. Quæ sacrificia scilicet ad indican-
dam fratris EPIPHANIAM & quasi in Deos relati
præsentiam seu manifestationem instituebat Deme-
trius: haud aliter ac illo Epiphaniæ argumento, con-
secra-

ſecrationem Hephæſtionis mentiebantur, amici Alexandri. Ut videas, mi OCTAVI, non hodie primum, vel veris vel fictis adparationibus, fidem divinitatis quæſitam, ac ſuum Divis cultum ea hominum opinione invaluiſſe. Eadem vero ſacra ΘΕΩΦΑΝΙΑ etiam dicta, ex Philoſtrato obſervo; ubi Lacones interrogati, an ob præſentiam Apollinis Tyanei Theophania agitarent, εἰ κατὰ θεοφάνια ἐπ' αὐτῷ ἄγεσι. Unde patet Ἐπιφανείας & Θεοφανείας voces de ipſa adparitione; Ἐπιφάνια vero ſeu Θεοφάνια uſurpata pro feſtis in eorum memoriam aut deſiderium agitari ſolitis: quod diſcrimen etiam ſcriptoribus aliquot Eccleſiaſticis obſervatum videas, quibus alias τὰ Θεοφάνια aliquando etiam Θεοφάνεια non jam de Chriſti vel Magorum adparitione, ſed de Chriſti Baptiſmo frequenter uſurpantur; ut præter Chryſoſtomum alioſque, liquet ex Balſamone in Bibliotheca Juris Canonici: quo ſenſu etiam dies Baptiſmi Ἐπιφανίου ἡμέρα vocatur in Conſtitutionibus Apoſtolorum. At vero hujus ANTIOCHI exemplo, qui hoc nomen DEI EPIPHANIS in Nummis adhuc præfert, idem quoque legimus Caium Cæſarem ambiviſſe. In Euſebii certe Chronico ex verſione Hieronymi, dicitur Caius Petronio Præfecto Syriæ præcepiſſe, ſibi ſtatuam poni Hieroſolymis, ſub nomine JOVIS OPTIMI MAXIMI. Hæc autem poſtrema in Euſebianis Græcis Scaligeri exprimuntur, ΔΙΟΣ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, hoc eſt juxta eundem Scaligerum, *Jovis Illuſtris*; pro vulgata ſcilicet cognominis hujus Epiphanis apud Interpretes ſignificatione. Ita tamen ut hujus appellationis dignitatem aut vim vocis non videatur mihi adſequutus; qua meo judicio inſtar JOVIS PRÆSENTIS & manifeſti, abſens etiam Caius à Judæis ſuſpici Hieroſolymis ac adorari impie

Lib. IV. cap. 10.

Pag. 1243. edit. ult. Pariſ.

Lib. V. cap. XII. p. 925.

voluit. Gemino nempe instituto, quo eosdem Jovis titulos & honores ambiens Diocletianus, *conspicuus &* PRÆSENS JUPPITER *cominus invocari voluit*; aut quo passim Cæsares *præsentes Dii* seu Epiphanes, apud Poëtas ac Oratores invocantur, immo Diis etiam manifestiores; sicuti de Augusto loquitur Ovidius,

Genethl. Maximiani.

Ut mihi Dii faveant, quibus est manifestior ipsis.

In Præfat. & Valerius Maximus, qui ejus rei causam adfert; *quod cætera divinitas opinione colligitur, tua* PRÆSENTI *fide, paterno avitoque sideri par videtur.* Familiare vero id præ aliis Caio, ut absens etiam præsentis Dei instar coli vellet: unde sicut in Templo Hierosolymitano id fieri jussit Romæ constitutus, ita ejusdem Roma absentis sellam in Urbis Templo positam Patres adorasse, & argentum, ex more introducto sub Augusto, quasi præsenti obtulisse auctor est Dio. Tangit alias & commemorat pluribus hanc Caii vesaniam Philo, qui eandem refert Inscriptionem statuæ, quam volebat sibi Hierosolymis dedicari, sub titulo nempe ΔΙΟΣ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΕΟΥ ΓΑΙΙΟΥ· quæ felicitas revera paullo ante eidem, sed ingratæ Urbi contigerat, in conspectu unici & veri vel ΔΙΟΣ vel ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. Neque vero ideo, quod inter ἀοράτους seu invisibiles Deos primum locum Jovi adscripserit Theologia Gentilium, minus hoc illi ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ seu PRÆSENTIS cognomen ex ejusdem placitis convenire quisquam existimet. De his enim alioqui non conspicuis Diis, nec φαινομένοις instar Solis & Lunæ, Epiphaniæ illæ Gentilibus proprie dicebantur; tanquam de singularis cujusdam & aliis inconcessi beneficii prærogativâ, ut supra ex Dione Prusæo vidimus. Hinc frequens etiam Deorum PRÆSENTIUM aut etiam PRÆSENTISSIMORUM mentio in Inscriptionibus

Lib. LIX.

De Legat. ad Caium.

Plutarch. Quæst. Rom.

bus antiquis, seu quod eodem redit, ΘΕΩΝ ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΩΝ; quod & Constantino tribuit Orator Anonymus, *quando illum dabitis diem, quo* PRÆSENTISSIMUS *hic* DEUS *omni pace composita.* Tales nempe Dei Epiphanes præcipue à Germanis nostris olim culti; quos tradit Cæsar, Deorum numero eos solum ducere, QUOS CERNUNT, *& quorum opibus aperte juvantur*, Solem puta, Vulcanum, Lunam. Ex his autem facile adsequimur, cur eam vocem Epiphaniæ, non ad fictam aut inanem, sed ad veram vel ΘΕΟΦΑΝΕΙΑΝ vel salutaris syderis adparitionem, primis Christianæ Reipublicæ Triumviris manifestati, Societas Christiana jam olim traduxerit. Ad hanc vero ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ appellationem, Antiocho in ejusdem Nummis, aliisque dein tributam, respexisse patet Chosroëm Persarum Regem apud Simocattam, qui inter inanes titulos, ambitiosum quoque illum præfert, *inter homines Deos*, ΘΕΟΣ ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΟΣ. A primo vero Antiocho Epiphane dicta videtur urbs Epiphania, ex qua oriundus Euagrius, & de qua præter Geographos adeundus Josephus. Quod vero non prætereundum hoc loco, familiare illud ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ cognomen, non LAGIDIS solum & SELEUCIDIS, hoc est notis Alexandri Hæredibus evasit; sed ad NICOMEDES Bithynios, TIGRANES Armenios, & Parthorum ARSACES ac VOLOGESES transiit: quod vix aliunde, quam ex residuis eorum Numismatibus nobis liquet. Donec posteriori ævo, non EPIPHANES solum, sed ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΟΙ dicti horum successores Persarum Reges, ut modo vidimus; quando scilicet EPIPHANES dicti eorum Præfecti, ut vel arguit una inscriptio litterarum Varami Satrapæ, apud Theophylactum Simocattam.

Comment. lib. VI.

Lib. IV.

Antiq. lib. I. cap. 7.

Hist. lib. IV. cap. 7.

KE-

De Cognomine KEPAYNOY *& de Fulmine in variis Nummis.*

KEPAYNOY seu FULMINIS cognomentum, PTOLEMÆUM Soteris filium majorem, & fratrem Philadelphi gestasse, præter Auctores, Nummus ejusdem docet, ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΚΕΡΑΥΝΟΥ. A celebritate vero seu vi ignea fulminis, nomen hoc illi adhæsisse tradit Pausanias; Memnon autem apud Photium, ab importunitate morum seu væcordia. Sicut alias apud Eustathium lego, Κεραυνὸν quendam à voracitate dictum, quod impetuose in mensas irruens, easdem plane consumeret; quemadmodum alio iterum sensu, sed in sequiorem itidem partem, Alexander Annæo nostro alicubi dicitur, *Terrarum fatale malum* FULMENQUE. Unde mirum videri posset, hoc contumeliæ, juxta Memnonem, vocabulum, non à malevolis solum, aut joco militari, huic Ptolemæo tribui, sed etiam in nummis ejusdem signari. Quod Caios & Antoninos Bassianos in Caligulæ aut Caracallæ nominibus haud videmus usurpasse. Quamquam enim AULETIS, PHYSCONIS, & HIERACIS minus decoræ appellationes in Ptolemæorum numismatibus etiamnum obviæ firmare Memnonis sententiam possent; quod frequenter nempe, *nec honor nec injuria, sed casus fecit hæc nomina*, ut Macrobius docet in Asinæ & Scrofæ cognominibus contigisse, quæ nobilissimis apud Romanos viris adhæserunt; aliunde tamen potius, & à Jovis FULMINATORIS epithetis, juxta *Soteris* aliaque cognomina inde petita, lubet istud quoque CERAUNI derivare: quod firmat etiam Lucianus, qui Ægyptios præ gentibus aliis Deorum cognominibus usos docet. Id vero illustrat eximius Justini locus de Clearcho Heracleæ Tyranno, qui Jovis filius credi voluit; *filium quoque suum* CERAUNON *vocat, ut Deos non mendacio tantum, verum etiam nominibus illudat.* Ita

In Atticis.

Ad Iliad. A. pag. 862.

Saturnal. lib. 1. cap. 6.

In Imaginib.

Lib. XVI. cap. 5.

eodem

eodem nomine insignitus occurrit unus è Seleucidarum genere, Callinici nempe nepos & Magni Antiochi frater, quem CERAUNON etiam dictum observat in Chronico Eusebius. Propiorem vero hujus nominis rationem liceat mihi ex Appiano eruere, qui Seleucum Nicatorem in condenda Seleucia ad mare, sequutum refert augurium fulminis, & ideo Fulmen in eadem urbe haud aliter ac instar Numinis consecratum, καὶ θρησκεύουσι καὶ ὑμνοῦσι τὸ γυῶ ΚΕΡΑΥΝΟΝ, *colunt ac celebrant etiamnum* FULMEN. Ex quo lucem fœneratur Hesychius, qui Jovem sub CERAUNII nomine Seleuciæ cultum observat, ΚΕΡΑΥΝΙΟΣ ἐμβρόντης. καὶ Ζεὺς ἐν Σελευκίᾳ. Hæc autem mire illustrant, cum antiquus Seleucensium Nummus, cum Seleuci conditoris effigie & Fulmine alato in aversa nummi parte, ac epigraphe ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. In Syriacis.

Tum duo insuper sequentes Nummi, uterque cum Fulmine mensæ impositio, & prior quidem sub Pio Cæsare percussus, cum inscript. ΖΕΥC ΚΕΡΑΥΝΙΟC; alter itidem cum ipso nomine Seleucensium, CΕΛΕΥΚΕΩΝ· quos vere Regia Gaza Christinæ Augustæ nobis suppeditavit.

Ceraunius nempe Juppiter Seleucensibus haud aliter ac FULMINANTIS, FULGERATORIS, TONANTIS denique nominibus Romanis cultus; sicut præter Inscriptiones antiquas & unam quidem JOVI SANCTO BRONTONTI, firmant etiam obvii & frequentes Nummi cum epigraphe JOVI TONANTI, aut sequens JOVI FULGERATORI inter aureos Diocletiani obvius.

Hinc & nota Jovis Ales Fulmen passim tenens in aliis Nummis, juxta Manilium,

Lib. 1. *Assueti volitans gestat seu fulmina mundi*
Digna Jove & cœlo, quod sacris instruit armis.

& idem Fulmen Providentiæ Deorum in iisdem symbolum: sicuti clare liquet ex nummis, quibus Fulmen insculptum, cum inscript. PROVIDENTIÆ DEORUM. Neque vero JOVEM solum CERAUNION, sed MINERVAM quoque Fulmine armatam exhibent nobis antiqua numismata; quale supra expressum ANTIGONI Tutoris, in cujus aversa parte Pallas depicta fulmen vibrans, scilicet juxta Poëtam,

Ipsa Jovis rapidum jaculata è nubibus ignem.

Quo referri etiam debent alii nummi, in quibus Noctua Fulmen unguibus tenet; idem utique huic Deæ, quod Jovi Aquila ministerium præstans. Nempe juxta Etruscorum libros, certa Numina præter Jovem possidentia fulminum jactus; inter quæ potissimum Minerva, ut ex iisdem & Varrone pluribus docet Servius.

Ad lib. 11. Æneid.

Quo respexisse etiam videtur præclarus Nummus & è maxi-

maximorum quidem genere, qui occurrit in Gaza Cardinalis Buoncompagni, sub Severo percussus, in quo spectare licet Vulcanum Jovi fulgura temperantem, ante autem stantem Minervam. His vero Numinibus, Manubias seu Fulminum jactus possidentibus, adscribendus etiam HERCULES; cujus ut alia mittam exempla, fulminantis figura occurrit in nummo Bruttiorum. Ut non mirum sit ejus διάγονον ac æmulatorem Alexandrum, Fulmen manu tenentem olim ab Apelle depictum: quamquam eo nomine à Lysippo reprehensum, ut alicubi Plutarchus refert. Horum itaque Numinum exemplo, non Ptolemæi solum & Seleuci dicti Græcis CERAUNI, sed Romanorum etiam Cæsares, TONANTES & FULMINANTES, ut de Augusto Virgilius,

In Gaza Medicea. Plin. lib. xxxv. c. 10. Lib. de Isi. de.

——— *Cæsar dum magnus ad altum*
Fulminat Euphratem bello.

alibi autem de eodem Naso,

Et jacit invita fulmina rara manu.

aut de Jove ac Domitiano Martialis,

Adspice Tarpeium Pallantinumque Tonantem;

sicut tonare etiam ROMA apud Claudianum,

Seu Cœlum seu Roma tonat.

Hinc Fulmine etiam nonnunquam armati CÆSARES in selectis eorum Nummis, tanquam Joves Latii; qualis AUGUSTUS cum Corona radiata Fulmine & Stella, ac inscr. DIVUS AUGUSTUS PATER, in aversa vero parte, Castrum, & inscript. AUGUSTA EMERITA. Ita inter ejusdem Augusti Nummos à Nerva restitutos, unum videas cum Fulmine ac inscriptione DIVUS AUGUSTUS. Sic iterum in Gaza Medicea, TRAJANUS visitur dextra Fulmen, sinistra hastam puram tenens, retro Victoria coronam capiti ejus imponens,

In Gaza Medicea. In Gaza Christinæ Augustæ.

ponens, cum solita epigraphe, S.P.Q.R. OPTIMO PRINCIPI. Cui geminum eadem suppeditat inter nummos Hadriani, in qua figura dextra Fulmen, sinistra hastam tenet, cum inscriptione DIVUS TRAJANUS AUG. PARTH. PATER. Qua ratione nempe Fulmen in dextra Julii Cæsaris collocat antiquum Epigramma,

Anthолog. lib. v. c. 1. Epig. 16.

Δεξιτερῇ ᾗ Κεραυνὸν ἀλάλκετο χειρὶ κομίζων,
Οἷα Ζεὺς νέος ἄλλος ἐν Αὐσονίοισιν ἀκούων.
Dextra vero Fulmen ornabat manu ferens,
Ut Jupiter novus alius in Ausoniis audiens.

Ut mittam quod de Caio refert Tranquillus, quod plerumque aurea barba Fulmen tenens sit conspectus. Ex his vero possunt etiam illustrari frequentes in aliis LAGIDARUM & SELEUCIDARUM Nummis Aquilæ Fulmini insistentes, & duæ nonnunquam cum expansis alis & Fulmine, ut in quodam PTOLEMÆI numismate; ut nihil de ALEXANDRI EPIROTÆ, PYRRHI, AGATHOCLIS, HIERONYMI, aliorumque id genus Regum aut Tyrannorum Nummis dicam, cum signato in iis Fulmine, tanquam manifesto Providentiæ ac Imperii symbolo. Quo spectant etiam cum aureus Nummus ANTONINI PII, in Cimeliarchio illustrissimi Colberti nobis inspectus; in quo figura sedens spectatur cum Fulmine & hasta, inscript. autem IMPERATORI; tum alii sub Caracalla aut Maximiano signati, in quibus non jam Aquila aut Noctua, sed Leo radiatus Fulmen ore gestat. Aliud vero statuendum de Alcibiadis symbolo, quem in Clypeo nullum aliud insigne gentilitium expressum gestasse refert Plutarchus, præter Amorem KEPAYNOΦOPON.

In Alcibiade.

De Cognomine DIO- At vero Deorum Cognominibus non solum, sed Nominibus etiam occurrunt nonnunquam insigniti; ut

ut DIONYSI seu Liberi Patris adsumpto vero nomine ANTIOCHUS unus è Grypi filiis, ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΔΙΟΝΥΣΟΥ, de quo Josephus aliique possunt consuli, & cujus Nummum in superioribus adtulimus cum Elephante λυχνοφόρῳ. Adnotavit id jam olim Lucianus, qui Deorum appellationes observat ab hominibus petitas; cujus rei exemplo sint DIONYSI, Hephæstiones, Zenones, Posidonii; quæ nec in nominum solum sed cognominum etiam vicem, ut hoc loco, transiere. Ita & THEMISO HERCULES apud Athenæum, & MENECRATES JUPPITER apud Ælianum, & NICAGORAS MERCURIUS apud Clementem, peculiari loco, ubi Reges & privatos etiam Deorum nominibus olim appellatos docet; quod & observat etiam alicubi Servius: *Antiqui Reges nomina sibi plerumque vindicabant Deorum*, &c. Immo quo honore prostibula etiam sua & publicarum libidinum victimas decorarunt Græci, ut de PHILE & LAMIA VENERE ex Athenæo eruditis notum. Nec mirum sacris vulgaris hujus Deæ assidue operatas, ab eadem nominis decus reportasse; quum à Deo scilicet, à quo honorem adepti, nomina jam olim mutuatos veteres, ex Plutarcho noverim; unde alium Athenæum, alium Apollonium, alium etiam DIONYSIUM dictum observat: qui locus mire hæc & superiora simul illustrat. Transiere vero illius insaniæ exempla ad Romanos; unde in antiquis monumentis, ac Nummis vel inprimis, obviæ inscriptiones, ROMULO AUGUSTO, HADRIANO HERCULI COMMODIANO, JOVIO GALERIO; sicut aliunde JOVIUM DIOCLETIANUM, & MAXIMIANUM HERCULEUM dictos accepimus. Eadem nempe ratione SILVIUS ÆNEAS jam olim

NYSI *in variis Nummis.*

Pro Imaginibus.

In Protreptico.

Ad Æneïdos VII.

Lib. VI. & XIII.

De Oraculi defectu.

dictus apud Poëtam, unus ex divi Æneæ posteris,

——— *& qui te nomine reddet*
SILVIUS ÆNEAS.

Ita referri huc etiam debent frequentes in iisdem nummis vel JUNO, vel CERES, vel VENUS AUGUSTA, cum Dearum nempe habitu & Augustarum effigie; ut præterea ex obviis earundem statuis licet hic passim observare. Ut mittam frequentia in lapidibus veterum petita à Diis Deabusque *Mercurii*, *Saturni*, *Phœbi*, *Dianæ*, *Palladis*, aliaque id genus nomina; aut Cypriæ cujusdam Reginæ, quam Λητὼ seu *Latonam* dictam commemorat Lucianus. Unde equidem liquet, incautius alicubi adseruisse τ. πάνυ Salmasium, apud Græcos pauca, immo nulla nomina extare, quæ sola solidaque Dei aut Deæ appellatione censerentur: nullos enim dictos *Apollines*, *Junones*, *Veneres*, *Tychen* seu Fortunam, sed immutatis nominibus, *Apollodoros*, *Herodoros*, *Aphrodisia*, *Eutychios*, &c. quæ certe cum loco supra indicato sui sæculi eruditissimus Clemens, tum copiosa monumentorum veterum supellex nimium refellunt, dum eadem ipsa ac solida Deorum Dearumve nomina, ut modo etiam audivimus, viris mulieribusque frequenter tribuunt. Immo sicut hominibus Deorum, ita Diis quoque ac Deabus indita virorum ac mulierum cognomina, ut JOVIS AGAMEMNONIS Spartæ, & STRATONICIDIS VENERIS, ab uxore Antiochi Soteris apud Tacitum, & in Marmoribus Arundellianis. Sic apud Leucadem, Aetium, aliisque in locis, frequentata Templa ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ΑΙΝΕΙΑΔΟΣ, juxta Dionysium Halicarnassensem. Ita Romæ JOVIS AUGUSTI, APOLLINIS AUGUSTI, & similium non obscura appellatio in antiquis elogiis. Ipsum vero DIONYSI cognomen, præter adlegatum ex Nummis ANTIOCHUM,

In Imagin. Ep. ad Menag. de Herod. Infant.

Lib. 1.

CHUM, noviſſimum, juxta Joſephum, genus à Seleuco ducentium, unum quoque è PTOLEMÆIS geſtaſſe, ex Euſebio aliiſque liquet; ſed qui minus recte in Chronico Euſebiano, & vulgo apud Chronologos DIONYSIUS pro DIONYSUS vocatur. Verum ejus nomen, ut alterius Antiochi de quo egimus, ΔΙΟΝΥΣΟΣ; ſicuti in Porphyrii fragmentis, aliiſque Græcis Excerptis apud eundem Scaligerum vocatur: quamquam in nonnullis etiam, ſed minus accuratis & graviorum errorum plenis, ΔΙΟΝΤΣΙΟΣ dicitur. Ejuſdem quoque mentionem reperio apud Lucianum, καὶ ἐπὶ Πτολεμαίῳ τῷ Διοντσῳ ὀπικληθέντι, & *apud* PTOLEMÆUM *cognomento* DIONYSUM, ac ſub eodem adductum olim in extremum capitis periculum Demetrium Platonicum, ob neglecta Bacchantium ſolemnia; ut vel inde colligas, quam bene nominis illius menſuram implerit hic Dionyſus. Ejuſdem etiam meminit Clemens Alexandrinus, ſed cujus locus in mendo cubat; Πτολεμαιος δὲ ὁ τέταρτος Διοντσος ἐκαλεῖτο, καὶ Μιθριδάτης ὁ Ποντικὸς Διόνυσος καὶ αὐτός. PTOLEMÆUS *autem quartus, vocabatur* DIONYSUS, *& Mithridates Ponticus ipſe quoque Dionyſius.* Quid audio, Ptolemæum Quartum dictum Dionyſum, qui Euſebio in Chronico ac Porphyrio in fragmentis Undecimus, & in alia Græca Scaligeri collectione Duodecimus, hinc vulgo penultimus Lagidarum ſtatuitur; quibuſdam etiam recentioribus, etſi minus recte, poſtremus, Cleopatræ nempe Cæſaris & Antonii Frater, (quod & adſerunt Græca quædam Scaligeri Excerpta, ſed inerudita) cujus Parens revera citatis paullo ante auctoribus traditur. Neque vero alius Dionyſus occurrit in ſerie Lagidarum, & quartus Ptolemæus vulgo Philopator, cujus frequens apud Veteres mentio, & quem

In Euſeb. P. 65.

Non temer. cred. Calumn.

In Protrecptico.

Pag. 373.

In Euſeb. P. 65.

Lib. VII. cap. 56. quem alias *Gallum* etiam dictum & *Tryphonem* apud Plinium legas & Etymologici Auctorem, nusquam vero, quod sciam, Dionysum. Vel itaque Clementis illud μνημονικὸν ἁμάρτημα, quod miror non observasse viros doctos, qui illum notis suis & animadversionibus illustrarunt; vel quod malo de Ægyptio & longe eruditissimo scriptore opinari, corrupti ibi ejus codices, & loco πέμπτου vel ἑνδεκάτου aut δωδεκάτου restituendum. Confusa enim vulgo hæc posteriorum Lagidarum historia, dum in constituendo Ptolemæi Lathuri seu Soteris successore dissentiunt Chronologi; quem alii hunc DIONYSUM ejus filium statuunt, alii rursus aut sororem Cleopatram (diversam ab Antonii Cleopatra) aut duos Ptolemæos Alexandros Euergetis Nepotes eidem præmittunt. Nisi placeat forte opinari tuendæ vulgari apud Clementem lectioni, sicut *Gallum*, ita *Dionysum* quoque dici potuisse quartum Ptolemæum: *Gallus* enim dictus juxta Etymologici Auctorem, quod instar Gallorum Matris Deæ, notis seu stigmatibus foliorum hederæ esset compunctus, eos enim in Dionysiacis continuo hedera coronatos: Γάλλος ὁ Φιλοπάτωρ Πτολεμαῖος ἀπὸ τοῦ φύλλα κισσοῦ καπεσίχθαι ὡς οἱ Γάλλοι. ἀεὶ γὰρ ἐν Διονυσιακαῖς πλείοσις κισσῷ ἐστεφανοῦντο. Ab eo itaque Hederæ usu, & simili in Dionysum seu Bacchum studio, DIONYSI quoque, aliorum, quos enumeravimus, Regum exemplo, cognomen mereri potuisset. MITHRIDATEM vero, DIONYSUM quoque dictum, recte observavit Clemens, quod notaverat olim Tullius, *Mithridatem Deum illum, Patrem, Conservatorem Asiæ, illum* DIONYSUM, BACCHUM, *Liberum nominabant*, ac præter Appianum, innuit etiam alicubi Dio Prusæus. Caussas quoque illius appellationis eidem tributæ tradentem audies Plutarchum in

In voce Γάλλος.

Orat. pro Flacco.

Or. XXXVII.

Lib. I. symp. qu. 6.

Quæ-

Quæstionibus Convivalibus. Neque aliter PTOLEMÆI de quo egimus exemplo, qui non Dionysus solum, sed νέος ὁ Διόνυσος, seu *Junior Bacchus* dictus, ut præter Porphyrium, aliaque Græca Scaligeri Excerpta, liquet præterea ex Menandro Protectore; ita M. ANTONIUS omni ejusdem Dei cultu adsumpto, hedera, pampino, MINOR DIONYSUS olim nuncupatus: quem cultum præter [a] Plutarchum & [b] Dionem, aliquot nummi adhuc hodie eidem tribuunt, & Augustum vitio ei vertisse accepimus. Immo ut ille Osiridis seu Bacchi habitu, ita ejusdem Regia conjux Cleopatra, cum stola Isidis in publicum prodiens, occurrit apud eundem Plutarchum. Solemnis nempe hæc Regum Asiæ aut Ægypti insania, ut Liberi Patris cultum & nomen adsumerent. Hinc in pompa Ptolemæi apud Athenæum, Alexandri & Ptolemæi statuæ cum aureis coronis hederaceis prælatæ: Hinc ANTIOCHUS EPIPHANES hedera revinctus in præclaro nummo Gazæ Mediceæ; unde illustratur Hippolytus in libello de Antichristo, ab insignis doctrinæ Gudio nostro primum vulgato, qui hunc Epiphanem observat inter alia Judæis imperasse, καὶ κιστὰς ἐστεφανωμένας πομπεύειν τῷ Διονύσῳ, *& hedera coronatos pompam agere Libero Patri.* Hinc caput quoque ANTIOCHI DIONYSI, cujus supra meminimus, radiatum simul ac hedera coronatum in præclaro nummo Gazæ Farnesianæ, ut Solem nempe & Bacchum eodem symbolo exprimerent. Conjuncta nempe Solis & Bacchi numina, ut vel ex Macrobio liquet, qui Solem & Bacchum eundem probat; quod firmat etiam alicubi Servius, *unde eundem Solem, eundem Liberum, eundem Apollinem vocant*, ac insuper Dio Chrysostomus, qui tradit Rhodios, Solem, Apollinem, & Dionysum seu Bacchum

[a] In M. Antonio.
[b] Lib. XLVIII.
Lib. V.
Lib. I. Saturn. c. 17.
Ad Georg. I.
Orat. XXXI.

eundem reputare; quibus consentanea etiam legas apud Arnobium. Eodem alias Bacchi hederati, ut cum Tertulliano loquar, habitu insignitus etiam occurrit ANTIGONUS apud Herodianum, quem egregie iterum illustrat Nummus Mediceus hujus Antigoni, primi Asiæ Regis inter successores Alexandri, in quo caput ejusdem barbatum ac hedera revinctum visitur, in aversa autem parte figura nuda navi insidens. Similem hujus Antigoni nummum hic damus è Cimeliarchio Cl. Seguini.

Lib. III.

Lib. I.

Eundem morem æmulatum filium ejus DEMETRIUM supra innuimus; sicut M. Antonii exemplo, CAIUM quoque Imperatorem, modo Liberi Patris, modo Herculis, modo Jovis etiam habitum simul cum eorum nominibus sibi vindicasse, tradentem novi Dionem in Excerptis Constantinianis, & quod Philo pluribus etiam commemorat. Eandem etiam vesaniam in ELAGABALO notat Lampridius; *junxit & Tigres* LIBERUMQUE *se vocans, eodemque habitu, quo Dii pinguntur, quos imitabatur.* DIONYSI itaque totidem seu Bacchi, Caius ac Elagabalus; haud aliter ac Antiochus, Ptolemæus, Mithridates, Antigonus, Antonius modo enumerati, quibus addi potest Perseus postremus Rex Macedonum, hedera itidem redimitus in antiquo marmore apud Ursinum. Ut non mirum videri debeat eos ad exemplum hujus Dei sese libenter composuisse,

Pag. 670. Legat. ad Caium.

fuisse, cujus florens juventa, insignes triumphi, longæ peregrinationes, vitæ hilaritas, hos illi vel cultores vel æmulos cum Reges tum Augustos conciliarunt. Immo hinc factum, ut sub ejusdem tanquam juvenis & pulchri imagine multi olim fuerint privata religione culti & consecrati. Unde nova illa nupta apud Apuleium defuncto in flore ætatis conjuge, & *imaginem defuncti, quam ad habitum* DEI LIBERI *formaverat, adfixo servitio divinis percolens honoribus, ipso sese solatio cruciabat.* Metamorph. lib. VIII.

Immo nec superbis Deorum cum Nominibus tum Cognominibus contenti hi Asiæ aut Ægypti Reges, ni ipsa quoque DEI appellatione (quo nempe Cœlitibus nihil reliquum facerent) vivi & in terris etiamnum agentes fruerentur. Adeo ut impletum videatur in successoribus votum Alexandri, qui ut tradit aureus Orator, Deus esse noluisset post mortem, nisi aliorum Deorum Rex esset. Quo nomine exagitat eosdem præclarus auctor, quod moriendi necessitati obnoxii, Immortalis Dei appellationem inepte sibi vindicarent. Hinc illa ΘΕΟΥ nomenclatio, cognominis loco ab ANTIOCHO Seleuci Nicatoris Nepote primum usurpata; ut vesaniam illam arguit adhuc hodie ejusdem Nummus cum inscriptione, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ; & alterius ANTIOCHI Nicephori, ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ. Sic DEMETRIUM NICATOREM ejusdem impietatis reum probant illius numismata, ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΘΕΟΥ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ, immo alios etiam DEMETRIOS in serie Seleucidarum, juxta præclaros Nummos Peireskianos supra adlegatos, ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΘΕΟΥ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ & ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ ΘΕΟΣ ΦΙΛΟΠΑΤΩΡ ΣΩΤΗΡ. Ut minus novum accidat,

De appellationibus DEI & DEÆ *in Variis Nummis Græcis ac Romanis.* Dio Chrys. Orat. IV. In Gaza Medicea. In Cimel. ill. Harlæi.

eodem etiam nomine alterum Demetrium Poliorcetem ab Athenienſibus nuncupatum, quod Plutarchus & Athenæus tradunt; ita quidem ut ſolum eum verum Deum agnoſcerent, reliquos autem aut dormire, aut abiiſſe peregre profiterentur. Unde etiam nonnullam lucem mutuatur Actorum & Joſephi locus, ubi Herodes Agrippa DEUS à circumfuſa multitudine proclamatur; juxta morem nempe in vicina Syria, aliiſque Orientis partibus pridem familiarem. Adeo ut illius exempla ad Mulieres quoque ſummi faſtigii diffuſa paullatim fuerint, ut BERENICES, ARSINOES, CLEOPATRAS; quod vix aliunde tamen, quam ex Lapidum Nummorumve monumentis licet hodie colligere. De BERENICE Ptolemæi Lagi Conjuge ſupra vidimus, eam ΘΕΩΝ ΣΩΤΗΡΩΝ nomine una cum marito apud Ægyptios conſecratam. De eadem inſuper, ſicut & de ARSINOE illius filia, fidem facit præclarus Nummus cum duobus capitibus junctis in utraque parte, & inſcriptione ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ.

Prior nempe nummi facies PTOLEMÆUM & BERENICEM, poſterior liberos exhibet eoſdemque Conjuges, PTOLEMÆUM PHILADELPHUM & ARSINOEM, ſicut indicabam nuper, ut noſti, fori hujus antiquarii regulo Franciſco Gottifredi, ab eodem de illius explicatione conſultus, & cujus beneficio primam præclari nummi notitiam debeo. De PHILADELPHO certe & ARSINOE explicandam illam epi-

epigraphen ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ, continuo ſuadebat inſanus ejuſdem Ptolemæi erga ſororem amor, quem & adſumpto PHILADELPHI nomine, & nefariis nuptiis, templis præterea, aliiſque divinis honoribus profeſſum memineram; tum obvia ejuſmodi appellationum apud eoſdem Ægyptios exempla. Adeo ut quod ſola ductus conjectura monueram, ac ut veriſſimum continuo arripuit laudatiſſimus ſenex, indubitatum poſtea deprehenderem ex lectione monumenti Adulitani, quod ex vetuſtiſſimo codice edidit jam olim Cl. Leo Allatius. In eo enim præclara legitur Ptolemæi Euergetæ, filii hujus Philadelphi, inſcriptio, quam præteritis diebus fruſtra quæſitam, vir optimus ac omnis Romanæ antiquitatis intelligentiſſimus Benedictus Mellinus noſter opportune ſubminiſtravit. Ita autem ſe habent prima inſcr. verba; ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΣ ΥΙΟΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΑΡΣΙΝΟΗΣ ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ ΤΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΒΕΡΕΝΙΚΗΣ ΘΕΩΝ ΣΩΤΗΡΩΝ ΑΠΟΓΟΝΟΣ. Et hic quidem verſabamur in ſecunda editione hujus operis quum opportune duo alii teſtes exceptione majores acceſſere. Prior eſt ſimilis nummus aureus drachmalis à Petro Seguino clariſſimo Galliæ antiquario noviſſime vulgatus, in eleganti ſua ſelectiorum Numiſmatum congerie, & quem iiſdem Ptolemæis eorumque conjugibus imputat. Poſterior eſt idem Nummus itidem aureus, ſed majoris ponderis ac uncialis, cujus ectypum è Gaza depromptum viri alti faſtigii, ſed ingenii ac indolis ſublimioris, Cumilli Maximi, eodem curante ac diligenti antiquitatis inveſtigatore Petro Bellorio noſtro, ad me opportune admodum tranſmiſiſti.

Non commode autem, ut obiter hoc dicam, doctissimus Allatius vertit ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ in superiori monumento Adulitano, *Deorum fratrum*, quod ut de Dioscuris recte, ita de Philadelpho & Arsinoë dici Latine non potuit, exemplo appellationis Græcæ ἀδελφῶν communis utrique sexui, sed vertendum *Deorum fratris sororisque*. Quamquam non ignorem, Reges Ægypti dici Romanis scriptoribus de regnante utroque conjuge, ut apud Livium, *Legati ab Ptolemæo & Cleopatra Regibus Ægypti*, & mox de iisdem, *Gratiæ Regibus actæ*. Solemne nempe in Ægypto, ut Reginæ tanquam consortes supremi fastigii, in publicis solemnibus ac monumentis una cum maritis compellarentur exprimerenturve. Ita Ptolemæi Philometoris & Sororis etiam ejusdem ac conjugis Cleopatræ juncta simul nomina in litteris ad Oniam Judæum apud Josephum. Ex his vero adsequimur, non solum Philadelpho & Arsinoë hanc ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ appellationem tributam; sed eandem etiam ad Parentis utriusque ΘΕΩΝ ΣΩΤΗΡΩΝ exemplum, de utroque conjuge fratre & sorore formatam. Immo si Græcum Theocriti Interpretem consulamus, communis etiam illa fuerit Parentibus Soteri & Berenice, superioribus Nummis expressa ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ inscriptio. Tradit enim ille, hanc Berenicem Lagi fuisse filiam, ac ut inde licet colligere, conjugis proinde sororem, Lagi itidem, ut omni-

Lib. xxxvii. cap. 3.

Lib. xiii. Antiq. c. 6.

omnibus notum, filii; Βερενίκῃ λέγε τὴν Λάγου μὲν θυγατέρα, γυναῖκα δ' Πτολεμαίου τοῦ Σωτῆρος. An vero diversi fuerint hi Lagi utriusque parentes, quod in nuperis Exercitationibus existimat nobilissimus Senex à Grentemesnil, cui observatus etiam hujus Interpretis locus; an vero in aliorum de his Berenices natalibus silentio, continuo fides huic Græculo sit habenda, non magnopere jam erimus solliciti, & totum hoc eruditi lectoris judicio libenter committemus. Illud certum eam nomenclationem ab Apolline ac Diana gemino Numine desumptam, juxta morem Ægyptiorum jam nobis Luciani & Nummorum fide abunde declaratum; aut si mavis à Jove & Junone, quorum auctoritate & exemplo, has Ptolemæi & Arsinoës nuptias defendit in præclaro alias Idyllio Theocritus. Qua ratione nempe CAIUM legimus in Dionis Excerptis, quo revera se Jovem probaret, cum sororibus suis inprimis rem habuisse: unde & easdem in aversa nummi parte signari curavit, qui obvius adhuc hodie apud antiquarios. Neque aliter ac Philadelphi & Arsinoës in superioribus Nummis, ita Jovis & Junonis juncta nonnunquam capita videas in aliis antiquis numismatibus, ac Epirotarum inprimis, cum apud Goltzium, tum in Gaza Palatina & Medicea. Immo Goltzium geminam nummi de quo agimus inscriptionem vidisse, postea ex ejusdem Thesauro deprehendi; sed quam ad Apollinem ac Dianam referre illi placuit. Sic alteram inscriptionem Ægyptiam observo apud Gruterum, cum iisdem vocibus ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ, & in ultima lapidis parte, ΣΥΝΘΡΟΝΟΙΣ ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩ ΘΕΟΙΣ, quæ postrema vulgo de Osiride & Isside Ægyptiis usurpata ad Philadelphum itidem & Arsinoën, sanguine, folio, & eadem superiori appellatione junctos, haud male

Ad Idyll. XVII. Theocr.

Pag. 670.

Thes. MLXXIII. 7.

male quoque referri possent. Hanc vero DEORUM nomenclationem utrique mortuo demum tributam, liceret ex Diodoro colligere, qui alicubi observat, Reges adhuc superstites Deorum quidem honoribus cultos ab Ægyptiis, non tamen sub Dei appellatione, excepto Dario Xerxis patre, cui soli id fuerit concessum;

Lib. I. τηλικαύτης τυχεῖν τιμῆς, ὡς ϑ' ὑπὸ τ Αἰγυπτίων ζῶντα μὴ ϑεὸν προσρηθῆναι μόνον τ ἄλλων βασιλέων, *tantum honoris consequutum, ut etiam vivus ab Ægyptiis* DEUS *solus ex aliis Regibus vocaretur.* Hunc divinum alias Regum apud Ægyptios, seu superstitum seu jam defunctorum cultum,

Legat. ad Caium. præter Lucianum aut Diodorum, Philo pluribus alicubi exponit, & ad quem respexit Lucanus noster,

Summus Alexander Regum, quos Memphis adorat.

Ipsam vero Arsinoën DEI appellatione cum conjuge insignitam in superioribus Nummis, cultam quoque

Lib. XI. post mortem nomine VENERIS ZEPHYRITIDIS, ex Callimacho apud Athenæum, Catullo, Hygino, ac Stephano de Urbibus adnotarunt jam viri magni. Et ut juncta hic vides utriusque conjugis capita, in signum mutuæ necessitudinis & concordiæ, ita conjunctas quoque amborum statuas in Odeo Athenienſium

In Atticis. observat Pausanias; qui alibi ejusdem Arsinoës statuam in Helicone dicatam tradit. Ab eadem vero dictæ aliquot urbes Libyæ & Ægypti ARSINOES, quod observat Stephanus, & ad quas referendi forte plures nummi à magno illo Peireskio collecti, & observati mihi apud illustrem Harlæum, cum inscriptione APCINOHTΩN. Quamquam & Syriæ aliarumque adhuc Regionum cognomines urbes, apud eundem Stephanum videre liceat; sicut & plures eo nomine Ægypti, Syriæ, Macedoniæ, aut Cyrenarum Reginas accepimus. Ad alteram certe ARSINOEM spectat

alius

alius Nummus cum capite velato, gemino cornucopiæ & inscriptione ΑΡΣΙΝΟΗΣ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ, Lysimachi nempe conjugem & hujus Philadelphi filiam, qualem expressit in imaginibus Ursinus, & nos aureum ac argenteum aliquoties vidimus in illustribus Cimeliarchiis. Idem tamen hujus Arsinoës cum priori fatum, si fides Memnoni apud Photium, qui tradit eam post Lysimachi nuptias, fratri etiam, Ptolemæo nempe Cerauno nupsisse. Diversa rursus alia ejusdem gentis & fastigii ARSINOE, soror itidem & conjux Ptolemæi Philopatoris, de qua Polybius in Historia, Lib. xv. & in Excerptis Valesianis. At vero alteri adhuc ARSINOE consecratæ Templum erectum narrat Pausanias, Lacænæ nempe, non Ægyptiæ, & sorori uxorum Castoris & Pollucis; hoc est totidem rursus ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ: Ut fatalem quandam in hoc Arsinoës nomine cum hujusmodi appellatione communionem videas. At vero præter Ægyptias BERENICEM & ARSINOEM, aut etiam CLEOPATRAM Antonii, ΘΕΑΝ ΣΩΤΗΡΑ dictam in ejusdem Numismate supra jam adlegato, STRATONICA Syra uxor primo Seleuci, dein Soteris Antiochi, ΘΕΑ pari ratione vocatur in Marmoribus Arundellianis. Quæ appellatio alterius Antiochi, Grypi nempe Matri CLEOPATRÆ tribuitur in ejusdem Nummis, ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ ΘΕΑΣ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ, quorum ectypum hic habes è Gaza Palatina. In Laconicis.

Quod illustre scilicet monumentum pietatis hujus Antiochi in matrem Cleopatram; ut intelligamus, cur eidem Regi in Nummo præponatur cum DEÆ attributo, aut cur idem Antiochus non GRYPI solum, sed
Pag. 371. PHILOMETORIS etiam cognomine in Græcis Scaligeri Excerptis ad Eusebium vocetur. Cur vero Mater hæc Cleopatra nummo addita cum filii effigie ac titulo
Lib. XXXIX. c. 1. Deæ, abunde licet ex Justino colligere; *alter cui propter nasi magnitudinem cognomen* GRYPO *fuit,* REX *à* MATRE *hactenus constituitur, ut nomen Regis penes filium,* VIS *autem omnis* IMPERII *penes* MATREM *esset*: quæ tamen ab eodem veneno postea extincta, quod filio præparaverat. Quod vero ferme exciderat, referendum ad Stratonices paullo ante commemoratæ non maritum sed filium ANTIOCHUM, nomenclatio illi tributa in Fœdere Smyrnæorum & Magnetum inter vetustissima Marmora Arundelliana, ΘΕΩΣ ΚΑΙ ΣΩΤΗΡ. At corrigendus, ut obiter hoc dicam, Memnon apud Photium, ubi Seleucus Asiam filio Ἀντιόχῳ commendasse dicitur; quum non Antigonus tamen, sed Antiochus hujus Antiochi DEI parens, Seleuci filius & successor exstiterit: quod ut tralatitium, miror eruditissimum Schottum præteriisse. Nec tamen intra Ægyptios & Syros eadem se continuit insania, ut non ad vicinos etiam aut hæredes eorum potentiæ Reges transierit; Ita MITHRIDATES superstes etiamnum divinis honoribus à civitatibus cultus, &
Lib. V. ΘΕΟΣ præterea appellatus apud Athenæum legitur; sicut etiam apud Tullium loco jam supra adlegato, *Mithridatem* DEUM *illum*, ac quod expressit uberius Dio-
Pag. 401. dorus in Excerptis Valesianis, legatos singularum civitatum decretis publicis eum ΘΕΟΝ ΚΑΙ ΣΩΤΗΡΑ declarasse. Idem de PHRAATE Parthorum Rege obser-

obſervat apud Photium Phlegon, Φραάτης (non Φράτης) ὁ ἐπικληθεὶς ΘΕΟΣ, *Phraates cognominatus* DEUS. Unde ſucceſſores eorundem Perſarum Reges, non Fratres ſolum Solis aut Lunæ, & participes ſyderum dicti; ni manifeſtiorem adhuc DIVINÆ & Humanæ naturæ communionem indicarent. Liquet id ex Epiſtola Choſroæ Hormiſdæ filii, Χοσρόης βασιλεὺς βασιλέων ἐρίωυάρχης τοῖς ἀνθρώποις σωτήριος, ἐν ΘΕΟΙΣ μὲν ΑΝΘΡΩΠΟΣ ἀγαθὸς καὶ αἰώνιος, ἐν δὲ θεοῖς ἀνθρώποις ΘΕΟΣ ἐπιφανέστατος; *Choſroës Rex Regum Pacificus, Hominibus ſalutaris, inter* DEOS *quidem* HOMO *bonus & æternus, inter* DEOS *autem* HOMINES, DEUS *præſentiſſimus*. Agnoſcis impiam ad unici ſervatoris ΘΕΑΝΘΡΩΠΟΥ, & ſacra Chriſtianorum myſteria adluſionem. Hinc de Perſarum Rege apud Heliodorum, ΘΕΩ βασιλεῖ τε μεγίστῳ, DEO *Regique maximo*. Immo Athenienſes jam olim & Græci reliqui, præter Antigonum ac Demetrium ſupra memoratos, T. FLAMINIUM ob libertatem redditam, non ΣΩΤΗΡΑ ſolum ſed ΘΕΟΝ etiam declararunt. Id certe ex præclara ejuſdem Gemma eruit vir doctus ad Urſini Imagines. Hinc ad Patres Conſcriptos tranſlata quidem à Pruſia Rege appellatio, quam ſupra memoravi, ΘΕΩΝ ΣΩΤΗΡΩΝ; ſed & Nummi paſſim in Græciæ Aſiæque civitatibus percuſſi, eum inſcriptione, quam iidem adhuc hodie exhibent, ΘΕΟΝ ΣΥΝΚΛΗΤΟΝ, ſeu DEUM SENATUM. Quo referri poſſunt alii nummi earundem urbium, in quibus ut poſtea Cæſarum vultus, ita tum libera adhuc Republica ſignatus vulgo ampliſſimus ordo ſub laureati capitis effigie, & cum inſcriptione ΙΕΡΑ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ, ſeu *Sacer Senatus*. De quo more ſenatum effingendi audiendus Dio, Τραιανῷ ᾧ ὄναρ ἐγερόντι, περὶ αὐτοκρατορίας τινὰ δὲ, ἐδόκει ἄνδρα πρεσβύ-

Theophyl. Simocat. lib. IV.

Lib. V.

Lib. LXVIII.

πρεσβύτῃ ἐν ἱματίῳ καὶ ἐσθῆτι βασιλικῇ ἐπὶ ἅρματος ΣΤΕΦΑΝΩ ἐστεμμένον οἷα καὶ τὸν ΓΕΡΟΥΣΙΑΝ γράφουσι. *Trajano autem prius quam imperium adipiſceretur, viſum eſt in ſomnis, virum jam grandem natu, tunica togaque prætexta & CORONA inſuper ornatum, qualis pingitur SENATUS.* Sed en ejus effigiem, qualis vulgo occurrit in Græcis ac ſequentibus Smyrnæorum nummis, cum inſcriptione ΙΕΡΑ ϹΥΝΚΛΗΤΟϹ ſeu *ſacer ſenatus*, in priori facie utriuſque numiſmatis.

Neque licet hic præterire alium eorundem Smyrnæorum Nummum, obſervatum mihi in Regia Gallorum Gaza, in quo capita occurrunt Senatus & Liviæ cum inſcriptione ΣΕΒΑΣΤΟΥ ſeu *Auguſti Senatus*, nempe ϹΕΒΑϹΤΗ ϹΥΝΚΛΗΤΟϹ ΖΜΥΡΝΑΙΩΝ ΙΕΡΟΝΥΜΟϹ; in averſa autem parte Templum itidem & inſcript. ϹΕΒΑϹΤΟϹ ΤΙΒΕΡΙΟϹ ΕΠΙ ΠΕΤΡΟΝΙΟΥ. Qui præclarus Nummus Smyrnæorum cum Liviæ, Tiberii ac Senatus mentione, ac Templi præterea effigie, præclare certe illuſtrat, quæ apud Annalium ſcriptorem leguntur de certamine civitatum Aſiæ in ſtatuendo Templo *Tiberio, Matrique ejus ac Senatui.* & prælatis tandem, quod alibi indicat, Smyrnæis: quam proinde victoriam & Templi dedicationem hoc Nummo poſterorum memoriæ prodidere. Unde inſuper eluceſcit, & ipſo facto probatur Tiberii moderatio, qua de admiſſo ejuſmodi Templo, decreto ab urbibus Aſiæ, in hunc modum alibi loquebatur: *Placitum jam*

Tacit. Annal. IV. c. 15. Cap. 56.

jam exemplum (Augusti scil.) *promptius secutus sum, quia cultui meo veneratio* SENATUS *adjungebatur.* Eadem autem AUGUSTI, (qualis in Nummo illo Smyrnæorum Senatui tribuitur) quæ SACRI appellatio, & vel ideo haud male amplissimo ordini conveniens, quod Senatus, ut notum, haberi alibi non potuit, nisi in Templo & loco per Augures consecrato. Quamquam veram causam tam honorificæ appellationis, vel DEI, vel SACRI, vel AUGUSTI etiam SENATUS, passim à Græcis aut Asiaticis nuncupati, & signati etiam publicis eorum monumentis eruere liceat ex Polybio; qui tradit Senatum Romanum in præcipua veneratione fuisse apud Græcos & Reges Barbaros, quod solo ejus nutu res Romanas regi existimarent, sicut innuit etiam alicubi Aristides, ita ut mere Aristocraticam judicarent formam Reipub. Romanæ. Unde Nabis Tyrannus Flaminium compellans apud Livium, & loquens de Lycurgo; *noster legumlator non in paucorum manu Rempubl. esse voluit, quem vos Senatum appellatis.* Hinc idem Polybius alibi in Excerptis, refert omnes Asiæ populos Romam Legatos misisse, cum spes suas omnes in senatu haberent sitas; hoc est, juxta Tullium, *Regum, populorum, nationum portus erat ac refugium Senatus.* Opinio autem illa & fiducia inde profecta, quod penes Senatum jus viderent mittendarum legationum; de reditibus præterea, aliisque impensis statuendi, ut innuit eodem loco supra adlegato gravissimus auctor Polybius. Quibus liceat adjungere hæc Oratoris verba de Deiotaro. *Is Rex, quem Senatus hoc nomine sæpe honorificentissimis decretis appellavisset, quique illum* ORDINEM *ab adolescentia gravissimum* SANCTISSIMUMQUE *duxisset.* Unde factum jam adsequimur, cur DEUS vel SACER SENATUS ab obnoxiis

Annal. IV. cap. 37.

Lib. VIII.

Orat. de Roma.

Lib. XXXIV. cap. 31.

Pag. 818.

Lib. II. de Offic.

noxiis Regibus dictus, ſicut à civitatibus ante, ac etiam aliquamdiu poſt dominationem Cæſarum, in earundem Nummis ſignatur; qua ratione & DEOS vocat Senatores, ævo adhuc ſuo Claudianus,

In VI. Conſ. Honor. *En quales memini turba verenda* DEOS;

& SACER ORDO etiam appellatus à Theodorico apud Caſſiodorum, *conſtat eum de ſe præſumere, qui &* SACRI ORDINIS *cupit faſtigia prævenire*; & SACER SENATUS itidem ut in ſuperioribus Nummis, apud Juvenalem,

Var. lib. IV. cap. 25.

Satyra XI. *Conjugium quæras, vel* SACRI *in parte* SENATUS *Eſſe velis.*

quomodo & *ſanctum Senatum* Carthaginenſium dixit divinus Maro,

Jura Magiſtratuſque legunt, ſanctumque Senatum.

Hinc & Apologeticum Juſtini, inſcriptum *Imperatori* ΚΩΙ ΙΕΡΑΤΕ ΣΥΝΚΛΗΤΩ, *ſacroque Senatui, totique populo Romanorum.* Unde factum, ut Senatus ſui exemplo, & juxta Judæorum Metropolim, ROMA ipſa *ſacra* & *ſacratiſſima* paſſim dicta fuerit; quod illi & novæ dein Romæ Byzantio ut peculiare adtributum, Cæſarum Conſtitutiones paſſim largiuntur. Immo contigit, ut eadem juxta ampliſſimum Ordinem, divino etiam nomine & cultu fuerit adfecta; unde ΘΕΑ ΡΩΜΗ non ſemel in priſcis nummis occurrit appellata, ſicuti à Poëta TERRARUM DEA *gentiumque* ROMA: ſcilicet poſtquam juxta Manilium,

Lib. I V. *Italia in ſumma, quam rerum maxima* ROMA *Impoſuit terris,* COELOQUE *adjungitur ipſa.*

Præclarus præ Nummis aliis cum hac appellatione, aut unus æreus Chriſtinæ Auguſtæ, in quo caput muliebre cum inſcriptione ΘΕΑΝ ΡΩΜΗΝ ΚΑΛΗΝ; aut alter Mediceus, in quo caput turritum cinctum diademate,

mate, ΘΕΑΝ ΡΩΜΗΝ, in averſa vero parte, caput laureatum itidem & regium præterea vinculum, ΘΕΟΝ CΥΝΚΛΗΤΟΝ. Quo referendum mihi videtur illud *nomen blaſphemiæ*, quod ſeptem capitibus inſcriptum geſtaſſe legitur beſtia aut mulier in ſacro Revelationum libro; & quod alias Hieronymus ac Proſper ad *Urbis Æternæ* appellationem retulerunt, Romæ cum alibi, tum in ejuſdem Nummis itidem familiarem. At cum vix ante Antoninorum tempora eadem occurrat in monumentis antiquis, quorum ævo demum templum URBI ÆTERNÆ erectum accepimus; longe utique probabilius, immo extra dubium meo judicio poſitum exiſtimarem, ad illud DEÆ nomen reſpexiſſe ſacrum ſcriptorem, ROMÆ pridem & potiſſimum à Græcis Aſiæ urbibus paſſim additum; ut vel clariſſime arguunt venerandæ iſtæ Nummorum reliquiæ. Hinc Ara etiam Romæ dicata occurrit in priſcis Elogiis, & Sacerdotum *Deæ Romæ & Auguſti* in iiſdem mentio, (ut jam ſupra vidimus) Ἱερέως ΘΕΑΣ ΡΩΜΗΣ καὶ Σεβαστοῦ Σωτῆρος. Ut non mirum proinde cur Claudiano ſæpe ut Dea invocetur, *ô Numen amicum*, aut *diva potens*, alibi,

Apoc. XIII. 1. & XVII. 3.

Theſ. Grut. CV. 9.

O Dea, nec legum fas eſt occurrere matri. In VI. Conſ. Honor.

aut cur *tonare* illa eidem dicatur, quod jam ante innui. Hinc & Senatui ac Romæ ut DEO & DEÆ Templa jam olim ab Urbibus Aſiæ decreta, ut vulgo notum; ac Senatui quidem etiam ſub Cæſarum dominatione, recenti adhuc ſcilicet nec dum obliterata illius ordinis, cui adſueverant, veneratione, ut paulo ante è Tacito vidimus. De Templo vero Romæ ſimul & Auguſto decreto, obvia res, cum aliunde, tum ex vulgari Nummo cum Templi effigie & inſcr. ROM. & AUG. ſicut alias de Urbis Templo Claudianus,

Conveniunt ad tecta Deæ. Theſ. Conſ. Sal. l. II.

Qui

Qui honos pridem huic Deæ Gentium habitus à civitatibus Asiaticis, ac primum omnium à Smyrnæis, ut eo nomine se jactant apud Tacitum; *seque primos* TEMPLUM URBIS ROMÆ *statuisse M. Porcio Consule &c. stante adhuc Punica urbe.* Neque mirum proinde aut novum, eundem honorem quondam aut SENATUI, aut URBI tributum hominum non solum sed *Deorum* etiam genitrici juxta Rutilium, ab iisdem populis exhibitum quoque CÆSARIBUS rerum dominis, iisque vivis etiam, nec dum DIVIS. Hinc non pauci Asiaticarum civitatum & Coloniarum nummi, cum ΘΕΟΥ & DEI appellatione, in honorem AUGUSTI, LIVIÆ, aliorumque percussi: juxta Appianum nempe, qui tradit viventem adhuc Augustum ab Urbibus Diis fuisse adnumeratum. Quod firmat etiam Victor Schotti, & Horatius de eodem,

Annal. IV. 56.

Lib. V. Bell. Civil.

—— præsenti tibi maturos largimur honores,
Jurandasque tuas per nomen ponimus aras;

& quibus adstipulantem vide Servium ad illud Poëtæ; *Namque erit ille mihi semper Deus.* Ubi notanda eruditi Grammatici glossa: *Id est & post mortem & dum vivit. Alii Imperatores post mortem in numerum referuntur Deorum; Augustus Templa vivus meruit*; quod & in eodem prudentes arguisse monet Annalium scriptor. Inter plures autem id genus Nummos Græcarum civitatum, qui DEI appellationem Augusto tribuunt, unus occurrit mihi nuper Amphipolitarum Macedonum, inter collectos olim à doctissimo Sirmondo nummos, cum inscr. ΘΕΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ, in aversa vero parte Europa tauro insidens, & inscr. ΑΜΦΙΠΟΛΙΤ. Hanc tamen DEI vel DOMINI appellationem sibi tribui præsenti non est passus, ut Philo de eodem refert. Certe nummus Tarraconensium in Hispania,

In Collegio Claromontano.

In Flaccum.

nia, post mortem ejus signatus cum inscr. DEO AUGUSTO; quam renovavit itidem Gallienus, cujus aureum nummum singularis raritatis notavi in Cimeliarchio Regio Parisiensi, cum capite Augusti laureato, & inscr. DEO AUGUSTO; in anteriori vero parte cum Gallieni ipsius effigie, ac inscript. GALLIENUS AUG. At vero eandem appellationem inter ejus successores, sed Augusti nominis & fastigii dehonestamenta, CAIUM ac DOMITIANUM impie videmus ambivisse. De CAIO etiamsi non adessent, præter domesticos testes, ejusdem Philonis ac Josephi testimonia; quorum iste eundem Templis & Altaribus per totum orbem, excepta Judæa, cultum docet; vel fidem faceret sequens Nummus ab Iliensibus percussus, olim Lomeniani nunc Regii Gallorum Musei, & cui similem habet Gaza Christinæ Reginæ; in quo hinc Caius & Augustus cum inscr. ΓΑΙΟC ΚΑΙCΑΡ ΘΕΟC ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ CΕΒΑCΤΟΙ, seu *Caius Deus Cæsar Imperator Augusti*; illinc vero Romæ & Senatus capita, ac Pallas erecta cum hasta & ægide, ac inscript. ΘΕΑ ΡΩΜΗ ΙΕΡΑ CΥΝΚΛΗΤΟC ΙΛ. h. e. *Dea Roma sacer Senatus, Ilienſium.*

Origin. lib. XVIII. cap. 10.

Vides ut superiora simul illustret, quæ de Romæ divinitate diximus ac veneratione Senatus, apud urbes Asiaticas, etiam sub priorum Cæsarum imperio. Similem DOMITIANI vesaniam arguit adhuc hodie ejus

nummus, in quo ſtans Imperator, ante figuræ in genua lapſæ eum adorantes conſpiciuntur. Equidem Cæſarem illum DEI nomine, non à Statio jam forte aut Martiali, ſed ab univerſis Græcis appellatum, præ aliis
Orat. XLV. docet ſimul & ſugillat Dio Chryſoſtomus. At vero inuſitata & ſingularis quædam nominis hujus inſcriptio, quæ AURELIANO tribuitur, in nummo æreo, inſpecto mihi in urbe Galliæ principe apud illuſtrem Sevium, nempe DEO ET DOMINO NATO AURELIANO AUG. Nummi ipſius ἀυθεντία extra omne dubium poſita apud præclaros Galliæ antiquarios; & mihi quoque, ſi me principibus Achivis inſerere liceat, talis omnino viſa. Sed en rariſſimi & unici nummi ectypum, quod petenti lubenter indulſit Vir, qui non ſolum *floret ære vetuſto*, ſed & Regii ærarii inter alios cura, & fidè ſæpe in arduis probata.

Non ergo adſcititius, aut poſt mortem demum factitius iſte DEUS, inſtar eorum, quos exagitat non ſemel Momus apud Lucianum: quamquam nec Cretenſis
Diodor. lib. v. eſſet, qui juxta Diodorum pleroſque Deos apud ſe natos prædicabant. Alias idem etiam DEI nomen, CARUM Auguſtum geſtaſſe, non auctor ſolum Calpurnius, ſed ejuſdem Nummi inſcripti, DEO ET DOMINO CARO AUG. ſimilis aurei effigiem, deprompti è Cimeliarchio illuſtriſſimi Colberti, habes hic beneficio omni laudis genere ornatiſſimi Carcavi; cujus fidei ac induſtriæ & Mæcenatis ſimul ſui, & auguſti inſuper Regis vere Regia & incomparabilis Num-

Nummorum juxta ac Librorum Gaza feliciter commissa est.

Perperam autem vir incomparabilis, ad Carum defunctum jam & consecratum similes nummos refert; quum desint tamen ibi solita consecrationis vel nomina vel symbola. Equidem præter rationes alias, & coætaneos auctores, qui docent Carum adhuc superstitem id nomen adfectasse, ut jam olim ad Juliani Cæsares monui, DIVI non DEI nomen consecratis olim Augustis perpetua quadam observatione tributum constat in Romanis id genus monumentis; ut præter Auctores, vulgo etiam è Nummis notum. Immo hinc ipsius CARI, mortui tum & consecrati, superstites adhuc Nummi, cum DIVI elogio & Aquila aliisque consecrationis notis, ac inscr. DIVO CARO PERSICO, aut DIVO CARO PARTHICO; ut qui nempe vivus adhuc DEUS, sed privata magis ambitione dictus sit, post mortem demum publica auctoritate DIVUS vocaretur. Græca enim fuit ΘΕΟΥ, ut notum, seu in Deos post mortem relati Imperatoris, non vero Romana appellatio; quamquam vel à Coloniis, vel à Gallieno, eandem defuncto quoque Augusto tributam supra notavimus. Sed de Consecratorum nominibus aut symbolis agetur alibi, & peculiari, si Deus annuat, opere, quod adfectum habemus de Consecratione veterum tam Gentilium quam Christianorum. Hic enim spectamus non defunctos, sed superstites divinis nominibus adfectos in antiquis id genus monu-

Animadv. ad Euseb. pag. 242.

mentis. Inde vero profectus paullatim mos ille inprimis sequioris ævi haud ignotus, ut *Numinis*, *Æternitatis* ac *Perennitatis*, aut similibus vocibus compellarentur Romanorum Cæsares; ac eorum Edicta, *Immortalis Lex*, *Oraculum*, *Cœleste Judicium*, *Sacræ litteræ*, *sacra responsa*, *divinum arbitrium*, apud Symmachum aliosque passim efferantur; sicut & *sacras* eorum *aures*, videre apud eundem licet. Unde jam olim Martialis, cui & *sacra Cæsaris aure frui* alicubi dicitur,

Lib. VII. Ep. 99.

Numen habet Cæsar, sacræ est vis, sacra potestas.

De Cognomine MAGNI *in variis Nummis.*

Minus vesana hic forte aut importuna MAGNI appellatio, à Provinciarum aut rerum gestarum amplitudine desumpta, nec Alexandro solum, sed ejusdem Successoribus nonnunquam concessa. ANTIOCHO certe, celebri non tam ampliata, quam imminuta à Romanis magnitudine, MAGNI tamen appellationem jam olim adhæsisse, si non aliunde, utique ex ejusdem nummis constaret, inscriptis ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Eadem quoque in alterius ANTIOCHI EPIPHANIS nummo occurrit à Commagenis percusso, ΒΑCΙΛΕΥC ΜΕΓ. ΑΝΤΙΟΧΟC ΕΠΙΦΑΝΗC ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ. Ptolemæum Lagi, alias Soterem, Magnum etiam vocat Justinus; ita tamen ut cognomentum illud continuo gestasse, inde argui non possit, quod nec Nummi, Lapides, vel antiqui Auctores docent. Ptolemæo tamen ejusdem Nepoti eam tribuit Monumentum Adulitanum supra adlatum, ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΣ. Quam eandem quoque appellationem patri ejus Philadelpho largitur Demetrius Phalereus apud Josephum, in fronte litterarum, quas ad eum scribit, ut Ptolemæis familiarem redditam agnoscas. Transiit vero illa frequentius ad Arsacidas, quam ab antiquis Persarum

In Gaza Christinæ Reginæ.

Lib. XVII. cap. 2.

Lib. XII. Origin. cap. 2.

sarum Regibus, ut vulgo notum, sunt mutuati; unde & Xerxes ΜΕΓΑΣ vice cognominis in Græcis Scaligeri Excerptis ad Eusebium vocatur, & Artaxerxes se Magnum Regem inscribit cum apud Esdram, tum in capite litterarum apud Josephum. Hinc apud Græcos scriptores solo nonnunquam ΜΕΓΑΛΟΥ nomine, omissa etiam Regis aut alterius nominis mentione, eosdem designari videas; ut apud Isocratem de Artaxerxe rursus; ἢ τὴν ΜΕΓΑΝ πεφυκυῖαν καταλύειν ἐπιχειρήσεις, MAGNUM *vero cognominatum subvertere tentabis.* Quamquam Persarum & Medorum Reges, qui ne minimam partem Asiæ tenerent, inique se Magnos Reges nuncupasse, visum fuerit Alexandro, ut auctor est Arrianus. Eandem tamen iis peculiarem, aliis autem inconcessam observat Dio Chrysostomus eo loco, quem vidi postea illustri Brissonio quoque adnotatum, ὅθεν δὴ καὶ ΜΕΓΑΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ κέκληται ΜΟΝΟΣ ἐκεῖνος; *Unde etiam &* MAGNUS REX *solus ille vocatur.* Hinc consueto more non Artabanus solum apud Herodianum ΜΕΓΑΣ Βασιλεὺς vocatur, sed Caracalla etiam litteris ad eum scriptis, ΜΕΓΑΛΟΥ Βασιλέως filiam ambire sese profitetur: scilicet ut sub blanda honoris & adfinitatis illius specie incautum eundem opprimeret. In Nummis tamen Severi ABGARUS Edessæ Regulus MAGNUS etiam vocatur, ΑΒΓΑΡΟΣ ΜΕΓ. ΒΑΣΙΛΕΥΣ; quod in ludibrium Parthorum Regis tributum ei à Severo existimat Tristanus. At alia penitior, quæ eum aliosque antiquarios fugit, ratio hujus appellationis; quod nempe Edessenorum Reges vulgo ABGARI, hoc est *Magni* Arabum lingua vocarentur: eorum autem Filii ASGARI seu *Parvi*; ut diserte in Catalogo Gassaniorum Regum videre licet apud Orientalis litteraturæ callentis-

Pag. 353.

Lib. XI. Origin. cap. 6.

Epistol. ad Philip.

Lib. VII.

Orat. III.

Lib. III.

Lib. IV.

simum Pocokium. Et certe hoc ABGARI familiare Edessæ Regulis nomen, (de quo jam supra quædam monuimus) haud aliter ac Ptolemæis vel Antiochis in vicina Syria & Ægypto, egregie firmant plures eorum Nummi sub Marco, Severo, & Gordiano obvii. Unde omnino corrigendum patet Lampridii locum in vita Severi, ubi *Persarum Regem Abgarum subegisse* dicitur: qui locus haud immerito suspectus magno Casaubono, alibi tamen ut genuinus ab eodem adseritur. Ejusdem erroris conscius hodie Victor Schotti de Severo itidem, *subacto Persarum Rege Abgaro*; in quibus locis vocem *Persarum* omnino expungendam liquet, ac restituendam ejus loco *Edessæ* aut *Edessenorum*, quorum Regulis proprium Abgari nomen, non Persis; unde etiam Abgarus Ἐδέσσης ἀρχων vocatur in Dionis Excerptis Peireskianis, ubi male Αἰδέσσης scriptum occurrit, quod alibi jam monui. Præterea obscura tum erat Persarum mentio, quum Parthorum adhuc floreret imperium, quibus erant obnoxii, & à quibus devictis PARTHICI cognomen, quod Nummi eidem tribuunt, retulit Severus. Accedit adnexa mentio apud Lampridium devictæ Arabiæ, cujus portio quædam erat Edessenorum Regnum, ut vel ex Tacito colligas; *Rexque Arabum Abgarus advenerat*, & mox, *quod spretum fraude Abgari* (non Abbari) *qui juvenem ignarum & summam fortunam in luxu ratum, multos per dies attinuit apud oppidum Edessam.* Quæ omnia certe haud valde recondita miror eruditissimis interpretibus ad hunc Lampridii locum non animadversa, & quorum præclaram quandam & majorem lucem acceptam ferimus nummis Abgarum sub eodem Severo referentibus. Nec minus Occo arguendus, cui Abgarus in Gordiani Pii nummo obvius, pro Parthorum Rege traditur, quo tempore rursus mutatis

Ad M. Aurel. pag. 52.

Pag. 710.

Annal. lib. XII. c. XII.

tatis vicibus Parthia Perſarum imperio acceſſerat. Unde etiam poſtea Perſicæ ditioni finitima evaſit hæc Edeſſa, Romani alias juris facta, (immo Romanorum, ut vel nummi arguunt, Colonia) ſicut utrumque legitur in Hiſtoria Gotthica Priſci Rhetoris, τῇ Ἐδέσσῃ Ῥωμαίων πόλει, περσικῷ ὄντι Πέρσων χώρας, *Edeſſæ Romanorum oppido, finitimæ autem Perſarum ditioni.* Quæ vicinia forte Perſarum, Lampridio ac Victori illo ævo impoſuit, ſi errorem eum non librariorum, ſed Auctorum incuriæ malit quis imputare. Cui Edeſſæ, ut obiter hoc addam, hoc alicubi teſtimonium perhibet Chryſoſtomus, πόλιν μὲν ἀγροικοτέραν τῶν πολλῶν, εὐσεβεστέραν δέ, *urbem multis quidem agreſtiorem, magis autem piam.* Quod vero illam MAGNI appellationem adtinet, ut eam quoque minorum gentium Dynaſtis ac Regulis uſurpatam ſcias, hinc Chaganus Dynaſta litteris ad Mauritium Imperatorem ſcriptis, *Magnum Dominum* ſe ipſum in iiſdem indigitat, τῷ Βασιλεῖ τῶν Ῥωμαίων ὁ Χάγανος ΜΕΓΑΣ ΔΕΣΠΟΤΗΣ. Unde non mirum eundem hunc ΜΕΓΑΛΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ titulum Cæſaribus frequenter ab auctoribus tribui; ut ab Oppiano etiam Severo & conjugi Juliæ ſub initium elegantiſſimi operis,

Τὸν μεγάλη μεγάλῳ φυλόπιδι Δίμνα Σεβήρῳ.

& paſſim Diocletiano, Conſtantino, Conſtantio, Arcadio, Juſtiniano, ab Euſebio aliiſque ſcriptoribus Chriſtianis, Gregorio Nazianzeno, Syneſio, Procopio, aliiſque; quale & ſummo Jovi tribuit Venus apud Poëtam,

quem das finem REX MAGNE *laborum.*

Sicut nempe inter Deos Gentilium alii MAGNI, ita inter Reges, De DIS MAGNIS obviæ paſſim Inſcriptiones antiquæ, & de quibus Manilius, DI *quoque* MAGNOS *Quæſivere* DEOS. Unde clamor ille Epheſiorum

Edit. Reg. pag. 74.

Tom. v. Orat. lxv. pag. 478. edit. Savil.

Theoph. Simocat. pag. 190 edit. Reg.

Act. XIX. 34. siorum in Actis, ΜΕΓΑΛΗ ἡ Ἄρτεμις Ἐφεσίων, MAGNA *Diana Ephesiorum*; cui similis plane in vicina & æmula urbe Pergamenorum apud Aristidem clamor,

Serm. Sacr. II. τὸ πολύμνηστον δὴ τοῦτο βοώντων ΜΕΓΑΣ ὁ Ἀσκληπιός, *celeberrimum illud clamantium*, MAGNUS *Æsculapius*: ut vel inde consuetum id genus acclamationis morem adsequaris. Caracallam vero inter Romanos Cæsares illud MAGNI cognomen sibi vindicasse, liquet mihi ex

D. de requir. absent. l. 1. Marciano Jurisconsulto, *Divi Severi & ANTONINI MAGNI rescriptum est*. Magnus nempe ille Antoninus exemplo Alexandri; quem scilicet æque ac res ab eo gestas in ore semper habuit, ut in ejus vita notat Spartianus. Alias idem MAGNI prænomen sibi ultro à Senatu delatum respuisse legimus alterum illum Alexandrum Severum, in ejus vita apud Lampridium. At

In Misopogone. Julianus alicubi de se ipso, καὶ τῶν τε ΒΑΣΙΛΕΥΣ ἀκόντων ΜΕΓΑΣ, *& hæc* IMPERATOR *audiens* MAGNUS. Ita nempe vocati frequenter Cæsares illo ævo, ne æmulis Persarum Regibus inferiores dignitate viderentur. Unde & illud ΜΕΓΑΛΟΥ attributum paullatim etiam ad Cæsarum Palatinos translatum, ut ΜΕΓΑΝ ΔΟΜΕΣΤΙΚΟΝ, alioque Aulæ Proceres. Cæteroquin non jam MAGNI, sed MAXIMI appellatio Constantino in ejusdem Nummis concessa: repetito nempe usu ex priori more, quo MARCI, COMMODI, SEVERI, ANTONINI, aliique MAXIMI ARMENIACI, PARTHICI, GETICI, in eorundem Inscriptionibus vocantur.

De Nummis ARSACIDARUM. Augustiorem adhuc REGIS REGUM appellationem Parthorum Regibus non vulgo solum auctores, sed rariores etiam ARSACIDARUM Nummi largiuntur; quos adferre hic obiter, haud ingratum erit opinor vel inconsultum. Unum observavi in Thesau-

ro

ro Mediceo, ΑΡCΑΚΟΥ ΔΙΚΑΙΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΚΑΙ ΦΙΛΕΛΛΗΝΟC ΒΑCΙΛΕΩC ΒΑCΙΛΕΩΝ. Alterum Florentiæ itidem inſpexi in Muſeo Gaddiano, cum fugientibus & exeſis litteris, ΑΡCΑΚΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥC ΦΙΛΕΛΛΗΝΟC. Tertius in Gallorum Metropoli apud Cl. Seguinum mihi adnotatus, cum conjunctis inter alia Epiphanis & Euergetis cognominibus, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΕΠΙΦΑΝΟΥ. ΦΙΛΕΛΛΗΝ. ΔΙΚΑΙΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΑΡCΑΚΟΥ. Quartus vero hic in Urbe, penes Virum de ſummatibus Auguſtinum Chiſium adſervatur, reliquis adhuc meo judicio rarior, & ſupra obiter indicatus; unde corruptum vulgo apud auctores Græcum Vologeſis nomen reſtituebamus, ΒΑCΙΛΕΩC ΒΑCΙΛΕΩΝ ΒΟΛΑΓΑCΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥC ΚΑΙ ΦΙΛΕΛΛΗΝΟC. Geminum quidem vidiſſe Goltzium colligo, ſed cujus veram lectionem, ut ſæpe alias, non eſt adſequutus; ita ut apud eundem divinari illam potius, quam conjicere liceat. Ad hunc enim refero, quem ſub corrupto nomine ΑΝΟΥΑΑΓΑC pro ΒΟΛΑΓΑCΟΥ cum Epithetis reliquis *Epiphanis*, *Philellenis* & *Regis Regum* adduxit. Nec felicior idem fuit in eruendo nomine ΑΡSACIS, pro quo ΑΡCΑΝΟΥ in ejuſdem Theſauro perperam legitur: ſed en tibi duorum è prædictis ΑΡSACUM Nummis icones: Altera nempe è nummo Mediceo modo indicato deprompta, quam cum ſelectis quibuſdam rariorum Numiſmatum ectypis ſuo loco inſerendis lubenter indulſit magnum illud non Etruriæ ſolum ſuæ, ſed litterarum omnium ac diſciplinarum ſidus LEOPOLDUS Cardinalis; curavit autem feliciter arcta mihi, ut noſti, officiorum neceſſitudine conjunctus, idemque ſummo ingenio, nec minori prudentiæ, fidei, ac induſtriæ laude florentiſſimus

Ludovicus Strozza, cui commissa maximi Regis apud Etruscos suos negotia. Prior vero è Nummo Cl. Seguini expressa, juxta epigraphen tertio loco à nobis modo descriptam.

Præclaras has certe priscæ memoriæ reliquias, nonne quibusvis gemmis potiores fateberis, mi OCTAVI; solatium utique præstare amissæ illius gemmæ, quam alterius quoque Arsacidæ, Pacori nempe *habentem imaginem & insignia, quibus ornatus fuisset*, sedulo se requisiviisse testatur Plinius junior, quam nempe insignis muneris loco ad Trajanum mitteret, ut jam in superioribus, producto alio nummo Parthico, monuimus. Insignium certe & Titulorum insuper, quibus iidem Reges ornabantur, nonne & relictam hic vides memoriam? Ita tamen ut hanc veniam ante omnia à Lectore petamus, si in superioribus iconibus exprimendis rudior videatur aut defeciisse in quibusdam ars sculptoris; quando Nummi ipsi vetustate haud parum attriti occurrant, & ex plumbeis ectypis ad me curatis sint expressi, quorum archetypos ipse videram, & inscriptiones accurate, quantum licuit, notaveram. Diademate quidem revinctum vides caput ARSACIS in priori Nummo, Comam vero quam minus diligenter sculptor expressit, regio Persarum & Parthorum more cincinnis variis tortam, ut facile se capillatum Parthorum Regem probet; unde notus ille Vespasiani apud Suetonium jocus; *Cum inter prodigia stella in cœlo crinita appa-*

apparuisset, ad PARTHORUM REGEM, *qui* CAPILLATUS *esset, pertinere dicebat.* Elegantiorem vero alterius Arsacis Comam apud Tristanum videas, à quo plura erudite de capillorum cultu Parthorum aut Persarum Regibus consueto, jam occupata non repetam hoc loco, & apud eum reperiet lector. Quibus addere liceat, quod à Procopio refertur, insigne apud Persas eximium & à Rege proximum Comam fuisse cum redimiculo auro & unionibus contexto. A Medis nempe, & eorum exemplo ab antiquioribus Persis hunc capillorum cultum, sicut alia insignia vel ornamenta, mutuati sunt Parthorum Reges; quorum gens alias, utpote origine Scythica, hirto capillo horrida agebat adhuc M. Crassi ætate. Utrumque certe clare nos docet Plutarchus, agens de Surena Parthorum tum à Rege proximo; Μηδικώτερον ἐσκευασμένος ἐπιλέμμασι ποικίλοις, καὶ κόμης ἀφειμένος, ἐν ἄλλων Πάρθων ἔτι Σκυθικῶς ὄντι τὸ φοβερὸν ἐν ἀνατίλλων κομῶντων; *Erat ad* MEDORUM *morem fucata facie, &* COMA *redimitus* DISCRIMINATA, *quum cæteri Parthi etiam tum Scythico modo horrerent capillo incompto.* Prius vero è Xenophonte hausisse mihi videtur Plutarchus, ubi similem Astyagis Medorum Regis habitum describit, καὶ ὁρῶν δὴ αὐτὸν κεκοσμημένον καὶ ὀφθαλμῶν ὑπογεγραφῇ καὶ προσώπου ἐπιθέσει καὶ ΚΟΜΑΙΣ ποδαπαῖς, ἃ δὴ νόμιμα ἐν ΜΗΔΟΙΣ· *Quumque videret eum pigmentis oculorum, coloribus illitis, &* ADSCITITIA COMA *ornatum: hæc enim omnia apud* MEDOS RECEPTA. Unde etiam alibi docet idem auctor, cur hæc omnia è Medorum cultu ad Persas transtulerit Cyrus. Alterius vero ARSACIS caput, alio rursus capitis ornamento decorum occurrit, quod Mitram potius quam Tiaram dixeris. Notum quidem Tiaram, eamque rectam, consuetum olim

Tom. II. Comment. pag. 83.

Bell. Pers. lib. II. cap. 17.

In M. Crasso.

Instit. Cyr. lib. I.

Instit. Cyr. lib. VIII.

fuisse Regum cum Persarum tum Parthorum insigne. Sed alia vulgo ejus figura, quadrangularis nempe, ac
Lib. XV. pilei instar turriti, ut Straboni vocatur, πίλημα nempe πυργωτόν. Neque his dissimilis, quæ in Augusti nummis occurrit cum Arcu & Jaculo, tanquam totidem Parthorum insignibus.

Talis itidem Tiaræ species, quamvis haud perinde acuminata, neque tot ornamentis conspicua, qua decoratus est sagittarius Parthus in Nummo, quem supra illustravimus, item Rex Parthus genuflexus in nummo Trajani supra etiam indicato, REX PARTHIS DATUS. Haud absimile alias capitis ornamentum gestare videas Cappadocem in sequenti numismate.

Ejusdem vero generis cum superiori Tiara insignis illa qua Tigranem Armeniorum Regem conspicuum exhibet præclarus quidam Nummus Mediceus, quem paullo infra producemus. Ex his autem liquet, non Tiaram

Tiaram vel Cidarim, (quæ fere promiſcue ſumpta ut infra dicetur) ſed aliud capitis decus, nempe Mitræ inſtar præferre poſteriorem hunc Arſacem; cui etiam haud abſimile videas in nummis Abgari, de quo paullo ante egimus. Haud unum nempe capitis inſigne uſurpatum olim his Barbaris Regibus; modo Diadema, ut in nummo prioris Arſacis & altero quem expreſſit Triſtanus; modo duplex etiam Diadema, quo uſus dicitur Artabanus Parthorum Rex apud Herodianum; Lib. 1. modo Cidaris aut Tiara cum Diademate, ut infra in nummo Tigranis; modo aureum capitis arietini figmentum lapillis interſtinctum, ut ſupra de Sapore Perſarum Rege tradentem vidimus Ammianum, modo vero quoddam regiæ Mitræ genus, ſeu in orbem ſinuatum capitis tegmen, quale in poſteriori Nummo expreſſum; & ad quæ ſinuata Parthorum inſignia reſpexit Tacitus; *Nuntiavere accolæ Euphratem, nulla imbrium vi ſponte in immenſum attolli, ſimul albentibus ſpumis in modum Diadematis ſinuare orbes.* Annal. VI. 37. Ut mittam non ſinuatum quidem in orbes, ſed quadratum, haud minus ac Tiara, quamvis cætera diverſum capitis tegmen, quod videas in ſequenti Panormitanorum nummo.



Parthorum autem vulgus pileatum fuiſſe, ut non immerito eos *pileatos Parthos* vocarit Poëta, ſicut de Perſis obſervarat olim Herodotus, pileis tamen haud in- Lib. VII.

ſtar Phrygum acuminatis, obvium ex duobus his Nummis, qui formam pileati in priori nummo Parthi, in poſteriori Phrygis nobis ante oculos ponunt.

De appellatione REGIS REGUM.

Præter Inſignia vero, Titulos hic etiam videmus & Nomina, quibus ſe vulgo jactabant iidem Parthorum Reges. Inde certe liquet ARSACIS nomen, quamquam iiſdem familiare, eoſdem non ſemper in titulis geſtaſſe, ut Juſtinus tamen videbatur innuere, Lib. XII. *omnes Reges ſuos hoc nomine, ſicuti Romani Cæſares Auguſtoſque cognominavere*: utique à VOLOGESIS cognominibus vides abeſſe in adlegato ejus Nummo. At eoſdem hic cernis Arſacidas, EUERGETIS ac EPIPHANIS cognominibus ſimul quandoque ornatos, ac iiſdem inter ſe nonnunquam diſtinctos, non aliter ac Lagidas & Seleucidas, à quibus eadem videntur mutuati. Id vero quod præſidium adferat eruditis ad Hiſtoriæ & Chronologiæ veteris elucidationem, & Arſacidarum vel inprimis, quorum ſeriem ut confuſam, aut vulgo Vid. Iſag. Can. l. III. p. 323. ignotam tradere refugit Scaliger, judices fero omnes ſerium antiquitatis ac litterarum amorem profeſſos. REGIS quidem REGUM Græcam appellationem in iiſdem obviam, à Perſis ad Parthorum Reges, & ab his rurſus ad Perſas rediiſſe, tralatitium nimis quam ut probatione indigeat. Neque minus obvium, ſolo REGIS nomine eoſdem Perſarum Reges Demoſtheni aliiſque ſcri-

scriptoribus Græcis frequenter designari. Illud vero sua ætate insuetum, iis utique qui in Romano imperio degebant, observo apud Chrysostomum; Ὥσπερ γὰρ ὅταν λέγωμεν τὸν τῶν ΠΕΡΣΩΝ ΒΑΣΙΛΕΑ, οὐχ ἁπλῶς ΒΑΣΙΛΕΑ καλοῦμεν, ἀλλὰ τὸν τῶν ΠΕΡΣΩΝ προσθέντες, καὶ τὸν τῶν Ἀρμενίων ὁμοίως; *sicuti enim quando mentio incidit* PERSARUM REGIS, *non simpliciter* REGEM *dicimus, sed* PERSARUM *addimus, & similiter de Armeniorum Rege.* Quamquam Græci non solum aut Barbari, qui vulgo stupent in titulis, sed Romani etiam scriptores ipsum REGIS REGUM titulum non veriti sint Arsacidis tribuere, ut ex Suetonio in Caligula, aliisque liquet, nempe Tom. I. in Psal. XLIV. p. 632. edit. Savil.

—— *Arsacio postquam se Regia fastu*
Sustulit.

Ita ut eundem, præter Auctores & Nummos, Marmora quoque iis largiantur in præclara Inscriptione, quam vidit jam olim illustris Scaliger, in qua duo Phraatis liberi obsides Romam missi PHRAATIS REGIS REGUM FILII, Romano etiam sermone citra ambages vocantur. Immo nec abstinuisse invidiosa quamquam appellatione Parthorum Reges in litteris ad Romanorum Duces aut Cæsaris etiam scriptis satis constat; ut ex Epistola Phraatis ad Pompeium, alterius Phraatis ad Augustum, Vologesis ad Vespasianum, Saporis ad Constantium, & Hormisdæ denique ad Justinianum, apud [a] Dionem, [b] Ammianum, ac [c] Menandrum Protectorem licet etiamnum observare. Nec tamen iis idem titulus à Romanis continuo delatus, ut ex responso Pompeii & litteris Augusti ad Phraatem, & Constantii ad Saporem, videre est apud eosdem Auctores, ac insuper apud Plutarchum in Pompeio. Unum forte excipias Vespasianum, quem à Vologese litteris Isag. Can. l. III.

[a] Lib. XXXVII. LV. & LXVI.
[b] Lib. XVII.
[c] Pag. 137. edit. Reg.

teris compellatum hoc modo, REX REGUM *Arsaces Flavio Vespasiano salutem*, eidem totidem verbis respondisse, nullo ex imperatoriis nominibus adsumpto, auctor est iterum Dio; moderatior nempe Alexandro, qui Dario succensuit, quod sibi Regis titulum, nec eundem Alexandri nomini adscripserat. Equidem in fragmentis Sallustii eundem titulum Regis Regum Arsaci abnegat Mithridates, pari jure cum eo agens, *Rex Mithridates Regi Arsaci*. Illustre quidem exemplum Chosroæ Persarum Regis, sed profugi, ut supra innuimus, & opus indigi apud Simocattam observo; qui litteris ad Mauritium Imperatorem scriptis, non solum ab ea REGIS REGUM appellatione abstinet; sed filium etiam se illius Augusti & supplicem vocat, ac omnia supremæ Majestatis elogia plena manu in eum congerit. Idem tamen Chosroës, ad Sergium Martyrem scribens, solitam Regis Regum appellationem retinet, quæ Persarum lingua SAANSAAN dicebatur. Id enim nos docuit Ammianus, *Persæ Saporem* SAANSAAN *appellabant, & Pyrosem, quod* REX REGIBUS *imperans, & bellorum victor. Saa* nempe Regem aut Dominum apud Persas notat, quod observarunt jam eruditi; unde non solum Varoranus Persarum Rex Σεγανσαὰν dictus, hoc est *Segestanorum Rex*, teste Agathia. Sed & eodem auctore Sapores Κερμαὰν appellatus, ob gentem Cermaà patre devictam. Cæterum Persis Rex Βίσαξ appellatus juxta Hesychium, Βίσαξ ὁ Βασιλεὺς παρὰ Πέρσαις. Nec tamen eadem *Saansaan* ceu Regis Regum appellatio, ita Parthorum aut Persarum Regibus adhæsit, ut supra innuentem audivimus Dionem Prusæum, ut ad eorum exemplum alii nonnulli Barbarorum Reges eandem sibi aliquando non vindicarent. Immo ut mittam antiquiorem iisdem Nabuchodonosorem eodem titulo com-

Lib. LXVI.

Theophyl. Simoc. edit. Reg. p. 185.

Idem lib. V. cap. 4.

Lib. XIX.

Lib. IV. edit. Reg. pag. 135.

compellatum à Daniele, jam ante vetustissimi Ægyptiorum Reges eodem etiam ornati, ut viderunt jam eruditi, & constat ex aliquot eorum elogiis apud Diodorum, ac isto inter alia de Sesostri, ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΚΑΙ ΔΕΣΠΟΤΗΣ ΔΕΣΠΟΤΩΝ ΣΕΣΟΩΣΙΣ, *Rex Regum & Dominus Dominorum Sesostris.* Quod postremum docet, non novam in eo tractu *Domini Dominorum* aut *Dominantium* appellationem, quam sibi vindicat pari fastu hodiernus Ægypti & Thraciæ Tyrannus. Alias & Priamus ac antiqui Troiæ Domini Straboni, & Agamemnon Livio ac Senecæ, & Tigranes [a] Plutarcho ac [b] Appiano, REGES REGUM dicti: ut mittam, quod legebam novissime apud Photium, Mithridatem eundem quoque titulum ambivisse; quem narrat Memnon, Lucullo, omisso Imperatoris nomine respondisse, quod ab eodem REGIS REGUM titulo prior non fuisset compellatus, quibus consentanea de Tigrane & eodem Lucullo Plutarchus tradit. Exemplo autem & more antiquissimorum Ægypti Regum paullo ante indicato, Antonii CLEOPATRA superbo quoque REGINÆ REGUM nomine decorata apud Dionem legitur, & ejusdem filius Cæsario, è Jul. Cæsare scilicet genitus, REX REGUM etiam renuntiatus, ἐκείνῳ τι (scil. M. Antonius) ΒΑΣΙΛΙΔΑ ΒΑΣΙΛΕΩΝ, τὴν δὲ Πτολεμαῖον, ὃν Καισαρίωνα ἐπωνόμαζον, ΒΑΣΙΛΕΑ ΒΑΣΙΛΕΩΝ καλεῖσθαι ἐκέλευσε; *Illam vero* REGINAM REGUM, *Ptolemæum autem Cæsarionem cognominatum*, REGEM REGUM *vocari jussit.* Prioris vero illustre exemplum Nummi etiamnum exhibent cum inscr. REGINÆ REGUM FILIORUM REGUM CLEOPATRÆ: unde satis liquet errasse eruditos, qui apud Dionem Βασιλίδα Βασιλίδων pro Βασιλέων, seu *Reginam Reginarum*, potius

[a] In Lucullo.
[b] In Syriacis.
Lib. I.
In Lucullo.
Lib. XLIX.

quam *Regum* legendum contendebant. At quod non perinde obvium, eandem etiam REGIS REGUM appellationem sequiori ævo vel ambiviſſe Romanorum Cæſares, vel ultrò iis delatam, liquet mihi ex Gregorio Nazianzeno, ubi de Conſtantio verba facit, ὃ τὸ ΒΑΣΙΛΕΑ ΒΑΣΙΛΕΩΝ καὶ εἶναι καὶ νομίζεσθαι, *Nec quod* REX REGUM *& eſſet & appellaretur*. Potiori certe jure, quam Hannibalianus frater Delmatii, qui Rex Ponticarum gentium à Conſtantino renuntiatus, REX REGUM in ejuſdem Conſtantini Excerptis vocatur. Nata autem hæc REGIS REGUM appellatio, aut quod Regibus imperarent, juxta Ammianum; quo ſenſu *Princeps Principum* Domitianus dicitur apud Martialem, & apud Ovidium Agamemnon *Dux Ducum*, hoc eſt juxta Tragicum, *ductor Agamemnon ducum*; ſicut in Novellis lego Provinciarum Præſides *Judices Judicum* dictos, *& Provinciæ Præſes videbitur quidam Judex Judicum*; reſpectu nempe Defenſorum Civitatum, aliorumque inferiorum Judicum ac pedaneorum, quos habebant ſibi obnoxios. Quo ſenſu certe Rex Regum optimo jure dici potuit Rex ille Indorum, qui auctoribus Strabone ac Nicolao Damaſceno, in Syriam ad Auguſtum profectus, ſexcentorum Regum Dominum ſeſe vocare non dubitabat; & quo alias titulo prudenter Alexandrum abſtinuiſſe docet alicubi Plutarchus. Aut vero frequenter ita dicti, ut non tam imperium ſibi in alios Reges, quam primatum inter eoſdem tribuerent: quo ſenſu etiam Rex Regum dicitur Atreus apud Senecam, *O me cœlitum excelſiſſimum*, REGUMQUE REGEM, & apud Horatium,

Liber, honoratus, pulcher, REX *denique* REGUM.

Sicut *Conſul Conſulum* in veteri Elogio, & *Pater Patrum ac Epiſcopus Epiſcoporum* Tricaſſinus Præſul apud Sidonium;

In Julian. Orat. 1. p. 64. edit. Pariſ. Gr. Lat.

Novell. xv. l. 11.

Lib. xv.

In Demetrio.

In Thyeſte.

nium; hoc est, primi & maxime conspicui inter Reges, Consules, Patres, Episcopos. De hoc certe postremo non sinit nos dubitare ipse Sidonius, qui de eodem loquens Antistite, *egone*, inquit, *cum sis procul dubio* PRIMUS *omnium toto quæ patet orbe Pontificum*. Unde & illustrandus venit vexatus ille apud Tertullianum *Episcopi Episcoporum* locus, seu vere seu ironice usurpati. Primus nempe juxta Sidonium, non Dominus; sicut Athenæ jam olim Ἑλλάδος Ἑλλὰς dictæ, & Calaris Sardiniæ Metropolis *Urbs Urbium* apud Florum, hoc est πρώτη Ἑλλάδος, ac πρώτη πόλεων, *prima* nempe *Græciæ*, aut *prima urbium*; quemadmodum Provinciarum Metropoles crebro vocantur apud Græcos & Romanos scriptores; quo sensu etiam Narbo & Tholosa *principatum Urbium tenere* dicuntur Ammiano, & quæ frequens notio eo sensu in Codice Theodosiano ac Novellis. Sic, quod nec prætereundum hoc loco, apud Macrobium, Janum Patrem dictum videas quasi *Deorum Deum*, hoc est quasi Deorum primum & antiquissimum, sicut Herodiano vocatur, Saturno certe coævum; aut forte, quod primus auctor fuerit Deorum cultus, ut de eodem paullo ante ex Xenone tradiderat Macrobius, *Janum in Italia* PRIMUM *Diis Templa fecisse, & ritus instituisse sacrorum*, non autem quod in alios Deos imperium haberet, sicut rursus intelligendus videtur Hierocles in aurea carmina, ubi de summo Deo agit; τὸν δημιεργὸν μόνον Θεὸν, ὃν ΘΕΟΝ ΘΕΩΝ ἂν εἴποι τις, καὶ Θεὸν ὕπατον καὶ ἄριστον, *Creatorem solum Deum, quem* DEUM DEORUM *dixerit aliquis, & Deum summum & optimum*. Quo nomine nempe dictus [a] Horatio *Rex Deorum Jupiter*, quod è [b] Pindaro ut alia expressisse video, qui Jovem alicubi Βασιλέα Θεῶν itidem vocat. Cæterum Persarum, ut hoc addam, exemplo, quibus fuit quodammodo peculiaris

Lib. VI. Epist. 2.

Lib. XV.

Lib. I.

Lib. I. Saturn. c. 9.

[a] Lib. III. Od. IV.
[b] Od. VII. Nem.

illa *Saansaan* seu REGIS REGUM appellatio, Turcæ quoque Sultanum suum eodem Consilio peculiari voce nuncuparunt, ut de postremis observat Bryennius

Lib. 1. c. 9. Cæsar haud ita pridem ab eruditissimo Possino vulgatus, ΣΟΥΛΤΑΝΟΝ ἢ ΣΤΡΑΓΓΟΛΙΠΙΔΑ ὀνομάσαντες, ὅπερ σημαίνει καὶ αὐτοῖς ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ καὶ παντοκράτωρ, SULTANUM STRANGOLIPIDEM *vocantes, quod apud ipsos notat* REX REGUM *& Omnipotens.*

De Cognomine PHILELLENIS, &c. PHILELLENIS etiam titulum usurpasse videmus ARSACIDAS, quod iterum aliunde, quam ex Nummorum illorum fide vix constare existimem. Mira vero in Darii, Xerxis, aliorumque id genus Hæredibus appellatio; quos utique Græcorum magis odio quam amicitia claros exstitisse nemo nescit. Unde etiam non

Demosth. Orat. de Class. Philellena, sed communem Græcorum hostem vocat alicubi Persarum Regem Græcus Orator. Desumpta vero mihi videtur ab Arsacidis blanda & amica hæc nomenclatio, ad exemplum successorum Alexandri, qui à privata in Parentes aut Fratres pietate, PHILOPATORAS, PHILOMETORAS, aut PHILADELPHOS se passim inscribebant; & quidem usurpasse prius illud nomen Arsaces illos & Vologeses, ad demerendos sibi Græcos Asiaticos Syriæ, Mesopotamiæ ac reliquos illius tractus Parthici viciniores, qui Græcorum Coloniis & lingua passim florebant; ita ut à quibusdam ex iis nummos id genus percussos statuere liceat. Græcæ enim dictæ illæ civitates, haud minus ac ipsæ Urbes Græciæ, sicut apud Livium Rhodiorum

Lib. XXXVII. cap. 54. Legati Romæ in Senatu contestantur: *Non quæ in solo modo antiquo sunt, Græcæ magis urbes sunt, quam Coloniæ earum, illinc quondam profectæ in Asiam.* Linguam nempe, mores, habitum, leges, sacra, nomen quoque suarum

Me-

Metropoleon vulgo retinebant Coloniæ; unde Roma divino Vati *naſcens Troia*, Carthago *urbs Tyria*, Syracuſæ *Iſthmiaca tecta* aut *Ephyræa mœnia* Silio, Maſſilia *Phocis* Lucano & Sidonio, Silio *Phocais*, ipſi Maſſilienſes, in Gallia poſiti, *Graia juventus*, *Graii remiges*, *Graia claſſis*, ſæpe apud Lucanum alioſque nuncupantur. Qua ratione etiam Græci non Iones ſolum dicti aut Inſulares à Græcis profecti, ſed remotiores etiam in Syria aut Meſopotamia conſtituti. Hinc apud Joſephum, Meſopotamiam κατοικοῦντες Ἕλληνες καὶ Μακέδονες, *incolentes Græci & Macedones*, Demetrio Syriæ Regi auxilia contra Parthos offerunt. Immo Tacitus opportune de Parthorum Rege, & Græcis id genus in eo tractu Coloniis; *At Tiridates volentibus Parthis Nicephorium & Anthimuſiada, cæteraſque urbes, quæ Macedonibus ſitæ, Græca vocabula uſurpant, Italumque & Artemitam Parthica oppida recepit.* Inde itaque ΦΙΛΕΛΛΗΝΩΝ deſumpta à Parthorum Regibus appellatio; quamquam de iiſdem Nicephoriis Macedonum in Meſopotamia colonis, obſervet Dio, eos Romanis ut ΦΙΛΕΛΛΗΣΙ libenter & magna inde ſpe concepta ſeſe tradidiſſe; καὶ εἰς τοῦτ' Ῥωμαίοις, ὡς καὶ ΦΙΛΕΛΛΗΝΑΣ πολλὰ ἐλπίζοντες. Eodem enim cum Parthis inſtituto, Majores veſtros illam quoque appellationem ambiviſſe, cum hic locus ſatis arguit, tum bella pro Græcis Aſiaticis contra Antiochum ſuſcepta, aliaque benevolentiæ illorum in Græcos argumenta ambitioſe etiam non ſemel conteſtata abunde docent. Ita Caſſius Cæſaris interfector ΦΙΛΕΛΛΗΝ ἀνὴρ ab Archelao Rhodio dictus apud Appianum; & Tullius alicubi ad Atticum ſuum; *Nunc quoniam & laudis avidiſſimi ſemper fuimus, & præter cæteros* ΦΙΛΕΛΛΗΝΕΣ *& ſumus & habemur.* Quamquam præter Arſacidas ita dictos in

Lib. XIII. antiq. c. 9.

Annal. VI. 41.

Lib. XL.

Bell. Civil. lib. IV.

eorum Nummis, aliis quoque barbaris Regibus familiare fuisse idem cognomentum, vel unus Strabo videatur comprobare, qui in genere Regum ΦΙΛΕΛΛΗΝΩΝ alicubi mentionem facit. Sic Amasis Ægyptius apud Herodotum; Indorum & Thracum quidam Reges apud [a] Diodorum & [b] Ælianum; Hiero Syracusanus apud [c] postremum, quo & [d] Polybius alicubi respexit; Aristobulus Hircani filius Rex Judæorum apud [e] Josephum; Julianus desertor apud [f] Gregorium Nazianzenum, ΦΙΛΕΛΛΗΝΕΣ totidem nuncupati leguntur. Eundem titulum quoque Salaminiis Cypriis tribuit in Epistolis Isocrates. Parcimus vero congerendis ipsis Auctorum locis, quæ cum superioribus hinc petant Lexicorum consarcinatores: neque enim in eo mustaceo laureolam quærimus. Nec tamen hic insignem Aristidis locum de eadem appellatione possumus præterire, quam Marco Aurelio tribuit, ac simul ita commendat, ut facile se Græcum Sophistam prodat; εἰ δὴ καὶ τὸ ΦΙΛΕΛΛΗΝΑ εἶναι καλὸν καὶ πρέπον βασιλεῖ, τῷ πρόσθεν ὁ ἔπαινος· ἔτω γὰρ σφόδρα ΦΙΛΕΛΛΗΝ ἐστὶν ὁ βασιλεύς· *Jam si decet Imperatorem esse* PHILELLENA, *nemini certe laus hæc magis convenit. Ita enim* PHILELLEN *est noster Imperator*, & quæ ibi plura hanc in rem leguntur. Ut vero *Philellenum*, sic nata etiam ΦΙΛΑΘΗΝΑΙΩΝ appellatio, quam Alexandro tribuit idem Isocrates; immo etiam ΦΙΛΑΘΗΝΑΙΟΤΑΤΟΥ, qua patrem ejus Philippum prosequutus Æschines, si fides habenda ejus adversario, qui id reliquis illius criminibus adnumerat. Neque eo tamen sensu dictus apud Plutarchum M. Antonius ΦΙΛΑΘΗΝΑΙΟΣ; quippe non tam caritate erga Athenienses, quam ob desponsatam, sibi ab iisdem Minervam. Cæteroquin sicut Philellenes aut Ἑλληνίζοντες quandoque

Lib. XIV.
Lib. II.
[a] Lib. II.
[b] Lib. I. c. II.
[c] Lib. IX. c. I.
[d] Lib. I.
[e] Lib. XIII. antiq. c. 19.
[f] Orat. I. in Julian.
Tom. I. in Imp. p. 110.
Epistol. ad Alex. Mag.
Demosth. de fals. legat.

que dicti in Græcos bene adfecti, sic Thebani Herodoto Μηδίζοντες, seu propensi in Medos; unde passim Μηδισμὸν de defectione ad Medos seu Persas apud Agathiam legas. Et præterea ut ΦΙΛΕΛΛΗΝΕΣ quidam, sic alii contra ΜΙΣΕΛΛΗΝΕΣ: quod postremum Annibali tribuit Diodorus ὢν μὲν καὶ φύσει ΜΙΣΕΛΛΗΝ, *quum natura etiam odio in Græcos ferretur*; sicut viceversa apud Platonem, Athenienſium gentem dictam videas ΜΙΣΟΒΑΡΒΑΡΟΝ, non vero Μιξοβάρβαρον, inſtar aliorum Græcorum.

In Calliope. Lib. III. p. 81. IV. p. 111. 119. Lib. XIII. In Menexeno pag. 245. edit. H. Steph.

Huc accedit formata eadem exemplo ΦΙΛΟΡΟΜΑΙΟΥ nomenclatio, quæ non tam ſponte ſumpta, quam à Senatu olim ſociis & amicis Regibus benevolentiæ ergo tributa legitur. Hinc occurrit eadem adhuc hodie in aureis & argenteis nummis ARIOBARZANIS Cappadocum Regis, quales plures vidiſſe memini, & viderunt quoque Goltzius ac Urſinus, inſcriptos ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ; cujus ectypum etiam hic habes.

De Cognomine PHILOROMAEI PHILOCLAUDII, *& Nummis* HERODIS & AGRIPPÆ.

Ante omnia hic explicanda venit figura ſedens in averſa Nummi parte. Vir doctus Goltzii interpres, exiſtimat Romam ſignari, quamquam Galeam ejus minus accurate expreſſam fateatur. Sed toto cœlo errat. Neque alius enim, quam ipſe Ariobarzanes ſellæ Curuli inſidens, & cum ſolito Cappadocibus capitis tegumenta. Sella autem Curulis in nummo Regis barbari ideo in-

insculpta, quod eam insignis muneris loco cum donis aliis à Senatu accepisset. Notum enim inter dona, quæ vulgo ad amicos & socios Reges mittebantur, juxta scipionem eburneum, Togam pictam, palmatam Tunicam, aliaque id genus, sellam etiam Curulem vel præcipuum locum sibi vindicasse. Crebra ejus rei apud Livium exempla, ubi missa recensetur munera, vel ad Ptolemæum & Cleopatram in Ægyptum, vel ad Syphacem, vel ad Masinissam, vel ad Eumenem, *donaque quam amplissima data cum* SELLA CURULI, *atque eburneo scipione.* Qualia etiam missa ad Ariarathem, Cappadocum itidem Regem, & ex Ariobarzanis hujus Decessoribus, apud Polybium legas, & quidem signanter de utroque munere tanquam præcipuæ dignationis, τὰ μεγίστα τῶν παρ' αὐτοῖς νομιζομένων δώρων ἀνέπεμψε, τόν τε Σκηπώνα, καὶ τὸν ΕΛΕΦΑΝΤΙΝΟΝ ΔΙΦΡΟΝ· *Remisit autem dona, quæ inter ipsos* (Romanos) *pro maximis habentur, scipionem &* SELLAM CURULEM. Verum ante omnes audiendus hic Valerius Maximus, optimus superioris nummi interpres, & cujus locus eximiam eidem lucem commodat; *Pompeius filium* ARIOBARZANEM *&* REGEM *appellavit, & Diadema sumere jussit, & in* CURULI SELLA SEDERE *coëgit.* Hinc itaque iste sedentis ejusdem in Sella Curuli habitus, quem hic nummus nobis ante oculos ponit. Immo etiam ut se magnitudinem hujus doni intelligere contestarentur Reges illi Barbari, soliti iisdem Sellis Curulibus insidentes jus dicere. Id certe de Antiocho Epiphane observat Livius, Romano *more Sella Eburnea jus dicebat, disceptabatque controversias maximarum rerum*, quæ totidem pene verbis cum à Polybio apud Athenæum, tum à Diodoro referuntur, ut viderunt jam ad eum locum Viri docti. Hæc autem

Lib. XLII. cap. 14.

Exc. Leg. CXXI. pag. 953.

Lib. V. c. 7.

Lib. XLI. cap. 20.

omnia

omnia quum minime essent recondita, non latere debuerant eruditos ac diligentes antiquarios. Alias vero iste Nummus cum Philoromæi epigraphe, mirifice illustrat Tullii in Epistolis locum; *ut ego Regem* ARIOBARZANEM *Eusebem & Philoromæum tuerer*; Lib. XV. Epist. 2. & paullo post de eodem; *casu incredibili & pene divino, Regem, quem Vos* HONORIFICENTISSIME APPELLASTIS, *nullo postulante*, &c. Agnoscis utique PHILOROMÆUM, ut honorificæ inprimis appellationis vocabulum, cum Ariobarzani tributum, teste Tullio; tum ab eodem juxta superiorem nummum inter præcipua dignitatis insignia vice cognominis continuo receptum. Ratio autem illius facti & moris obvia; quod nempe in eo nomine præsidium omne suum ac dignitatem reponerent Reges illi obnoxii, ut reipsa expertus est hic Ariobarzanes, Romanorum opera conservatus, & cujus etiam rei testis luculentus Rex Afer apud Sallustium; *qui vestram* AMICITIAM *diligerent, colerent, eos multum laborem suscipere, cæterum ex omnibus* MAXIME TUTOS *esse*. Magni itaque nomen constitisse Barbaris Regibus liquet ex Dione, qui unum è Lib. XXXIX. Ptolemæis immani pretio hunc AMICI ROMANORUM titulum refert à Romanis redemisse. Hinc illud plenum auctoritatis amplissimi Ordinis decretum de Boccho Mauritanorum Rege; *Fœdus &* AMICITIA *dabuntur, cum meruerit*; ut satis liqueat non promiscue quibusvis indultum. Aperte etiam Livius de Syphacis filio; *Itaque pacem illi prius petendam à Populo Romano esse, quam ut Rex sociusque &* AMICUS *appelletur. Nominis ejus honorem pro magnis erga se Regum meritis dare Pop. Romanum consuesse*. Ejusdem vero appellationis exemplum suppeditant adhuc alii duo Nummi reconditi in illustribus Cimeliarchiis; Unus ARIARATHIS Cappado-

Sallust. Bell. Jugurt.

Lib. XXXI. cap. 15.

padocum itidem Regis, eodem modo quo superior Ariobarzanis inscriptus, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΙΑΡΑΘΟΥ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ, hoc est interprete Livio, *Et* ARIARATHES REX *&c.* IN AMICITIAM *est acceptus*: alter MANNI cujusdam Regis Arabum, quem cum addita epigraphe, ΒΑCILEYC MANNOC ΦΙΑΟΡΩΜΑΙΟC, Cl. Seguinus cum selectis aliis haud ita pridem vulgavit. Meminit etiam ejusdem nomenclationis Agathias, πιστοῖς Βασιλεῖ καὶ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΙ, *fidissimi Imperatori*, & PHILOROMÆI, ubi male φιλορώμαιοι legitur. Ut mittam aut Eumenem Pergamenorum Regem, aut Arabum Præfectum Aramnem, quos pro *Philoromæis* habitos auctor est Plutarchus; ita tamen ut de priori aliter sentiret Cato Major, à posteriori autem proditus sit unà cum Romanis Legionibus Crassus. Conjunxit vero utrumque Græcorum & Romanorum Amici titulum Strabo, qui Rhodios scribit Amicos fuisse non Romanorum solum sed Regum Philellenum & Philoromæorum; καὶ Ῥωμαίοις ἐνδεπὶ φίλη καὶ τῶ ΒΑΣΙΛΕΩΝ τοῖς ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΙΣ τε καὶ ΦΙΛΕΛΛΗΣΙΝ. Elegans autem de utraque hac appellatione & geminis id genus aliis apud Themistium locus; Κῦρον φιλοπέρσην καλῶ, ἀλλ' οὐ φιλάνθρωπον, φιλομακέδονα ἢ Ἀλέξανδρον, ἀλλ' οὐ ΦΙΛΕΛΛΗΝΑ, τὸν δὲ Σεβαστὸν ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΝ· *Cyrum voco Amicum Persarum, non autem generis humani, Alexandrum vero amicum Macedonum, non autem Græcorum*, (PHILELLENA) *Augustum autem Amicum Romanorum* (PHILOROMÆUM). Ni forte adhuc verius φιλοπόλεμοι vel φιλαρχοιῶτες dici debuerint, quibus appellationibus Pompeium alicubi Dio prosequitur, quam totidem φιλοπολεμίδες, ut ibi Themistio designantur. Alias ut à tota Romanorum gente florente adhuc Republica, sic

Lib. xxxviii. cap. 39.

Lib. iv. Edit. Reg. pag. 119.

In Catone Majore.

In M. Crasso.

Lib. xiv.

Orat. x.

Lib. xxxvi.

sic à Cæsaribus etiam sub eorum imperio, petita nonnunquam ab amicis aut obnoxiis Regibus vel populis similis appellatio. Ita Agrippa Judæos in genere ΦΙΛΟΚΑΙΣΑΡΑΣ vocat apud Philonem, οἱ μὴ λέγοντες ὅτι ΦΙΛΟΚΑΙΣΑΡΕΣ εἰσὶν, ἀλλ' ὄντες οὕτως, *dicentes quidem quod sint* AMICI CÆSARUM, *sed qui revera tales sunt*: haud aliter nempe ac ΦΙΛΑΡΣΑΚΟΥΣ vocat Parthos alicubi Strabo. Ut proinde haud mirum sit, hunc ipsum HERODEM AGRIPPAM, non solum in genere ΦΙΛΟΚΑΙΣΑΡΟΣ, sed proprium quoque ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΥ seu *Amici Claudii* Imperatoris nomen sibi vindicasse; sicut liquet adhuc hodie ex præclaro ejus nummo, quem jam citavit in Eusebianis Scaliger, & novissime è divite sua Gaza protulit elegans Petri Seguini industria. Eundem vero in Gaza Palatina itidem occurrentem hic cælandum etiam duximus. Legat. ad Caium. Lib. XVI.

Capitis nempe inscriptio, ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΗΡΩΔΗΣ ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΣ, seu *Rex Herodes Claudii Amicus*; aversæ autem partis, ΚΛΑΥΔΙΩ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΕΤ. Γ. seu *Claudio Cæsari Augusto Anno Tertio*. Quo facto scilicet Herodes Agrippa studium suum & fidem singularem erga Claudium, quam & illi sublato è vivis Caio luculenter probaverat, voluit publicis ac duraturis monumentis consignari. De hoc enim Herode, cujus mentio in Actis, malumus hunc Nummum interpretari, quam cum viris doctis de fratre ejusdem Chal-

cidis Dynasta, quibus etiam suffragari videtur Scaliger. Obiit enim prior ille Agrippa, HERODES vocatus D. Lucæ, anno Claudii quarto, juxta Chronicum Eusebianum, qui & tertius erat completus, juxta Josephum, Agrippæ restituti in regno Judæorum, cum nova & ampla illius regni accessione, quam à Claudio fuerat consequutus. Signatus autem superior Nummus anno Claudii tertio, ut ejusdem inscriptio arguit. Unde nihil obstat, quin eidem Herodi continuo adscribatur, cui pro insigni quodam suo erga Claudium studio, hoc PHILOCLAUDII cognomen omnium optime videtur convenire. Percussus autem videtur hic Nummus in aliqua urbe Gentili beneficiis hujus Herodis ornata, qualis Berytus; aut in ea quæ sæpe illi sedes, & in qua Deus paullo ante obitum proclamatus, ut Cæsarea. Antequam vero ad alia progrediamur, eadem occasione successoris ejus AGRIPPÆ Junioris Nummum itidem singularem proferemus è Cimeliarchio Christinæ Augustæ.

Anim. in Euseb. pag. 189.

Act. XIII.

Lib. XIX. Antiq. c. 7. & Bell. Jud. l. II. c. 10.



Equidem haud diffiteor, hæsisse me aliquamdiu quo referenda sint illa symbola utraque nummi parte insculpta. Neque enim ulla ibi more consueto vel Regis Agrippæ, vel Cæsaris tum rerum potientis effigies; aut cæteroquin loci, in quo idem percussus, nota, sola addita epigraphe, BAΣIΛEΩC AΓΡΙΠ. seu *Regis Agrippæ*. Tandem illud hærenti occurrit, videri omnino utro-

utroque ſymbolo duo celeberrima Judæorum Feſta deſignari, Tabernaculorum nempe & Pentecoſtes. Et Σκηνοπηγίαι quidem ſatis aperte innuit mea ſententia inſigne Tabernaculi inſtar ſeu Tentorii priori nummi parte expreſſum: Pentecoſten vero appoſite Spicarum Manipulus, quem ſignat nummi pars altera. Neque enim hoc ſolemne, ut notum ex ſacris libris, dictum ſolummodo Feſtum שבעות *ſeptimanarum* ſed etiam קציר *Meſſis* ſeu θερισμὸς, juxta LXX Interpretes, & quidem *Meſſis Triticeæ*. Unde etiam totum illud ſeptem ſeptimanarum intervallum, quod Græci & Latini Pentecoſten dixere, vocarunt Judæi, ut obſervat illuſtris Scaliger, ספירת העמר ſeu *Numerum Manipuli*; ideo nempe quod à ſecunda Azymorum ad feſtum ipſum Pentecoſtes primitiæ frugum Deo offerrentur, ac, ut loquitur Chaldæus paraphraſtes, inciperet חצר עמרא *Meſſis manipulorum*. Immo liceret inde colligere haud minus feſtum Azymorum eodem ſymbolo ſpicarum manipuli in prædicto numiſmate denotari; & quo nomine non pigebit integrum quendam Joſephi locum adſcribere, qui multa videtur habere ad hanc rem opportuna. Τῇ δευτέρᾳ τῶν ΑΖΥΜΩΝ ἡμέρᾳ, ἥτις ἐστὶν αὐτὴ καὶ δεκάτη τῶν καρπῶν εἰς ἐθερισμὸν, ὃ γὰρ ἥψαντο πρότερον αὐτῶν, μεταλαμβάνουσι. καὶ τὸν Θεὸν ἡγεμόνι τιμᾶν δίκαιον εἶναι πρῶτον, παρ' ἧς τὴν εὐπορίας τούτων ἔτυχον, τὰς ἀπαρχὰς αὐτῷ τῆς κριθῆς ἀποφέρουσι πρόπον τινά. Φρύξαντες ΤΩΝ ΣΤΑΧΥΩΝ ΤΟ ΔΡΑΓΜΑ καὶ πίσαντες, καὶ καθαρὰς πρὸς ἀλεσιῶν τὰς κριθὰς ποιήσαντες, τῷ βωμῷ δισσάρωνα προσάγουσι τῷ Θεῷ, καὶ μίαν ἐξ αὐτῆς δράκα ἐπιβάλλοντες τὸ λοιπὸν ἀφιᾶσιν εἰς χρῆσιν τοῖς ἱερεῦσι, καὶ τότε λοιπὸν δημοσίᾳ ἔξεστι πᾶσι καὶ ἰδίᾳ ΘΕΡΙΖΕΙΝ. *Secunda* AZYMORUM *dies, quæ eſt menſis hujus decima ſexta,* FRUGIBUS DEMESSIS *& hactenus intactis incipiunt frui; æquumque rati Deum*

Exod. xxiii. 16. Id. xxxiv. 22.

Lib. v 1. de Emend. Temp.

Deut. xvi. 9.

Antiq. J. iii. cap. 10.

hujus ubertatis auctorem per gratitudinem honorari, hordei primitias offerunt in hunc modum. SPICARUM MANIPULUM *igni torrent, hordeum deinde pinsunt, atque ita in alicæ modum fracti assaronem ad aram offerunt, inde pugillo uno in eam injecto, reliquum sacerdotum usui cedit, & ex eo licitum fit publicas ac privatas* MESSES METERE. Adeo ut vel duo vel tria etiam nobilissima Judæorum festa, quæ Judæis proinde non solum חג seu *Festum κατ' ἐξοχὴν*, sed etiam רגל & רגלא seu *Festum majus*, Helleniſtis autem *μεγάλαι ἡμέραι*, seu *dies magni*, nuncupata leguntur, designet superior Nummus; sicut alias beneficium Mannæ cœlitus demissæ signant vulgares Hebræorum sicli. Neque mirum proinde in Judæi Regis Nummo à Judæis Helleniſtis, ut videtur, percusso, expressam eorum solemnium memoriam, quibus nihil apud illos celebrius; maxime quum per patrias leges non liceret iis vel Regis AGRIPPÆ, vel regnantis tum Cæsaris effigie Nummos id genus percutere. Excepto vero homine, non quadrupedum solum ac reliquorum animantium imagines, ut observo apud juris Hebræorum consultissimum Maimonis filium, *sed ad hæc* FIGURAS ARBORUM, HERBARUM, RERUMQUE SIMILIUM, *formare liceat etiam figura gibba.* Quamquam & fasciculus ille spicarum juxta usurpata id genus apud Gentiles symbola, aut fertilitatem earum regionum, quibus præerat Agrippa, aut concordiæ vinculum posset adumbrare, qui factionibus inter se dissidentes Judæos haud semel tentavit, ut ex Josepho liquet, ad saniora consilia revocare. Ita eodem symbolo signarunt nummum Apamenses, qualem vidi in ejusdem Reginæ Gaza, cum fasciculo itidem spicarum ac inscr. ΑΠΑΜΕΩΝ. Alios hic mitto hujus Agrippæ nummos, qui hinc Vespasianum

De Idol. c. III. §. 4.

num aut Titum effingunt, illinc vel Triremin, vel Victoriam cum Corona & Palma, ac annos regni ipsius Agrippæ, ET. κθ. BA. ΑΓΡΙΠΠΑ, *Anno* XXV *Regis Agrippæ*, aut ET. κϛ. seu *Anno* XXVI. Annos enim LVI regnasse legitur hic junior Agrippa, anno nempe Trajani tertio demum exstinctus, ut auctor est Justus Tiberiensis apud Photium. Neque vero præteundus hoc loco alius quidam Nummus, quem vidi apud illustrem Harlæum, qui hinc Botrum exhibet cum inscr. ΗΡΩΔΟΥ, illinc Galeam quandam singularem, cum epigraphe ΕΘΝΑΡ..... seu *Ethnarchæ*. Equidem haud ita liquidum videri posset, quisnam Herodes illo Ethnarchæ nomine designetur. Prior enim seu Herodes Magnus, Tetrarcha quidem à M. Antonio, dein Judææ Rex ab eodem & Augusto renuntiatus apud Josephum legitur, nullibi autem Ethnarcha: quod nomen alias cum Hyrcano, tum Herodis filio Archelao tributum à Romanis constat, qui proinde Ethnarchæ aliquotiens eidem Originum Judaïcarum scriptori nuncupantur. Neque etiam Ethnarchæ dicti occurrunt alii Herodes ex Magni progenie, quorum alter filius Galilæorum Tetrarcha; alter nepos & Agrippæ majoris frater, Chalcidis Dynasta & Rex tandem leguntur appellati. Quamquam haud dubium eo nomine Magnum Herodem designari, qui hanc appellationem medio illo tempore videtur sibi vindicasse, quo Hyrcano Ethnarchæ à Parthis vincto & in captivitatem abducto, solus rerum in Judæa potiebatur, necdum tamen Regis titulo à M. Antonio & Octavio Romæ, quod illi postea contigit, decoratus. Retenta vero etiam recentiori ævo sub Constantinopolitanis Imperatoribus illa Ἐθνάρχια dignitas & appellatio, ut observo apud Nicephorum Bryennium de Botoniata Im-

In Gaza Medicea & alibi.

Bibl. Cod. XXXIII.

Joseph. Antiq. lib. XIV. c. 23.

Antiq. Jud. l. XIV. c. 16. & lib. XVII. c. 13. 15.

Joseph. Antiq. Jud. l. XIV. c. 25.

Lib. I v. cap. 16. Imperatore verba facientem, ὃν πρῶτον πρεσβεύσαντα τιμήσας ΕΘΝΑΡΧΗΝ ἐκπέμπει, προσαγαγόμενον τὸν Βρυέννιον, *quem primi conſeſſus honore decoratum* ETHNARCHAM *mittit, adſumpto Bryennio.* Verum ut ad alterum HERODEM PHILOCLAUDIUM redeamus, ſuperiori nummo expreſſum, ſciendum rationem hujus poſtremæ appellationis petitam ex more, quo nonnulli dicti jam olim ΦΙΛΑΛΕΞΑΝΔΡΟΙ; ſicut Apollinem Tyrium

Lib. XVII. vocari juſſit ipſe Alexander apud Diodorum, παρήγγειλεν ὀνομάζειν τὸν Θεὸν τοῦτον ΦΙΛΑΛΕΞΑΝΔΡΟΝ; aut

In Pompeio. quo adludens Philippus Conſul apud Plutarchum, ſe ΦΙΛΑΛΕΞΑΝΔΡΟΝ vocabat, ob ſuum erga Pompeium ſtudium, qui à ſimilitudine cum Heroë Pellæo Alexander quibuſdam vocabatur. Quo nomine indignum alias Æſchinem pronuntiat alicubi Demoſthenes; ut vice verſa ΜΙΣΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ & ΜΙΣΟΦΙΛΙΠΠΟΥ nomenclationem à Demoſthene deſumptam ſugillat aliquoties adverſarius, ὁ γὰρ Μισαλέξανδρος καὶ Μισοφίλιππος ὑμῖν ἑτοῖος ῥήτωρ. Noti nempe olim cum ipſius Alexandri, tum alias Regum & Cæſarum AMICI; quorum poſtremorum frequens mentio in hiſtoria Auguſta, & qui vulgo Principum gratia florentes, non otii ſolum, ſed negotiorum etiam arbitri ac diſpenſatores leguntur: ita ut, quod de Alexandro Severo obſervat Lampridius, res bellicas juxta ac civiles per Amicos & ex eorum conſilio tractarent. Unde etiam liquet, cum Adſeſſores & Conſiliarios Principum, AMICOS id genus olim dictos, quod jam ad Spartianum notavit ὁ πάνυ Salmaſius; tum haud fruſtra eos Comitibus Auguſtorum conjungi in lapi-

Æſchin. contr. Ctefip.

Theſ. Grut. MC. 5. dibus antiquis, AMICO ET COMIT. AUG. N. ac præterea in conſtitutione quadam Conſtantini, quæ

Lib. IX. cod. Th. t. 1. l. 4. exſtat adhuc hodie in Codice Theodoſiano, *In quemcunque*

cunque Judicum, Comitum, AMICORUM *& Palatinorum meorum.* Ut nec mirum sit quod legas in dissertationibus Epicteti apud Arrianum, quanti nempe faciendum sit inter amicos Cæsaris reputari, ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΦΙΛΟΝ εἶναι, de qua appellatione pluribus ibi agit. Neque vero privati solum, sed ut à Claudio Herodes, ita ab aliis Cæsaribus Reges quoque in Amicorum id genus classem relati leguntur. Tales Amici Alexandri Severi apud Lampridium, *idcirco quod per* REGES AMICOS *ambierat admissus*, de quodam ad militiam adspirante, licet vitæ sordidæ ac variorum furtorum reo. Immo & hoc notandum, inter adscriptos olim Regum & Cæsarum id genus Amicos, ordinem quendam servatum, & inductas varias Amicorum Classes; ut certe licet colligere ex Alexandro Syriæ Rege apud Josephum, ita adfecto adversus Jonatham, Pontificem Judæorum, ὥςτε αὐτὸν καὶ πρῶτον ἀναγεγράψαι φίλων, *ut etiam ipsum* PRIMUM AMICORUM *inscriberet.* Sic Antiochus apud eundem concedit Jonathæ, καὶ τῶν πρώτων αὐτὸν καλεῖσθαι φίλων, *& vocari unum ex* PRIMIS *ejus* AMICIS; nempe sicut Cocceius Nerva à Tiberio *proximus Amicorum* indigitatur. Ordines itaque Amicorum, ut quidam primi, alii secundi, & infra adhuc enumerarentur; quod à Romanis etiam Cæsaribus observatum, liquet rursus ex Lampridio in vita ejusdem Alexandri, qui ex locis modo adductis haud parum illustratur, *ut* AMICOS *non solum* PRIMI *ac* SECUNDI *loci, sed & inferiores ægrotantes viseret.* Ut jam illud præteream, quod juxta morem eorum temporum superioribus Nummis illustratum, non *Philoclaudium* quidem, immo nec *Philoromæum* aut *Philellena*, vel *Philojudæum* forte, sed vere ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΟΝ dixerint humani generis Servatorem sacri illius scribæ: potiori certe jure,

Lib. III. c. 26. vers. 407.

Lib. Antiq. XIII. c. 7.

Id. cap. 9.

Tacit. Annal. VI. 26.

quam vel Cyrum Græci ſcriptores, aut Nervam Dio Pruſæus: ſicut rurſus ΦΙΛΟΧΡΙΣΤΟΤΣ, ſeu eidem Servatori devotos paſſim vocant priſci Eccleſiæ Doctores, Ignatius, (ſeu quiſquis auctor Epiſtolarum, quæ vulgo illi tribuuntur) Chryſoſtomus, Nazianzenus; quorum iſte etiam Conſtantium alicubi, quamquam, ut aliunde ſcimus, Arrianorum patronum, ΦΙΛΟΧΡΙΣΤΟΤΑΤΟΝ appellat, ὦ θειότατε βασιλέων καὶ φιλοχριστότατε, *ô Imperatorum divinissime, Christique amantissime*, Julianum autem meliori jure ΜΙΣΟΧΡΙΣΤΟΝ, ſicut alibi Valentem, Arrianæ hæreſeos labe infectum, ὁ φιλοχρυσότατος καὶ μισοχριστότατος. Immo ſi magni præmii loco, & probatæ demum fidei Regibus PHILOROMÆI ſeu *Amici Romanorum* titulus olim, ut vidimus, conceſſus; quanto melius merces illius hominis qui fuerit mundus, in eo poſita, juxta Magiſtros Hebræorum, ut vocetur AMICUS DEI; ſicuti nempe ſcriptum in [1] Proverbiorum libro, *Qui amat munditiem cordis, pro gratia labiorum ejus* REX AMICUS EJUS *futurus eſt.*

Orat. XLV.

Orat. III. in Julian. pag. 63.

Orat. XX. in fin. Baſilii p. 337.

Vid. אבקת רוכל ſeu lib. Pulveris Aromat.

[1] Prov. XXII. 11.

De appellatione ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ.

Sed minus forte obvia in monumentis veterum ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ conjuncta appellatio, ut in Euſebianis agnoſcit Scaliger. Utrumque tamen ſuppeditant citati eidem duo Nummi Barbarorum Regum, ne poſtremam hanc Romanorum Cæſaribus propriam ſtatuamus. Prior eſt TRYPHONIS DIODOTI, qui ſe in Seleucidarum ſeriem & regnum vi & fraude cæſo pupillo intruſit, & cujus Nummum ſupra jam indicatum, hic exhibemus è laudato toties Cimeliarchio inclytæ Reginæ.

Nota

Nota abunde hujus Tryphonis hiſtoria cum ex Maccabæorum libris, tum ex Diodoro, Livio, Strabone, Juſtino, aliiſque; quem una cum exercitu undis abſorptum tradentem video ex Poſidonio Athenæum, illinc vero Joſephum, cum Apameæ, in quam profugerat, captum ac interfectum. De Cornu & Galea in averſa Nummi parte, quæ huc quadrare poterant, ſupra jam à nobis explicata. Ipſa vero inſcriptio arguit hunc Tryphonem ornatum utroque titulo ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. Eandem quoque inſcriptionem præfert Nummus TIGRANIS apud Goltzium, ΤΙΓΡΑΝΟΥΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Conjuncta nempe utraque illa appellatio ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ, ut Tryphonis hujus aut Tigranis ſummum pace juxta ac bello imperium notaretur. Inde etiam Alexander Amyntæ filius apud Diodorum, Ἀλέξανδρος ὁ Ἀμύντᾳ ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ πρὸς μὲν, καὶ ΒΑΣΙΛΕΥΣ Μακεδόνων, *Alexander Amyntæ filius* PRÆTOR *cum eſſet &* REX MACEDONUM; ubi eadem ratione conjuncta occurrunt ΣΤΡΑΤΗΓΟΥ ſeu Prætoris aut Belli Ducis, ac ΒΑΣΙΛΕΩΣ adtributa. Immo unde Livius non parum illuſtratur, agens de Ætolis & Antiocho Magno; *hæc vicit ſententia,* IMPERATOREMQUE REGEM *appellandum cenſuerunt, & triginta Principes, cum quibus ſi quæ vellet, conſultaret, delegerunt.* Vides hic iiſdem titulis juxta Ti-

Lib. VIII. Lib. XIII. Antiq. c. 12. Lib. XXXV. cap. 45.

granem aut Tryphonem ornatum quoque Antiochum, ΒΑΣΙΛΕΑ nempe ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ, seu Regem summum Belli Ducem ab Ætolis declaratum. Conjuncta itaque hæc appellatio exemplo eorum vel Regum vel Prætorum, qui ΣΤΡΑΤΗΓΟΙ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΕΣ passim vocantur in Græcorum monumentis, nonnunquam & ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΕΣ ΠΟΛΕΜΟΥ, sicut Belisarium vocat ipse Justinianus apud Procopium; quibus nempe summa totius belli à sociis aut civibus, vel aliunde deferebatur, & qui *summam belli tenere* passim Cæsari dicuntur, hoc est juxta Comicum,

Lib. III. Goth. c. 21.

Sed ubi summus IMPERATOR *non adest ad exercitum.*

Sic Eumenes more consueto non solum Asiæ Στρατηγὸς Αὐτοκράτωρ dictus apud Diodorum, sed alibi de eodem, τῷ Βασιλείας Αὐτοκράτορι Στρατηγῷ, *Regni summo Imperatori.* Cujus appellationis vim in eo positam fuisse docet alicubi Thucydides, ut Prætores in Siciliam missi & ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΕΣ etiam declarati, ea facerent quæ ipsi judicarent Athenienses maxime conducibilia. Tales vero negat fuisse vel Persarum Duces Diodorus, τῶν ὅλων οὐκ ὄντες Αὐτοκράτορες, sed de omnibus ad Regem deferentes; vel ipsos Lacedæmoniorum Reges Dionysius Halicarnassensis, οὐδὲ γὰρ οἱ Λακεδαιμονίων ΒΑΣΙΛΕΙΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΕΣ ἦσαν ὅτι βέλοιντο πράττειν, *neque enim Lacedæmoniorum* REGES PLENAM *habebant* POTESTATEM *ea quæ vellent faciendi.* Unde desumpta videtur hæc appellatio ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ, puta à Tigrane viribus ac potentia adhuc florente, ut merum & absolutum imperium, non precarium autem Regnum argueret, more aliorum Regum vel Spartanorum quondam, vel τῶν ὑπὸ Ῥωμαίοις, ut vocantur alicubi Josepho: quibus nempe

Lib. XIX. Lib. VI. Lib. XV. Lib. II. Bell. Jud. lib. VI. c. 12.

aut

aut à Romanis titulus ille conceſſus vel reſtitutus, ut poſtea ipſi quoque Tigrani contigit; aut qui alias comiter majeſtatem Imperii Romani conſervare cogebantur, & *inſervientes Reges* Tacito alicubi vocantur. Hiſt. II. 81. Αὐτοκράτορας enim & αὐτοκρατεῖς Græci vocarunt, ut vel ex ante dictis liquet, pleno utentes imperio & ἀνυπεύθυνο. Hinc Philo, ἀνυπεύθυνον εἶναι δεῖ τὴν ἀυτοκράτορα ἀρχὴν; quo nempe loquendi genere τὸ αὐτοκράτορος ἀρχῆς Legat. ad Caium. utuntur ſæpe Græci ſcriptores, & qualem Prytanis apud Rhodios fuiſſe docet Appianus, ſicut alias Dionyſius ἡγεμονίαν αὐτοκράτορα Romulo delatam tradit. Hinc Bell. Civil. lib. IV. Lib. III. ut Βασιλεῖς vel Στρατηγοὶ, ſic eadem ratione dicti ΕΠΙΜΕΛΗΤΑΙ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΕΣ, qui in procuratione regni erant ſummo cum imperio; qualis aut à Macedonibus Antipater, aut poſtea ab ipſo Antipatro Polyperchon conſtituitur apud Diodorum. Ita etiam Lib. XVIII. ΠΡΕΣΒΕΥΤΑΙ & ΠΡΕΣΒΕΙΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΕΣ, Legati miſſi plena cum poteſtate, quemadmodum Oratores de Pace ad Philippum deſtinatos vocat Æſchines, πρέσβεις Αὐτοκράτορας ὑπὲρ τῆς εἰρήνης, hoc eſt, ut hodie loquuntur, *Legatos pro Pace Plenipotentiarios*. Eoſdem Αὐτοκράτορας τῆς εἰρήνης & περὶ τῆς εἰρήνης *Plenipotentiarios Pacis & de Pace* vocat Dionyſius, & quales à Carthaginenſibus ad Gelonem miſſos, & ab Athenienſibus ad Perſas cum Æſchine πρέσβεις & πρεσβευτὰς Αὐτοκράτορας vocat Diodorus. Ejuſdem etiam generis apud Salluſtium à Boccho Maurorum Rege Romam ablegati, qui *quocunque modo belli componendi licentiam illis permittit*. Sic rurſus ΘΕΟΙ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΕΣ de ſupremis Diis, quales Solem & Lunam habitos docet Philo; quæ eximie illuſtrant nummum Caii Cæſaris ſupra adlatum cum inſcr. ΓΑΙΟC ΚΑΙCΑΡ ΘΕΟC ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. Quod verum & unius quidem ad- Orat. contr. Cteſiph. Lib. III. Lib. XI. & XII. De Monarch. lib. 2. p. 812.

tributum, qui Θεὸς ὁ παντοκράτωρ vocatur in divino Revelationum libro ac in symbolo Nicæno. Hinc alias apud eosdem veteres JUPPITER IMPERATOR, cujus tria tantum signa in orbe Terrarum exstitisse tradit in Verrinis Tullius; quem nempe *imperium cœlestium tenere* credebant Galli apud Cæsarem. Unde & inter Severi nummos unus occurrit inscriptus JOVI IMPERATORI. Sicut denique supra dicti duo Reges Barbari REGES IMPERATORES vocati in Græcis eorum Nummis, ita obvii ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΕΣ ΚΑΙΣΑΡΕΣ vel ΣΕΒΑΣΤΟΙ, seu IMPERATORES CÆSARES vel AUGUSTI cum alibi, tum nullibi frequentius, quam in hac ipsa supellectile nummaria. Unde jam, ut opinor, satis adsequimur, qua ratione aut quibus exemplis utraque hæc appellatio ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ Tryphoni huic aut Tigrani etiam tribuatur in selectis eorum Nummis: quæ duo in iisdem conjuncta, ut singulare aliquid, ac raro alibi à se lectum profitebatur magnus Scaliger. TRYPHONIS alias nomen in Syria ac vicinis locis familiare videtur exstitisse, unde nummus Augusti Mediceus, in cujus aversa parte Aquila cum inscr. ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ ΤΡΥΦΩΝΟΣ. Hinc & Ptolemæum Philopatora Tryphonem etiam cognominatum supra diximus; quo cæteroquin nomine quendam Philadelpho ob facetias acceptum appellatum legimus apud Josephum, alibi vero apud eundem regium Herodis tonsorem, eundemque Alexandri Regis filii accusatorem; apud Athenæum autem quendam delitiis perditum, unde nempe illi nomen.

In Verrem v. Lib. VI. Comment.

Anim. in Euseb. pag. 146.

Lib. XIV. Antiq. c. 4. Bell. Jud. lib. I. c. 7. Lib. XIV.

De Nummo TIGRANIS *ac Tiara.*

TIGRANEM quod spectat, præclarum quendam & insignem ejus Nummum cum sola inscriptione ΤΙΓΡΑΝΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ, haud mihi hactenus alibi,

quam

quam in Cimeliarchio Mediceo inſpectum, inde etiam ectypum nacti beneficio omni laudum ac ornamentorum genere cumulatiſſimi LEOPOLDI Cardinalis ab Etruria, grati & lubentes hic vulgamus.

Exhibet nempe anterior Nummi facies TIGRANIS ipſius caput inſigni Tiara ornatum, cui ſtella ac duæ inſuper volucres, quamvis minus adfabre in hoc ectypo inſculptæ viſuntur. Averſa autem facies ſedentem, turritam ac velatam Mulierem præfert, quæ dextra Palmæ ramum geſtat, pede autem figuram calcat medio corpore undis immerſam cum inſcr. ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΤΙΓΡΑΝΟΥ. Videtur autem mihi omnino eadem Mulier, juxta conſueta in Nummis ſymbola, Syriam aut Meſopotamiam arguere; quas per plures annos Tigranem obtinuiſſe legimus, & quidem in Syriæ regnum accitum per octodecim annos, auctore Juſtino, tranquilliſſime regno potitum, quo temporis lapſu hunc aut ſimiles Nummos hujus Armenii Regis in eo tractu percuſſos facile licet augurari. Cujus etiam rei indubiam fidem facere videtur Palmæ ramus, opportunum Syriæ, ut ſupra vidimus, ſymbolum. Figura autem virilis medio corpore aquis immerſa, Euphratem aut Tigrim forte ſub jura Tigranis reductum, ſolito Fluviorum in Nummis antiquis typo, repræſentat. Tiara autem Tigranis cum Diademate, eadem cujus Dio meminit, τὴν δὴ ΤΙΑΡΑΝ τὸ ΠΑ ΑΝΑΔΗΜΑ ἐπὶ κεφαλῆς, ΤΙΑRAM *autem cum* FASCIA *geſtabat*; & quam Faſciam

Lib. XL. cap. 1.

Lib. XXXVI.

Fasciam seu Diadema capite avulsum supplicem hunc Regem ad Pompeii pedes tradit abjecisse cum idem Dio, tum alibi etiam Plutarchus, qui cæteroquin in vita Pompeii, à Tigrane ipsam Tiaram seu Cidarim capite detractam docet; ἀφελόμενος τὴν Κίτταριν, ὥρμησε πρὸς τοὺς πόδας θεῖναι, *detractam capiti Cidarim instituit ad pedes ejus apponere*. Simile vero Diadema, & idem, ut licet augurari, quod hic ante oculos habemus, à fugiente Tigrane capiti jam olim detractum, ac in victoris Luculli manus delapsum, ab eodem in triumpho prælatum, auctor itidem in ejus vita Plutarchus. Ad Tiaram enim Regum Orientis Diadema vulgo accessisse, liquet præterea ex Xenophonte, Plutarcho, Luciano, aliisque, quod jam vidit illustris Brissonius libro de Regio Persarum Principatu, & præclarus iste Nummus, venerandum utique antiquitatis Cimelium, luculentius ante oculos ponit. Unde Curtio lux non mediocris accedit; CIDARIM *Persæ Regium capitis vocabant insigne. Hoc cerulea* FASCIA *albo distincta circuibat.* Notum enim promiscue Cidarim & Tiaram dici de hoc Regio capitis insigni; unde quam Dio TIARAM TIGRANIS vocat in superiori nummo conspicuam, eandem CIDARIM dixit Plutarchus loco supra adlegato. Hinc autem liquet incautius loquutum Philonem, scriptorem alias quantivis pretii, qui *Reges Orientis Cidari loco Diadematis usos* tradit, Κιδάρει γὰρ οἱ τῶν Ἑῴων Βασιλεῖς ἀντὶ Διαδήματος ἐκόσμουν κεφάλας. Utrumque enim insigne, ut tradunt antiqui & probatissimi auctores, ac vel superior Nummus luculenter arguit, iis una usurpatum. Neque tamen Brissonio adsentior, qui Diadematis nomine Cidarim putat etiam designari; ideo nempe quod è Persico luxu mutuatum Alexandrum Persicum Diadema Diodorus ac Justinus tradant, Arrianus,

De fort. Alexand.

Lib. III.

Lib. III. de vit. Mos.

rianus autem Cidarim Perſicam, quæ nempe idem ſonent. Utrumque enim hoc capitis ornamentum à Perſis mutuatus eſt Alexander, ut non opus ſit proinde illa inter ſe confundere. De Cidari aut Tiara præter Arrianum, fidem facit Lucianus, apud quem Philippus pater inter alia Filio objicit, quod Tiaram rectam adſumpſiſſet, καὶ τιάραν ὀρθὴν ἐπέθου. De Diademate vero, præter Diodorum, Juſtinum, alioſque diſerte Curtius iis verbis, quæ de Cidari aut Tiara ſumi non poſſunt; *Itaque purpureum Diadema diſtinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit.* Idem nempe quod cerulea illa faſcia albo diſtincta, quæ Cidarim circuibat, ut paulo ante eum tradentem audivimus. Conjuncta itaque in regio Perſarum aut Armeniorum etiam cultu illa capitis ornamenta, Tiara ac Diadema, non tamen ut eadem ſed diverſa. Unde poſtremum etiam ſolum retentum ab Alexandri ſucceſſoribus, & eorum exemplo ab aliis Aſiæ aut Europæ Regibus. Ex quibus etiam liquet, cur Diadema illud quod *Perſicum* vocatur Diodoro, Herodiano *Macedonicum* dicatur ferme ſub initium operis, ubi agit obiter de cultu Regis Antigoni, Annæo autem noſtro *Pellæum*,

Dial. Mort.

Lib. VI.

Cingere Pellæo preſſos Diademate crines.

Lib. V.

Alias quot Regna, tot quoque Diademata olim capiti nonnunquam impoſita. De Ptolemæo Philometore illud notat utique Joſephus, eum duo geſtaſſe Diademata, Aſiæ nempe aut Ægypti; cujus duplicis Diadematis uſum haud abſimilem in Artabano Parthorum Rege tradentem ſupra innuimus Herodianum; cujus cæteroquin moris veſtigium necdum fateor mihi in priſcis nummis obſervatum. Cidarim autem ſeu Tiaram quod attinet, eandem quoque Regum Orientis more, ſacerdotes Gentilium nonnunquam uſurpaſſe,

Antiq. Jud. lib. XIII. cap. 8.

De Dea Syria. vel ex Luciano liquet; qui auctor est urbis sacræ in Syria Pontifici ac soli quidem concessum purpuram & auream Tiaram gestare. Scilicet postquam jam viles evaserant sacerdotales illæ Coronæ, quibus infensos vetustissimos Christianorum scriptores ac inprimis Tertullianum adhuc hodie legimus. Quamquam sequutis temporibus, & Ecclesia novo cultu sub Christianis Principibus ornata, Cidaris quoque usus ad Ecclesiarum Antistites translatus, ac eadem inter Episcopi Orientis insignia vulgo recepta, ut vel liquet ex sequenti loco Sasimorum Episcopi; Χρίεις τ' Ἀρχιερέα, καὶ περιβάλλεις τ' πόδηρη, καὶ περίθης τὼ ΚΙΔΑΡΙΝ· *Idcirco me Pontificem ungis ac podere cingis, capitique Cidarim imponis.* Sed hoc obiter. Ejusdem autem Tiaræ superiori nummo cælatæ adspectus satis arguit, quo jure, ut supra innuimus, πίλημα πυργωτὸν, *Turritus pileus* Straboni dicatur. Aves autem eidem Tiaræ insculptæ, quas minus accurate cælator expressit, Falcones videbantur Cimeliarchæ Mediceo: Id vero jam supra de veterum Galeis, cum ex Herodoto, Diodoro, tum ex frequentibus veterum Nummis observabam, crebro iis insertas vel Avium vel Quadrupedum effigies, quibus eis aut terrorem aut dignitatem conciliarent. Neque etiam Tiaræ eodem ornamenti genere caruere; unde Persicas Tiaras Pavonis alas habuisse docet Græcus Aristophanis Interpres, quod jam viderunt viri docti. Immo nec alienum Falcones ejusmodi Tiaræ insculptos; quum Pallas seu Regias Persarum aut Medorum vestes distinctas id genus Avium figuris diserte tradat Curtius; *Pallam auro distinctam* AUREI ACCIPITRES *velut rostris inter se corruerent adornabant.* Stella autem in eadem Tiara conspicua, qualis & in superiori Parthorum Tiara occurrebat, quam è nummo Augusti

Greg. Nazianz. Orat. v. pag. 136.

Ad Acharnens.

Lib. III.

gusti expressimus; ut vel inde opportunum Regum Orientis insigne facile adsequamur. Accedit denique, velare eandem Tiaram Tigranis tempora; quod Tiaris nempe solemne, juxta Nasonem,

Tempora purpureis tentant velare Tiaris. Lib. XI. Metam.

Aliud vero Tiaræ genus Armenium supplicem gestare videas in sequenti nummo; quod nempe magis adhuc ad πίλημα istud πυργωτὸν accedit, sicut Tiaram à Strabone vocari diximus.

Eandem etiam liquet magis in acutum desinere, sicut κρωβύλους & κυρβασίας describunt nobis veteres; qui & inde eadem promiscue pro Tiaris sumunt, aut vicina iisdem statuunt; quales Xenophon, Hesychius, alii- Lib. V. Anab.
que. Aliæ nempe apud illos Orientales, Persas, Medos, Armenios, quod aliunde etiam constat, Regum Tiaræ, aliæ Procerum seu privatorum. Ita Cidarim Mithridatis *mirifici operis*, seu θαυμασῆς ἐργασίας exstitisse liquet ex Plutarcho; qui vel ita caviſse videtur, ne genero suo Tigrane dignitate aut cultu inferior videretur. In Pompeio.
Persarum vero promiscuum jam olim fuisse Tiaræ gestamen, cum Herodotus diserte observat, tum secutis ætatibus Heliodorus; qui Persas docet Tiaram de capite deponere, ad reddendam gratiam ei qui prior salutavit. Adeo ut nec solum discrimen in eo consti- Lib. VII. Lib. VII. pag. 339.

tuendum videatur, quod recta esset Regum apud Persas Tiara, ut jam viderant eruditi, reliquorum autem obliqua. Immo Tiaras etiam cum circumeunte easdem Diademate, qualis Tigranis in superiori nummo, gestasse Regum Persarum consanguineos sua ætate auctor nobis Xenophon; qui de Cyro agens, εἶχε δὲ καὶ διάδημα περὶ τῇ τιάρᾳ, καὶ οἱ συγγενεῖς αὐτοῦ τὸ αὐτὸ τοῦτο σημεῖον εἶχον, καὶ νυῦν δὲ τὸ αὐτὸ ἔχουσι. *Habebat & circum Tiaram Diadema, idemque insigne cognatis ipsius erat, sicut & hoc tempore illud retinent.* Cujus moris vestigium retentum adhuc videtur sequiori ævo in renovato Persarum dominatu. Certe Diadematis usum Persarum satrapis concessum liquet mihi ex Procopio, qui refert duos Persarum Optimates Isdigacræ Legati Chosroïs comites extitisse, οἱ δὴ καὶ διαδήματα ὑπὲρ τῶν κεφαλῶν χρυσᾶ ἐφόρουν, *qui aurea etiam Diademata in capite gestabant.*

Inst. Cyr. lib. VIII.

Bell. Goth. lib. IV. c. II.

De variis Nummis Regum & Reginarum PONTI & BOSPORI.

Si vero ex Oriente jam in PONTUM ac vicina loca trajiciamus, neque hic Regum illius tractus inutili aut injucunda pascemur contemplatione. MITHRIDATEM mitto, terrorem illum Asiæ, & Regum, auctore Tullio, post Alexandrum maximum, quem obvii adhuc apud antiquarios Nummi, & expressæ inde à Fulvio & Goltzio icones repræsentant, eundemque cum Eupatoris cognomine ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ. Ita alii rursus ejusdem parentem MITHRIDATEM EUERGETEM signant; ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ; quemadmodum illis cognominibus distinctos eosdem Reges, præter Appianum docet Strabo. Filium vero Eupatoris PHARNACEM rarior quidam Nummus, neque alibi mihi, quam in Cimeliarchio Mæcenatis Etrusci LEOPOLDI inspectus, etiamnum ad posteritatis memoriam prodit. Exhibet vero hinc Regis illius caput,

Lib. X.

cum

cum inscr. ΦΑΡΝΑΚΟΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ; illinc figuram stantem, Fulmen, Cornucopiam, Caduceum, Stellam, consueta omnia in nummis Regum id genus symbola. ASANDRUM autem Bosporo ab eodem Pharnace præfectum, & à quo idem Pharnaces expulsus & acie cæsus traditur, narrant antiqui auctores. Ad quem Asandrum refero aureum nummum rarissimum viri amplissimæ in Urbe dignitatis, sed majoris adhuc elegantiæ Camilli Maximi, qui hinc vultum Regis illius signat cum aplustri à tergo, ab altera autem parte Victoriam proræ insistentem, cum inscript. ΑΣΑΝΔΡΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Dio lib. XLII. Appian. in Mithrid.

Ex quo statim colligas oræ & victoriæ maritimæ compotem, adsumto quin etiam regio nomine, in seriem proinde Ponti aut Bosporanorum Regum inserendum. Unde eximie illustratur Lucianus, apud quem hæc de eodem Rege reperio; ΑΣΑΝΔΡΟΣ ὁ ὑπὸ Σεβαστῷ ἀντὶ Ἐθναρχῶν ΒΑΣΙΛΕΥΣ ἀναγορευθεὶς Βοσπόρου; ASANDER *autem ab Augusto pro Ethnarcha* REX *Bospori renunciatur*; & quem nonagenarium obiisse corpore validum & quidem ex inedia, quod rem militarem Scribonio creditam videret. Quæ Dioni rursus facem accendunt, qui Asandro mortuo, Regnum ejus Scribonium quendam occupasse docet. Ex his autem liquet corrigenda apud Strabonem loca, ubi *Asandri* hujus minus noti vicem *Lysander* aut *Cassander* hactenus perperam occupant. Refert enim præclarus auctor, Mithridatem Pergamenum eversum ὑπὸ Λυσάνδρου τοῦ καὶ Φαρνάκῃ ἀνελόντος, *à Lysandro Pharnacis interfecto-* In Macrobiis. Lib. XIV.

re; *Asander* enim de quo hic sermo, non *Lysander*, cui nullus ibi locus, auctor illius facinoris, ut jam vidit ὁ πάνυ Casaubonus, & Dio ac Appianus tradunt. Eluendum rursum simile mendum alio loco ejusdem auctoris, ubi Bosporanos Regulos omnia ad Tanaïm dicit obtinuisse, maxime postremos, Φαρνάκης καὶ Κασσάνδρου καὶ Πολέμων; *Pharnaces & Cassander & Polemo*; ubi *Cassandri* loco *Asander* iterum substituendus. At vice versa expungendus Asander apud Photium, qui pro Cassandro aliquoties ibi obtrusus legitur, sub nomine modo Ἀσάνδρου modo Κασσάνδρου; cui nempe inter Alexandri successores Cariam contigisse, eundemque cum Eumene pugnasse auctor Dexippus. Hæc enim omnia ad Cassandrum referenda, ex Diodoro, Justino, aliisque notius, quam ut probare adgrediar; quamquam alias Asandri cujusdam inter Alexandri duces aliquoties norim Arrianum meminisse. Unum præterea hic nec tralatitium observo, ASANDRI nomen familiare dein Bospori Regulis, posteriori etiam ævo exstitisse. Alterius certe Asandri Bosporanorum itidem Regis & ejusdem Filii historiam narrat Augustus scriptor Constantinus Porphyrogenneta. Quin & alium ejusdem tractus Regem SAUROMATEM eruere mihi liceat ex insigni rursus nummo aureo, quem videre contigit haud ita pridem in illustri Museo humanissimi reique antiquariæ peritissimi Seguini. Nummus est qui hinc Severi Augusti caput exhibet cum stella ac barbaris quibusdam litteris; illinc autem caput barbatum cum diademate ac inscr. ΒΑCΙΛΕΩC CΑΥΡΟΜΑΤΟΥ. De hoc Sauromate magnum apud auctores in rebus Severi silentium. At Bosporanum Regem fuisse, aut certe adjacentium locorum, videor mihi haud indubie colligere ex Plinio juniore, qui in Epistolis ad Tra-

Lib. xi.

Pag. 424. & alibi ult. edit.

Lib. i. & ii. περὶ ἀνάβ.

De Admin. Imp. cap. liii.

Trajanum, Regis ejuſdem nominis aliquoties meminit, ac ut narratio ejus ſatis arguit, Boſporani; REX SAUROMATES, inquit, *ſcripſit mihi eſſe quædam, quæ deberes quam maturiſſime ſcire.* Alibi, *Legato* SAUROMATÆ REGIS, *quum ſua ſponte Niceæ, ubi me invenit, triduo ſubſtitiſſet.* Item quæ mox ſubdit, & Boſporani aut vicini tractus Regis legatum ſatis innuunt; *Hæc in notitiam tuam perferenda exiſtimavi, quia proxime ſcripſeram petiiſſe Lycormam, ut legationem, ſi qua veniſſet à* BOSPORO, *uſque in adventum ſuum retinerem.* Agebat tum nempe in Bithynia Plinius, ad cujus ſimul & Ponti ſtatum ordinandum Conſulari poteſtate à Trajano erat miſſus; ut præter ejus Epiſtolas, fidem facit antiqua inſcriptio. Hinc illi cum vicino Rege Boſporano, vel Sarmatarum ſeu Sauromatarum ſi quis malit, commercia, & per eum quæſitus ad Trajanum aditus. Boſporanos autem Reges omnia ſua ætate ad Tanaïm uſque obtinuiſſe docet Strabo, ut paullo ante vidimus. Gens Sauromatarum vero vulgo ad Tanaïm, juxta Melam alioſque ſita; quæ Sauromatis etiam nomen videtur Regibus ſuis frequenter indidiſſe, niſi ab antiquiori aliquo Rege Sauromate gens ipſa appellationem traxerit. Quidquid ſit, inde ſatis liquere mihi videtur, ejuſdem tractus Regem fuiſſe hunc SAUROMATEM, qui in nummo Severi ſignatur. Et hæc ſcripſeram, quum occurrit mihi opportune, apud Ammianum mentionem fieri cujuſdam Sauromacis Iberiæ regno à Sapore pulſi; *Deinde ne quid intemeratum perfidia præteriret,* SAUROMACE *pulſo, quem auctoritas Romana præfecit Hiberiæ, Aſpacuræ cuidam poteſtatem ejuſdem detulit gentis,* & inter quem Sauromacem & Aſpacuram docet in ſequentibus, diviſum poſtea Iberiæ regnum. Quibus locis *Sauromatem* loco *Sauromacis* reponendum omnino exiſti-

Lib. x. Ep. XIII.

Epiſt. XV.

Theſ. Grut. MXXVIII. 5.

Lib. XI.

Lib. XXVII.

existimarem, cum ex superioris nummi, tum ex Plinii testimonio; ex quibus utique discimus, familiare fuisse Regum nomen in toto illo tractu, qui à Bosporo Thracico ad Tanaïm & Caucasum porrigitur. Iberia enim Sauromatis, seu Sarmatis Asiaticis, haud procul dissita. Unde etiam suspicari quispiam posset, forte de aliquo Rege Iberiæ intelligendum hunc SAUROMATEM superiori nummo expressum. At longe antiquiorem his omnibus PONTI Reginam, eandemque gente Persicam & Regis Regum Neptem, juvabit haud minus post tot sæcula quasi redivivam lectorum oculis subjicere. Id vero nobis beneficium præstat singularis & eximiæ raritatis Nummus, quem recondit Cimeliarchium Augustæ Christinæ, & unde sequentem ejus Iconem pro incomparabili ejus beneficentia sumus nacti.

Caput nempe muliebre, in anteriori parte cum singulari tegmine, in aversa vero figura itidem muliebris sedens turrita, vel cum calatho, dextra Victoriolam tenens, cum inscr. ΑΜΑΣΤΡΙΟΣ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. Ea scilicet AMASTRIS, quæ Oxiathræ Darii fratris filia, Dionysii Heracleæ Tyranni primum uxor, post Cratero ab Alexandro desponsata, tandem Lysimachi conjunx; ut narrat ejus historiam Memnon apud Photium, & cujus insuper Diodorus, Strabo, Arrianus, aliique è veteribus meminere. Et apud Arrianum quidem corruptum vulgo ejus nomen videas; Κρατέρῳ ὃ

Lib. VII. περ. ἀναβ.

AMA-

ΑΜΑΣΤΡΙΝ (non ut ibi legitur, Ἀμαστρινῶ) τὴν Ὀξυάτρου καὶ Δαρείου ἀδελφῆς παῖδα; *Cratero Amastrin, Oxyatris Darii fratris filiam.* Unde male ὁ πάνυ Salmasius eandem alicubi Darii sororem vocat, sicuti etiam Tristanus in explicatione cujusdam Nummi Amastrianorum; quæ diserte ejus Neptis seu è Fratre filia apud prædictos auctores commemoratur, quemadmodum etiam apud Græcum Apollinis Rhodii interpretem, sed ubi corrupte scribitur nomen ejus Δάμαλις pro Ἄμαστις, ut jam vidit Cl. Holstenius in pauculis illis, sed eruditis ad Apollonium adnotatis; τὸ δὴ Σήσαμον μελωνομάσθη ΑΜΑΣΤΡΙΣ (non Δάμαλις) ἀπὸ Δαρείου ἀδελφῆς θυγατρός. Digna autem observatione in superiori nummo formatio ejusdem nominis Ἀμάστρεως, pro qua Ἀμάστριος & Ἀμάστριδος vulgo hodie apud auctores legitur. Stephanus certe Byzantius hæc habet de varia formatione hujus vocis, ubi & eandem Reginam Darii ex fratre filiam perhibet; Ἄμαστις &c. ἀπὸ γυναικὸς Περσίδος ΑΜΑΣΤΡΙΔΟΣ θυγατρὸς Ὀξυάτρου καὶ ἀδελφῆς Δαρείου, ἣ συνῴκησε Διονυσίῳ τῷ Ἡρακλείας τυράννῳ· mox; ΑΜΑΣΤΡΕΩΣ δὲ κλίνῃ Στράβων ἄλλοι ΑΜΑΣΤΡΙΔΟΣ. Mirum equidem, quod dum varias recenset terminationes hujus nominis in generandi casu, antiquam ac indubiam omittat, quam superior Nummus præfert, nisi corruptum hic locum statuamus, & pro ultima voce Ἀμάστριδος, legendum Ἀμάστριος. Certe juxta Nummum antiquissimus auctor Herodotus, de alia Amastri Persica, Xerxis nempe conjuge, ΑΜΗΣΤΡΙΟΣ πατέρα τὸν Ξέρξεως γυναικός. Accedit similis formatio Urbis συνωνύμου & ab eadem Regina conditæ Amastris, juxta Marcianum, ἀπὸ Ἀμάστριος εἰς Κρώμναν χωρίον στάδια ργ'; *ab Amastri in Cromnam vicum stadia* CIII. Unde etiam Gentile inde formatum ab Ἀμάστριος nem-

Ad Solin. pag. 884.

Tom. 1. Com. pag. 638.

Ad lib. 11. Argon. v. 945.

Lib. VII.

pe Ἀμαστριανὸς; sicut à Σάρδις Σάρδι Σαρδιανὸς; Τράλλις Τράλλι Τραλλιανὸς; Φάσις Φάσι Φασιανὸς, ut ipse Stephanus pluribus docet in voce Ἀγκύρα, ubi rationem & exempla ejusmodi terminationum tradit. Ut liqueat etiam minus accurate ab Eustathio alicubi observatum, flecti hanc vocem Ἀμάστρεως, non Ἀμάστριδος apud Geographum; Σήσαμος ἡ κτ τ Γεωγράφου, ἀκρόπολις Ἀμάστρεως καὶ ὅρα τ Ἀμάστρεως, ὃ γὰρ κλίνε Ἀμάστριδος· quod ut verum de Strabone, sicut ejus Codices hodie præferunt, ita non omittere debuit indubitatam & consentaneam adlegatis exemplis flexionem hujus Ἀμάστρις. Neque negarem tamen ab Ἄμαστις fieri etiam potuisse Ἀμάστριδος, & bifariam flecti; sicut à Μέμφις Μέμφιδος & Μέμφι apud eundem Stephanum; à Πάρις Πάριδος & Πάρι apud Pindarum; à Καλάστρις Καλαστριδος & Καλαστρι, ut habent alii Codices apud Heliodorum. Corruptum vero ejusdem Reginæ nomen restituendum in antiquo auctore Polyæno, & filius illi simul ex Lysimacho natus adserendus; Ἀλέξανδρος Λυσιμάχε καὶ Μηκρίδης υἱός. Ita nempe penultimam vocem legendam credidit magnus Casaubonus, pro qua in codice ejus legebatur Μήστριδ' υἱός. At codex ille digitum omnino intendebat in veram lectionem hujus vocis, quod novissime etiam erudite animadvertit præclare de Græcis auctoribus meritus nobilis senex Palmerius à Grentemesnil, qui Ἀμάστριδος eodem loco legendum monuit, pro quo nos Ἀμίστρι, vel quod idem Ἀμάστρι, juxta Herodotum nempe ac indubiam antiqui & insignis Nummi scripturam. Ab ea autem Regina condita, ut diximus, urbs σωώνυμος & celebris per ea loca Amastris Pontica, cujus plurimi etiamnum Nummi superstant, inscripti AMACTPIANΩN. Haud aliter nempe ac *Apa-*

Ad Iliad. B. pag. 362.

Lib. VI. pag. 443.

mea,

mea, *Laodicea*, *Berenice*, *Arsinoë*, *Stratonica*, totidem Urbes dictæ à cognominibus per eadem tempora Reginis. Quandoque nempe eadem Urbium & Conditorum nomina, juxta *Amastrin*, aliaque exempla modo adlegata; quandoque autem eadem Gentilitia cum Conditoribus, ut *Auson*, *Arcas*, *Ion*, *Cilix*, *Achæus*, & similia; nonnunquam vero idem Conditoris, Urbis & Gentis nomen, ut *Dardanus*: quæ discrimina docuit me Grammaticus Byzantius in voce Ἀιμονία.

De variis Nummis Regum THRACIÆ, SICILIÆ, PERGAMI, &c.

Mitto jam Ponto finitimos THRACUM Reges, quorum Nummos produxerunt jam & explicarunt illustres antiquarii, LYSIMACHUM puta Amastris hujus Conjugem; SEUTHEM præterea, RHOEMETALCEM, COTYM, KHESCYPORIM; quos quatuor postremos inter selecta illustrium Numismata Cl. Seguini expressos videas. RHOEMETALCIS quidem nummum jam ante vulgaverat Tristanus; cujus Regis & plures alios vidisse memini, cum in Museo Lomeniano jam Regio, tum in Gaza Medicea; ubi in anteriori parte caput Augusti, in altera tria capita; duo nempe conjuncta, unum Regis Rhœmetalcis cum diademate, alterum Reginæ uxoris, (nisi eadem Augusti & Liviæ cum Cl. Seguino censeas) tertium vero prioribus minus, quod laureatum J. Cæsaris caput referre videtur, cum inscr. ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΟΥ. Quæ alias ad Regum istorum historiam spectant, excusserunt jam eruditi antiquarii; quæ autem ad corrupta auctorum loca inde restituenda, in quibus male leguntur expressa, jam in superioribus delibavimus, ubi Nummorum opem ac subsidium, ad scripturæ veteris rationem & vestigia revocanda haud parum conferre docuimus. Unde si ex Europa jam in vicinam Asiam trajiciamus, occurrent continuo PERGA-

GAMENORUM Reges, quorum nobilitatem nosti, quamquam non diuturnum adeo in Asia imperium. Fundamentum vero illius jecit PHILETÆRUS, Eunuchus & custos Regiæ Gazæ à Lysimacho constitutus; ita tamen ut arrepta vi dominationis, insigni & nomine Regio eundem abstinuisse doceat Strabo Hoc ipsum vero egregie firmant PHILETÆRI ejusdem Nummi mihi non semel inspecti, cum corona laurea vice diadematis, ac nuda inscriptione ΦΙΛΕΤΑΙΡΟΥ qualem etiam è penu Farnesiana in Imaginibus suis adtulit Ursinus. Strabonem tamen arguere videtur alter ejusdem Philetæri Nummus cum inscr. ΦΙΛΕΤΑΙΡΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ, à Goltzio in Thesauro descriptus, & qualem se vidisse aliquando testatur illustris Scaliger. Ut vero haud in animum induxi oculatis testibus temere fidem detrahere, sic adserentes egregie Strabonis locum Nummos etiamnum in præclaris Cimeliarchiis obvios præterire non debui. An vero Nummus ejusdem Mediceus, caput laureato Diademate vinctum præferat, sicut videbatur erudito nuper illius Gazæ custodi, nummi ipsius adspectus docere poterit, cujus equidem haud satis nunc recordor, ut quid certi ea de re velim aut possim statuere. Neque tamen diffiteor existimare me verisimilius, aliud quid potius quam diadema, quo abstinuisse Philetærum dicit Strabo, Nummum illum præ se ferre. Eo certe carent, quos alibi hactenus me vidisse memini. Quibus etiam accedere videtur Appianus, qui Philetærum Pergami Dynastam, omisso Regis nomine ac proinde insigni commemorat; Περγάμε, inquit, δυναστεύσας. Neque aliter Lucianus in Macrobiis hunc Philetærum docet primum Pergamenorum imperium fundasse ac retinuisse licet Eunuchum; eundemque octogenarium

Lib. XII.

Lib. III. Can. Isag.

vita

vita functum, nulla ibi, consueto alias more, Regii tituli facta mentione. Corrupti vero ibidem Luciani codices saltem in Salmurienſi editione, neque alia jam ad manus, ubi φιλαίπερ pro φιλέταιρ legitur. De vi nempe ac potestate securus, titulos facile & insignia omisit, *καὶ πάντα βασιλέως εἶχε τὴν δ' ἀρχὴν μόνην, & omnia Regis habuit, excepto nomine*, ut de Bagoa Persarum Satrapa Diodorus loquitur; ac de Sosthene Justinus, eum ab exercitu Regem appellatum, compulisse milites jurare non in Regis, sed in Ducis nomen. Immo quod de Philetæro innuit Strabo, id de Attalo etiam inter ejus successores notat Polybius; illi præter nomen Regis & Diadema, nihil ad regnum defuisse. Scilicet vivente adhuc fratre Eumene: eo enim mortuo Regio nomine & insigni ornatus, ut aliunde constat; quem & Philadelphum cognominatum ex Luciano observo, sicut successorem ejus Philometorem dictum aliunde constat. Alias adsumptum quidem nonnunquam Regis nomen, omisso tamen Regio vinculo; ut de AGATHOCLE Syracusanorum Tyranno refert Diodorus, eum admisso Regis titulo diademate tamen abstinuisse. Id vero Nummi adhuc ejus arguunt, inscripti ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ (licet eum auctore Plutarcho non Regem, sed *νησιάρχον* vocaret Demetrius) sed sine illo vinculo, frequentius etiam sine illius effigie. Quamquam etiam ne quid dissimulem, unum aut alterum nummum videas hujus Agathoclis in Sicilia Parutæ, cum illo Regio insigni. Verum crederem facile non omnes id genus Nummos, qui Regum Siciliæ capita præferunt, florentibus iis percussos; sed nonnunquam etiam diu post eorum mortem renovatos quasi ad memoriam superiorum temporum, & quidem in urbe elegantiarum omnium studiosissima. Ut ita

In Macrob. pag. 637.

Lib. XVI.

Lib. XXIV. cap. 5.

Exc. Legat. XLIII. pag. 919.

In Macrob. pag. 617.

Lib. XIX.

In Demetrio.

certe ſtatuam, me impellunt potiſſimum varia Hieronis & Gelonis Numiſmata, quorum capita Diademate itidem ornata conſpiciuntur; quum tamen eos illo abſtinuiſſe aperte doceat Livius, ac in Hieronymo ejus uſum ut antea inſolitum notet; *Nam quum per tot annos* HIERONEM *filiumque ejus* GELONEM *nec veſtis habitu*, NEC ALIO ULLO INSIGNI *differentes à cæteris civibus vidiſſent, conſpexere purpuram ac* DIADEMA, *ac ſatellites armatos.* Ita NUMAM videas in denariis Gentis Calpurniæ vinctum Diademate, quum tamen neque illum neque alios Romanorum Reges eo uſos ſatis conſtet. Quod ſi non aliunde liqueret, certe fidem faceret Juſtinus, de ætate quâ vixit Romulus, *per ea adhuc tempora Reges Haſtas pro* DIADEMATE *habebant, quas Græci ſceptra dixere.* Neque etiam inter ea imperii inſignia, quæ ab Etruſcis Romam leguntur delata, ulla Diadematis apud auctores mentio. Adeo ut ſatis mirari non poſſim ſupinam eruditi alias, neque leviter ab his litteris inſtructi Juriſconſulti, Andreæ Tiraquelli incuriam; qui ex Dionyſio ſcilicet obſervat, Diademata Regum Perſarum & Lydorum fuiſſe quadrata, Etruſcorum vero & Romanorum figura ſemicirculari; quum tamen id diſerte non de Diademate, ſed de Toga obſervet Dionyſius, neque eo loco ulla apud eum Diadematis mentio aut veſtigium. Ut mittam abſurdum illud de quadrato ſcilicet Perſarum Regum Diademate, quod ſinuatum in orbem ſupra è Nummis & Tacito vidimus, ac vinculi illius ratio ſatis ſuperque arguebat. Ad ſua itaque tempora & familiarem Regibus morem reſpiciebant id genus artifices, monetarii, pictores, ſculptores (quod vulgo illis ſolemne) in exprimendis ſuperioris memoriæ Heroïbus aut illuſtribus viris. Unde & vulgo ab iis revincta ſimili

Lib. XXIV. cap. 5.

Lib. XLIII. cap. 3.

Dionyſ. Halicarn. lib. III.

In Annot. ad Alex. ab Alex. lib. I. cap. 28.

Lib. III.

mili Diademate Dearum etiam capita, ut præter ſtatuas antiquas, Nummi paſſim Junonem, Venerem, Dianam, eo ornamenti genere conſpicuas nobis ante oculos ponunt. Immo id Poëtis etiam, quibus æqua ſemper ac pictoribus fingendi poteſtas, ſolemne obſervo, ut quum vel à Juvenali Quirino Diadema tribuitur,

Ancilla natus Trabeam & Diadema Quirini. Satyr. VIII.

vel à Seneca Atreo Argivorum Regi, *falſo comam Vinclo decentem*, aut Thyeſti ab Atreo apud eundem, *impoſita capiti vincla venerando gere*: more tamen per ea tempora apud Græcos ignoto nec niſi poſt plures ætates ex Oriente à Macedonibus deducto. Juſtinus, *Poſt hæc Alexander habitum Regum Perſarum, &* DIADEMA INSOLITUM *antea Regibus Macedonicis, velut in leges eorum, quos vicerat, adſumit.* Unde Diadema prius *Perſicum*, poſtea *Macedonicum* ac *Pellæum* dictum in ſuperioribus notavimus. Quo reſpexit etiam Auctor Maccabæorum, qui ut novum quid ac inſolitum obſervat, omnes ſcilicet Alexandri ſucceſſores, eorumque filios Diademata ſibi vindicaſſe. Immo ut de prædictis Agathoclis Nummis id in ſpecie ſtatuam, ex cælatorum nempe ingenio profectum, quod in uno vel altero occurrit Diadema, ſuadent præterea cum Diodorus, qui loco Diadematis Coronam eum geſtaſſe, tanquam in perpetuo ſacerdotio, obſervat; tum Ælianus, indicata etiam ejus rei cauſa, myrtea ſcilicet corona texiſſe deformis capitis calvitiem: quo nempe conſilio noſti Jul. Cæſarem lauream fronti adaptaſſe, ut ex Suetonio & Nummis ejuſdem obvium. Ratio autem hujus inſtituti, cur licet adſumpto Regio nomine, id præcipuum ejus inſigne Agathocles aliique ex humili & privata fortuna vel Conditores imperiorum facti, vel liberæ

In Thyeſti.

Lib. XII. cap. 3.

Maccab. I.

Lib. XX.

Var. Hiſt. lib. XI. c. 4.

quon-

quondam patriæ Tyranni, omitterent, ex eo videtur profecta, quod Diadema illud tanquam recenter ab Alexandri ſucceſſoribus è Regio Perſarum dominatu depromptum, tum in omnium oculos incurrens, novitate ſua vel faſtu majori cum invidia conjunctum videretur. Prius illud aperte ſatis innuit Diodorus, cum tradit loco ſupra indicato, Agathoclem Regis titulum adſumſiſſe exemplo ſucceſſorum Alexandri, ſed ſine Diademate quod ipſi uſurparunt; & quidem primi Antigonus ac Demetrius, ut id obſervat ac ſugillat ſimul gravis auctor Plutarchus. Poſterioris vero, minuendæ nempe invidiæ, fidem etiam facit Nicolaus Damaſcenus, qui refert poſtremum Regem Syriæ Demetrium, Myrinam Samiam meretricem Regii faſtigii conſortem habuiſſe, excepto Diademate. De Philippo autem ultimo Macedonum Rege aperte Livius; *quod populariter dempto* CAPITIS INSIGNI *purpura atque alio Regio habitu æquaverat, cæteris ſe in ſpeciem: quo nihil gratius eſt civitatibus liberis.* Ut facile liqueat, cur tam diu ab eo inſigni abſtinuerint Romanorum Cæſares; aut cur idem oblatum Julio, cauſam illi exitii acceleraverit. Alias non ſponte ſemper, ſed nonnunquam à majori poteſtate compulſi, gentis alicujus principes regiam illam frontis notam omiſerunt; ſicut de Hircano obſervat Joſephus, eum cum in Pontificatu, tum in Principatu gentis à Pompeio reſtitutum, ſed ita, ut uſus Diadematis illi prohiberetur, Διάδημα δὲ φορεῖν ἐκώλυσεν. Non ſolum autem Diademate, ſed & nomine Regio unum ferme inter ſucceſſores Alexandri CASSANDRUM abſtinuiſſe, obſervat alicubi Plutarchus: ubi commemoratis Antigono, Demetrio, Ptolemæo, Seleuco, Lyſimacho, qui Diademate uſi, Regis inſuper titulum adſumſerant, addit; ΚΑΣΣΑΝΔΡΟΣ

In Demetrio.

In Excerptis p. 506.

Lib. XXVII. cap. 31.

Lib. XX. Antiq. cap. 18.

ΔΡΟΣ ὃ (non Κάσανδρος) τ' ἄλλων αὐτῶν ΒΑΣΙΛΕΑ καὶ γεγραφότων καὶ καλούντων, αὐτὸς ὥσπερ πρότερον ἐώθει, τὰς ἐπιστολὰς ἔγραψε; *At* CASSANDER *aliis* REGEM *eum scribentibus & vocantibus, ipse priſtino ſuo more ſcripſit Epiſtolas.* Quod certe eximie illuſtrant ſuperſtites Nummi ejuſdem Caſſandri, in quibus caput ejus loco Diadematis leonino ſpolio ornatum, & in averſa parte Equitis figura, cum ſolo nomine ΚΑΣΣΑΝΔΡΟΥ viſitur, citra ullum ΒΑΣΙΛΕΩΣ ſeu Regis mentionem, ſicut vel ſequens Icon fidem abunde faciet. In Demetrio.

Unde utique liqueret, minus accurate Juſtinum vel Trogum, Regis titulum eidem Caſſandro aliquoties non ſolum tribuere, quod forte aliorum exemplo, qui juxta Plutarchum eundem illi deferebant, defendi poſſet, ſed inſuper notare, eum Antigoni, Demetrii ac Ptolemæi exemplo, qui Reges ſe juſſerant appellari, idem quoque factitaſſe, quibus auditis, CASSANDER *& Lyſimachus & ipſi* REGIAM *ſibi majeſtatem vindicarunt.* De Lyſimacho liquidum cum ex auctoribus, tum ex Nummis inſcriptis paſſim, ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. De Caſſandro negat id aperte Plutarchus, tale quid eum ſibi adrogaſſe, & ſuperior etiam nummus eidem ſuffragari videtur. Verum his rurſus intercedunt alii Nummi ejuſdem Caſſandri, cum apud Goltzium, tum in Theſauro Mediceo, qui Regis eidem titulum deferunt, ΚΑΣΣΑΝΔΡΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Quæ diverſitas ea de re vel Auctorum vel Numiſmatum ita debet conciliari, ut cum Plutarcho eo Regis Lib. XV. cap. 2.

titulo vulgo abstinuisse in litterarum inscriptionibus Cassandrum statuamus, eundem tamen ei passim ab aliis tributum, quod ille etiam innuit, & ab obnoxiis civitatibus cum ejus effigie publico ære percussum. Liceat etiam in hanc classem adscribere antiquiorem adhuc Cariæ Dynastam HIDRIEUM, quem ante Cassandrum, cui Caria obtigit, & florente adhuc Persarum imperio, Caribus præfuisse tradunt scriptores antiqui, Diodorus, Plutarchus, Arrianus. Eum vero Regio etiam nomine abstinuisse, quod vulgo illi Græcorum auctorum interpretes male largiuntur, liquet ex antiquo & insigni ejus Nummo, quem è Museo suo novissime protulit decus horum studiorum Seguinus; in quo hinc solis effigies, illinc senex barbatus Bipenni & hasta instructus, cum inscr. ΙΔΡΙΕΩΣ.

In Agesilao. Quæ firmat iterum Plutarchus, apud quem occurrit alicubi brevis Epistola ab Agesilao scripta πρὸς ΙΔΡΙΕΑ τὸν Κάρα *ad* HIDRIEUM *Carem*, citra ullam Regis mentionem. Reliqua quæ ad Nummum spectant, è laudato modo Seguino petat lector. Cæterum ut ad PERGAMENORUM Reges, quorum occasione instituta hæc notatio, ac in specie ad ATTALOS redeamus, occurrit fateor quidam Nummus, quem hic habes depictum, hinc cum capite galeato, illinc cum Aquila supra Labyrinthum, duobus Pileis utrinque ac duabus stellis, inscr. ΑΤΤΑΛΟC ΒΙΑΝΟΡΟC.

In Museo Christinæ Reginæ.

At

At vero nihil ad Reges Attalos adtinere hunc Nummum (ut quibuſdam tamen placuiſſe memini, ſola nominis conjectura ductis) facile equidem mihi perſuadeo; qui & Regium nomen, quod hic abeſt, dicuntur geſtaſſe, & alios, quam ejuſmodi BIANOREM parentem habuiſſe, cujus filium Græcorum more innuit ſe iſte Attalus nummo inſcriptus. Accedit ſimilis plane Nummus cum eiſdem in utraque parte ſymbolis, quem notavi itidem in Gaza Chriſtinæ Auguſtæ, unde ſuperiorem iconem expreſſimus; qui jam non Attalum Bianoris, ſed aliud nomen præfert vetuſtate ferme exeſum, ΦΑΙΝΙΠ. ΠΟC. ſignati nempe illi & ſimiles Nummi mea ſententia in Inſula Creta, & quidem in Metropoli quondam ejus Cnoſſo; ut colligo cum ex Labyrintho, qui vulgo in Cnoſſiorum nummis occurrit, quales plures habet Gaza Medicea, unum etiam cum ſtella præter Labyrinthum, tum præterea ex Aquila, quæ ut Jovis ΚΡΗΤΑΓΕΝΟΥΣ (ſicut vocatur in rariſſimo nummo, quem vulgavit Triſtanus, & videbam nuper archetypum in Cimeliarchio Collegii Claromontani) ales, frequens in Numiſmatibus Cretenſium; qualem ſupra in Nummis Hierapytniorum ejuſdem Inſulæ inſculptam etiam vidimus. Gemini autem illi Pilei & Stellæ, juxta nota & familiaria in Nummis antiquis ſymbola, Dioſcuros innuunt. No-

mina vero illa cum ATTALI BIANORIS, tum alterius PHÆNIPPI, aut similis appellationis, totidem significant loci Præsides, sub quibus Nummi id genus apud Cnossios percussi: juxta morem nempe in Græcorum Numismatibus obvium, ac Cretensis Hierapytnæ exemplo supra etiam adsertum, quorum Nummi cum eodem symbolo, solo Magistratus nomine distincti occurrebant. Præsidum cæteroquin id genus apud Cnossios meminit alicubi Arrianus, πρῳστὰτης χειροσφαιρήτων Κνωσίων (non ut ibi legitur Κνωσίων) *ut declareris Præses Cnossiorum.* Plures certe BIANORES, cujus filius superior Attalus, apud Græcos olim appellati, iique alicujus dignationis homines; qualis aut ille Conditor Mantuæ juxta Servium, divino vati commemoratus,

Dissert. lib. III. cap. 9.

Ad Eclog. IX.

——— *namque sepulcrum*
Incipit apparere BIANORIS;

aut alter è primoribus Acarnanum apud Livium; *Archelaus & BIANOR, principes gentis Acarnanum ambo.* Et in eo versabar, quum opportune incidit, adnotatum mihi alium Nummum in eadem Gaza inclytæ Reginæ cum iisdem symbolis, capitis galeati nempe in anteriori parte, Aquilæ autem in aversa, cum duobus itidem Pileis, & inscript. ΑΠΑΜΕΩΝ ΜΕΝΕΚΛΕΟΥΣ. Unde jam optio datur lectori, superiorem, de quo agimus, Nummum, aut Cnossiis ob priores conjecturas easque non contemnendas, aut vero Apamensibus adscribendi.

Lib. XXXIII. cap. 16.

Conclusio Dissertationis, cum explicatione aliquot Nummorum.

Mitto jam alia sexcenta, quæ ad illustrationem HISTORIÆ veteris GRÆCORUM aut BARBARORUM antiqui Nummi nobis insuper ob oculos ponunt. Quot REGUM aut ILLUSTRIUM Capita in iis adhuc expressa; quæ partim nominis aut loci adpositione

ne nota, aut de quibus aliunde licet conjecturam face- *rum singu-*
re; partim iisdem notis destituta, & ignota proinde *larium.*
etiamnum, in illustribus Cimeliarchiis occurrunt? Cujus postremi generis en tibi ectypum præclari Nummi aurei Gazæ Palatinæ, cum imberbis & diademate revincti effigie, illinc cum capite turrito.

An forte Cappadocum, an Cypriorum, an Cretensium, an vero Commagenorum Rex, quod initialis illa littera K in aversa parte signaret; sicut alias A. Argivos, Y Achaios, E. Epidaurios, & similia designant in antiquis Nummis? Quam venustus itidem Nummus argenteus ejusdem Gazæ Palatinæ, qui hinc Martis caput galeatum, illinc dimidium Equum, solitum Carthaginensium symbolum exhibet.



Cui haud dissimilem inter DIONYSII Siciliæ Tyranni Nummos relatum à Goltzio & Paruta videas. Quot præterea Gentium vel Urbium CONDITORES aut HEROES ex eadem supellectile Nummaria eruuntur ac illustrantur? Quam præclarum in eo genere Numisma Mediceum, in quo hinc caput laureatum cum inscr. ΤΕΡΜΗCCΕΩΝ; illinc figura semi-

núda ſedens cum parazonio, vel clava, & epigraphe COATMOC? Antiquus nempe Termeſſenſium Heros SOLYMUS, à quo & promontorium ſupra Termeſſum, dictum Solymus, & ipſi Termeſſenſes Solymi, ut Strabo jam olim vidit, & quem conſulere ea de re poterit eruditus lector. Ad quem Heroëm referri debet proinde illud, quod legebam nuper in veteri epigrammate inedito codicis quondam Palatini, jam Vaticani,

Lib. XIII.

Δῶρον ΤΕΡΜΗΣΣΟΙΟ διδασκαλίης χάριν ἀγνῆς
Εὐσεβίης ἱεράπων ἵδρυε ΘΕΩ τὸ γέρας.

Donum TERMESSI *puræ inſtitutionis ergo Pietatis cultor hoc* DEO *præmium dedicavit.* Haud alius nempe ille Termeſſi Deus, quam hic Solymus Heros ejus loci. Ex ſuperioris Nummi fide præterea, aliorumque ejuſdem loci, quales plures vidiſſe memini, inſcriptos itidem omnes ΤΕΡΜΗΣΣΕΩΝ, emendare licet corruptum vulgo TERMESSI Lyciæ, ſeu juxta alios Cariæ Urbis apud varios auctores nomen: quemadmodum apud hunc ipſum Strabonem, cui indicato loco recte Τερμησσὸς, alibi male Τερμησσὸν; tum inſuper apud Pauſaniam, Τερμισσεῖς; Stephanum Τερμισσὸς [a]; Polybium vero Τελμισσεῖ; [b] Arrianum Τελμισσῆς & Τελμισσεῖς; [c] Ariſtidem Τελμισσέως; [d] Gregorium Theologum, Τελμισσέων. Ex qua poſteriori lectione paſſim à librariis recepta, has voces nempe Τερμησσὸν & Gentile Τερμησσῆς, in Τελμισσὸς & Τελμισσῆς mutantibus, profectus itidem error, qui Ciceronem & Livium adhuc obſidet: Cicero quidem, *Tum Caria tota præcipueque Telmeſſus*, paullo ante, *Telmeſſus in Caria eſt*; Livius autem, *Telmiſſium item nominatim & caſtra Telmiſſium, præter agrum qui Ptolomæi Telmiſſii fuiſſet*; Item *Rhodiis Lycia data extra eundem Telmiſſum & caſtra Telmiſſium.* Vera enim hujus loci

Lib. XII. in Atticis.

[a] Exc. leg. XXXVI.

[b] Lib. I. περ. ἀναβ.

[c] Sac. Serm. I.

[d] Orat. I. in Jul. p. 100.

I. de Divinit.

Lib. XXXVII. cap. 56.

loci ſcriptura *Termeſſus*, non vero *Telmeſſus* aut *Telmiſſus*, minus autem *Telmiſcus*, ut exiſtimabat doctiſſimus Bochartus. Quid memorem rurſus alium Nummum raritate & elegantia ſingularem, quem Thomæ Chiffletio, avitæ & fraternæ laudis æmulo, acceptum feret Lector, qui eundem è Cimeliarchio Chriſtinæ Auguſtæ depromptum ad me tranſmiſit?

Quam pulcre vero ille Commentarii vicem præſtat divino Vati,

Α'λλ' οἷον τ' Τηλεφίδην κατενήρατο χαλκῷ
ΗΡΩ' ΕΥΡΥΠΥΛΟΝ, πολλοὶ δ' ἀμφ' αὐτὸν ἑταῖροι
ΚΗΤΕΙΟΙ κλεινοῦτο, γυναίων εἵνεκα δώρων.
Κεῖνον δὴ κάλλιστον ἴδον μετὰ Μέμνονα δῖον.

Homer. Odyſſ. Λ.

Sed qualem Telephidem proſtravit ferro HEROA EURYPYLUM, *multi vero circa illum ſocii* CETEII *interfecti ſunt muliebria propter dona. Illum vero pulcherrimum vidi poſt Memnona divinum.* Scilicet non idem ſolum oris decor, eademque HEROIS appellatio in ſuperiori Nummo; ſed præterea (quod erudite etiam notaverat amiciſſimus Chiffletius, litteris una cum tranſmiſſo Nummi ectypo ad me datis) ſolutio inde eruenda illius ænigmatis, quæ Strabonem fugit, dum ejuſdem Poëtæ verſus recitans, addit; Αἴνιγμά τι πιθεὶς ἡμῖν μᾶλλον, ἢ λέγων τι σαφές. Οὔτε γὰρ ἔστι ΚΗΤΕΙΟΥΣ ἵσμεν ὅς τι- Lib. XIII.

ἔς πινας δέξασθαι δεῖ, ἔπι τῶ γωιαίων ἕνεκα δώρων. ἀλλὰ καὶ οἱ γραμματικοὶ μυθάρια προβάλλοντες ἀρεσιλογοῦσι μᾶλλον ἢ λύουσι τὰ ζητήματα. *Quibus quidem verbis ænigma potius nobis proponit, quam ut diserte aliquid exponat; Nam non constat* QUOS CETEIOS *intelligere debeamus, neque quid sibi velint muliebria illa dona. Grammatici etiam dum fabellas adducunt, non tam solvunt quæstiones, quam rationes commiscendo indulgent.* Grammaticorum id genus de hoc loco expositiones videre adhuc hodie licet apud Eustathium, sed qui inter alia notat opportune, Ceteios hujus Eurypyli comites, dici quibusdam Pergamenos,

Pag. 1697. ἄλλοι δὲ Κητείους Περγαμηνοὺς ἐνόησαν. Id vero egregie firmat simul ac illustrat superior Nummus, qui à Pergamenis tamquam Eurypyli quondam sociis vel adsciis, signatum eundem Heroa repræsentat. Neque vero obscura erat ratio hujus appellationis, ex eo nempe profectæ, quod fluvius Cetius aut Ceteius præterflueret hanc

Lib. v. cap. 30. Urbem, ut Plinius diserte observat; *longeque clarissimum Asiæ* PERGAMUM, *quod intermeat Selinus, præfluit* CETIUS, *profusus Pindaso monte.* Hinc ergo Pergameni, haud minus ac vicini alii accolæ, Ceteii: sicut notum varia jam olim exstitisse cognomina fluviis loca, & ab iisdem denominata, ac apud Siculos quidem fre-

In voce Ἀκράγας. quenter, quod Duris apud Stephanum de Urbibus docet, & firmat exemplis *Syracusarum, Gelæ, Himeræ, Selinuntis, Phœnicuntis, Erycis, Acragantis*, & plurium id genus. At vero ne quid dissimulem, occurrit etiam similis plane Nummus in Gaza Medicea, cum iisdem symbolis & nominibus, nisi quod loco ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ, legat in eodem eruditus ejus Cimeliarcha, ΗCΑΑΑΜΙΝΙΩΝ. Ita etiam ejusdem Reginæ nummum, cujus Iconem, qualis ab amicissimo Chiffletio transmissa, modo expressimus, legisse antea videbantur eruditi

diti Urbis antiquarii; ex ea nempe, quæ ad eos dimanaverat, Medicei Nummi ſcriptura. At quum jam Nummi ipſius archetypi inſpiciendi accuratius non detur nobis facultas, lubricum videtur ac periculoſæ plenum aleæ, his aut illis temere fidem abrogare. Suffragari quidem prima fronte videtur doctis Antiquariis Templum illud Veneris Paphiæ, cum ejuſdem nomine ΠΑΦΙΑ, in averſa Nummi parte ſignatum, cum meta veluti pyramidali in medio; quo habitu Venerem apud Paphios cultam, Tacitus, ut notum, aliique deſcribunt; *Haud fuerit longum initia religionis, Templi ſitum, formam Deæ, neque enim alibi ſic habetur, paucis diſſerere*; mox: *ſimulacrum Deæ non effigie humana, continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum* METÆ MODO *exſurgens. & ratio in obſcuro.* Quæ in ſuperiori Nummo conſpicua, eundem proinde à Salaminiis Cypriis potius, quam à Pergamenis Ionibus percuſſum viderentur arguere. At nihilominus plura ſunt longe & certiora, quæ mihi ſuadent omnino, ut juxta expreſſam in ſuperiori Nummo ſcripturam, Pergamenis eundem cum Chiffletio adſcribam. Primum quidem, quod in Græcis Numiſmatibus vetuſtate ſæpe exeſæ inſcriptiones accuratiſſimos etiam nonnunquam fugiant, minus proinde in his exercitatis, maxime ob vicinos variarum litterarum ductus crebro imponant, atque ita ad alia trahantur, cujus ſexcenta exempla obvia in antiquariorum libris, & quorum etiam haud pauca ſuis locis in hoc opere notamus. Alterum, quod huic Eurypylo Heroï nihil commune legatur cum Cypriis exſtitiſſe. Plures quidem Eurypylos in ea Trojana expeditione legimus apud divinum Vatem, & quidem alterum ex Co Inſula Herculis filium, alterum vero Euæmonis ex Ormenio Theſſaliæ oppido, eoſque à partibus Græcorum ſtan-

Tacit. Hiſt. lib. II. 2, 3.

Iliad. B.

tes. Quibus alium insuper Eurypylum addere mihi liceat, cujus mentionem apud Apollonium Rhodium reperio,

Lib. IV. v. 1561. Εὐρύπυλον Λιβύῃ ἠπετόῃφι ἐγγεγαῶτα,
Eurypylum Africæ ferarum altricis indigenam,

& quem Neptuni ac Celænæ filium, & Cyrenarum in Africa Regem observat ibi Græcus interpres, adducto etiam eam in rem Callimachi testimonio. Iste vero de quo agimus HEROS EURYPYLUS, Priami è sorore & Telephi filius, ac *Telephides* proinde Poëtæ in priori versu paullo ante adlegato dictus, pro Trojanis dimicans interfectus. Si vero Strabonem consulamus, auctor ille Telephum Eurypyli hujus patrem, regnasse in ea regione, quæ circa Teuthraniam est & Caicum. Paullo ante vero Teuthraniam dixerat sitam inter Elæam, Pitanen, Ataneum, & Pergamum. Hinc itaque Pergameni in parentis Telephi, & postea filii hujus Eurypyli ditione, ac inde, ut jam intelligimus, & Strabonem tamen fugit, illius ad Trojanam expeditionem comites, sub *Ceteiorum* nomine, quod innuit inter alia Eustathius, à Poëta designati. At quod non vidit, saltem non observavit eo loco Eustathius, & mire tamen ad hujus rei & Nummi illustrationem facit, id apud Aristidem reperio, qui Telephum antiquissimum Pergami conditorem docet: duas nempe deductas in eam Urbem Colonias, primam & antiquissimam ex Arcadia à Telepho, secundam, sed dignitate præcipuam ab Æsculapio; Lib. XIII.

Tom. II. Orat. de Concord. p. 304. ἡ γάγεται τοῖς μὲν χρόνοις αὕτη δευτέρα τὶς ἀποικία δ' ὑρο ὖσα τ' Ἐπιδαύρου μὲν τὴν ἐξ Ἀρκαδίας τ' ἄμα ΤΗΛΕΦΩ, τῇ δ' ἀξίᾳ καὶ τῇ δυνάμει πολὺ πρεσβυτάτη πασῶν ἀποικιῶν· *Et quamquam temporis ratione secunda hæc est Colonia,* (de Pergamo loquitur) *è Græcia* POST ILLAM *deducta, quam ex Arcadia* TELEPHUS *cum suis deduxit, dignitate*

gnitate tamen ac potentia omnium eſt antiquiſſima. Haud mirum itaque in hujus originis memoriam, primi Conditoris ſui filium EURYPYLUM nempe Telephidem, ut vocat illum Poëta, publico ære à Pergamenis ſignatum. Tertium nec minus palmarium aut invictum argumentum, ΠΟΛΛΙΩΝΟC ſeu *Pollionis* nomen eidem Nummo adſcriptum ſuppeditat, nempe ΕΠΙ CTPA Γ. ΠΟΛΛΙΩΝΟC, *ſub Prætore Caio Pollione.* Inde vero ſicut ex aliis ſcripturæ indiciis, & Nummi ipſius intuitu ac elegantia, colligo eundem circa Hadriani vel Antoninorum tempora percuſſum. Ea vero ætate Pollionem quendam Aſiæ minori, in qua Pergamus, præfuiſſe, liquet mihi rurſus ex Ariſtide, qui in ſermonibus ſacris factum ſuum quoddam narrat, ἐπὶ ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ ἄρχοντος τῆς Ἀσίας; *ſub* POLLIONE *Præſide Aſiæ.* Id etiam pulchre firmat Nummus quidam Sabinæ, Hadriani Conjugis, ab eiſdem Pergamenis percuſſus, cum nomine ejuſdem Pollionis, ΕΠΙ CTPA. ΠΟΛΛΙΩΝΟC ΠΕΡΓΑ. *ſub Prætore Pollione Pergamenorum.* Quamquam ille Pollio, cujus Ariſtides meminit, ſub M. Aurelio demum Aſiæ Proconſulatum geſſiſſe videatur. Accedit poſtremo, extra Cyprum viguiſſe quoque cultum Veneris Paphiæ; & in ejus rei fidem & memoriam, nomen ac ſimulacrum ejuſdem ΠΑΦΙΑC, ac etiam Templum ſæpe in aliarum Gentium ac Urbium Nummis expreſſum. Ejus rei exemplum illuſtre præbet Nummus in urbe Aſiæ itidem minoris, nec ita procul à Pergamo diſſita, Sardibus nempe, & quod hic notandum, circiter circa eadem tempora ſub Hadriano nempe percuſſus, cum eodem illo Templo & ſimulacro Veneris Paphiæ, ac ſimili inſcriptione ΠΑΦΙΗ, nomine autem gentili CΑΡΔΙΑΝΩΝ. Exſtat ille inter collectos à Sir-

Sacr. Serm. IV. p. 611.

In Gaza Chriſtinæ Reginæ.

mondo nummos in Collegio Claromontano Parisiensi, quem ibi cum reliquis anno superiore inspectis opportune adnotasse memini. Nihil itaque mirum aut insolitum, si à vicinis etiam Pergamenis publico ære signatum idem Templum, & adposite quidem Paphiæ Deæ simulacrum in eodem Nummo, quo vel Adoni formosior juvenis, & eo nomine insigniter, ut audivimus, à divino Vate commendatus, depingebatur. Mitto jam quæ illustrandæ illi rei insuper facerent, similia nempe exempla vel Serapidis Alexandrini, vel Dianæ Ephesinæ, quæ sæpe in aliis nummis occurrunt quam vel Alexandrinis vel Ephesinis; quod de postrema erudite jam à te observatum, in eleganti illa tua de Nummo Apamensi dissertatione. Quibus exemplis à te ex hac penu Nummaria congestis liceat hic insuper addere, ut alios mittam, Nummum Gortyniorum Cretensium cum ejusdem Dianæ Ephesinæ seu πολυμάστ effigie, ac inscr. ΓΟΡΤΥΝ. seu *Gortyniorum*. Atque ita vides invictis, ut opinor, argumentis, quam vere & jure optimo insignis iste Nummus hujus HEROIS EURYPYLI, Pergamenis sit adscribendus; nihil autem caussæ vel rei subesse, cur ad Salaminios Cyprios, quo induxit eruditos Antiquarios Paphiæ Veneris in eodem mentio ac Templum, sit confugiendum. Et hæc quidem scripseram, quum succurrit opportune, inter quorundam rariorum Nummorum icones, quas olim mihi sepositeram, unam esse Pergamenorum cum aliqua Ceteii aut Ceteiorum mentione. Neque fefellit exspectatio. Talis enim mihi nummus occurrit sub M. Aurelio à Pergamenis signatus, in cujus aversa parte Æsculapii Pergameni statua cippo innixa, utrinque duo Fluvii recumbentes, cum ramis Apii, ut videtur, aquatilis, infra Coronæ; talis autem inscriptio ΕΠΙ CTPA.

In Museo Christinæ Reginæ.

CTPA. KAΛΛΙCTEOΥC CEΛEINO. KHTEIOC In Museo Reginæ Christinæ.
ΠEPΓAMHNΩN B. NEΩKOPΩN, *Sub Prætore Callisteo, Selinus, Ceteius, Pergamenis Bis Neocoris.*

De Æsculapio cippo innixo ac Pergamenis singulari religione culto res obvia; quem secundæ & nobilissimæ quidem Coloniæ Pergamum deductæ ducem supra ex Aristide vidimus; unde etiam præcipuus Dei illius cultus in ea Urbe videtur originem habuisse. Duas vero illas figuras recumbentes cum Apii fluviatilis ramis, duos Fluvios nobis repræsentare, non solum consuetus ille eorum in Nummis habitus arguebat, sed evincebant continuo adposita singulis nomina CEΛEINOC, KHTEIOC; quorum utrumque Fluvium ad Pergamum spectare liquebat ex adlato supra Plinii loco, optimo & clarissimo hujus Nummi interprete, *Pergamum, quod intermeat* SELINUS, *præfluit* CETIUS. Ut vero peculiare quoddam fatum agnoscas in his Pergamenorum Nummis, eundem etiam viderat & expresserat Tristanus, sed ita, ut veram ejus scripturam non sit adsequutus, & palmarium hic *Ceteii* nomen interverterit. Ita enim tradit ille hujus Nummi epigraphen, EΠI B. KAΛΥCTEOΥ CEΛEI. NOTIΩN ΠEPΓAMHNΩN ΔΥΣ NEΩKOPΩN; ut mittam aliquod in ipsa icone discrimen, cum in Ramis, tum ob omissas geminas Coronas. Immo ut dux erroris, Tom. I. Com. pag. 641.

facile ſocium aut invenit, aut facit, ſimilis etiam occurrit Nummus in Muſeo Mediceo, quem dum Triſtano nimium tribuit diligens alias ac egregie verſatus in antiquaria hac ſuppellectile Cimeliarcha, ad ejus fidem etiam eundem deſcribit. At certa & indubia, quam tradimus præclari illius Nummi ſcriptura, quem conſulere poteris in Cimeliarchio Chriſtinæ Auguſtæ; unde etiam ejus Iconem ſumus nacti, qualem vulgavimus, cum iiſdem omnino litteris ac ſymbolis inde expreſſam. Ut mittam jam Triſtani, præclare alias de his ſtudiis meriti, quæ inde fingit ſomnia, & quæ ſcilicet Geographos hactenus latuerint: duos nempe fluvios tractum Pergamenum irrigaſſe, utrumque *Selinuntis* nomine, unde *Selinuncii* dicti eorum accolæ: quæ omnia fide hujus Nummi & inſcriptionis, quam præferre eidem videbatur, conſtare exiſtimat. Eum nempe in hunc errorem induxit alius Plinii locus, ubi duos fluvios *Selinuntes* dictos, Epheſi Templum Dianæ docet præterlabi; *Templum Dianæ complexi è diverſis regionibus duo Selinuntes.* At alius Epheſi, alius Pergami ſitus; neque nummus iſte Epheſinus, ſed Pergamenus; neque in eo Templum Dianæ Epheſinæ, ſed ſtatua Æſculapii Pergameni. Ut mittam inſuper, quod Triſtanum hic fugit, diverſam ſatis utriuſque nominis rationem. Fluvius ille, qui Pergamum intermeabat, Σελινὸς vocabatur, ut docet nummi epigraphe, Plinio *Selinus.* At ille ſeu unus, ſeu geminus, qui propter ædem Dianæ Epheſinæ præterfluebat, Græcis dictus Σελλωῆς ſeu *Sellenus*, qui flectitur *Sellenuntis.* Id me docuit Xenophon, unde ſuperior etiam Plinii locus lucem & emendationem fœneratur; ᾗ ὁ Ἐφέσῳ ᾖ ὑδωρ τὸν τῆ Ἐφεσίας Ἀρτέμιδος νεὼν Σελλωῆς ποταμὸς ὑδορρεῖ. *Itidem apud Epheſum propter ædem Dianæ Epheſiæ Sellenus fluvius*

Lib. v. cap. 29.

Xenoph. Ephes. lib. v.

fluvius præterfluit. Unde liquet apud Plinium legendum *Sellenuntes* pro *Selinuntes*. Cæterum vides quam pulchre cum altero Plinii loco de situ Pergami, & duplici fluviorum imagine in Nummo expressa consentanea sit producta à nobis vera ejusdem Nummi epigraphe; ac præterea cum iis conveniant, quæ de Ceteiis Pergamenis paullo ante sunt à nobis adnotata; unde etiam Homerici ænigmatis, quale Straboni videbatur, certior adhuc & evidentior solutio eluceſcit. Quid vero præteream ipsos Heroum præcones, aut prima Urbium id genus decora, SAPIENTIÆ nempe ac LITTERARUM studiis inclytos vultus; ac præreliquis ipsum illum parentem ingeniorum HOMERUM, quem præ viri vetustate vel ad artificum ingenium, quod tradit Plinius, effictum (ut alibi jam innuimus) juvat tamen contemplari. Et certe, quo studio olim in tanto cive adoptando nobiles urbes certasse accepimus, eodem in illo effingendo, cum potiores ex iis, tum alia præclara quoque oppida contendisse, lubenter adhuc intuemur. Mitto Chiorum Nummum, abunde jam à Cl. Allatio in magni conterranei gratiam illustratum, & de quo nonnulla etiam supra monuimus; qui nempe hinc Sphingem, illinc Homeri caput exhibet, cum inscr. OMHPOC. En tibi vero eundem Melesigenam in duobus rarissimis Nummis expressum, priorem Smyrnæorum, alterum vero Amastrianorum.

Et

Et prioris quidem Ectypum similiter indulsit mihi peritus hujus memoriæ cultor, Thomas Chiffletius, quod æreum illud apud Smyrnæos monetæ genus *Homericum* dictum, cujus meminit Strabo, sicut etiam viderat amicus noster, nobis ante oculos ponit; καὶ δὴ καὶ τὸ ΝΟΜΙΣΜΑ τὸ χαλκοῦν παρ' αὐτοῖς ΟΜΗΡΕΙΟΝ λέγεται· *quin etiam* NUMMUS *quidam æreus apud eos* HOMERIUS *vocatur*. Scilicet, si Statium audis,

Lib. xiv.

Lib. iii. Sylv.

Smyrna tibi gentile solum, potusque verendo
Fonte Meles.

Non nostrum equidem tantam inter nobiles has urbes Chium & Smyrnam litem componere. Illud ferme liquidum, eas esse, quæ præ cæteris contendentibus, hujus civis natales potiori quodam jure sibi videntur adrogasse. Hinc apud Smyrnæos, non signatus solum ære ejus vultus, sed & erecta Porticus cum Templo ac Simulacro ejusdem: quod præter Strabonem confirmat etiam Tullius; *Smyrnæi vero suum esse confirmant. Itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt.* Unde iterum huc opportune referas illud Papiniani,

Lib. xii. pro Archia.

Lib. iv. Epig. 2.

Nectat adoratas & Smyrna & Mantua lauros.

Ut jam non mirum sit, Sacerdotes ejusdem Poëtæ ac Ædituos à Themistio adnotari; πολλὰς μὲν οἰκίας ἱεροφάντας καὶ νεωκόρους. Quæ equidem egregie illustrare videtur insigne illud & quantivis pretii Marmor, ante paucos annos in Urbis vicinia ac ditione Colonnensium Procerum feliciter effossum, & quod, ut præcipuum

Orat. xiii.

puum hodie inclyti eorum Palatii decus, singulari cum gaudio & voluptate aliquoties una spectavimus. Exhibet vero illud nobis, cum Templum ac sedentem Poëtam sceptro armatum, & cujus capiti figura muliebris à tergo coronam lauream imponit, & circumstantes Poëtam aliquot figuras, quibus omnibus adscripta hac serie nomina, ΕΥΜΕΛΙΑ, ΚΗΡΟΝΟΣ, ΙΛΙΑΣ, ΟΔΥΣΣΕΙΑ, ΟΜΗΡΟΣ, ΜΥΘΟΣ; tum adpositam ei aram & victimam, plurimasque dein Virtutum, Artium & Musarum figuras, quarum nonnullis in primo ordine positis addita etiam nomina, ΙΣΤΟΡΙΑ, ΤΡΑΓΩΔΙΑ, ΚΩΜΩΔΙΑ, ΦΥΣΙΣ, ΑΡΕΤΗ, ΜΝΗΜΗ, ΠΙΣΤΙΣ, ΣΟΦΙΑ; denique eundem Poëtam quasi consecratum ac in Deorum numerum adscriptum, ac montis Olympi, ut videtur, fastigio impositum, addito, more consueto in præclaris Græcorum statuis & marmoribus, artificis nomine, ΑΡΧΕΛΑΟΣ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ ΕΠΟΙΗΣΕ ΠΡΙΗΝΕΥΣ, *Archelaus Apollonii filius fecit Prienensis.* Sed de præclaro & insigni Marmore forte alibi accuratius: meretur enim publice exstare, & peculiari commentario illustrari, quod à te etiam præstitum iri aliquando significabas, idem vero vel obiter hic in Lectoris gratiam indicasse, haud illi ingratum, certe ab hoc loco haud alienum existimavi. Magnam equidem illius Marmoris vetustatem, cum alia arguere mihi videntur, tum in primis antiquissimæ in eodem scripturæ vestigia, ut in voce ΚΗΡΟΝΟΣ, ubi duas litteras ΚΗ videas litteræ X locum occupare, juxta morem apud Veteres illos Græcos receptum, antequam primævis sexdecim litteris, ut norunt eruditi, posteriores illæ adspiratæ adderentur. Sed hæc aliaque eo spectantia melius ad ipsum Marmor excutientur. Alter vero Nummus cum HOMERI iti-

dem ac fluvii Meletis effigie in aversa parte, & inscr. MEAHC, haud minus Smyrnæis patrocinari videtur, quorum urbem fluvius ille, ut notum, circumfluit. Falluntur enim eruditi antiquarii, qui ob adscriptum AMACTPIANΩN seu *Amastrianorum* nomen, Smyrnæorum coloniam fuisse Ponticam Amastrin, ac ideo Nummo illo Meletem insculptum. Altum certe apud veteres de ea deductione silentium. Condita ab Amastri Heracleæ, ut paullo ante vidimus, Regina hæc
Lib. XII. urbs ἀνώνυμος, & si Strabonem audimus, ex quatuor pagis, Sesamo, Cromna, Cytoro & Tio. Mansit illa inde in ditione Heracleensium, donec ab iis avulsa fuit à vicinis Bithyniæ Regibus, ut liquet ex Memnone a-
Cap. XVII. pud Photium. Celebre vero nomen progressu temporis inter nobiles Ponti urbes nacta, maxime sub imperio
Lib. X. Epist. 99. Cæsarum; unde Plinio juniori laudatur, *Amastrianorum civitas & elegans & ornata, habet inter præcipua opera pulcherrimam eandemque longissimam plateam.* Hinc eandem sapientiæ quoque & litterarum studiis floruisse, vel ex
In Pseudomanti. Luciano colligas; qui in eam se profectum docet, ut ulciscereturAlexandri illius impostoris, cujus histrioniam describit, impietatem, haud paucos ibi ad eam rem adjutores nactus, & maxime Philosophos è Timocratis schola. Ut non immerito eandem Urbem ob Philosophorum in ea copiam odio prosequeretur hic Pseudomantis. Unde etiam factum videas, ut in Urbe florente eruditorum copia & litterarum cultu eruditorum ac sapientum apud Græcos Deus & parens HOMERUS ære quoque signaretur. Quia vero vulgo ille MELESIGENES dictus, quasi fluvii MELETIS filius, qui Smyrnam, ut notum, circumfluit; hinc MEAHC quoque in aversa nummi parte expressus, nomine etiam ejus addito. Frustra vero sunt, qui inde aliquam Smyrnæorum

vel

vel Amaſtrianorum cognationem quærunt; aut indubium Coloniæ deductæ argumentum. Ita alium adhuc notavi nummum, cum in Muſeo Regio Parienſi, tum in Cimeliarchio Reginæ Chriſtinæ, qui hinc Homerum iterum ſignat, cum inſcr. ΟΜΗΡΟC; illinc vero caput turritum ac epigraphen AMACTRIC, ut vel inde ſingulare quoddam hujus urbis in hunc Poëtam ſtudium eluceſcat. Id enim pridem receptum apud Græcos, aut à Græcis profectas urbes, ut etiam extra contendentes de ejus natalibus, Templis ac ſimulacris Ἥρως ille καὶ Δαίμων, juxta Pythium Apollinem declaratus, coleretur. Hinc & à Ptolemæo Philopatore exſtructum huic Heroï Templum, ipſe vero decore ſedens collocatus: quo habitu ſuperior Smyrnæorum Nummus, ac Marmor paullo ante indicatum eundem repræſentant. Duos certe adhuc Nummos poſſidet Gaza Chriſtinæ Auguſtæ, hunc ipſum Meleſigenem effingentes; unum ſub M. Aurelio percuſſum cum Poëtæ capite & inſcr. ΟΜΗΡΟC ſine alia loci nota, ſaltem quæ hodie poſſit in eodem legi; alterum ab Ægienſibus cuſum Severi temporibus, cum effigie Homerum itidem referente, ut videbatur principi Urbis Antiquariorum, ac Nummi ejuſdem quondam poſſeſſori Fr. Gottifredi. Neque aliter PYTHAGORAS occurrit non ſolum in nummis Samiorum ſub Commodo & Gallieno ſignatis, cum inſcr. ΠΥΘΑΓΟΡΗC CAMIΩN; ſed præterea, ut exiſtimabat idem Gottifredus, in nummo quodam Nicæenſium, quem inclytæ Reginæ, una cum reliqua ſua penu Nummaria addixit. Quid jam referam Urbium ipſarum prærogativas & privilegia iiſdem Nummis, tanquam totidem Columnis aut æreis Tabulis, ad poſteritatis memoriam prodita? *Jus* nempe *ſacri & inviolati ſoli*; *ſuarum legum*; *Libertatis*; *Metropoleos* aut

Julian. Orat. III.

Ælian. Var. Hiſt. lib. XIII. c. 22.

Primatus; *Coloniæ*; *Ædituæ* denique & *Coronigeræ*; quæ singula tot Nummi Græcarum & Asiaticarum Urbium iisdem largiuntur: ut vel eo nomine fecunda proveniat haud vulgarium observationum seges, quas alio & peculiari loco trademus? Quid dicam erecta in iisdem Urbibus Opera; Templa; indictos solemnes earundem *Ludos* & publicos *Conventus*; *Societates*; *Concordiam*; *Fraternitates* denique, quæ in iisdem commemorantur? Quid singularum jam Urbium aut Provinciarum *Præsides*, *Proconsules*, *Sacerdotes*, *Asiarchas*, *Scribas*, alioque Magistratus vulgo etiam non obvios; cujus generis unum hic exemplum & illustre quidem juvabit in medium adferre, elegantem nempe Smyrnæorum Nummum, in nupera collectione Cl. Galliæ antiquarii, ejusdemque utriusque nostrum amicissimi Seguini occurrentem, cum inscript. ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ.

Vides in anteriori parte caput turritum, consuetum Urbium symbolum, in aversa vero figuram muliebrem at velatam stantem cum calatho in capite, & Victoria in sinistra. Hanc vero Vestæ seu Ἑστίας figuram facile crederem, quæ in Græcarum urbium Prytaneis colebatur, & cujus simulacrum in iisdem erigi solebat, juxta Pindari Scholiastem; ΠΡΥΤΑΝΕΙΑ φασὶ λαχεῖν τὴν ΕΣΤΙΑΝ, παρ' ὅσον αἱ τῶν πόλεων ΕΣΤΙΑΙ ἐν τοῖς ΠΡΥΤΑΝΕΙΟΙΣ ἐφίδρωται· PRYTANEA *dicunt sortitam* VESTAM, *unde Urbium Vestæ in* PRYTANEIS *statuebantur*. Hinc primus etiam Vestæ in urbibus illis Græcis

In Od. XI. Nem.

aut

aut Asiaticis cultus; unde Cyrus Sardes victor ingressus, primum Vestæ, dein Jovi, aliisque Diis rem sacram fecisse apud Xenophontem legitur; ἐπεὶ δὲ εἰσῆλθεν ὁ Κῦρος πρῶτον μὲν ΕΣΤΙΑ ἔθυσεν, ἔπειτα Διὶ Βασιλεῖ, καὶ εἴ τινι ἄλλῳ Θεῷ οἱ Μάγοι ἐξηγοῦντο. *Quum ingressus esset,* PRIMUM VESTÆ *rem sacram fecit, deinde Jovi Regi, & si cui alteri Deo Magi sacrificandum indicarent.* Instit. Cyr. lib. VII. Neque vero negotium facessent adscripti nummo Smyrnæorum ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ; quales passim in Græcis Urbibus præter Athenas exstitisse, ut Rhodi, Mileti, Tenedi, Argis, Thasi, Mytilenis, Epheси, erudite ad Athenæum notat ὁ πάνυ Casaubonus. Apud Rhodios certe summum fuisse eo nomine magistratum, & pleno cum imperio observo ex insigni eam in rem Appiani loco, οἱ μὲν δὴ τὸν Ἀλέξανδρον ἐκ τούτων εἵλοντο σφίσι πρυτανεύειν, ἅπερ ἐστὶν ἀρχὴ παρ' αὐτοῖς μάλιστα αὐτοκράτωρ· *illi vero ea de causa Alexandrum elegerunt sibi* PRYTANEM, *quæ apud eos dignitas omnium maximam habet auctoritatem.* Bell. Civil. lib. IV. Inde vox illa πρυτανεύειν, qua Appianus utitur, ab Ecclesiasticis scriptoribus, & à Gregorio Theologo non semel de Deo omnia moderante dicta, ut in funere sororis Gorgoniæ, ὑπὸ θεοῦ πρυτανεύοντος. Cæterum prædictis modo urbibus addendi jam Smyrnæi, ut arguit hic Nummus; & firmat insuper tum decretum Smyrnæorum de renovando Fœdere cum Magnesiis, ubi horum Legati dicuntur à Senatu invitandi ἐπὶ ξενισμὸν εἰς τὸ ΠΡΥΤΑΝΕΙΟΝ, *ad hospitales epulas in* PRYTANEUM: tum ipse Smyrnæus Aristides, qui alicubi (quod ad Smyrnæorum Marmor præteriit notare Cl. Seldenus) se inter eosdem Patriæ suæ Prytanes nominatum docet; εἶσιν ὑμῖν ἀρχαιρεσίαι κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ΠΡΥΤΑΝΕΙΑΙ περιβάλλει με ἡ βουλὴ δυσὶν καὶ τρισὶν ὑποπίπλων· *cum haberentur hoc tempore Comitia* PRYTANEA, Tom. I. Orat. XI. pag. 287. In Marm. Arundell. pag. 24. Serm. Sacr. V. p. 608.

NEA, *nominavit me Senatus, duobus vel tribus subscribentibus.* Et hæc ferme præter institutum hoc loco, quæ cum præclaris Nummorum id genus argumentis, ad alias sedes, & Geographicas imprimis locorum observationes ablegamus. Ad alia enim jam hic nobis transeundum, juxta institutæ hujus commentationis legem. Quamquam, aut me animus fallit, aut quæ vel hac Dissertatione sumus hactenus complexi, ad sanandam eorum cœcitatem abunde sufficient, qui in priscis Græcorum Nummis nullam aut exiguam lucem ad Historiam antiqui ævi illustrandam vident.

DIS-

DISSERTATIO SEXTA.

DE

PRÆSTANTIA ET USU

NUMISMATUM

ANTIQUORUM.

ILlud sæpenumero mirari soleo, OCTAVI jucundissime, cur in hac litterarum luce & circumfluenti præstantium ingeniorum copia, jaceant nihilominus ea studia, quæ patrum nostrorum memoria feliciter exculta, summo in pretio ac honore florebant. Scilicet divino ingenio & exquisita doctrina homines, quum toti in id incumberent, ut sepultas ac intermortuas literas denuo excitarent; hinc omnia studiose ac diligenter investigabant, quibus in ea nocte & caligine optimarum artium, plurimum iisdem luminis adferrent. Ita non libri solum, quibus veterum doctrina ac sapientia continentur, novo nitore ac cultu ab iis donati; sed & Nummos, Marmora, aliasque venerandæ vetustatis reliquias, in subsidium tam ardui operis, eadem alacritate animi & laboris contentione arcessebant. Unde multa præclare ab iis in hoc genere reperta, & magna cura elaborata etiamnum occurrunt; quæ si parem cupiditatem sequentium temporum forent nacta, ad consummati fastigii gloriam optimarum artium studia evecta pridem fuissent. At dum ardor ille parentum in liberis refrigescit; dum prioribus inventis contenti, tædio laboris aut difficultate operis langueſcunt eadem studia; dum soli ferme beatiores homines, aut artium

alias

alias ac disciplinarum rudes ea tractant, quæ acri ingenio & ab omni litterarum varietate instructos (quales tulit & habet etiamnum hæc ætas) requirebant; incredibile dictu, quantum ad consummationem perfectionemque earundem litterarum adhuc desit. Sed aliqua spes adfulget, adesse meliora tempora, & excitari denuo homines, qui incensi laudabili studio, omnem hanc memoriam, quæ Nummis, aliisve monumentis antiquis adhuc sepultis vel intactis continetur, ornandam sibi ac omni doctrinæ & litterarum genere illustrandam suscipiant. Quorum animos si hoc meo qualicunque labore, ad præclarum adeo consilium incendere ulterius ac inflammare valeam, tum equidem uberrimum operæ ac laboris fructum me tulisse reputabo. Sed interim ad institutæ commentationis seriem revertamur.

Usus Nummorum Consularium, quos vocant.

In ROMANA quidem HISTORIA, quam facem hic Nummi præferant, minus ut puto, obscurum erit aut reconditum. Qui enim hactenus Numismata veterum illustrare sunt adgressi, hunc potissimum industriæ suæ campum delegerunt. LIBER ÆQUIDEM REIPUBLICÆ, hoc est, heroica Urbis tempora multa caligine involuta haud ignoras, dum illius scriptores vel mutilos terimus, vel perditos desideramus. Occurrit vero huic incommodo superiori sæculo aureum illud FAMILIARUM ROMANARUM opus à Fulvio Ursino, ex priscis numismatibus, nescio an laudabilius susceptum, an absolutum felicius. Quæ enim intacta reliquit posteris, aut cæteroquin minus adsecutus est (qualium forte seges non contemnenda, ut cum alibi jam ante, tum uberius in progressu hujus operis docebitur) nullam tamen eidem consummati operis gloriam detrahunt. Ut equidem haud immerito à magno

gno Scaligero, divini libri elogio ornatum dicatur, & in quo equidem multa se didicisse ingenue agnoscat. Scaligerian. pag. 364. Commode vero dum hæc scribebamus, ut nosti, adlatus idem liber in Urbem post longas moras, à Carolo Patino, antiquariæ juxta ac medicæ rei optimo promicondo feliciter auctus & recognitus. Quo nomine, quantum diligentiæ illius ac industriæ, & eorum qui Symbola hic sua contulere, Lomenio Briennæ Comiti, Seguino, Brunotio, non antiquaria solum, sed universa res litteraria debeat, lubenter hic profiteor; qui ab obvia comitate viri singularis exempli Francisci Gottofredi, brevem hujus voluptatis usum continuo impetravi. Nec fefellit certe exspectatio. Talem enim jam ante noveram vel solam Fulvianam collectionem, in qua non tam liceret agnoscere prisca Romanorum stemmata, quam ipsam cernere veteris Reip. imaginem, & inde simul multiplicem usum ad Historiam illorum temporum mutuari.

I. *Ad Notitiam Familiarum Romanarum.*

Primum statim arguit ampla illa GENTIUM vel FAMILIARUM series, quæ Nobilitatem fere omnem principis gentium Populi, uno quasi obtutu inspiciendam præbet. Adeo quidem, ut funeri te non unius Consularis, sed totius Reipub. credas interesse; in quod ex prisci moris vestigiis Imagines tot clarissimarum Gentium inferri longo ordine videas. *Imaginum enim specie, non sumptibus nobilitari maximorum virorum funera solere*, aiebat olim Senatus Princeps M. Lepidus. Epitom. Livii lib. XLVIII. Nobilius certe funus hic fatearis quam illustris illius matronæ, cujus meminit Tacitus, Juniæ nempe C. Cassii conjugis & sororis M. Bruti, in cujus funere *viginti clarissimarum Familiarum imagines antelatæ sunt*, Annal. Lib. III. c. 6. *Manlii, Quinctii, aliaque ejusdem nobilitatis nomina*; aut quod de funere Drusi Tiberii filii idem Annalium Scri-

Annal. IV. cap. 9. ptor alibi obſervat; *funus imaginum pompa maxime illuſtre fuit, cum origo Juliæ gentis Æneas &c. cæteræque Claudiorum effigies longo ordine ſpectarentur.* Eædem quippe hic tibi occurrent JUNIORUM, CASSIORUM, MANLIORUM, QUINCTIORUM, JULIORUM, CLAUDIORUM, tum longe adhuc plurium Gentium imagines, quibus hodierni Quirites veſtri etiamnum poſſunt adſurgere. Qui enim præter gentes illas modo commemoratas, ÆMILIAS inſuper, CÆCILIAS, CORNELIAS, FABIAS, FURIAS, PAPIRIAS, PORCIAS, SULPITIAS, VALERIAS, ut tot alias mittam, poſitas ante oculos cernit; fruſtra alibi aut celebritate perſonarum, aut dignitate munerum, aut geſtorum gloria, aut caritate in patriam, aut cunctis pacis & belli artibus illuſtriores quæret. Flos ille utique delibatus populi Gentium victoris; Prætorum autem, Conſulum, Dictatorum, & Cæſarum tandem ſeminarium; & qui Reges Legatis Regum, Dei autem Regibus olim videbantur. Neque ego hic commendationem eorum inſtituo, niſi quatenus ex ea pretium accedit iis monumentis, quæ in illis propagandis aut adſerendis in priſtinam lucem hodie feliciter inſerviunt. Peculiares quidem illuſtrium id genus Gentium Commentarios exſtitiſſe olim accepimus, quales PORCIÆ Familiæ legiſſe ſeſe profitetur Gellius; *Quum*, inquit, *& laudationes Funebres, & librum Commentariorum de Familia Porcia legeremus.* Ubi obiter obſervo, FAMILIAM ibi, ſicut frequenter in lapidibus & ſupra, atque alibi non ſemel apud Tacitum, pro tota gente poſitam; quod & [a] Velleio, [b] Valerio Maximo, aliiſque familiare, *Principe illo Familiæ Porciæ*, item *Poniæ Familiæ*; quam tamen vocis Familiæ eo ſenſu ſignificationem improbaſſe aliquando viros doctiſ-

Noct. Attic. Lib. x. c. 18.

[a] Velleius Lib. II.
[b] Valer. Max. Lib. III. c. 2.

doctiſſimos novi. Quod nec prætereundum fuit hoc loco, ne ſine idoneo exemplo factum videamus ab Urſino, dum eaſdem non Gentes ſed Familias inſcribit. Quamquam, ut noſti, Gentes vocentur frequentius apud antiquos & aureæ ætatis Scriptores, Salluſtium, Tullium, Livium, alioſque, qui notum etiam Gentis ac Familiæ diſcrimen tradunt, ut Salluſtius; *igitur Sulla, Gentis patritiæ nobilis, Familia prope jam exſtincta majorum ignavia*; ubi per Gentem Corneliæ, per Familiam Sullæ in eadem Gente dicti intelliguntur. Iterum Livius: *orationemque habuit plenam veris decoribus, non communiter modo Corneliæ gentis, ſed proprie Familiæ ſuæ*; qui & alibi unius Gentis Potitiæ duodecim Familias eadem tempeſtate dicit exſtitiſſe. Cæteroquin præter Commentarios illos de Familia Porcia Gellio commemoratos, noſti quoque laudatas veteribus Varronis, Attici, Hygini, Meſſalæ, Suetonii in hoc monumentorum genere lucubrationes, quas haud inſolitum illuſtrium Familiarum fatum poſteris invidit. Hanc autem vel Commentariorum, vel Genealogiarum, quas vocant, jacturam opportune ſupplet, illa Conſularium, quos vulgo appellant, Nummorum ſupellex; quæ Veteres Patritias & Plebeias, hoc eſt, primævas & incorruptas Quiritium Gentes, & præclaras earundem adfinitates complectitur. Neque enim adhuc Romanus ſanguis cum Barbaro fuerat commixtus; nondum varietas & confuſio generis inducta; nondum duo aut plura nomina in unum gentilitium coëuntia, omnem ſucceſſionis vel ordinem vel rationem turbarant. Infuſa illa brevi ſub Cæſaribus varietas & commixtio; qua omnis interrupta gentilium propago; qua novi homines cupide ſe intruſerunt in veterum ſtirpem; qua priſcæ Gentes ÆMILIÆ, CORNELIÆ, FURIÆ, JULIÆ, SEM-

L. XXXVIII. cap. 58.

Lib. IX. cap. 29.

PRONIÆ, aliæque noviſſimæ Nobilitati acceſſere; qua commercio & adfinitate cum exteris, deſcivit à prima origine ſimul ac virtute Romanus ſanguis. Poſteriori vero ætate, ſub Chriſtianis Imperatoribus, dum nempe una Chriſti teſſera pro omni inſigni Gentilitio ſufficere videbatur, interverſum ferme omne Familiarum diſcrimen, nullo jam certo aut ſtabili gentis nomine; non turbata amplius, ſed ſublata omnis ſucceſſio; nec adulterata ſolum, ſed quaſi exſtincta univerſa Romani hujus ſtemmatis ſeries. Neque ſic tamen defuere, vergente plane ad occaſum imperio, ſancti & graves etiam in Urbe Cives, qui ad antiqua illa Reip. decora, quorum digeſta è Nummis antiquis apud Urſinum ſeries, genus adhuc ſuum referebant. Quam certè laudem videas B. Hieronymum paſſim ſanctis illis feminis aſcribentem, Furiæ, Lætæ, Paullæ, Paulinæ, Euſtochio, Fabiolæ, quæ illi dicuntur,

[a] ad Furiam. p. 79. T. 1.
[b] ad Pammachum. p. 164. T. 1.
[c] ad Euſtochium. p. 169. T. 1.
[d] Ibid. pag. 170.
[e] Epitaph. Fabiolæ. p. 197. T. 1.

[a] modo habere *genus à* CAMILLO, [b] modo *Conſulum Pronepos & FURIAM germinis decus*; [c] modo GRACCHORUM *ſtirps, ſoboles* SCIPIONUM, PAULLI *hæres, cujus vocabulum trahit*, MARTIÆ PAPIRIÆ *matris* AFRICANI *vera & germana progenies*; [d] modo, *Toxotio, qui* ÆNEÆ *&* JULIORUM *altiſſimum ſanguinem trahit; unde etiam filia ejus Euſtochium* JULIA *nuncupatur*; [e] modo, *alius forſitan ſcholæ memor*, Q. MAXIMUM &c. *&* FABIORUM GENTEM *proferret in medium*, & quæ plura hujus generis apud eundem occurrunt. Neque vero hic ego generis controverſiam movere illis intendo, qui ſtirpem ſuam ad CÆSIAS, COCCEIAS, CORNELIAS, JUNIAS, MUCIAS, VITELLIAS aliaſque adhuc hodie referunt. Immo gratiam potius ab iiſdem exſpectant id genus monumenta, quorum beneficio generis ſui auctores

ctores & Ἀρχηγέτας certe haud pœnitendos adſpicere illis non ſolum datur; ſed etiam domi eorum imagines in Atriis, Muſeis, more veteri diſponere & adſervare conceditur. Commune vero rei litterariæ, non privatorum aliquot beneficium mecum hic reputas, mi OCTAVI, Veteres & recentiores Quiritium FAMILIAS aut GENTES Nummorum ope diſtinguere; (quod utinam caviſſet Antonius Auguſtinus) diſtinctas juxta claſſes diſponere; diſpoſitas illuſtrare; vetuſtis novitatem; nuper inventis vetuſtatem addere. Eo minus enim ludibrium debuerunt hactenus Romanorum ſtemmatum Collectores, quo his ſubſidiis magis inſtructi, rem alias præclaram & ſummæ induſtriæ ſunt adgreſſi. Unde etiam poſt Volaterranum, Sigonium, Urſinum, Ant. Auguſtinum, Pigium, Panvinium, Schottum, & gentiles ſuos, Streinium, Glandorpium, Reinuccium, Reuſnerum, haud ineruditus vel indiligens Germanus non ita pridem novum & luculentum opus de Familiis Romanis moliebatur, eidem adfecto præmature immortuus. Quibus vero præſidiis, & qua fiducia potiſſimum impulſus, manum operi admoverit, ipſe alicubi declarat; *Et quantus Numiſmatum numerus eſt, quæ nec ipſi (Urſino) nec aliis tentata ſpem certam mihi faciunt, fore, ut in iſtis utiliter laborem, & in multis cibum ſumam minime præmanſum.* Epiſt. Ruperti, ad Tom. Reineſ. p. 64. Nec prætereundus hoc loco antiquarius ſuperiori ſeculo haud incelebris Pyrrhus Ligorius, inter cujus monumenta inedita, quæ in Bibliotheca Chriſtinæ Auguſtæ adſervantur, duo ſe opera mihi obtulerunt, unum *de Illuſtribus Viris* apud Romanos, alterum *de Familiis Romanorum.* Ita vero utrumque ab eo contextum deprehendi, ut non continua aut diſpoſita ſerie, more Fulviano, ſed ſingulares aliquot viros & Familias, adductis nummo-

rum lapidumve subsidiis, illustrare sit adgressus. Quo successu vero id ab eo præstitum, ex iis, quæ supra de ingentibus viri laboribus libere simul & candide protulimus, licebit facile cuique judicium ferre. Utinam saltem, aut exstarent hodie pleraque ea monumenta, ex quibus penum suam locupletavit; aut de singulis eundi in consilium, Herculei operis institutum eidem permisisset.

Neque tantum illustres jam ex Annalibus & Fastis, sed obscuras etiam, & aliunde ignotas Familias tradunt gentilitia id genus Numismata. Ita CREPUSIAS, DURMIAS, FABRINIAS, RENIAS, SEPULIAS, & novissimæ collectionis MINCIAS, TREBANIAS, aliasque alibi hactenus, quàm in hisce Nummorum monumentis obvias negant docti earum interpretes, frustra certe in vulgatis Familiarum Romanarum Onomasticis quæras. Ut mittam ACCOLEIAM, CORDIAM, EGNATULEIAM, FARSULEIAM, MUSSIDIAM, quarum vel obiter forte aut Cicero, aut Livius, aut Marmor aliquod memoriam servant, & quam prope intermortuam Nummi felicius renovant. Quam præclarum autem post longam tot seculorum noctem, excitare denuo integrarum Gentium imagines; vitam & lucem densa temporum caligine oppressis restituere? Accedunt his Gentes etiam aliæ, MÆVIÆ, SEXTIÆ, SOSIÆ, JULIÆ, VENTIDIÆ, quas Cl. Seguinus primus novissime ex Nummis illustravit; & quibus aliunde licet haud ignotis, augetur insuper numerus Ursinianæ & Patinianæ collectionis. Neque vero lapidum tacenda cæteroquin in Familias id genus merita, quibus sepulchra Cunarum quodammodo vicem præstant; quæ nec jacere tamen easdem, sed feliciter resurgere largiuntur.

tur. Talium certe amplam segetem, præter Gruterianum Thesaurum, inedita id genus monumenta adhuc recondunt; quibus harum lautitiarum cupidos, licebit viris longe eruditissimis Reinesio, Gudioque nostro tandem aliquando demereri.

2. *Ad Notitiam Prænominum & Cognominum earundem Familiarum.*

Equidem præter communia GENTIUM nomina, alias etiam PRÆNOMINUM & COGNOMINUM appellationes, quibus Gentes in Familias, & Familiæ rursus in plura capita apud Romanos distinctæ, eadem Nummorum supellex præbet. Quæ eo accuratius observanda, quod aut plurima id genus aliunde sint ignota, aut in designandis viris illustribus, à diligentissimis etiam auctoribus passim præterita fuerint; dum eos vel cum solo Gentili nomine, aut solo Cognomine frequentius, nonnunquam etiam cum nudo Prænomine efferre solent. Quæ diversitas frequenter obvia cum apud Latinos Scriptores, tum inter Græcos Latinosque, ubi eorundem hominum meminere. Accedit, quod eadem nomina apud eos mutata sede non semel transponantur, ut nempe præpostero ordine Nomen Gentile Prænomini, aut Cognomen Nomini Gentili sit prælatum. Prioris exemplum præbet apud Dionysium Πίσων Λεύκι@, alibi Γέλλι@ Γναῖ@, pro L. PISO, & CN. GELLIUS; quemadmodum etiam vocantur in denariis Gentis Calpurniæ & Gelliæ. Apud Dionem similiter legas, *Claudium Appium*, *Domitium Lucium*, *Galbam Servium*; & apud [b] Josephum, *Minucianum Marcum*, ac similia alibi, quorum loco, obvii Nummi inscripti, APP. CLAUD. aut SER. GALBA. Frequentius autem Cognomina Gentili præposita, idque Græcis imprimis, ubi Romanorum nomina recensent, familiare; sicut iisdem [a] Dionysio, [b] Josepho, Dioni, apud quos passim occurrunt *Piso Calpurnius*, *Tubero*.

Lib. II.

[a] L. XXXIX. & XL.
[b] Antiquit. lib. XIX. c. I.

[a] Dionys. lib. I.
[b] Joseph. antiq. lib. XVII. cap. 7.

bero Aelius, *Varro Terentius*, *Varro Quinctilius* aliique, quorum nominum transpositam sedem, si non aliunde constaret, arguerent eorum Nummi adhuc superstites aliter inscripti. Immo id Romanis etiam Scriptoribus solemne videas; quod vel unius *Veteris Antistii* exemplo liceret illustrare; sicut cum apud Velleium, tum apud Ciceronem ipsum vocatur, ubi male postremæ doctorum virorum editiones *Severum Antistium* reposuerunt. Hujus enim, præter Plinium, qui illius etiam meminit, antiqui denarii aliter eadem nomina disponunt, & cum ejusdem, quod latebat Prænomine, C. ANTISTIUS VETUS. Scilicet non Velleio solum solemnis ea transpositio, cujus rei multa apud illum exempla, *Cato Porcius*, *Lepidus Aelius*, *Balbus Cornelius*, *Drusus Livius*, *Drusus Nero*; sed & Livio, Tacito, Nepoti, apud quos, *Collatinus Tarquinius*, *Cursor Papirius*, *Ahala Servilius*, *Capitolinus Quinctius*, *Priscus Helvidius*, *Valerius Antias*, *Marcellus Claudius*, pluraque id genus reperiuntur. Ut certe vel inde liqueat, jure à Sigonio reprehensum Robortellum, negantem unquam ordine præpostero Cognomen Prænomini, aut Cognomen Nomini prælatum.

Epist. ad Quint. II. 1.

Lib. XXXI. cap. 1.

Quale Nomen Proprium apud Romanos.

Quo spectat præterea, quod nata sit ingens secutis temporibus appellationum id genus permixtio & varietas, quæ ab usu priorum temporum distingui debet, & ex eodem illustrari. Ita vel quale Nomen proprium fuerit apud Romanos, non hodie solum sed jam olim fuisse dubitatum, liquet ex Plutarchi cum Posidonio ea de re controversia. Factum id vero, dum gravissimi alias auctores, aut non perpendunt accurate id genus appellationum originem vel gradus; aut non distinguunt diversa Reip. & Cæsarum tempora, aut propria personarum & Familiarum nomina confundunt; quæ

In C. Mario.

omnia

omnia commode possunt ex Nummis Familiarum Romanarum intelligi. Alia nempe illi suppeditant Propria Gentium integrarum Nomina, ut ÆMILIAS, CLAUDIAS, CORNELIAS, alia rursus propria diversarum Familiarum in eadem Gente, ut in Æmilia PAULLOS, LEPIDOS, BUCAS, in Claudia PULCHROS, MARCELLOS, in Cornelia SCIPIONES, SULLAS, LENTULOS & plures; alia iterum propria singulorum ejusdem Familiæ, puta Paullorum aut Lepidorum, CAIOS, LUCIOS, MARCOS. Priora, seu Gentilia, propria scilicet (sicut vocantur Dionysio, ut infra dicetur) Genti, quibus ab altera Gente distincta, velut *Claudia à Cornelia*; Communia vero eadem Plutarcho dicta, respectu nempe Familiarum seu Gentilium *Scipionum*, *Sullarum*, *Lentulorum*, qui omnes erant è Gente Cornelia. Altera, quæ eidem Auctori COGNOMINA, Propria quidem Familiæ, quibus ea ab altera Familia distincta; puta SCIPIONES & SULLAS in Gente Cornelia: Communia vero nonnunquam aliarum gentium Familiis, ut BALBI Antoniæ, Corneliæ; GRACCHI Antistiæ, Semproniæ, Juliæ. Postrema vulgo, sed prima ordine PRÆNOMINA, Propria Fratribus ejusdem Familiæ, quibus invicem discreti; Communia autem cum in eadem Familia, ut CNÆO Pompeio Patri & Filio; tum aliis Familiis ejusdem Gentis, ut LUCIIS Scipionibus, LUCIIS Sullis. Hæc autem primæva nominum discrimina nullibi evidentius, quam in Nummis aut Lapidibus antiquis, de quibus hic agimus, expressa reperies. Eadem jam olim notaverat Appianus, qui Romanis unum primo nomen usitatum scribit, quod & Varroni placuit, more nempe Græcorum, ut docent exempla ROMULI & REMI; mox In Præfat.

alterum superadditum, quod Prænominis loco Gentiles inter se distingueret, ut TULLUS HOSTILIUS,
Lib. I. cujus Gentis nempe alius *Hostus Hostilius* apud Livium occurrit. Istud autem, quod Prænominis vicem obti-
Lib. III. & IV. nuit, *Commune* vocatur Dionysio, & *Appellativum*, ut LUCIUS, SERVIUS; alterum vero eidem *Gentile*, *Patronymicum & Proprium*, ut TARQUINIUS, TULLIUS. Tertium vero brevi repertum seu Cognomen, quod nempe à gestis aut adfectibus animi vel corporis, ad majorem adhuc distinctionem, ut idem tradit Appianus, inditum: Sicut L. TARQUINIUS SUPERBUS, L. JUNIUS BRUTUS. Et certe liquet
Lib. IV. ex Dionysio, quod jam vidit Sigonius, initium habuisse apud Romanos usum id genus Cognominum, in hoc Tarquinio; ita ut quum eadem cum Avo, L. TARQUINII nempe, nomina præferret, inde factum ad utriusque discrimen, ut alteri *Prisci*, alteri *Superbi* Cognomen sit adjunctum. Ita vero brevi mos invaluit, ut usus ille trium Nominum paullatim nobiliorum Romanorum evaderet (quamquam non omnium, ut quidam existimarunt) unde illud Satyrici,

Juvenal. Satyr. V. —— *Si quid tentaveris unquam*
Hiscere tanquam habeas tria Nomina.

vel Ausonii,

Idyll. XI. *Tres equitum turmæ, tria Nomina nobiliorum.*

Ibi vero postremum hoc Proprium maxime tum habitum liquet; quum nempe ex propriis uniuscujusque aut notis corporis, aut gestis primum indebatur, ut juxta morem semel receptum, CICERO, SULLA, MAGNUS. Quod egregie certe illustrant antiqui denarii Gentium Romanarum, in quibus Cognomen vulgo capiti illustri adjunctum videas in anteriori Nummi parte, ut COTTA, RESTIO, PANSA,

ACI-

ACISCULUS, tanquam Propria singulorum nomina, in aversa vero cum Bigis, Quadrigis, aliisve symbolis adlitum demum Prænomen & Gentile, ut M. AURELIUS, C. ANTIUS, C. VIBIUS, L. VALERIUS. Sic MARCELLINUS, AHALA; eorum vultibus adscripti, qui in Gente vel Claudia vel Servilia primi id genus Cognomina retulere. Unde etiam adoptati, adsumto Prænomine, Nomine & Cognomine adoptantis, solum Cognomen prioris fortunæ insuper retinebant; ut P. Cornelius Scipio à Q. CÆCILIO METELLO adoptatus, Q. CÆCILIUS METELLUS SCIPIO dicebatur; sicut præter auctores, in denario Gentis CÆCILIÆ adhuc hodie describitur. Quæ satis arguunt meo quidem judicio, incautius egisse ad Sidonium doctissimum Sirmondum, qui hæc pro diversa temporum ætate non distinxit, & Proprium nomen Romanis ante Cæsarum tempora, non Cognomen, sed Prænomen semper fuisse existimat. Quid vero de Dionysio statuet, qui neutri ex iis, sed medio seu Nomini Gentilitio, ut diximus, Proprii nomen adscribit, ubi de Servio Tullio loquitur: ᾧ τὸ ὄνομα τραφέντι ὑπὸ μητρὸς τὸ μὲν ΙΔΙΟΝ τῆς συγγενικὸν ὄνομα ΤΥΛΛΙΟΝ, ὑπὸ δὲ πατρὸς προσηγορικὸν ΣΕΡΟΤΙΟΝ; *cui, quum à matre aleretur, imposuit illa nomen quidem* PROPRIUM *& Gentile* TULLIUM, *à patre appellativum vero* SERVIUM. Et in eundem sensum loquitur auctor libri, qui vulgo Valerio Maximo adscribitur; *quod per proprietatem dicitur, hoc distat, quia eo Gens cognoscitur, ideo dicitur Gentilitium; Cætera ordine variantur.* Proprium ergo aliquando Gentilitium. Immo Prænomen etiam & Cognomen illi postea superaddita, hic vices etiam suas habuere; istud nempe postremo loco repertum, ut maxime proprium & peculiare uniuscujusque

Lib. IV.

Lib. X. Val. Max.

niuſcujuſque, ſicut ex Appiano modo vidimus, & ratio nominis arguebat. Ubi vero idem commune rurſus liberis & nepotibus evaſit, ut vel SULLÆ, vel MAGNI, vel CICERONIS Cognomen; tum non Perſonis amplius ſed Familiis proprium manſit. Ibi autem Prænomen occupavit rurſus Proprium ſingulorum ejuſdem Familiæ nomen, quibus nempe frater à fratre diſtinctus, ut CN. vel SEX. POMPEIUS MAGNUS, M. aut Q. TULLIUS CICERO: Unde etiam colligitur & jure Poſidonium à Plutarcho reprehenſum, contra quam eidem Sirmondo placuit, ſi proprium nomen Prænomini perpetuo adſcripſit, & erraſſe etiam Plutarchum, cum perpetuam hanc prærogativam Cognomini rurſus vindicat. Cæteroquin enim utrumque diverſo reſpectu Proprium manſit, alterum Familiæ, alterum Perſonæ. Certe quod negabat Plutarchus, Proprii nominis partes impleviſſe Prænomina, id vero etiam ſub Cæſaribus haud ignotum conſtat ex Suetonio; *P. Vitellius*, inquit, *quatuor filios Cognomine, ac tantum* PRÆNOMINIBUS DISTINCTOS *reliquit, Aulum, Quintum, Publium & Lucium.*

In Vitellio.

De Prænominibus & Cognominibus Mulierum.

Neque vero valida ejuſdem Plutarchi contra Poſidonium ratio, quod ita Mulieribus nullum foret Proprium nomen; utpote quæ Prænomine apud Romanos carebant. Ad Viros enim, non Mulieres reſpexiſſe Poſidonium veriſimile, quibus frequentius ſolum Gentilitium nomen, ut *Julia Calpurnia, Porcia*; mox mariti Cognomen, non tam Proprium, quam Proprii vicem præſtabat; *Julia Pompeii, Calpurnia Cæſaris, Portia Bruti*, & apud Lucanum, *Marcia Catonis*. Plures id genus congeruntur alicubi apud Valerium, *Livia Rutilii, Terentia Ciceronis, Clodia Auſidii:* diverſo nempe à Græcis more, quibus addita id genus cognomenta, non

Lib. VIII. cap. 13.

conju-

conjugum sed parentum appellationes notant, & nonnunquam apud Romanos filiorum, ut *Cornelia Gracchorum*, non uxor nempe aut filia, sed mater. Alias ad illud Poëtæ, *Hectoris Andromachi* notat Servius, *id est unus. Hac autem figura utimur circa Patres & Maritos tantum.* Hinc nonnunquam præter Gentis nomen, Cognomen etiam Familiæ à Mulieribus retentum, quod negabat Sigonius, ac vel una illa nobilis inscriptio adhuc superstes satis arguit, CÆCILIÆ METELLÆ, & apud Tacitum, LIVIA DRUSILLA, aut ÆMILIA LEPIDA juvenis Drusi uxor, ut mittam crebra sequentium temporum monumenta. Præterea, neque minus ante Plutarchi ætatem, aut ejusdem ævo deerant Prænominum Muliebrium exempla, CAIA, LUCIA, PUBLIA, aut antiquiora juxta Varronem, *Marcia*, *Postumia*; & auctorem libelli Valerio vulgo adjuncti, *Rutilia*, *Rodocilla*, *Burra*, aliaque recentiora è lapidibus obvia. Certe alibi apud eundem [a] Plutarchum mentionem videas cujusdam *Caiæ Cæciliæ*, cui statua à Romanis fuit erecta; apud Valerium Max. autem *Amasiæ Sentiæ*, & alio loco *Tertiæ Æmiliæ*, matris Corneliæ Gracchorum; imo apud Livium, *Quartæ Hostiliæ*, ut nihil dicam de *Acca Laurentia* apud Macrobium, nobilissimo Scorto sub Anco consecrato. Illam ergo controversiam de Mulierum Prænominibus, majorum minorumque gentium Antiquariis agitatam, Sigonio, Robortello, Panvinio, Castalioni, & nuper P. Servio vestrati, commode componi posse crediderim; ut largiamur vetustis temporibus, Prænomina Mulieribus usurpata, quod Varro & auctor libri Valerio tributi tradidere, paullatim in desuetudinem abiisse, donec postea sequiori ævo eorum usus nonnunquam fuerit repetitus. Neque enim aliter conciliari

[a] Quæstion. Rom.
L. VIII. c. 3.
Lib. VI. c. 7.
L. XL. c. 37.
Saturnal. lib. V. c. 10.

possunt tot vetusta lapidum auctorumve testimonia, quibus niti possunt utriusque sententiæ patroni. Ita ut Plutarchus ad morem Romanis matronis magis usitatum respexerit, quo rarior Prænominum usus apud easdem invaluerat; quod firmant etiam egregie Nummi eorundem & superiorum temporum, in quibus LIVIÆ, AGRIPPINÆ, ANTONIÆ, MESSALINÆ, DOMITILLÆ, DOMITIÆ, aliæque id genus AUGUSTÆ sine Prænominibus traduntur. Frustra certe id instituit Servius vestras, ut Prænomina non omnibus Mulieribus promiscue, sed nobilioribus tantum usurpata existimet; quod vel una illa inscriptio CÆCILIÆ nobilissimæ matronæ, & tot Augustarum Nummi satis refellunt. Immo Plutarchi ætate, & jam ante receptum videas, ut hujus CÆCILIÆ METELLÆ exemplo, Prænominum loco Cognomina gestarent frequenter nobiliores Matronæ: atque ita vulgo viri tria Nomina, Mulieres autem duo præferrent; quod aperte in Quæstionibus idem auctor testatur. Cujus moris crebra occurrunt apud Tacitum exempla, *Pompeia Macrina*, *Lollia Paullina*, *Julia Agrippina*, *Ælia Petina*, *Junia Calvina*, *Domitia Lepida*; adeo etiam ut omisso gentis nomine, solo Cognomine vocarentur illustriores, quales AUGUSTÆ, Traiani nempe, Hadriani & Antoninorum Conjuges inscriptæ occurrunt in earum Nummis, PLOTINA, SABINA, FAUSTINA, LUCILLA, donec postea virorum exemplo multiplicata etiam Mulierum nomina, FURIA SABINIA TRANQUILLINA, MARCIA OTACILIA SEVERA; sicut id genus AUGUSTAS signant nummi sequentium temporum. Hæc ut opinor satis clara, & tamen doctissimos viros haud semel turbarunt.

Usum

Usum præterea PRÆNOMINUM florente Re- *De Usu Prænominum.*
pub. parcum arguunt eadem, de quibus hic agimus, Numismata; ut vix aliud, quam unum singulis tributum videas. Neque tamen id perpetuo in Prænominibus eorum temporum obtinuisse, quod Sigonio, Onufrio aliisque vulgo persuasum, clare probat denarius in Gente Sulpicia L. SERVIUS RUFUS; ubi duo priora unius viri Prænomina, postremum Cognomen, omisso Gentis Sulpiciæ nomine, quod & in Numismatibus & apud Auctores frequens; ut M. NERVA; L. SULLA; CN. LENTULUS, aliaque sexcenta in denariis antiquis. Unde male ob ignoratam rationem duplicis Prænominis, *M. Servium* sollicitarunt eruditi in vita Attici apud Nepotem, ut jam vidit Ursinus. Quæ nec ignotum usum arguunt duplicis Prænominis, ante secuta Cæsarum tempora, ut minus recte adserebat doctissimus Reinesius; nec frequentem tamen eundem illa ætate satis videntur comprobare. Sub Imperatoribus certe, & maxime circa Antoninorum tempora, familiaris usus plurium Prænominum passim inductus; ut cum ex Lapidibus, tum ex Nummis obvium, ad majorem differentiam inter Gentiles unius Familiæ & Prænominis. Patrum enim Nomina non solum & Cognomina, sed Prænomina etiam frequentius ad Filios & Nepotes transibant ante Cæsarum ætatem, cujus rei cum alibi, tum obvia passim in Nummis exempla. Quo casu vel Cognominibus variis nonnunquam, vel sola addita Filii mentione, & Patris aut Avi prænomine, Filios à Patribus in monumentis id genus citra usum aliorum Prænominum distinctos olim videas; ut in denariis Gentis Antoniæ, M. ANTONIUS M. F. M. N. cujus Triumviri rursus ex Fulvia Filium, MARCUM itidem dictum

liquet

liquet ex præclaro Nummo Cl. Seguini, M. ANTONIUS M. F. Ut ita continua serie MARCI prænomen in hac Gente Antonia à Proavo ad Abnepotem transiisse videas. Mitto frequentes alios denarios cum iisdem Parentum & Avorum Prænominibus. M. AQUILIUS M. F. M. N. & passim L. PISO L. F. CN. PISO CN. F. Q. POMPEIUS Q. F. Quamquam & ad denotandos majores suos eadem hæc Parentum & Avorum nomina addita non diffitear; unde rursus priscarum id genus Familiarum series haud parum illustratur. Apud Græcos quidem rarius eadem nomina à Patribus ad Filios transiisse haud nescis; cujusmodi tamen aliquot exempla suppeditant auctores, ut Herodotus Μαιάνδριος Μαιανδρίου de Samiorum Tyranno; Thucydides Φαρναβάζῳ & Φαρναβάζου, nisi postremum Φαρνάκου legi debeat, juxta eruditissimum Palmerium in nuperis adnotatis ad hunc auctorem; Arrianus Ἀριστόβουλος ὁ Ἀριστοβούλου; Artemidorus, Ἀρτεμίδωρος Ἀρτεμιδώρῳ, Pater nempe scribens ad filium; [a] Josephus, Antipater Herodis Pater, Ἀντίπατρος dictus eodem cum Patre nomine; [b] Livius, *Andronicus Andronici filius Ætolus*. Quæ & ideo præmittenda censui, tum quod per se singularia sint nec vulgo obvia, tum imprimis, quia notaveram etiam hujus rei exempla in antiquis aliquot Græcorum Nummis, ut Magnesiorum in Gaza Christinæ Augustæ, ΠΑΥΣΑΝΙΑΣ ΠΑΥΣΑΝΙΟΥ; item in altero Smyrnæorum Mediceo, ΑΧΙΜΗΤΟΣ ΑΧΙΜΗΤΟΥ, & in nummo Dyrrachiensium apud Goltzium haud dissimili nomenclatione, ΑΡΙΣΤΗΣ ΑΡΙΣΤΗΝΟΣ. Cæteroquin aut inflexa paullo aliter Filiorum nomina, ut apud [a] Platonem & [b] Thucydidem, Ἄνδρων Ἀνδρωνίου, Φιλήμων Φιλημονίδης, Ἡγησανδρίδας Ἡγησανδρίδης, Καλλίου Καλλιάδης,

In Thalia. Lib. VIII. Lib. I.

[a] Antiq. lib. XIV. c. 2. [b] Lib. XLV. c. 31.

[a] In Protagora & in Theagene. [b] Thucyd. lib. VIII. Idem lib. I.

Τολ-

τολμίδε ἢ Τολμαίε : aut frequenter Avorum repetita in Nepotibus nomina, quod apud Athenienses imprimis familiare erudite etiam obſervat noviſſime modo laudatus doctiſſimus ſenex Palmerius à Grentemeſnel. Id vero vel ex Platone mihi notum, cujus crebra apud illum exempla videas, ὅδε μὲν τάδε πάππον ἔχων ὄνομα Θουκυδίδης, *ille vero Avi nomen habens Thucydides*, & ſimiliter alibi apud eundem, Thucydides Meleſiæ filius Thucydidis nepos; Ariſtides Lyſimachi filius, Ariſtidis nepos; Lyſis Democratis filius, Lyſidis nepos, quanquam de poſtremo obſervet, eum Socrati ideo ignotum, quod non tam proprio quam parentis nomine vocaretur, ob paternam claritatem. Hoc ipſum etiam de impoſitis vulgo ſua ætate Avorum aut Proavorum nominibus, video notantem alicubi & improbantem ſimul Chryſoſtomum; καὶ καθάπερ οἱ νῦν ἁπλῶς, καὶ ὡς ἔτυχε τὰς προσηγορίας τιθέντες, εἰς τὸ ὄνομά φησι τοῦ πάππου καὶ τοῦ προπάππου καλεῖσθαι τὸ παιδίον· *& quemadmodum hodie, ſimiliter & ut caſus fert, nomina imponunt; vocetur infans, inquiunt, Avi aut Proavi nomine*, alium vero uſum docet apud majores obtinuiſſe, ut nempe nomina inderent, quæ ad virtutem excitarent poſteros: unde in ſequentibus hortatur, ut non Avi aut Proavi, ſed ſanctorum virorum nomina liberis imponantur. Scilicet juxta morem Chriſtianis pridem conſuetum, quo aut vulgo hauſta è ſacris Veteris & Novi Fœderis libris aut alias Beatorum Martyrum nomina frequenter liberis indebant, ut teſtantur veteris Eccleſiæ Annales.

In Lache. pag. 179. In Theag. pag. 130. In Lyſi. pag. 205. In Geneſ. Tom. 1. p. 147. edit. Savil.

Id vero præterea in his Nummis Gentium Romanarum obſerves, eadem Prænomina nonnunquam uni Familiæ aut Genti quoque peculiaria exſtitiſſe; ſicut de Gente Domitia Ahenobarborum notat Tranquillus; *Nulla Prænomina niſi* CNÆI *&* LUCII *uſurpa-*

In Nerone.

ta, modo continuantes per ternos, modo alternantes per singulos. Certe ex parte id evincunt denarii (quales plures apud Ursinum videas) Gentis Domitiæ, ac in specie AHENOBARBORUM; in quibus haud aliud, quam CN. seu CNÆI Prænomen legitur. Unde occurrentem apud Livium *C. Domitium* CN. *Filium* haud male existimat Princeps harum litterarum Gronovius legendum, *Cn. Domitium.* Ita NUMERII prænomen peculiare genti Fabiæ tradit auctor libelli Valerio adjuncti. NUMERII *sola Patritia gens usa est Fabia Prænomine.* Testes adhuc ejus rei luculenti denarii Gentis Fabiæ, qui soli Prænomen illud exprimunt, N. FABI PICTOR, ac in clypeo, quem Romulus, ut volunt, tenet, cum Flaminis apice, (qua de re paullo infra) QUIRINUS; seu *Numerius Fabius Pictor Quirinus.* Unde certe liquet, emendandum Livium, apud quem locis aliquot pro Numerio Quintus vocatur, nempe *Q. Fabius Pictor Flamen Quirinalis*, pro quo in antiquis editionibus legebatur. *M. Fabius*, &c. M nempe loco N, quod prænomen illud *Numerii* vulgo foret minus notum, surrogato. Neque enim alius quærendus, cui nummus ille imputari debeat, neque etiam cum Ursino, duo diversi Fabii Quirinales existimandi sunt, quos ibi è Livio recenset, sed unus idemque statuendus, qui nempe anno DLXIIII Flamen Quirinalis inauguratus fuit; anno autem DLXXXVII. Coss. M. Claudio Marcello & C. Sulpicio Gallo mortuus. Sic MANII prænomen fere oblitteratum, & AQUILLIIS olim consuetum, Gentis denarii iisdem vindicant, vulgo inscripti, M. AQUILLIUS, M. F. M. N. ut hæreditarium agnoscas. Hac autem nota M. non NV. (ut male denarios illos expressere viri docti) MANIUM designari erudite jam olim è Fastis notavit diligentissimus

L. XXXVII. c. 47. & 50. & lib. XLV. cap. 44.

simus Sigonius, & è collatione auctorum, Plutarchi & Appiani, quibus Μάνιος vocatur ille Aquillius, cujus Liviana Epitome meminit, & in qua *M. Aquillius* antea perperam legebatur. Unde etiam more antiquo & juxta indubiam Numismatum ac Fastorum Scripturam, non *Man. Aquillius*, ut habent postremæ & alias emendatissimæ Livii editiones, sed simpliciter *M. Aquillius* Scribi debuit, quod idem de *M. Acilio Glabrione*, ut alios mittam, statuendum, cujus meminit itidem Livius; & quod Prænomen etiam huic Genti vindicant antiqui ejus denarii. His accedunt in Nummis Gentis Claudiæ crebri APPII, & in Sulpitia SERVII, nomine etiam integro præter morem scribendi id genus prænomina Romanis usitatum. Factum vero, quod ab illa frequentia horum Prænominum in eadem Gente, APPII & SERVII, gentili & Cognomine omisso, sæpius dicerentur; ut ex Livio, Cicerone, aliisque haud ignotum, quod in Gentibus aliis rarius videas accidisse: Sic Otho apud Tacitum *post Julios, Claudios*, SERVIOS, *se primum in Familiam novam imperium intulisse.* ubi *Servios* Prænomen Gentis Sulpiciæ, pro ipsa Gente usurpatum legis, & inter aliarum illustrium Gentium nomina collocatum. Corruptum vero adhuc illud nomen apud varios auctores, ut apud Dionem Γαρβαροσέρουιος vocatur Cæsaris legatus, pro quo Leunclavius male emendabat Γάλβας ὁ Σέργιος, qui Γάλβας ὁ Σερούϊος dici debuit, sicut recte legitur alibi apud eundem Dionem; quem male rursus ibi sollicitat vir doctus. Ita apud Plutarchum in Catone Majore, quem dicit nonagesimum annum ingressum accusatorem exstitisse Σερουιλίᾳ Γάλβα pro Σερουΐᾳ, quod postea vidi doctos interpretes in notis observasse. Mitto vulgarem errorem, qui SERGIUM GALBAM

Epist. LXIX.

Lib. XXXV. cap. 50.

Histor. II. 5.

Dio lib. XXXIX.

nobis pro SERVIO passim obtruserat, quod vel denarii illi gentis Sulpiciæ, quibus non jam SER. per compendium more consueto, sed SERVIUS integris litteris describitur, abunde poterant refellere. Cæterum, quod ut SERVII Genti Sulpiciæ, ita proprium quasi & familiare esset Genti Claudiæ APPII Prænomen, inde factum ut APPIOS fratres, addito MAJORIS & MINORIS discrimine distinctos tradat ad Ciceronem Asconius; sicut alias iisdem Claudiis, & maxime ævo Cæsarum proprium quasi TIBERII nomen observes in priscis monumentis: unde etiam frequentius TIBERIUS Imperator, non autem CLAUDIUS aut NERO, Gentili nempe nomine aut Cognomine, appellari meruit. Id vero, ut hodie Italis vestris communi sermone, sic Græcis olim scriptoribus nosti familiare; quibus AULI, PUBLII, TITI, MARCI, LUCII passim solo prænomine efferuntur, qui Romanis HOSTILII, CORNELII, QUINCTII, ANTONINI & VERI cum Gentis nomine aut Cognomine vulgo vocari solent. Sic Josephus *Marci* aliquoties meminit, Syriæ Præsidis post cædem J. Cæsaris, nullo alio nomine adjuncto; qui vel Marcus Crispus intelligendus, quem Dio docet circa ea tempora in Syria cum Cæcilio Basso depugnasse, qui paullo ante præfecturam ejus provinciæ aperta vi invaserat; vel quod verisimilius pro *Marco* apud Josephum Μάρκῳ seu *Murcus* ex Appiano reponendus. Statii enim Murci meminit à Cæsare in Syriam missi cum tribus legionibus, qui primus cum Basso congressus est, & cujus Murci valde appositè occurrit adhuc hodie rarissimus denarius in Gente Statia. Cæterum ex more illo Græcis auctoribus solemni, Romanos cum solo Prænomine efferendi, ortus ingens

Antiq. lib. XIV. c. 17, 18, 19.

Lib. XLVII.

Lib. IV. Bell. Civil.

ille

illeæstus Capitolini, circa MAXIMI & PUPIENI nomina, quibus aliquando unum, aliquando duos credit designari; dum non observat Græcis auctoribus, MAXIMUM per Prænomen nempe efferri, qui Romanis PUPIENUS juxta ejus Cognomen diceretur. Id vero nec alias Romanis insolitum, præter SERVIOS, APPIOS ac TIBERIOS commemoratos, docet insuper aut obvium TITI Cæsaris apud Historicos aut M. ANTONINI Augusti exemplum; qui Græcorum more solo MARCI nomine frequenter designatur, cum passim in libris Juris Consultorum DIVUS MARCUS, tum apud Ammianum aliquoties, MARCI *illius dissimilis Principis verecundi*, alibi MARCI *Principis dictum*, & præterea apud Tertullianum in Apologetico, *pro salute* MARCI *jam intercepti*. Quod & olim delicatis auribus acceptum fuisse docet nos Horatius, Lib. XXI. & XXII.

Quinte puto aut Publi (gaudent Prænomine molli
Auriculæ) tibi me virtus tua fecit amicum. Lib. II. Satyr. 5.

Ejusdem moris illustre iterum exemplum apud Tacitum, ubi agit de Domitia Lepida, *Agrippinæ Sobrina prior*, *ac* CNEI *mariti ejus soror*, hoc est CNEI DOMITII. Annal. XII. 64. Frustra enim Cl. Freinshemius in notis ad hunc auctorem, offensum sese adserit, quod maritus Agrippinæ tantum Prænomine notetur, qua de causa lectionem eam sollicitat, & illud CNEI nomen ibi expungit. Neque enim quidquam hic immutandum, nec sine exemplo, ut vidimus, id à Tacito factum. Scilicet, ut jam ante ex denariis Gentis Domitiæ adseruimus, familiare illi præ aliis CNEI Prænomen; unde eandem in ea prærogativam nactum, quam in Sulpitia SERVIOS, in Claudia APPIOS vel TIBERIOS obtinuisse diximus. Alias vero LUCII Prænomen,

quod cum CNEO acceptum Genti Domitiæ ſupra ex
In Tiberio. Tranquillo vidimus, ut infauſtum in Claudia damnatum idem refert: ſicut Gentilium decreto, præter Livium auctor Cicero, MARCUM à patritiis Manliis exulare juſſum; *propter unius M. Manlii ſcelus decreto gentis Manliæ neminem Patritium vocare M. Manlium licet*;
pag. 582. quod ipſum videas in Dionis Excerptis Valeſianis, &
L. III. c. 7. alicubi apud Quintilianum, MARCOVE *Manlio, cujus Prænomen è Familia in poſterum exemptum eſt.* At illud Prænomen longe poſt ea tempora Manliis adhuc tri-
Lib. XLII. bui videas, ut apud Livium, *& duo Manlii Aridini, alter M. Manlii, alter L. Manlii filius erat*; ac apud Tacitum *& Servione Cæpione, Marco quoque Manlio fuſis vel captis.* Unde priori loco vir longe doctiſſimus, & novus Livii ſoſpitator, quod poſt Capitolinum nullum in Gente Manlia *Marcum* dictum exiſtimat, legendum cenſet, *alter Manii, alter L. Manliorum filius erat.* Niſi forte codicum adſerendæ lectioni placeat, hos Manlios Aridinos non fuiſſe è Patritiis, ſed è plebeiis Manliis. Neque tamen cum Fulvio inter plebeios Manlios referendus Q. Manlius Turinus Ædilis plebis, à quo, auc-
L. XXVIII. tore Livio, ludi plebeii toti ſemel ſunt inſtaurati: non
cap. 10. enim ille *Manlius*, ſed *Mamilius* dictus, ut è codicibus antiquis reſtituerunt viri docti. At certe è Manliis, alios Patritios fuiſſe, alios Plebeios, quod aliis quoque Gentibus ſolemne, ut Antoniis, Caſſiis, Claudiis, Valeriis, &c. abunde liquet vel ex ipſo, quem adtulimus Ciceronis loco, ut vidit etiam Urſinus; & ex quo inſuper colligitur, non omnibus in genere Manliis, ſed ſolis Patritiis MARCI Prænomen interdictum. Idem de loco Taciti dici poſſet, niſi in Epitome Livii, Cnei prænomen eidem Manlio tribui obſervaſſet Cl. Freinshemius. Idem alias MARCI prænomen obſcœnum quoque evaſit

evasit in Gente Antoniorum, quod ei antea familiare & quasi hæreditarium ejusdem denarii, ut supra vidimus, arguunt. Auctor enim Plutarchus, & præterea Dio in Excerptis, sublato Antonio Triumviro à Senatu decretum, ne quis ex Antoniorum Gente inposterum Marcus vocaretur. In idem quoque fatum incidit Prænomen CNÆI, Pisonibus ut docent eorum denarii, frequenter inscripti CN. PISO, CN. F. Tacitus autem *nomen Pisonis radendum Fastis censuit, partem bonorum publicandam, pars ut* CN. PISONI *filio concederetur, isque Prænomen mutaret:* Ita ut hæc Prænomina iis accesserint, quorum alicubi meminit Gellius; *Patritiorum male de Rep. meritorum damnata nomina, quasi defamata atque demortua cum ipsis viderentur.* At vice versa nomina benemeritorum Civium servis tribui aut vulgari prohibita apud Athenienses, tradit Herodes Atticus apud Gellium. Alias juxta infaustos illos *Lucios, Marcos* & *Cneios*, simile quid de *Flacci* Cognomine observat Philo; Caium nempe Cæsarem Flaccum Ægypti præfectum tam vehementi odio prosecutum, ut in aliis quoque exosum & suspectum haberet idem nomen. Docebit præterea idem Nummorum adspectus, unum nomen quandoque in eadem Gente pro Prænomine, & aliquando pro Cognomine habitum. Unde in denariis Gentis CÆCILIÆ, PAULLUM in Nummo Lepidi Prænomen, in M. Æmilio autem Cognomen videas; sicut AGRIPPAM & TULLUM Cognominum loco in denariis Gentis Luciæ, Mæciliæ ex Vipsaniæ, quæ Prænomina olim fuerant in Tullo Hostilio & Agrippa Menenio. Immo observes exemplum hujus mutationis in eodem viro per adoptionem contigisse; ita ut idem ÆMILIUS PAULLUS, postea PAULLUS ÆMILIUS LEPIDUS dictus sit, à Paullo-

Annal. III. cap. 17.

L. IX. c. II.

Lib. IX. c. 2.

In Flaccum.

Paullo nempe Lepido adoptatus. Unde minus mirum, frequens id sequentibus temporibus evasisse, ut iidem PAULLI, LUCII, SEXTI, modo Prænomina modo Cognomina censerentur.

De usu Cognominum. Hæc autem COGNOMINA prioribus duobus ad majorem distinctionem addita, Prænomini nempe & Gentilitio, ex Appiano vidimus. Id vero Nummi luculenter arguunt, in quibus distinctæ eorum opera plures unius Gentis Familiæ; sicuti in Æmilia SCAURI, PAULLI, LEPIDI; in Cornelia MARCELLI, SCIPIONES, SULLÆ, LENTULI, aliique; in Junia BRUTI, SILANI; qui non Personas solum, sed Familias etiam diversas ejusdem Gentis constituunt. Quod vero apud Plutarchum lego, *sub Cognominibus occultari frequenter Nomina*, iidem Nummi egregie illustrant, in quibus non solum AHALÆ, AGRIPPÆ, MARCELLI, MARCELLINI, BRUTI, METELLI, CATONES, MESSALÆ, aliique illustriores, omisso omni alio Gentis nomine frequenter occurrunt; sed quidam etiam vulgo minus noti, ACISCULI, BROCCHI, NATTÆ, NURCI, & plures, in quibus ad Gentiles suos referendis laborare solet antiquariorum industria. Unde non mirum passim apud auctores rerum Romanarum, Paullos, Brutos, Metellos, Lentulos, Scipiones, Cæsares, Catones, aliosque præterito priori aut Gentili nomine occurrere, qualia plura alicubi congerit Tullius; *Consularem*, inquit, *puta leniorem fuisse Catuli, Servilii, Curionis, Torquati, Lepidi, Gellii, Volcatii, Figuli, Cottæ, Glabrionis, Silani, Murenæ*; ubi præter unius aut alterius Gentile nomen reliqua omnia mere Cognomina. Ita etiam MAGNI cognomine, Gentili omisso, Pompeium videas in Nummis aliquot designari, de quo alicubi Tullius; *quanto in*

De Pyth. Oracul.

Lib. XII. Epist. 22.

L. II. Epist. ad Att. 13.

in odio noſter amicus MAGNUS, *cujus cognomen una cum Craſſi Divitis Cognomine conſeneſcit.* Ut mittam hoc loco, quæ ignota etiam videbantur plurium Familiarum Cognomina in iiſdem denariis non ſemel exſtare; qualia NIGER in Cæcilia, CELER in Caſſia, PÆTUS in Conſidia, SURDINUS in Nævia, cujus poſtremi in hac Gente nullam mentionem exſtare apud auctores arbitrabatur Urſinus. Eam tamen apud Valerium Max. reperio, *appellatus Mamercus à Surdino, cujus liber-* L. VII. C. 7.
tus Genucium hæredem fecerat. Surdinum autem illum, cujus ibi meminit, fuiſſe è Gente Nævia inde colligo, quod paullo ante auctor dixerat de illo Genucio, *ut reſtitui ſe in bona* NÆVIANI *juberet*, hoc eſt, Liberti Nævii Surdini, juxta notas libertorum id genus appellationes è Patronorum nominibus deductas. Idem vero SURDINI cognomen Ræſianorum Familiæ tribuit vetus lapis ineditus, ex quo eadem Familia parum nota in Gruteriano opere poterit illuſtrari.

RÆSIANORUM, FAM. DD. Q. RÆSIUS Q. F. PAC. SURDINUS MIL. VETER. COH. VII. VIGIL. V. F. SIBI ET SUIS LIBERIS IDEM LIBERTIS LIBERTABUSQUE SUIS. DDXL. IN HYPOGUM TESTACI.....

Reliqua mutila. Nec altera inedita illius Familiæ inſcriptio cum eodem Cognomine minus præclara, reperta in via Appia,

DIANÆ RÆSIANÆ Q. RÆSIUS Q. FIL. SURDINUS CUM RÆSIA HERCULANIOLA SACRUM.

Eadem vero Cognomina pluribus Familiis diverſarum gentium communia probant aut illuſtrant iidem Nummi, ut BALBI, CÆPIONES, GRACCHI, GALLI, RUFI; alia ſingulis quaſi Gentibus pro-

pria; ut Æmiliæ LEPIDI, Corneliæ SCIPIONES aut SULLÆ, Manliæ TORQUATI, Porciæ CATONES, Sulpiciæ GALBÆ. Immo eadem Cognomina alterius acceſſione nonnunquam diſtincta in Familiis ejuſdem Gentis; ut in Calpurniæ Nummis PISONES & PISONES FRUGI; quæ quantum inſerviant ad accuratam collectionem Romanorum ſtemmatum, talium periti facile adſequuntur. Addita nempe nonnunquam Cognomina duplicia ad majorem adhuc diſtinctionem. Quum enim multi eſſent Piſones in Gente Calpurnia, FRUGI Cognomen ſuperadditum uni ex Piſonibus, de quo Cicero pro M. Fonteio conſulendus, & ita ad hæredes ejuſdem ac poſteros propagatum. Sic PRIMUM etiam & SECUNDUM, non Prænomina ſolum fuiſſe apud Romanos, ut contendit Sigonius, ſed etiam Cognomina, ut alia mittam, docet Nummus Gentis Arriæ, M. ARRIUS SECUNDUS. Sic in Agnominum, non autem Cognominum claſſem male à quibuſdam Antiquariis rejici AFRICANI, PII, aliaſque id genus appellationes, non ex Livio ſolum & Cicerone, apud quos Cognomina non ſemel vocantur, ſed & ex eorundem Numiſmatibus liquet; ubi Cognominum locum eadem occupare videas. Illuſtris certe hanc in rem Livii
Lib. XXX. locus de P. Cornelio Scipione Africano; *Primus certe hic Imperator nomine victæ ab ſe Gentis eſt nobilitatus, exemplo deinde hujus nequidquam victoriæ pares inſignes imaginum titulos, claraque* COGNOMINA *familiæ fecere.* Nec prætereundum tamen, plures nonnunquam Romanas Gentes, omiſſo plerumque Cognomine, ſolo priori ac Gentis nomine inclaruiſſe; ut ex CARISIÆ, COPONIÆ, CURIATIÆ, DIDIÆ denariis liquet; & in Gente ANTONIA familiare. Haud minus refellere

lere videntur iidem Nummi, adſertam à Sigonio, & paſſim deinde ab Antiquariis receptam ſententiam, Gentium nomina apud Romanos perpetuo in IUS deſiiſſe: haud aliter nempe ac omnia Perſarum nomina in Σῖγμα terminata tradentem novi Herodotum. Aliud enim ſuadere poſſent ALLIENA, BETILIENA, CÆCINA, LABIENA, NORBANA, quæ ſeſe offerunt in ſerie Gentium Romanarum, quas ex Nummis collegerunt ac illuſtrarunt eruditi Antiquarii. Quamquam haud ignorem, quod nonnulla ex iis Cognominibus adnumerant, quæ Gentili nomine oblitterato hujus vicem occuparint; quod tamen iis omnibus accidiſſe haud facile quiſquam demonſtrabit, quum alias in iiſdem Nummis cum Prænominibus & Cognominibus ſuis efferantur. LABIENUM quidem qui inſcriptus in ejus Nummo Q. LABIENUS PARTHICUS, haud ignoro doctos Antiquarios referre ad Gentem Atiam; quorum rationibus equidem haud valde repugnabo. AGRIPPÆ certe Cognomini, & quibuſdam aliis id novi accidiſſe, ut Gentili Vipſaniæ omiſſo illius locum impoſterum impleret; unde & Nepos ejus *Poſthumus Agrippa* & neptis *Agrippina* pro Gentili nomine in priſcis monumentis deſignantur; quod partæ ab Avo Cognominis celebritati conceſſum. Sic idem accidiſſe in PRÆTEXTATI, SCIPIONIS & MESSALÆ Cognominibus aperte notat Macrobius, ut Cognomina illa in Nominum vicem tranſirent, vel ut idem loquitur, *nec mirum ſi ex Cognominibus nata ſunt nomina*, & cujus rei exempla adfert in ſequentibus, ut ab *Æmilio Æmilianus*, *à Servilio Servilianus*. Conſona his tradit auctor decimi libri Valeriani; *quin etiam quædam Cognomina in nomen verſa ſunt*, *ut* COEPIO, *namque hoc in* BRUTO *nominis locum obtinuit*. Quam rem iterum

Lib. 1.

Lib. 1. Saturn. c. 6.

explicant & nobis ante oculos ponunt plures Nummi hujus Bruti, inscripti, Q. COEPIO BRUTUS, ubi COEPIONEM, quod ille aiebat, Gentilis nominis locum obtinere videas. Ita enim dictus M. Brutus, ut alias ex Tullio & Plutarcho liquet, postquam à Q. Servilio Cœpione avunculo fuit adoptatus, unde in amplissimo Senatusconsulto ad honorem Bruti faciente, cujus auctor Cicero, sæpe iis nominibus appellatur; *cum* Q. COEPIONIS BRUTI PROCOS. *opera* &c. Id vero singulare in eo, quod quum juxta consuetam formulam adoptatorum, dici inde debuisset *Q. Servilius Cœpio Brutus*, ut Scipio à Metello adoptatus *Q. Cæcilius Metellus Scipio* in hujus denariis supra adlegatis legitur; iste omisso Serviliæ Gentis nomine dictus sit Q. COEPIO BRUTUS; ita ut COEPIO è Cognomine Serviliorum, nomen, quod recte ille dixit, in Bruto fieret.

Philip. x.

De Origine Cognominum.

Ipsa vero COGNOMINUM ORIGO aut appellationis ratio non minus ex iisdem Nummis illustratur. Appianus quidem eadem ab *Adfectibus* aut *Virtute* indita tradit; Plutarchus vero, cum ab eisdem *Adfectibus*, tum à *Natura*, *Gestis*, aut *Corporis* partibus petita commemorat. Hos autem singulos appellationum id genus fontes, notis etiam suis aut symbolis quandoque distinctos videas in denariis Gentium Romanarum. A *Notis Corporis* nempe in Gente Furia CRASSIPEDEM, ad quem exstant Ciceronis Epistolæ, Pes signatus notat: in Pinaria SCARPOS Carpus seu volæ manus arguit. Quo referri possunt hausti ex aliis fontibus, quos eadem Nummorum symbola denotant. Ita in Aquillia FLOROS flos impressus signat; ac ut hæc paucis contrahamus, in Lucretia TRIONES septem stellarum seu Trionum figura; in Poblicia MALLEOLOS Mallei

Mallei nota; in Manlia TORQUATOS Torquis; in Marcia PHILIPPOS Equeſtris ſtatua; in Voconia VITULOS vitulus; in Numonia VAALAS, miles pro Vallo pugnans; in Accoleia LARISCOLOS Larices; in Pomponia MUSAS; Muſæ ſingulæ depictæ, non minus ac olim in Pyrrhi annulo, & inſcr. HERCULES MUSARUM, adumbrant. Adeo ut ex iis veterum Gentilitiorum Inſignium uſum ac originem adſequamur, & fruſtra infenſum illuſtrium virorum memoriæ Caium de illis abolendis ſollicitum fuiſſe; *Vetera Familiarum inſignia ademit, Torquato Torquem, Cincinnato Crinem, Cn. Pompeio Magni Cognomen.* Alias vero à *Pedibus*, præter CRASSIPEDEM, plures quoque cum alibi tum in iiſdem Nummis denominatos videas. Talis AGRIPPA, quem ab ægritudine & pedibus dictum refert Gellius; haud aliter ac de Oedipo Seneca,

Sueton. in Caligul.

Lib. XVI. cap. 16.

Tumore nactus nomen ac vitio pedum.

ac præterea SCAURI, VARI, PLANCI. A *Capite* vero aut illius partibus vel adfectibus, CAPITONES, CHILONES, COCLITES, LENTULI, SURDINI, LABEONES, NASSICÆ, CÆSARES, BARBATI, CRISPINI ſe nobis adhuc ſiſtunt in eorum Nummis. Neque aliter ac NASONES, ita Græcis GRYPI à Naſi magnitudine, qualis ille Antiochus apud Juſtinum ac in ejus nummis. A *Natura* autem aut aliis circumſtantiis corporis PULCHRI, NIGRI, MACRI, CRASSI, LONGINI, BALBI, RUFI, & plures, qui leguntur itidem in antiquis denariis. A *Moribus* vero ſeu adfectibus iidem ſuppeditabunt dictos BIBULOS, BRUTOS, FRUGI, LEPIDOS, BLANDOS, CATONES, alioſque ibidem obvios. Sic à *Rebus Geſtis* occurrent continuo in eadem

penu denominati, ac in Cornelia quidem nobiles illi AFRICANI, ASIAGENES; ita enim postremum hoc nomen legendum, non vero *Asiagetes*, ut existimabat Ant. Augustinus, liquet ex Sidonio, ut jam docuit Sirmondus, & confirmant Excerpta Diodori Peiresciana, ἐξ ὧν τοῦ ΑΦΡΙΚΑΝΟΥ καὶ τοῦ ΑΣΙΑΓΕΝΕΙΣ καὶ τοῦ Ἱσπάνους ὀνομάζεσθαι συμβέβηκεν, *ex qua* AFRICANOS *&* ASIAGENES *&* *Hispanos dici contigit*. Eandem quoque vocem agnoscunt antiqui Livii codices, (quod Ursinum fugit) unde illam opportune pro *Asiatico* reposuerunt novissime in eodem viri docti; *In equitatu recognoscendo* L. SCIPIONI ASIAGENI *ademptus equus*; qui nempe itidem in præclaro ejus denario inscribitur L. SCIP. ASIAG. In Gente Atia, ut volunt, PARTHICI IMPERATORIS cognomen Labieno tributum, Q. LABIENUS PARTHICUS IMP. plane ad Plutarchi fidem, qui eundem Παρθικὸν Αὐτοκράτορα tradit renuntiatum. Adeo ut non à devictis Parthis more Romano, sicut observat Dio, & sicut postea Aurelios, Veros, Severos, Caros, alioſque cum aliunde, tum ex Nummis PARTHICOS dictos accepimus, sed ab iisdem Parthis defensis, ad quos se contulerat transfuga. Alio cæteroquin sensu *Parthos Imperatores* legas apud Tacitum, de Parthorum nempe Regibus, *At* PARTHI IMPERATORES *cum pugnam pararent, fœdus repente faciunt*. In Egnatia & Fabia MAXIMI, in Pompeia MAGNI occurrunt, qui postremum hoc ad ejusdem Cnæi successores transisse luculenter arguunt, quod iisdem eripuisse Caium tradit Suetonius, à Claudio vero restitutum Dio. Unde non ΜΕΓΑΣ solum sed ΜΑΓΝΟΣ etiam dictus Straboni, Nicolao Damasceno, Josepho, Dioni, Zozimo aliisque Græcis scriptoribus; quia nempe in proprii

Pag. 381.

Lib. xxxix. cap. 44.

In M. Antonio.

Lib. xlviii.

Annal. xi. 9.

Lib. xl.

prii Cognominis vicem transierat hæc appellatio. Hujus autem Magni vultum, de quo ambigebant Antiquarii, in denariis gentium Munatiæ & Nasidiæ adhuc hodie obvium, præclare monuit Cl. Seguinus. Eundem quoque juvabit hic contemplari in singulari cujusdem raritatis Nummo, quem possidet vir avitis propriisque decoribus insignis, Camillus Maximi: Exhibet nempe ille hinc Pompeii vultum cum adscripto nomine Γ. ΠΟΜΠΗΙΟϹ, seu *Cn. Pompeius*; illinc figuram sedentem ac turritam, & epigraphen ΠΟΜΠΗΙΟ-ΠΟΛΕΙΤΩΝ, seu *Pompeiopolitarum*, à quibus nempe in Heroïs sui seu Conditoris memoriam nummus percussus

Vides continuo illam κόμης ἀναξολὴν, seu adsurgens capillitium, quod huic Heroï tribuit Plutarchus. Pompeiopolis vero urbs Ciliciæ maritima, ut [a] Tacito ac [b] Dioni vocatur, & quam prius Solos dictam constat, antequam à Pompeio de novo instauraretur. Ad quam etiam refero alium nummum inscriptum itidem ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, non vero ad alterum Paphlagoniæ Pompeiopolim, sicut videbatur doctis Antiquariis, Goltzio ac Nonnio.

[a] In Pompeio.
[b] Annal. II. cap. 58.
[c] L. XXXVI.

Duo

Duo nempe illi barbati ſenes, ſi quid auguror, duos ſapientiæ ac litterarum gloria inclytos viros nobis hic ante oculos ponunt, CHRYSIPPUM nempe Stoicum, & ARATUM Phænomenorum ſcriptorem. Uterque enim Solis oriundus, ſeu Pompeiopolitanus, & inter præcipua urbis illius ornamenta continuo relatus. Habitus etiam ac vultus talis, qui Philoſophos decet, & aliorum, quæ ſuperſunt Græcorum ſapientum ſimulacris conſentaneus. Fundus autem mihi hujus obſervationis Strabo, Lib. XIV. Μετὰ δὲ Λάτμον Σόλοι πόλις ἀξιόλογος τῆς ἄλλης Κιλικίας ἀρχὴ, κτίσμα τῶν ἐκ Λίνδου εἰς ταύτην λειπανδρήσασαν ΠΟΜΠΗΙΟΣ ΜΑΓΝΟΣ καλώκισε δὲ συνεπιγνωμόνας τῶν παρατῶν, ὃς μάλιστα ἔγνω σωτηρίας καὶ προνοίας τινὸς ἀξίους. καὶ μετωνόμασε ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΙΝ. Γεγόνασι δ' ἄνδρες ἐνθένδε τῶν ὀνομαστῶν ΧΡΥΣΙΠΠΟΣ τε ὁ Σταϊκὸς φιλόσοφος πατρὸς ὢν Ταρσέως ἐκεῖθεν μεταικήσαντος, καὶ φιλήμων ὁ κωμικὸς ποιητὴς, καὶ ΑΡΑΤΟΣ, ὁ τὰ φαινόμενα συγγράψας εἰς ἔπεσι. *Poſt Latmum ſunt Soli urbs memorabilis alterius principium Ciliciæ quæ ad Iſſum eſt, condita ab Achæis & Rhodiis Lindiis, in hanc hominum frequentia deſtitutam* POMPEIUS MAGNUS *Piratarum reliquias tranſtulit, quas judicabat potiſſimum ſalute & procuratione dignas, & mutato nomine eam* POMPEIOPOLIM *dixit. Protulit hæc urbs præclaros viros,* CHRYSIPPUM, *Stoicum Philoſophum, cujus pater Tarſo inde commigraverat, tum Philemonem Comicum Poëtam, &* ARATUM, *qui verſibus, quæ in cœlo viſuntur, deſcripſit.* Πομπηιόπολις itaque dicta hæc urbs, non ut præferunt hodie Strabonis ac Dionis Codices Πομπηιέπολις; quod præter indubiam Nummorum fidem, arguere poterant ſimiles terminationes, Κλαυδιόπολις, Τραιανόπολις, Αδριανόπολις, &c. Quamquam ne quid diſſimulem διπλογραφίαν illam in hac urbe

be videatur agnoscere Stephanus aut ejus Epitomator, Gentile autem ad Nummorum fidem, Πομπηϊοπολίτης; quomodo & apud Lucianum, ubi commemoratur quidam Creperius Calpurnianus, belli Parthici Scriptor, Πομπηϊὰς πολίτης seu *Pompeiopolitanus*, non vero *Pompeii civis* juxta interpretem, haud insueto Græcorum more compositа urbium aut gentilia etiam id genus nomina resolvendi, de quo alibi. Haud vero ita liquidum, ad quam nempe Pompeiopolim, an Ciliciæ, an Paphlagoniæ spectet alius Nummus Antonini Caracallæ, qui figuram stantem exhibet, dextra Victoriolam, sinistra Hastam tenentem, & inscr. ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΙΤΩΝ. Quom. confer. Hist. In Gaza Christinæ Reginæ.

Ut autem ad MAGNUM nostrum redeamus, sicut posteri ejus MAGNI cognomen retinuere, ita à Fabio, qui & Q. MAX. seu *Quintus Maximus* in ejusdem denariis inscribitur, adhuc sua ætate denominatos gentiles ejusdem Familiæ MAXIMOS refert Polybius. De quibus utriusque gentis Pompeiæ & Fabiæ Cognominibus audiendus Ovidius in Fastis, Lib. III.

MAGNE *tuum nomen rerum mensura tuarum*,
Sed qui te vicit te quoque MAJOR *erat.*
Nec gradus est ultra Fabios cognominis ullus,
Illa domus meritis MAXIMA *dicta suis.*

Cæterum P. Africanus, MAJOR dictus ad distinctionem Minoris, Polybio in Excerptis Constantinianis ΜΕΓΑΣ vocatur; πυθλίᾳ δ' ΜΕΓΑΛΟΥ κληθέντα, hoc est, πρεσβυτέρᾳ dicti, ut loquuntur alias Græci; non vero quod MAGNI cognomen priori illi Africano aut ejus posteris unquam adhæserit, ut recte observat ad eum locum Cl. Valesius, & denarii ejusdem Familiæ satis arguunt. An jam commemorandi occurrentes in Gentis Petilliæ denariis CAPTOLINI, unde Horatio *Petillius Capitolinus* alicubi dictus; aut in Manlia p. 101.

TORQUATI, aliique id genus, quorum ratio obvia? In Cornelia autem FELICIS nomen Syllæ adhæsisse, probant ejusdem denarii; ut pateat vere adsertum ab Appiano, illam FELICIS appellationem Syllæ ab adulatoribus tributam, postea eidem in cognomen vertisse, & statuam Equestrem pro Rostris Senatusconsulto illi cum hoc nomine erectam. FAUSTI vero cognomen idem insuper ei concessum innuunt & firmant ejusdem Nummi, ut non sit necesse ad Faustum ejus filium illam appellationem cum Ursino referre. Utrumque vero cognomen frequens postea apud Romanos evasit, unde passim in marmoribus FELICES, FAUSTI, EUTYCHES, & maxime mulierum, FELICITAS, FAUSTA, FORTUNATA, TYCHE; unde varia quoque earum vel diminutiva vel composita, FELICISSIMA, FELICULA, FAUSTINA, FAUSTILLA, EUTYCHE, CALLITYCHE, aliaque id genus. Scilicet boni ominis loco habita apud veteres olim fausta id genus nomina; unde Tacitus de restituto Capitolio sub Vespasiano; *Ingressi milites, quibus* FAUSTA NOMINA, *felicibus ramis.* Non FAUSTI vero solum & FELICES, sed EPAPHRODITI etiam seu *Venusti* cognomen Sullæ tributum & Tropæis ejusdem præfixum docuit Plutarchus, ad quod respexere duo ejusdem Sullæ denarii, in quorum uno hinc Venus & Cupido, illinc signa Pontificalia; in altero cum Veneris caput, tum tria Tropæa sunt expressa.

Lib. I. Bell. Civil.

Histor. IV. 53.

Hæc

Hæc vero male ab Urſino alio tranſlata ex parte occupavit non ita pridem vir doctus; quod tamen non ex Plutarchi ſolum loco de Fortuna Sullæ, ſed & altero ejuſdem Auctoris in Quæſtionibus Romanis, & Appiano præterea egregie firmatum noveram, qui poſtremus tradit repertos à ſe commentarios, qui referunt Sullam eodem Senatuſconſulto FELICEM & EPAPHRODITUM ſeu *Venuſtum* nuncupatum. Immo id firmant etiam Diodori Excerpta, κεφάτησε ὁ Σύλλας, καὶ δικτάτωρ γεγονὸς, ΕΠΑΦΡΟΔΙΤΟΝ τε ὀνομάσας ἑαυτὸν, οὐκ' ἐψεύδη τῇ ἀλαζονείας; *Vicit autem Sylla & dictator creatus ac ſe ipſum* EPAPHRODITUM *vocans, haud vana jactatione. Epaphroditus* nempe Græcis idem qui Latinis *Felix* ſeu *Venuſtus*, à feliciſſimo Veneris jactu in talorum luſu, ut eruditis notum. Unde & *invenuſtus* pro infortunato ſeu homine parum in amore felici apud Comicum, *Adeone hominem eſſe invenuſtum aut infelicem quenquam*; & *venuſtas* pro *felicitate* non ſolum apud eundem Terentium, quod notarunt jam viri docti,

Quis me fortunatior venuſtatiſque plenior.

ſed apud Plautum quoque

diem pulchrum & celebrem, & venuſtatis plenum,

Immo hinc *Venus* etiam pro *fortuna* apud Senecam, ut bene ad eum locum obſervat doctiſſimus Gronovius; *Ille non eſt mihi par virtutibus, nec officiis, ſed habuit ſuam Venerem.* Appoſite itaque, ut vides, Veneris & Cupidinis ſigna FELICEM hunc & EPAPHRODITUM Sullam nobis in ſuperioribus denariis adumbrant; & dormitabat vigilantiſſimus alias Fulvius, dum eoſdem de Sibylla, & neſcio quo Appollinis conſultore interpretabatur. Immo Tropæa, quæ in poſtremo denario ſignantur, qui Venerem exhibet in anteriori parte, opportune mihi revocant in mentem Venerem τροπαιο-

Epiſt. Adam. Ruper ad Th. Reines.

Bell. Civil. lib. 1.

Eclog. lib. XXXI.

Pœnul. l. 2.

Lib. 11. de Benef. c. 28.

πιοφόρον Græcis dictam, ut in Epigrammate inedito Agathiæ,

Ουδέπι με σχίζουσιν ἐπάλξιες. ἰὼ ἰὼ τυχήσω
Στέμματά σοι πλέξω ΚΥΠΡΙ ΤΡΟΠΑΙΟΦΟΡΕ.

Alias & Τροπαιοῦχα appellationem legas inter titulos Augustorum, cum alibi, tum apud Chrysostomum, ubi agit de more libellorum supplicum, qui Imperatoribus offerebantur; Orat. XI. in Annam. T. V. Edit. Savil. p. 56. ἐκ ἐνθήσουσιν ἓν ὄνομα μόνον, ἀλλὰ τὸ ΤΡΟΠΑΙΟΥΧΟΝ, τὸ Α'ΥΓΟΥΣΤΟΝ, τὸ Α'ΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ, καὶ πολλὰ ἕτερα τούτων ἄνω προσθέντες, τότε πείθουσι τὴν ἱκετηρίαν; *Non solum unum nomen apponunt, sed* TROPÆIS *inclytum, Augustum, Imperatorem, pluraque id genus alia desuper addentes, tunc ad supplicationem deveniunt.* Talis certe Τροπαιοῦχος inducitur à Juliano in Cæsaribus Trajanus, Tropæa nempe Parthica humeris ferens; quo habitu eundem induunt antiqui aliquot Nummi. Quid memorem jam aut Scipionem Metellum, aut S. Pompeium, quorum uterque PIUS inscribitur in eorum denariis: aut vero ad vim nominis indicandam, Catinenses fratres in aversa parte denarii ejusdem Pompeii signatos, quos ut Græcis EUSEBES, juxta [a] Strabonem & [b] Pausaniam, sic Latinis PIOS dictos satis constat,

Lib. VI. [a] In Phocic. Silius Ital. lib. XIV.

Et generasse PIOS *quondam celeberrima fratres.*

In Antonia vero PIETAS L. Antonio cum noto Ciconiæ symbolo tribuitur; quale nempe cognomen illi à pietate in Fratrem Triumvirum indultum refert Dio, ut jam vidit Fulvius. Neque mira aut insolita apud Romanos virilis ejusmodi appellatio, citra ullam generis aut flexionis mutationem. Id enim Quiritibus vestris haud semel usurpatum, quibus *Muræna*, *Musa*, *Asina*, *Scrophæ*, fœminina positione dicti haud ignobiles Romani; non autem Græcis usitatum, quibus deducta ab appellativis nominibus cognomenta, genere & fle-

& flexione continuo mutabantur. Hinc illud Fabio inter reliquas Romanorum nominum obſervationes notatum; *aut quæ feminina poſitione mares, aut neutrali feminas ſignificant, qualia ſunt Muræna, Glycerium.* Ita & *Petræ* dicti ex Equeſtri ordine, auctore Tacito, *pergitque Suilius addere reos Equites Romanos illuſtres, quibus Petra cognomentum.* Alias de eadem PIETATIS appellatione, non viris ſolum ſed etiam Provinciis tributa, audiendus Ammianus; *inter quos Ariſtænetus adfectatam recens Diœceſim curans vicaria poteſtate, quam Conſtantinus ad honorem uxoris Euſebiæ,* PIETATIS *cognomine dedicarat.* Ad PIOS autem illos vel Catinenſes, vel Metellum aut Pompeium, referendum quoque SCIPIONUM cognomentum, in denariis Corneliæ Gentis familiare; quod nempe in eadem adhæſiſſe tradit Macrobius à Cornelio, qui patrem luminibus carentem pro Scipione vel baculo regebat. Tranſiere autem omnia id genus cognomina ſequutis temporibus ad poſteros ſimul & extraneos, cum longa acceſſione non unius, ſed plurium nonnunquam cognominum, & aliunde, à Diis puta, Ventis, Fluviis, aliiſque id genus fontibus hauſtorum. Neque enim Claudii Cæſaris edictum diu valuit, qui auctore Tranquillo, *peregrinæ conditionis homines vetuit uſurpare Romana nomina, duntaxat gentilitia.* Et hæc quidem præter inſtitutum ferme prolixius, non tamen ultra argumenti cancellos, cui illuſtrando haud parum inſervire videbantur. Cœcus enim, ut hoc addere mihi liceat, in campo Hiſtoriæ veteris incedit, qui hæc non diſtinguit aut præterit; qui nominum aut appellationum id genus originem, gradus, diſcrimina, ætates non obſervat; qui tempora & perſonas non ſemel confundit; qui inductam paullatim ſub Cæſaribus, & labente imperio eandem

Inſtit. l. 1. cap. 4.

Annal. XI. 4.

Lib. XVII.

Lib. 1. Saturnal. c. 6.

In Claudio.

dem nominum confusionem & varietatem ad hunc priorum temporum canonem non revocat. Et tamen quoties hic impegerunt oculatissimi aliàs viri, in via quippe lubrica & perplexa, ignoratione aut incuria ejusmodi vel comitum vel subsidiorum?

3. *Ad eruendam Originem Familiarum.*

Accedunt non Cognominum solum aut Familiarum unius Gentis, sed GENTIUM ipsarum ORIGO & INSIGNIA, quæ iidem nummi nobis etiamnum ante oculos ponunt. Ita ut his ducibus pateant primi Natales Romanæ Nobilitatis, & ipsa discrimina indigenarum aut adventitiarum in eadem Gentium. Neque enim è Sabinarum magis raptu, quam ex aliis vicinarum Gentium spoliis conflatum nosti Quiritium genus. Quod pluribus adstruit Canuleius Trib. Plebis apud Livium, exemplis etiam petitis à Regibus Numa & L. Tarquinio peregrinis, ac à Gente Claudia, post exactos Reges à Sabinis in Civitatem non solum sed Patritiorum quoque numerum adscita: *quippe nunquam clausa urbs peregrinæ virtuti.* Hinc illa Gentilis ejusdem stirpis Imperatoris apud Tacitum oratio, *exemplo Clausi Sabini majores mei hortantur, uti paribus consiliis Rempub. capessam, transferendo huc quod usquam egregium fuerit. Neque enim ignoro Julios Alba, Coruncanios Camerio, Porcios Tusculo, & ne vetera scrutemur, Etruria, Lucania & omni Italia in Senatum accitos.* Unde factum etiam, ut eædem Gentes, ortus sui memoriam aut loci natalis appositione, aut Deorum patriæ Præsidum simulacris, aut Conditorum suorum imaginibus ac notis, voluerint ad posteros propagari. CLAUDIAM certe ac insuper PETRONIAM, TITURIAM, VETTIAM, è Sabinis profectas docent, in priori adsumtum NERONIS cognomen, quo, auctore Tranquillo, Sabinorum lingua vir fortis ac strenuus indigitatur, in altera

Lib. IV.

Annal. XI. 24.

In Claudio.

tera Feroniæ Sabinis cultæ simulacrum; in Tituria cum expressus Sabinarum raptus, tum signata, quemadmodum & in Vettia T. Tatii Sabinorum Regis effigies. COPONIAM Gentem Tibure oriundam, Clava & pellis Herculis Tiburtini scilicet Numinis, Ursino videntur arguere; sicut ANTIAM Gentem Antio profectam, Dii Penates in eadem expressi. Ut postremæ huic idem acciderit, quod de Britanniæ incolis è Belgio oriundis observat Cæsar, *qui omnes fere iis nominibus civitatum appellantur, quibus orti ex civitatibus eo pervenerunt, & bello illato ibi remanserunt.* Comment. lib. v. METTIAM vero CORNUFICIAM, PAPIAM, PROCILIAM, ROSCIAM, Lavinii municipio traduces, obvia in earundem denariis Junonis Lavininæ simulacra evincunt; haud aliter ac de Milonis origine Silius, Lib. XIII.

Lavino generate, inquit, quem Sispita Juno
Dat nobis.

VIBIAM è Sicilia profectam, arguunt similiter juxta Fulvium, Cereris ac liberæ impressa in ejusdem denariis monumenta. ACILIAM ab ἀκέομαι seu sanandi virtute nomen suum adsciviſſe, Æsculapius in eodem signatus doctis antiquariis videtur comprobare. LEVINEIAM ab Hercule stemma suum arcessere, depicta ejusdem in clypeo effigies ostentat. Quo referri potest gemma Scipionis Africani, in cujus pectore imago Serapidis, quod vulgo Jovis filius crederetur, ut Livius ac Plinius tradunt. Inter Imag. Illustr. Ursini. Alias vero ANTONIAM eundem Herculem agnoscere conditorem, hujus arguunt insignia, quæ præferunt non semel Gentis illius denarii. JULIAM vero ab Ænea & Julo deductam, non Poëtarum magis vaticinia, quam obviæ Veneris & Æneæ Anchisenentis in eadem imagines ostendunt. Hinc dicti Æneadæ non Romani solum in gene-

genere, sed proprie gentiles Julii, sicut Ausonius de Nerone, *ultimus Æneadum*, item

Æneadum generis qui sextus & ultimus hæres.

Ita rursus MANILIAM ad Ulyssem genus suum revocare, Ulysses in eadem pileatus, & à cane agnitus tradit. Ut videamus, haud insolitum jam olim illustrium Familiarum morem an fatum, præclaro nempe aliquo & antiquissimo, ut ut incerto auctore generis sese efferre. Adeo minima quæque vel Nominum vel Cognominum, vel alterius cujuspiam casus aut rei arrepta similitudo, quæ in communionem ejusdem originis traheretur. Sic M. BRUTO idonea visa est ejusdem Cognominis ratio, ut vindicem illum libertatis Junium Brutum, tanquam generis sui auctorem in Nummis signaret, à quo tamen illum traxisse originem, negat Dio. Quamquam id in dubio relinquat Plutarchus, dum utriusque sententiæ adsertores refert, ac eidem Bruto suffragari videatur, quod non solum cognominis, sed etiam Gentilis ejusdem nominis communio utrique intercederet. Unde nec mirum aut MEMMIAM à Romulo expressa illius effigie, aut iisdem argumentis à Numa CALPURNIAM ac POMPONIAM, à Tullo HOSTILIAM, ab Anco MARCIAM originem suam voluisse in Nummis consignatam relinquere. Unde patet etiam, cur Valerio Maximo Coriolanus oriundus è Gente Marcia, *Anci Regis clara progenies* nuncupetur. Ita ut qui vel Regii nominis umbram morte & ignominia mulctabant, ab eodem titulos mutuari, securum non solum ac honestum, sed præclarum etiam & gloriosum ducerent. Adeo omnia temerat ambitio, dum aut in alienis sepulcris gloriam, aut similitudinem in ignotis imaginibus quærit.

Lib. XLIV.

In M. Bruto.

Lib. IV. c. 3.

Neque

Neque vero prætereundi hoc loco MAGISTRATUS aut DIGNITATES Quiritium omnis ordinis, quæ in iisdem denariis Gentium Romanarum designantur, Vestales; Pontifices; Flamines; Augures; VII-viri Epulones; XV-viri Sacris faciundis; Salii; Consules; Prætores; Ædiles Curules; Curatores Frumentarii; Quæstores; Proquæstores; Præfecti Urbis; Judices; Ædiles Plebis; Censores etiam ac Dictatores perpetui; Tribunitia Potestas; Triumviri Reip. constituendæ; Triumviri & Quatuorviri Monetales; Protriumviri; Curatores Denariorum flandorum; Duumviri Quinquennales; Duumviri & Triumviri Coloniis deducendis; Præfecti Fabrum; Imperatores, item Proconsules; Proprætores; Legati Augusti; Tribuni militum; Præfecti Classis & Oræ Maritimæ; Regum denique Tutores. Vides hic dignitates Sacras; Urbanas, Civiles, Patritias, Plebeias, Extraordinaria Imperia, Militaria, Provinciarum, Maritima, quædam etiam ex iis aliunde ferme ignota. Ut etiam intelligamus, & à singulis, quibus tribuuntur, administrata hæc munera, quod aliunde sæpius non constat; & ab iisdem libera Republica petita in Nummis hæc honorum insignia. Id enim nosti solemne olim Quiritibus vestris, ut Magistratuum & dignitatum nomina continuo ac diligenter gentilitiis aut cognominibus adderentur; unde illa Tullii contra Antonium indignatio, ANTONIUS HIRTIO ET CÆSARI. *Neque se Imperatorem, neque Hirtium Consulem, nec Propræto-* Philipp. XIII. *rem Cæsarem, satis hoc quidem scite. deponere alienum nomen ipse maluit, quam illis suum reddere.* Equidem TRIBUNITIA POTESTAS, non vulgato solum in monumentis veterum ritu, cum appellationibus aliis Cæsarum conjuncta, sed sola & integra, ut præcipuum quod-

Ad Magistratus & Dignitates Quiritium.

dam insigne Majestatis Augusto tribuitur, in aversis aliquot Nummorum id genus partibus, ut in Cassia, Gallia, Plotia, Lucretia, Sempronia, Tarquitia, aliisque. Unde facile ex iis gravissimus Annalium Scriptor illustratur, *M. Silanus*, inquit, *censet ut publicis privatisve monumentis ad memoriam temporum, non Consulum nomina præscriberentur, sed eorum qui Tribunitiam* POTESTATEM *gererent*. Vides ibi prærogativam hujus fastigii, quo nempe ut reliquis eminentiore, Fastos signandos in posterum contendebat Silanus; ut proinde non mirum sit *in publicis* nummorum *monumentis*, solam eam dignitatem in honorem Augusti expressam, à qua & numeratos ejusdem imperii annos Dio alicubi testatum reliquit. Liquet etiam cur alibi idem Tacitus, ubi meminit adsumptæ hujus Tribunitiæ Potestatis ab Augusto, addit, *Id summi fastigii vocabulum Augustus reperit, ne Regis aut Dictatoris nomen adsumeret, & tamen appellatione aliqua cætera imperia præemineret*. Ut intelligamus, non confundendam cum eruditis quibusdam Tribunitiæ Potestatis & Tribunorum Plebis prærogativam; quarum prior, ut hinc discimus ab Augusto reperta, aut juxta Dionem à Julio, omnia alia Imperia præeminebat, postremi vero ut ut sacrosancti, infra Consulum tamen & Prætorum fastigium censebantur, ut observat idem Dio. Quod si ipsos Sacrorum Antistites consulamus, haud mediocris lux quædam iisdem ex his denariis adfulget. Græcam equidem ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ ΜΕΓΙΣΤΟΥ, seu PONTIFICIS MAXIMI appellationem nummi Græci Julii, Lepidi, Augusti, aliique arguunt. Neque tamen ideo viro docto accedo, qui gravem duobus gravissimis auctoribus dicam scribit, Dionysio nempe Halicarnassensi & Dioni Cocceio, quod scilicet Pontificiæ hujus dignitatis nomen

Annal. III. 57.

Annal. III. 56.

Lib. LV.

Jac. Guth. de jure Pontif. lib. 1. cap. 8.

men ignorarint aut male expreſſerint; dum hic ſolo Ἀρχιερέως nomine eos deſignat, ille frequenter vocat ἱερονόμους, ἱεροφύλακας, ἱεροφάντας. Quis enim ferat, illi Conſulari, utrique Romani moris & antiquitatis promicondo, craſſam illam ignorantiam aut incuriam impingi, vel in iiſdem accuſandis tam infelix acumen? Quaſi vero vel ſolum ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ nomen ſupremam ſacerdotii dignitatem non deſignet, aut reliqui illius Collegii ſacerdotes, ut Romanis Pontifices, ſic Græcis, ut ille exiſtimat, Ἀρχιερεῖς vulgo dicerentur. Immo & alibi, ab eodem Dione, Julius Cæſar Ἀρχιερεὺς τῶν Πονλφίκων vocatur; quo nomine ſatis ut opinor eum à reliquis ſacerdotibus diſtinguebat. Unde etiam hoc nomen Ἀρχιερέως, ſummo Aſiatici conventus Sacerdoti præter auctores tribuunt antiquiſſima Numiſmata, de quibus alibi. Ut mittam præter Dionem, [a] Plutarcho, & [b] Appiano, eundem Cæſarem Pontificem Maximum, Ἀρχιερέα citra attributum aliud vocari; Lepidum vero itidem Pont. Max. ſolo etiam ἱερέως nomine deſignari ab eodem Appiano. Sic alter eodem antiquior & illius Proavus M. Lepidus, de quo alicubi Tullius, *es M. Lepide Pontifex Maxime, M. Lepidi Pontificis Maximi Pronepos*, apud Polybium Ἀρχιερεὺς ſeu Pontifex Maximus legitur deſignatus cum in [a] Excerptis Legationum, tum in Valeſianis; & apud [b] Joſephum J. Cæſar & Auguſtus non ſemel litteris ſuis ac decretis ſolum Ἀρχιερέως nomen adſcribunt. Alias vero eidem Appiano hæc dignitas non μεγίστη ſed μεγάλη ἱερωσύνη aliquoties vocatur, & Julianus Cæſar de ſe Pont. Max. μέγας Ἀρχιερεύς. Ita ſolo PONTIFICIS nomine deſignatur nonnunquam Latinis ſcriptoribus, quod ignorare non debuerat Pontificii juris Scriptor. Livius certe auctor luculentus, *Regem Sacrificulum creant*,

L. XXXVII.

[a] In Jul. Cæſare. [b] Corint. lib. II. Bell. Civil.

Phil. XIII.

[a] Exc. XXXVII. pag. 167. [b] Lib. Antiq. 15. c. 17.

Ep. LXII.

Lib. II. c. 2.

Id Sacerdotium Pontifici subjecere, alibi, *Cætera quoque omnia publica privataque Pontificis scito subjecit*, qui non alius quam Pontifex Maximus. Nec minus opportune aut ex usu linguæ Græcæ, vel ratione muneris, ἱεροφάντας, ἱερονόμους, ἱεροφύλακας, Sacrorum nempe interpretes, præsides, custodes, eosdem vocat Halicarnassensis; quibus nominibus supremos sacerdotes Ægyptiorum, aliosque præcipuos sacrorum Antistites, veteres auctores passim indigitarunt. Sed de his appellationibus alibi accuratius. Inter nummos autem Marci Antonii, unus occurrit Patinianæ collectionis cum effigie Dianæ Ephesinæ, ac inscr. ΑΡΧΙΕΡ. Quo nomine eundem Antonium hujus Dianæ Flaminem adsumptum crederem omnino designari; cujus apud Ephesinos moram & theatralem ingressum tradentem Plutarchum haud ignoras. Neque ignota peregrina id genus sacerdotia à Cæsaribus etiam ambitiose nonnunquam suscepta; haud aliter ac vel Archontis, Agonothetæ, aliorumque insuper Municipalium Magistratuum Tituli, ut de Hadriano inprimis notant Dio ac Spartianus, ac de Gallieno Trebellius. Nec enim M. Antonius Pontifex Maximus, sed ea ætate Collega ejus in Triumviratu M. Lepidus. AUGURIS vero dignitas non lituo solum frequenter designata in Nummis antiquis, sed ipso etiam nomine expressa in nummis M. Antonii jam Triumviri; ut inde sacerdotii illius prærogativam abunde liceat æstimare. Ut nec mirum proinde sit, quod in Commentariis belli Gallici legitur, Cæsarem profectum in Italiam ut appellaret
Lib. VIII. municipia, *quibus M. Antonii Quæstoris sui commendaret Sacerdotii petitionem*, hunc ipsum nempe Auguratum. Tanti enim habitus apud Majores vestros, ut Lituus Auguralis in nummis Cæsarum maxime Julii etiam con-

consecrati obversetur; immo ut in nummis etiam aliquot Græcis Titi ac Domitiani ΟΙΩΝΙΣΤΗΣ, in Romanis itidem AUGUR cum aliis supremi fastigii appellationibus conjungatur. Hujus generis Vespasiani Nummus Gazæ Augustæ Viennensis cum inscriptione AUGUR TRI. POT. Unde certe liquet haud immerito magnifice adeo de jure ac auctoritate Augurum agere non semel Augurem ipsum [a] Tullium, cui & solo [b] *amplissimi Sacerdotii* nomine eadem dignitas non semel designatur; aut [c] Sulpitium apud eundem referre ut præcipua honorum insignia, *se Patrem suum Prætorem, Consulem, Augurem vidisse*; aut denique cur [d] Plinius, ubi Auguratum, quem jam Consularis à [e] Trajano studiose efflagitaverat, fuisset consequutus, serio eo nomine alicubi triumphet, indicata etiam ejus rei causa. [f] *Gratularis mihi quod acceperim Auguratum, jure gratularis & quod Sacerdotium cum priscum & religiosum, tum hoc quoque plane Sacrum & insigne est, quod non adimatur viventi.* Proximum huic dignitate sacerdotium SEPTEMVIRATUS EPULONUM, ut vel ex eodem Plinio colligas, qui vel istud vel Auguratum à Trajano sibi indulgendum contendebat, *rogo ut dignitati ad quam me provexit indulgentia tua, vel Auguratum vel Septemviratum, quia vacant, adjicere digneris.* Ut non immerito ejusdem Sacerdotii memoriam expressam videas in denario Gentis Cœliæ, cum figura Septemviri in Jovis epulo lectum eidem Deo pro more sternentis, & cum inscr. L. CALDUS. VII-VIR EPUL. Sic inter diversos FLAMINUM ordines, munus FLAMINIS MARTIALIS inter insignia Gentis Corneliæ relatum occurrit cum inscr. L. LENTULUS FLAMEN MARTIALIS.

[a] Lib. II. de Legib.
[b] L. ad Att. VIII. Ep. 3.
[c] L. III. Ep. 10. ad Appium.
[d] Lib. IV. Epist. 5.
[e] L. X. Ep. 8.
[f] Lib. IV. Epist. 8.

Epist. l. X. 8.

Meminit ejuſdem Metellus apud Macrobium, & ſimul luxurioſæ illius cœnæ, ac diei inſuper, qua Flamen à L. Julio Cæſare Augure renuntiatus eſt; *Ante diem nonum Kalendas Septembris, quo die* LENTULUS FLAMEN MARTIALIS *inauguratus eſt, domus ornata fuit.* & quæ plura ibi leguntur de ſumptuoſo cœnæ apparatu. De hoc Lentulo Flamine videtur etiam Cicero intelligendus in Epiſtolis ad Atticum ubi non ſemel Flaminis Lentuli mentionem facit. Sic alium inſuper Flaminem Martialem, nempe L. Valerium Flaccum, Apicis inſigne deſignat in denariis Gentis Valeriæ. De FLAMINE etiam QUIRINALI Numerio Fabio Pictore quædam jam in ſuperioribus delibavimus, qualis nempe ſignatur in ſequenti denario.

Lib. 11. Saturn. c. 9.

Lib. 11. Epiſt. 14.

Lib. XII. Epiſt. 3.

Figura illa Quirini Fulvio, mihi, ut verum fatear, Romæ potius galeatæ, quod innuit infra ſcriptum urbis nomen. QUIRINI autem vox clypeo inſerta, ad denotandam ſacerdotii illius memoriam, non autem imaginem nummo inſculptam. Alia etiam Quirini effigies

figies ab ista haud parum diversa visitur in denario Gentis Memmiæ. Alterius rursus Sacerdotii, hoc est QUINDECIMVIRORUM, signata in denariis Gentis Manliæ memoria, sub Sibyllæ effigie, cujus libris inspiciendis iidem, ut notum, vacabant.

Immo quia Quindecimviri sacrorum Apollinis Antistites, hinc ad indicandum illud sacerdotium Tripus in aversa nummi parte signatus. Notat id Servius loco supra jam adlegato, ac ante eum Livius de iis agens, dum adhuc erant inferiori numero, DECEMVIROS *sacris faciundis Carminum* SIBYLLÆ *& fatorum populi hujus interpretes,* ANTISTITES *eosdem* APOLLINARIS *Sacri, ceremoniarumque aliarum plebeios videmus.* En luculentum scilicet utriusque partis hujus denarii commentarium. Quamquam idem Sacerdotium in nummo argenteo Vitellii Augusti designatum etiam videas, quem supra alia occasione adtulimus; ut vel inde de illius Sacerdotii dignitate abunde possit constare, qua Cæsares etiam se ornari patiebantur. Supremum vero CONSULUM fastigium, quis dubitabit monumentis iisdem haud minus ac Fastis consignatum, unde iidem etiam suppleri possunt aut illustrari? Repetitos vero sæpius Consulatus, ut insignem honorum apicem, & totius Familiæ æternum decus, arguit denarius Gentis Corneliæ à Marcellino signatus, cum Marcelli Syracusarum expugnatoris effigie, ac in aversa inscr. MARCELLUS COS. QUINQ. Insigne etiam

Lib. x. c. 8.

etiam illius Magistratus, Lictores nempe cum Fascibus, exhibet sequens denarius in memoriam Consulum primi L. Bruti.

Alias plures non solum Cos. insigniti in antiquis denariis, qualis Sulla & Pompeius in sequenti,

sed & Valerio Messalæ Ædili Curuli nihil ad prodendam ad posteros gloriam majus visum, quam ut se PATRE CONSULE id muneris gestasse sequenti denario testatum relinqueret.

Equidem in id genus monumentis nemo mirabitur sella Curuli designari Consulare fastigium, qui *Sellam Curulem*, *Curule Ebur*, *Vitam* etiam *Curulem* pro Consulatu & Consulari positam, apud Statium, Claudianum, Symmachum legit aliquoties, aut apud Græcos Scri-

Scriptores, ἐς ὑπάτων τὴν δίφρον ἀναβαίνειν. Haud aliter nempe ac ἐφορικὸς δίφρος, seu *Sellas Ephoricas* apud Xenophontem legas, quibus nempe Ephori Supremus Lacedæmoniorum Magistratus insidere soliti. Quamquam frequentes eædem Sellæ Curules in denariis Gentium Romanarum, ad designandos alios Curules Magistratus Prætores, Ædiles, Præfectos Urbis, & quibus etiam varia symbola vulgo adjuncta, puta Lances, Virgas, Spicas, Thyrsos, idque ut observo, ad discrimen eorum Magistratuum quibus Sellæ Curulis jus competebat. Hinc Lances videas cum Sella Curuli in denario Gentis Liciniæ, adposite ad PRÆTORIS aut LEGATI PROPRÆTORE officium indicandum, cui juris dicundi partes incumbebant. De Laced. Rep.

ÆDILES autem CURULES, quos cum Annonæ, tum Ludorum procurationem habuisse nemo nescit, & quos proinde *Curatores Urbis*, *Annonæ, Ludorumque Solemnium* vocat alicubi Tullius, frequenter etiam Sella Curulis modo cum spicis à lateribus, modo cum Thyrso Liberalium symbolo designat, sicut in denariis Gentis Lolliæ ac Valeriæ. Eandem vero annonæ curam innuit etiam Modius frumenti cum duabus spicis in sequenti denario Gentis Livineiæ, Lib. III. de Legib.

ut facile adsequamur, cur apud Livium dicantur non semel Ædiles Curules frumenti vim magnam, ex Afri-
Lib. XXXI. ca puta aut Hispania advectam, *binis æris in Modios populo divisisse*. Quum autem alii rei frumentariæ Curatores sæpe extra ordinem crearentur, quibus in caritate annonæ frumenti in frumentariis provinciis emendi & ad urbem mittendi munus ex Senatusconsulto deferebatur, inde signata etiam similis curationis memoria in sequenti denario, qui duas figuras togatas exhibet sedentes cum spicis à lateribus, & inscr. AD. FRU. EM. EX S.C. seu *Ad Frumentum Emendum Ex Senatus Consulto*.

Lib. XV. Epist. 9. Unde Cicero ad Atticum illustratur, IIII. *Non vesperi à Balbo redditæ mihi litteræ, fere Nonis Senatum, ut Brutus in Asia, Cassius in Sicilia* FRUMENTUM EMENDUM, *& ad urbem mittendum curarent.* Alibi autem, *Emptum & ex S.C. Frumentum ab Siculis Prætore Verre.* Hinc *Frumentaria Coëmptio.* dicta ejusmodi curatio, ut
[a] L. 3. de Frum. Urb. Const. constat ex [a] Codice Theodosiano, cui etiam sequiori ævo, sub [b] Theodosio nempe juniore, certa pecuniæ
[b] Lib. 14. ejusd. tit. summa & peculiaris arca dicata ibidem legitur. *Comparationes* autem easdem vocat alicubi [c] Paulus J. C. & *frumento comparando constitutum curatorem*; [d] Livius vero ali-
[c] Lib. 21. D. ad Municip. cubi Legatos ad Frumentum mercandum dimissos.
[d] Lib. IV. cap. 52. Unde liquet errasse Fulvium, diligentissimum alias Romani ritus investigatorem, qui ad Præfectos annonæ

næ ab Augusto constituos, aut vero ad Ædiles superiorem denarium refert. Istis enim haud aliud incumbebat quam frumenti ab illis Curatoribus missi aut aliunde in Urbem adlati distributio. Certe Dio haud alium in finem institutos ab Augusto Præfectos Annonæ narrat, quam πρὸς τὴν τῶν σίτων διανομὴν, *ad frumenti distributionem*, & juxta eum Suetonius, *frumenti populo dividendi*. Neque vero aliud Ædilium hac in re & quidem Curulium munus, ut ex innumeris auctorum locis constat, & adlato paullo ante ex Livio, quam ut frumentum populo in Modios certo pretio dividerent. At diversa ab his eorum procuratio, quibus extra ordinem emendi in transmarinis provinciis frumenti ac in urbem mittendi provincia committebatur, ut de Bruto & Cassio paullo ante ex Tullio vidimus; & quam proinde similem curationem extra ordinem delatam, notat singularis illa Nummi inscriptio, *Ad Frumentum Emundum Ex Senatus Consulto*. Quo etiam opportune referendus nummus aureus, à Patino nostro primum vulgatus in eadem Gente Servilia, qui spicas exhibet navigio impositas; ad innuendam nempe empti in ea curatione frumenti transvectionem. Ut mittam subsellia quibus in superiori denario duo illi togati insident ad hoc munus electi, alios eosdem quam Ædiles Curules satis arguere, quibus consueto more Sellæ Curules fuissent adpositæ. Eximii autem honoris loco habitum quondam apud Majores vestros totum hoc Annonæ curandæ munus, quale Pompeio etiam extra ordinem delatum constat, idem vero viluisse postea docet nos Boëthius, *si quis quondam populi curasset annonam, magnus habebatur: Nunc ea Præfectura quid abjectius?* Neque vero ab ÆDILIBUS PLEBIS exsulasse, Annonæ procurationem; vel ex Julii facto con-

Lib. LIV.

Lib. III. de Consol.

Dio lib. XLIII. stat, à quo sex Ædiles constituti, duo Patritii, quatuor Plebeii, ex quibus postremis duo *Ædiles Plebis Cereales* vocabantur. Errat enim Dionis Interpres, qui præter auctoris mentem, hos Ædiles Cereales de Patritiis interpretatur. Contrarium certe satis evincunt duæ illæ Inscriptiones, quas jam vidit Fulvius, ubi *Ædilium Plebis Cerealium* diserta occurrit mentio. Haud incommode vero idem Fulvius ad similes Ædiles refert denarium Gentis Fanniæ, qui illinc Cereris caput exhibet cum inscr. ÆD. PL. seu *Ædiles Plebis*, & in aversa duas figuras sedentes.

Ut inde etiam liqueat non Patriciis sed Plebeiis Gentibus eandem annumerandam. Alias quum ad utrosque Ædiles cum Curules, tum Pebleios ludorum etiam spectaret procuratio, & ad priores quidem ludorum solemnium, ad posteriores plebeiorum, seu Megalensium aliorumque id genus, hinc petita etiam inde in iisdem nummis symbola quibus utraque dignitas adumbraretur. Hinc CURULIS ÆDILITAS non solum Tigride, Baccho, Thyrso, aliisque Liberalium symbolis designata, sed etiam Venationis, quæ vulgo cum Ludis edita, monumentis, ut in sequenti denario Cn. Plancii; sicut rursus Ædiles Plebis C. Valerium & C. Sextium signat præclarus nummus à Cl. Seguino vulgatus, cum SCIPIONIS NASSICÆ effigie in anteriori parte, Bovis autem capite in aversa.

Reli-

Reliqua, quæ ad posteriorem hunc Nummum spectant, petat Lector ex eodem Seguino, ac insuper ex Fabro ad Illustrium Imagines Fulvii. Illud certe inde liquet, cum Sextiæ Gentis servatam in nummis memoriam, quod negabat Fulvius, tum revera plebeiam fuisse, & à Sextia, quæ Patritia erat, diversam, ut erudite jam olim contra Robortellum monuerat Sigonius. Neque vero aliter in prædicto denario sub Bovini capitis effigie designatos & expressos videas Æ D. seu *Ædiles* in nummo Gentis Corneliæ, qui novissime Fulvianæ collectioni accessit. Sicut vero Consules, Prætores, Ædiles, Sella Curuli designari paullo ante vidimus, ita etiam PRÆFECTIS URBIS eandem tribui arguit denarius Gentis Livineiæ.

Neque enim opus mea sententia cum Ursino hanc Sellam Curulem ad Præturam patris hujus Reguli referre, qui in priori nummi parte signatur. Insignis hanc in rem Dionis locus, ubi observat Præfectos Urbis à Julio Cæsare cum M. Lepido relictos, qui illo absente res Urbis administrarent, accusatos inter alia quod in eo Magistratu Sella Curuli essent usi, haud ali- Lib. XLIII.

ter ac Magister Equitum, verum eos adlata lege absolutos. Adeo ut si Regulus iste, in alto auctorum de Præfectura ejus urbana silentio, in hanc Præfectorum classem adscribatur, res liquida sit, cur sellam Curulem, in memoriam illius Magistratus adpingi in denario curaverit. Et si ad Præfectum Urbis oculos convertamus, qui Libera Republica feriarum Latinarum caussa institutus, & qualis etiam huic Regulo dignitas obtingere potuit, eundem vice Consulis notum hoc munus obivisse, ac ut Tacitus de eodem loquitur, *qui consulare munus usurpet*, adeo ut sellæ Consularis jus tum illi fuisse nemo negaverit. Posteriori quidem ævo Urbis Præfectos peculiari ac superbo usos vehiculo, & singulari quidem privilegio, observo apud Symmachum, *urbanæ fastigium potestatis peregrini ac superbi vehiculi usus attolleret.* quod à se tamen in ea dignitate constitutus amolitur. Alias præter hunc Regulum, Munatium Plancum Præfectura etiam Urbis insignem notat Gentis Munatiæ denarius. Immo quod non observarunt diligentes Antiquarii, CENSORIÆ etiam dignitatis: servata in iisdem denariis memoria. Neque vero verisimile videbatur, ut quum alii omnis ferme generis Magistratus in iisdem signarentur, Censuræ, aliorum Magistratuum fastigii, ut Plutarcho vocatur, nulla in iisdem mentio obversaretur. Ad eam vero omnino spectare mihi videtur sequens denarius Gentis Liciniæ, quem ad Licinium Crassum Equitatui in Gallia à Cæsare Præfectum referebat Fulvius. At liquebit facile eodem denotari transvectionem Equitis, qualis coram Censoribus fieri solita, ut eam describit Plutarchus, ac respicere proinde eundem denarium ad Censuram à patre ejusdem Crassi, ut ex eodem Plutarcho scimus, gestam. Quod ipsum firmat Clau-

Annal. VI. 10.

Lib. X. Epist. 24.

In Catone Maj.

In Pompeio.

Claudii Cæsaris nummus, in quo ipse Imperator sedens pro Tribunali, ante similis Equitis transvectio cum inscr. CENSOR. Sed en utrumque cum Licinii Crassi, tum Claudii nummum.

Quamquam eodem Licinii denario, Princeps Juventutis mihi videtur ille designari, quales vulgo nobilissimi adolescentes ex Equestri ordine, ut notum, creabantur. Quod egregie etiam adstruit aureus Commodi nummus, quem possidet omni laude major Cardinalis Leopoldus ab Etruria, in quo similis plane typus stantis figuræ quæ Equum tenet, & quo designatur idem Commodus inter Principes Juventutis cooptatus, ut è Lampridiio scimus, & quâ de re alibi in sequentibus. DUUMVIROS etiam QUINQUENNALES, totidem quasi in Coloniis & Municipiis Censores, ut observarunt viri docti, præter lapides antiquos signant aliquot denarii Gentis Æbutiæ, & qualem Magistratum gessisse in patria sua Hadrianum auctor est Spartianus. Neque vero QUÆSTORUM & PRO-QUÆSTORUM infrequens in iisdem denariis mentio, & quidem Quæstorum tum Urbanorum tum Provincialium, Proconsulis puta, aut si mavis juxta doctos antiquarios, Proconsule; qui nempe quandoque Consulari imperio provinciam administraret, qualis Silanus in Gente Junia M. SILANUS AUG. Q. PRO. Cos. Non audiendus vero vir doctus & elegantis ingenii

genii amicus noſter, qui Proquæſtores, quorum mentio in præclara illa Inſcriptione Piſana de Inferiis Caii Cæſaris Auguſti Nepotis, *coram Proquæſtoribus primo quoque tempore*, mavult Provinciæ Quæſtores quam Proquæſtores interpretari. Proquæſtorum certe, ut Nummos mittam & Marmora, præter alios, Livium puta & Scriptorem belli Africani, meminit haud ſemel Tullius, *Lucullus Proquæſtore aliquot annos*, &c. Haud omittendus vero denarius Gentis Plætoriæ, in quo hinc MONETA ſignatur, illinc L. PLÆTORIUS Q. *Quæſtor*; ut facile intelligamus, cur *Quæſtor ad Ærarium* occurrat in eodem marmore Piſano, aut *Quæſtor ab Ærario*, in aliis antiquis lapidibus; vel juxta vetuſtæ legis fragmentum. *Q. Urb. Quei Ærarium Provinciam obtinent*. Sicut vero Ærarii publici, & pecuniæ in Provinciis adminiſtratio vulgo penes Quæſtores manſit; ita Monetæ ſignandæ curam in Urbe modo ad Triumviros Monetales, modo ad Quatuorviros circa J. Cæſaris tempora, modo ad Tres Præfectos ſub Auguſto iterum redactam, quondam etiam ad Curatores quoſdam ita dictos, incerto munero ſpectaſſe, eandemque vel Denariorum flandorum; vel Auri, Argenti, Æris flandi, feriundi; vel Argento etiam publice feriundo titulis ſignatam, non aliunde luculentius quam ex eadem moneta diſcimus. In ea enim crebro occurrunt III-VIR. A. A. A. F. F. *Triumvir Auro, Argento, Ære, Flando, Feriundo* vel, IIII-VIR. A. P. F. *Quatuor-Vir Argento Publice Feriundo*; ita enim mallem poſtrema interpretari quam cum doctis antiquariis *Argento Publico*, præeunte mihi Tullio, *Æs Argentum Aurumve publice ſignato*. Quo ſpectat Gentis Flaminiæ denarius, in quo quidam L. Flaminius Chilo legitur fuiſſe inter primos Quatuorviros Flandæ Monetæ.

Acad. Quæſt. l. II.

Theſ. Grut. ccccxxxvii. 2. M. xxvi. 9.

Lib. III. de Leg.

Ita

Ita enim malo hæc verba interpretari PRI. FL. IIII-VIR PRI. FL. *Quatuorvir Primus Flavit*, quam juxta priorem Fulvii explicationem, ut *Primus Flamen* J. nempe Cæsaris designetur. Altum enim de hoc Flamine ejusque primatu silentium, quem M. Antonius Divi Julii Sacerdos & Consul potiori jure sibi vindicat. Neque ulla etiam in eodem denario Julii mentio vel effigies, sed expressa Deæ Monetæ, sicut in aliis nummis visitur imago, & addita Quatuorviri Flandæ Monetæ dignitas, qualis à Julio Cæsare primum instituta, aucto scilicet Triumvirorum Monetalium numero. Neque tamen ignoti mihi, ut obiter hoc addam, Primi id genus Flamines, seu πρῶτοι Ἀρχιερεῖς in monumentis antiquis Lapidum Nummorumque designati, de quibus infra alio loco. Flandæ autem Monetæ mentionem itidem videas apud Symmachum, *Flandæ Monetæ nequitiam decoquat larga purgatio.* Id vero cudendæ Monetæ munus haud mirum quandoque monetalibus instrumentis, Incude, Malleo, Forcipe, designari; ut in aliquot denariis Gentis Carisiæ. Unde adposite Hieronymus, *Per exesum montem haud paucula habitacula, in quibus scabræ jam Incudes & Mallei, quibus pecuniæ olim signatæ visebantur.* Immo, quod alias ut opinor ignotum, Lentulus quidam in Cornelia CUR. X. FL. *Curator Denariorum Flandorum* inscribitur. Ita ut eorum etiam nomina, quibus Julii & Augusti ætate vulgo hæc

Lib. x. Epist. 21.

In Vita Pauli Eremitæ T. 1. pag. 238.

cura incumbebat, inde adhuc hodie innoteſcant. hic mortuo aut abſente Triumviro Monetali, alium in ejus locum ſuffectum cum Titulo Pro Triumviri liquet ex ſequenti denario, in quo C. MARIUS PRO III-VIR. deſcribitur, additis Triumvirorum Reip. Conſtituendæ capitibus,

Seqnſiori autem ævo munus hoc ſignandæ pecuniæ penes Procuratores monetarum novimus exſtitiſſe, qui pendentes à nutu Comitis Sacrarum Largitionum, ejuſdem auctoritate pecuniam curabant ſignari. Liquet id cum ex Caſſiodoro, tum Ammiano, qui eoſdem
Lib. XXII. alibi *Monetæ Præpoſitos* vocat. In Coloniis vero, Municipiis, ac liberis Civitatibus relicta ſub Imperio Cæſarum per aliquot ſæcula facultas illa ſignandæ monetæ. Id vero non arguunt ſolum tot nummi ejuſmodi Urbium & Coloniarum adhuc ſuperſtites cum Cæſarum quorum ætate percuſſi in anteriori parte effigie, ſed clarius expreſſa in aliquot ex iis eadem facultas, Cæſarum indulgentia iis conceſſa. Hinc in nummo Coloniæ Patrenſis ſub Auguſto, quem cum ſelectis aliis vulgavit nuper ſæpe laudatus Seguinus, INDULGENTIÆ AUGUSTI MONETA IMPETRATA, & in aliis duobus Coloniæ Romulenſis ſub Auguſto ac Tiberio, PERM. DIVI. AUG. COL. ROM. ſeu *Permiſſu Divi Auguſti Coloniæ Romulenſis*. conſueto apud Livium loquendi
Lib. XXXVI. genere, *Permiſſu Conſulis*, *Permiſſu Imperatoris*. Quo refe-
L. XXXVII. rendus

rendus etiam præclarus nummus Druſi; qui in averſa parte caput Mercurii exhibet, & inſcr. PERMISSU L. APRONI PROCOS III. Alius itidem huc ſpectat nummus ejuſdem Regiæ Gazæ, in qua duæ figuræ cum puero & inſcr. quæ præferre videbatur eruditis antiquariis PERM. IMP. GER. Neque huic diſſimilis Domitiani nummus Mediceus Corinthi percuſſus, PERM. IMP. COR. quomodo & in priori nummo pro GER, facile COR, legendum exiſtimarem. Occurrit præterea nummus primæ magnitudinis apud Procerum Veſtratium decus Camillum Maximi, in quo Aquila cum ſignis Legionum & inſcr. PERMISSU CÆSARIS TIBERII. Cui ſuffragatur alius ejuſdem Tiberii, quem jam poſſidet Muſeum Regium Pariſienſe, MUNIC. ITALIC. PERM. DIV. AUG. Quæ cimelia vulgo parum nota vel obiter indicaſſe, haud ingratum Lectori futurum reor. Neque vero repugnans id genus inſcriptiones eorum ſententiæ (ut exiſtimabat ſingulari virtute & horum ſtudiorum peritia inſignis amicus noſter) qui etiam ſub Cæſaribus penes Senatum æris in urbe ſignandi facultatem manſiſſe tradiderunt. Id enim & aperte antiqui Auctores docent, & clariſſime evincunt nota S. C. vulgo æreis Nummis adhuc infinita copia ſuperſtitibus impreſſa. At non eadem Coloniarum & Municipiorum ratio, quæ inter alia privilegia quibus à Cæſaribus ornabantur, illud etiam ſignandæ monetæ ſingulari eorundem indulgentia & permiſſu conſequutæ, publice etiam in grati animi monumentum profiteri ambiebant. DUUMVIROS vero iiſdem Coloniis deducendis, frequenter etiam nummi id genus ante oculos ponunt. Magni enim honoris loco habitum nova earum urbium jacere fundamenta, quæ totidem ſimulacra Urbis gen-

In Gaza Chriſtinæ Reginæ.

tium dominæ habebantur. Hinc jam olim apud Græcos Coloniarum duces vulgo Heroïbus adscripti, & singulari quadam civium ac posterorum religione consecrati. Equidem ad Corinthum Græciæ ocellum denuo instaurandam, delectos olim Q. CÆCILIUM NIGRUM & C. HEIUM II-VIR. haud immerito colligas, quod alibi monui, ex Veneris effigie & CORINT. nomine in anteriori parte expresso. Sic eorum nomina, à quibus Colonia Carthaginem circa eadem tempora deducta, apud Tertullianum posterorum memoriæ tradita reperies, indicata etiam ea muneris parte, quam in illa instauratione Duumviri sibi vindicarunt; *ubi mœnia Statilius Taurus imposuit, solemnia Sentius Saturninus enarravit.* Id enim singularis prærogativæ haud ignoras, Urbem mœnibus cinxisse; Unde Dido sua decora apud poëtam enumerans,

De Pallio.

mea mœnia vidi,

& in Codice Theodosiano *Murorum instructio* inter publica Principum opera refertur. Utriusque vero nominis, & Statilii Tauri & Sentii Saturnini memoriam etiamnum servant antiqui denarii. Inde autem liquet, haud immerito à Triumviris Monetalibus quæsitum Augusto decus; ab instaurata nempe ejus auspiciis haud una Colonia. Unde videas in denariis aliquot Gentis Petroniæ, hinc Augusti effigiem, illinc Sirene, Pegaso, Falcata Luna cum stella, designari Neapolis, Corinthi, ac ut primi observamus, Byzantii instaurationem. Postremum certe luculenter arguunt alii nummi, in quibus depictum vulgo illud Byzantinorum insigne, nomine eorundem adscripto. Cujus rei fidem facient sequentia ectypa, primum denarii illius, cujus meminimus, alterum nummi à Byzantinis percussi, cum inscr. BYZANTIΩN,

Lib. 36. de Oper. Publ.

TRIUM-

TRIUMVIROS autem illos mitto Reip. constituendæ, seu *Tricipitinam* illam Varroni dictam, quam vere arguunt tria Augusti, Antonii & Lepidi juncta in sequenti denario aliisque id genus capita.

Quid jam memorem PRÆFECTOS FABRUM, quos Ursino arguere videtur Malleus in denario Gentis Valeriæ cum nomine ACISCULI adjuncto? At non Malleum eo denotari, sed Instrumentum fabrile, quo saxa cædebantur in latomiis, censet vir inter eximia sæculi nostri ornamenta numerandus Nicolaus Heinsius noster, & firmat veteri Glossario, in quo *Aciſculus*, λατόμος redditur. Ut vero de Mallei apud veteres forma lectori liceat securius judicium ferre, en tibi cum eundem Aciſculi nummum, tum alium Lemniorum, cum vero Malleo & Forcipe, Vulcani utpote Dei Lemnii instrumentis.

Quid enumerem alia Militiæ munia in iisdem denariis expressa, ut TRIB. MIL. seu *Tribunum Militum* in Fonteia; Centurionem militem vite cædentem in Didia, duos Milites, unum pro cive prostrato pugnantem in Minucia, alium pro Vallo in Numonia? Quid dicam tot Legiones signatas in denariis Gentis Antoniæ, de quibus paullo infra? quid signa ipsa Legionum, cum additis litteris H. P. ut in sequenti denario Gentis Valeriæ, cui similem videas in Gente Claudia & Cornelia?

Quid sibi velint illæ litteræ silent Interpretes. At nihil aliud notare mihi liquet, nisi *Hastatorum* & *Principum* signa. Livius; *Hastatorum prima signa, deinde Principum erant, Triarii postremos claudebant.* Constabat nempe Legio, ut notum, ex Hastatis, Principibus, & Triariis; quorum primi sua habebant Signa seu Vexilla, illis notis H. & P. in denario distincta; Triariorum autem erat Aquila, Signum totius Legionis, quam vulgo in Medio collocant id genus Nummi. Maris autem imperium ab utroque Pompeio, Patre & Filio administratum, sub diversis tamen titulis, docent illius Familiæ Numismata, in quibus parens Pompeius PR. COS. cum prora navis, Sextus autem filius PRÆF. CLASS. ET ORÆ MARIT. describitur. Scilicet cui Classis erat Provincia, ut loquitur aliquoties Livius, qui & alibi Duumviros creatos refert ad tuendam Oram Maritimam. Eandem vero Classis Præfecti dignitatem M. Antonium, positum alias in supremo dignitatis

Lib. XXXVII. cap. 39.

Lib. XL. cap. 19.

gnitatis fastigio videmus etiam adoptasse ex ejusdem Nummo, qui nuper Fulviano operi accessit, in quo hinc ipse cum Cleopatra, illinc Triremis signatur, cum inscr. PRÆF. CLAS. Tutelam vero junioris Ptolemæi à Lepido Reip. nomine susceptam, Nummi ejusdem posteris consignarunt, in quibus M. LEPID. PONTIF. MAX. TUTOR. REG. dicitur. Unde præter Valerium & Justinum Ursino adlegatos, qui Tutelæ hujus meminere, Tacitus etiam illustratur; *exemplo quo majores M. Lepidum Ptolemæi liberis* TUTOREM *in Ægyptum miserant.* Alias de Pompeio Lucanus noster, Annal. II. 61.

Sceptra puer Ptolemæus habet tibi debita Magne
Tutelæ commissa tuæ. Lib. VIII.

Neque aliter liberis Cotys Thraciæ Regis Tutorem datum ob infantiam Trebellienum Rufum, superiori loco apud Tacitum legas. Inter externa autem Imperia occurrit illud LEGATI PROPRÆTORE in Nummis Gentis Carisiæ cum effigie Augusti, ubi admitti non debet adlata ab Ursino Ant. Augustini, viri alias sani in litteris judicii, explicatio. Ille enim Legatos Pro Prætore dictos solum credidit, qui Legati primum in Provinciam cum Prætoribus missi, dum his discedentibus aut mortuis, eandem eorum loco administrabant. At ratio Virum doctissimum hic fugit. Notum enim Augusti ævo & sequentium dein Cæsarum Legatos Pro Prætore appellatos, non Prætorum in Provinciis adsessores aut qui iisdem succedebant, sed supremos Rectores missos ad administrandas provincias Cæsaris, sicut Populi Proconsules, qui populi provinciis præficiebantur. Ratio autem nominis obvia ex usu veteris Reip., qua Pro Consule aut Pro Prætore primum dictus, qui Consul aut Prætor destinatus ad regendas pro-

provincias vel præfecturam militarem, functus Magistratu in eodem imperio continuabatur. Clare id docet Dio, qui Pro Consules & Pro Prætores dictos tradit in Castris Pompeii Consules & Prætores prioris anni, aliis non suffectis. Ita crevit paulatim in eadem Rep. Pro Prætoris militaris appellatio frequens apud Livium alioſque, quæ postea ab Augusto ad Rectores militarium Provinciarum translata; dum Pro Consules dicti, ut notum, qui præerant pacatis Populi Provinciis. Neque tamen reperta primum sub Augusto conjuncta Legati Proprætoris appellatio, ut Dio videtur innuere, sed jam recepta libera adhuc Rep. de iis qui vice Prætorum, sub Pro Consulis aut Imperatoris auspiciis, parti exercitus aut Provinciæ præerant. Egregie id præter lapidum auctoritatem confirmat denarius Gentis Publiciæ, in cujus anteriori parte, GN. MAGNUS IMP. in aversa vero M. POBLICI, LEG. PROPR. ut intelligamus hunc Publicium à Pompeio, qui tum exercitui summo cum imperio præerat, adsumptum in partem curæ militaris, aut regendæ Provinciæ. Sciendum enim in divisione Provinciarum facta à Triumviris Pompeio, Crasso, Cæsare, quæ singulis obtigerant, eas Legatorum opera eosdem administrasse. Accedit huic alius denarius in Gente Cæcilia, in quo P. CRASSUS. JUNI. LEG. PROPR. signatur; qui nempe Scipionis in Africa Legatus fuit. At vero sub Cæsaribus, dicti non solum Legati Proprætore, sed etiam LEGATI AUGUSTI; quasi totidem Cæsaris in commissis Provinciis Adsessores, ut prior appellatio curam militaris provinciæ, altera demandatam à Cæsare jurisdictionem argueret. Hinc idem Carisius, quem LEG. PROPR. seu *Legatum Proprætore* inscriptum paullo ante diximus, in nummo

Lib. XLI.

Eme-

Emeritæ cuſo, in alio ejuſdem urbis Nummo Legatus Auguſti inſcribitur P. CARISIUS LEG. AUG. in Hiſpania nempe Luſitanica, ad quam regendam miſſus ab Auguſto. Illæ enim duæ, Luſitania, in qua Emerita, de qua magnifice Auſonius, In Gaza Chriſtinæ Auguſtæ.

Submittit cui tota ſuos Hiſpania faſces,

& Tarraconenſis à Legatis Cæſaris, Bætica autem à Populi Magiſtratu, ut ex Strabone ac Dione liquet, regebantur. Conjuncta etiam vulgo, ut notum, utraque appellatio, ut *Legati Auguſti Proprætore* dicerentur, quod non ſolum arguunt lapides antiqui, ſed aliquot etiam Græci Cæſarum Nummi, in quibus Πρέσβεις Ἀνθυπατικοὶ & Σεβαστῆ non ſemel nuncupantur. Ita præclarus nummus Hadriani Mediceus, ΕΠΙ ΕΙΤΕΙ ΡΟΥΦΟΥ ΠΡΕΣ ΚΑΙ ΑΝΤΙ. ΤΟΥ ΣΕΒΑΣ. ΒΙΖΥΗΝΩΝ, hoc eſt, *ſub Itio Ruſo Legato & Proprætore Auguſti, Bizyenorum.* Thracia nempe, in qua Urbs illa Bizyenorum ac proinde Socrati Βιζύη τῆς Θρᾴκης dicta, inter Provincias Cæſaris remanſerat; utpote ex earum numero, quæ poſt diviſionem Provinciarum ab Auguſto inſtitutam in Provinciæ formam redacta fuerat, & quidem ſub Veſpaſiano, ut obſervat Tranquillus. Tales autem Provincias non Populo ſed Cæſari acceſſiſſe diſerte juxta [a] Strabonem docet [b] Dio; ac in ſpecie de Thracia firmant Lapides antiqui. AUGUSTI vero nomen in eodem nummo non Legato ſolum ſed Proprætori etiam poſtpoſitum, ſicut in Inſcript. Dolabellæ, LEG. PROPR. DIVI AUGUSTI. ET TI. CÆSARIS AUGUSTI. Eoſdem vero Legatos Auguſti ſeu Rectores Cæſaris Provinciarum, Proconſules etiam dictos recte negat ad Spartianum Salmaſius, nec debuit nuper vir doctus id in dubium vertere. Conjuncta enim nonnunquam harum dignita- Item in Gaza Regin. Chriſtio. Hiſt. Eccl. l. IV. c. 15. [a] L. XVII. [b] L. LIII. Theſ. Grut. CCCXCVI. 1.

tum nomina in priscis elogiis, distinguenda tanquam munera variis temporibus gesta, quibus fiebat, ut qui Proconsul Populi Provinciam administraverat, postea ut Legatus Cæsaris alicui ex ejusdem Provinciis præficeretur, aut vicissim. Ita, ut sexcenta mittam, Proculum quendam signari videas in inscriptione veteri apud
CCCLXI. I. Gruterum, Legatum Proprætore Numidiæ; Consularem Thraciæ, Siciliæ, Præsidem Provinciæ Byzacenæ, Proconsulem Africæ, aliisque adhuc honorum insignibus decoratum; quos certe ab uno viro gestos eodem tempore nemo facile arbitrabitur. Haud aliter nempe ac Balbinus, *Rector Provinciarum infinitarum* Capitolino describitur. Nec obscura etiam PROCONSULUM mentio in Numismatibus antiquis, qui vel ante, vel post divisionem Provinciarum ab Augusto institutam, regendæ alicui Provinciæ fuerant præpositi. Prioris generis suppeditat præclarus nummus Laodiceæ percussus in honorem Appii Clodii Pulchri, Ciliciæ ante Ciceronem Proconsulis, inscriptus AP. PULCHER. AP. F. PRO. COS. quem apud antesignanos duos antiquariorum Urfinum ac Seguinum expressum videre licet. Posterioris autem Proconsulatus, post divisionem nempe Provinciarum Cæsaris & Populi, rariores aliquot Nummi memoriam adhuc servant. Hoc vero beneficium iidem præstant, ut qualis tum status fuerit illarum Provinciarum, inde possit indubie colligi, an Cæsaris scilicet vel Populi. Crebra enim mutatio earumdem accidit post primam divisionem ab Augusto institutam; ut nempe Provinciæ Cæsaris in Provincias Populi haud semel fuerint translatæ, aut vicissim; sicut præter Dionem, ex Scriptoribus Historiæ Augustæ, & coævis monumentis liquet. Hinc factum ut pro ratione hujus permutationis, Præfecti

fecti illarum Provinciarum aliquando Proconsules aut Prætores, dum illæ erant Populi, aliquando Legati & Proprætores, quum factæ sunt Cæsaris, dicerentur. Temporum itaque habenda hic ratio, quod viris doctis non semel imposuit, & proinde eorum monumentorum, ex quibus ea de re constare potest. *Cyprum* quidem, quam primo sibi vindicaverat, mox recepta ejus loco Delmatia, Populo concessit Augustus; unde eandem inter Populi Provincias relatam à Strabone ac Dione videas. Eodem vero imperio adhuc regebatur Flaviorum temporibus, ut liquet ex nummo, quem novissime vulgavit Cl. Seguinus, inscripto, ΑΝΘΥ. ΕΠΡΙΩ ΜΑΡΚΕΛΛΩ ΚΥ. h. e. *Proconsule Eprio Marcello, Cypriorum.* Iis enim temporibus floruisse nobilem hunc delatorem Tacitus & Quintilianus satis arguunt. Illud vero hic obiter monebo figuram quæ in eadem Nummi parte signatur, haud aliam revera esse quam Venerem Cypriam, quæ Α'φρόδιτη iisdem vocabatur, & veste ac corpore muliebri, natura virili & barbata ab iis culta, ut ejus simulacrum describunt alicubi [a] Servius & [b] Macrobius. Ad similem vero Cypriorum Rectorem spectare videtur æreus quidam Claudii nummus inscriptus, ΕΠΙ ΚΟΜΙΝΙΟΥ ΠΡΟΚΟΥΛΕΙΟΥ ΚΥΠΡΙΩΝ, *sub Cominio Proculeio Cypriorum.* Ex quo præterea discimus, ad eandem forte Cominiorum gentem, cujus frequens mentio in lapidibus antiquis, referendos nummos illos, quos sub Proculeiæ gentis nomine edidere nuper minus accurate diligentes antiquarii; quum vel superior nummus doceat Cominios inter alia cognomen habuisse Proculeiorum, neque istud inter Gentium Romanarum nomina, sed cognomina collocandum. *Achaia* vero Proconsularis etiam Provincia sub Augusto, ad Cæsarem autem translata

[a] Ad Æn. II.
[b] Saturn. I. III.

Vid. Thes. Grut.

Lib. III. sub Tiberio, ut observat Annalium Scriptor, *Macedoniam & Achaiam onera deprecantes levari in præsens Proconsulari imperio, tradique Cæsari placuit.* Haud frustra vero *in præsens* additum à gravissimo Authore. Rediit enim eadem Achaia brevi ad Populum, puta sub Claudio, ut cum ex Suetonio, tum ex Claudii nummis Mediceis liquet Patris in Achaia percussis, cum inscr. ΜΙΝΔΙΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ ΠΑΤΡΩΝ. Huic consentaneus ab Occone descriptus, ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΡΟΥΦΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΠΑΤΡΩΝ. *Bithynia* Proconsularis itidem Provincia sub Augusto, ejusdem adhuc juris mansit sub Claudio; ut si non aliunde ex nummis utique liqueret Nicomediæ Provinciæ illius Metropoli signatis; qualis iste hinc cum Claudii effigie, illinc cum adscripto nomine ΤΑΡΚΥΙΤΙΟΥ.....ΣΚΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ, nempe *Tarquitio Prisco Proconsule*; sicut nummum istum vetustate exesum legebam & explicabam Cl. vestro Gottofredi. Haud absimilem postea in Gente Tarquitia editum à Cl. Patino animadverti, cum Neronis effigie, ac in aversa parte expressum nomen Μ. ΤΑΡΚΥΙΤΙΟΥ ΠΡΕΤΑΝΙΚ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΠΡΑΤΤΩΝΤΟΣ ΝΕΙΚ. *M. Tarquitio Pretanico Proconsule faciente, Nicomedensium.* Ut ita circa extrema Claudii & initia Neronis, Bithyniæ eundem præfuisse superiores nummi evincant.



Pro ΠΡΕΤΑΝΙΚ, seu *Pretanico*, mallem equidem ΠΡΙΣ-

ΠΡΙΣΚΟΥ, seu *Priſcum* in eodem legere, cum fide ſuperioris nummi mihi apud vos inſpecti, tum motus auctoritate Taciti, qui diſerte hujus Tarquitii Priſci, tanquam functi Bithyniæ Proconſulatu circa eadem tempora meminit; *Damnatus iiſdem Conſulibus* TARQUITIUS PRISCUS *repetundarum*, BITHYNIS *interrogantibus*. Ut certe inde liqueat, & veteres auctores ejus meminiſſe, de quo nihil ſibi lectum obſervabant celebres antiquarii, neque dubitare eoſdem debuiſſe, an per litteras illas ΝΕΙΚ. Nicopolis, an vero Nicomedia deſignaretur. Sub eodem Nerone alium ejuſdem Bithyniæ Proconſulem, Attium nempe Laconem, exhibet nummus Cl. Seguini, ΕΠΙ ΑΤΤΙΟΥ ΛΑΚΩΝΟC ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ, infra ΝΙΚΑΙΕΩΝ, *ſub Attio Lacone Proconſule, Nicæenſium*. Sub Flaviis Proconſularis adhuc eadem Bithynia, ut arguit alius Nummus Nicomedenſium ſupra jam alia occaſione à nobis excuſſus, .ΛΑΝΚΙΟΥ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ, *Plancio Varo Proconſule*. Sub Trajano eandem manſiſſe Proconſularem, liquet alias ex Dione Chryſoſtomo, qui in ea oratione quam in Patria habuit, Pryſa nempe urbe Bithyniæ, Proconſulis illius Provinciæ mentionem facit. Neque tamen ob ſuperiores illas Nummorum inſcriptiones Tacitus ideo arguendus, qui Marcellum Bithyniæ Rectorem ſub Tiberio, Prætorem non autem Proconſulem vocat, ſicut mallet Lipſius, *Marcello Bithyniæ Prætori objectum*. Bithynia ſcilicet una ex decem Populi Provinciis, ad quas regendas mittebantur viri Prætorii, ſicut Conſulares regebant duas nobiliores Provincias Aſiam & Africam, quod Strabo ac Dio tradidere. Prætor itaque Tacito vocatur ratione Provinciæ Prætoriæ, qualis erat Bithynia, haud aliter ac Cyprus Prætoria Provincia vocatur

Annal. XIV. 46.

Orat. XLVII.

Lib. XIV. alicubi Straboni; quod nempe Viri Prætorii ad eas regendas mitterentur, non autem Consulares; quamquam revera in Nummis aliisque publicis monumentis Proconsules vocari soleant, quod omnibus Provinciarum Populi Rectoribus tam Consularibus quam Prætoriis, communis esset Proconsulis appellatio, ut aperte Dio innuit, & firmant aliunde Nummi ac Lapides antiqui. Lipsium decepit Prætoris appellatio, qua Cæsaris, non Populi Magistratum credidit designari, quum priores tamen non Prætores simpliciter, sed vulgo Legati, Legati Augusti, Legati Proprætore, aliquando etiam Legati Prætorii, ad distinctionem nempe Consularium, dicerentur: Alias vero hæc Bithynia cum Propontide accessit postea Provinciis Cæsaris sub Hadriano, cujus loco Pamphiliam Populo concessit, ut
Pag. 714. observo apud Dionem in Excerptis Constantinianis. Tum vero illius Rectores non Prætores amplius aut Proconsules, sed Legati Augusti & Ἀντιστρατηγοὶ dicti,
Thes. Grut. M. XCIV. quemadmodum vocantur in aliquot Inscriptionibus antiquis, de quarum ætate inde potest judicium fieri. Quamquam jam ante sub Trajano accessisse Bithyniam Provinciis Cæsaris arguere videatur Plinius junior eidem à Trajano præpositus, & quidem *Legatus*
Thes. Grut. CIↃ XXVIII. 5. *Proprætore*, juxta Inscriptionem antiquam, in qua dicitur LEGAT. PROPR. PROVINCIÆ PONTI CONSULARI POTESTATE; quod præterea pluribus ex eodem Plinio adstruere alicubi conatur erudi-
Var. Lect. I. IV. c. 3. tissimus Sam. Petitus. Verum ut mittam adlata modo utriusque Dionis testimonia; aut quod non *Bithyniæ* simul, sed *Ponti* duntaxat *Legatus* vocetur in memorata Inscriptione, quæ Provinciæ alioquin, ut vel ex Strabone ac Dione constat, ab uno Rectore solebant administrari, & una proinde signari in monumentis id genus

nus antiquis; non ordinarium videtur fuisse illud Plinii imperium, sed extra ordinem ad ordinandas provincias Ponticas; quales extraordinarios Magistratus missos subinde à Cæsaribus in Proconsulares Provincias aliunde etiam scimus, qua de re mox in sequentibus, idque, ut videtur, vi juris illius seu imperii Cæsarum Proconsularis, de quo suo loco. Sic data etiam Plinio, quod solemne eo casu, ut ex aliis etiam Nummis modo evincetur, non *Legati* solum, sed præterea *Consulari Potestate* facultas Syriam, &c. Alias jam ante Augusti tempora, Bithyniæ Rectorem C. Papirium Carbonem arguunt duo Nummi ærei Nicææ & Nicomediæ percussi, uterque cum inscr. ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΠΑΠΙΡΙΟΥ ΚΑΡΒΩΝΟΣ, *sub Caio Papirio Carbone*. Ursini errorem jam refutarunt diligentes antiquarii, qui Nicæenses de Corsicæ populis interpretabatur, ac ad Caium Carbonem Sardiniæ Præsidem similem nummum referebat. Neque vero solum id refellit alter nummus Nicomedensium à Patino editus, sed Dio præterea, qui à Caio Carbone Bithyniam administra- Lib. XXXVI.
tam alicubi testatur, quod jam monuit Cl. Seguinus. *Syriam* autem, utpote inter Cæsaris Provincias, à Legatis proinde Augusti administratam, Silano puta sub Tiberio, Quadrato aut Cestio sub Claudio ac Nerone, arguunt itidem antiqui Nummi Antiochiæ signati, ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ, vel ΕΠΙ ΚΕΣΤΙΟΥ, vel ΕΠΙ ΚΟΥΑΔΡΑΤΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ, quibus addendum est sequens ectypum è nummo veteri, sed vetustate attrito ac proinde paullo inconcinnius hic expressum cum Ariete & stella, solito Antiochensium symbolo,

Fa-

In Gaza Reginæ Christinæ.

Factum vero sequutis temporibus, ut iidem Legati Augusti, non Proprætores solum, sed Consulares etiam digniori vocabulo, à gesto nempe magistratu vocarentur. Hinc inducta rursus illa Provinciarum distinctio, ut Consulares Cæsaris Provinciæ, Proconsulares vero Populi, veteri, scilicet vocabulo dicerentur. In M. Aurelio. Clare id exprimit Capitolinus: *Provincias ex Proconsularibus Consulares, aut ex Consularibus Proconsulares aut Prætorias pro belli necessitate fecit.* Qui locus, ut recte colligit ὁ πάνυ Salmasius, nihil aliud arguit quam permutationem Provinciarum Populi & Cæsaris factam à M. Aurelio, pro ingruentibus nempe casibus, ut alias contigisse paullo ante videbamus. Consulares ergo tum dictæ illæ Provinciæ in quas Consulares Legati à Cæsaribus mittebantur, ad discrimen earum in quas mitti solebant viri Prætorii aut Senatores. Ita Consulares evaserunt inter alias Syria, Britannia, Germania, Hispania, & successu temporis Thracia, Mœsia etiam utraque ac Dacia, ut liquet ex auctoribus & monumentis antiquis. Nonnunquam etiam dicti Præsides id genus *Consulari Potestate*, aut juxta Tullium, *Consulari Imperio*, cujus rei exemplum præbet illustris nummus Mediceus, cujus sensum non adsequebatur eruditus Gazæ illius Custos. Percussus ille à Smyrnæis temporibus Caracallæ, cum inscriptione in aversa parte ΕΠΙ Ε. ΕΧΟΝ. ΤΠΑΤΟΡ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝ. ΕΥΤΥΧΟΥ, ita enim lego & explico, hoc est, *sub Aurelio Antonino Euty-*

Eutyche habente Consularem Potestatem; nempe Ἐξουσίων Ἐχοντος τὴν ὑπατείαν, ut prima verba legenda sunt. Ubi Ἐξουσίαν τὴν ὑπατείαν, *Consularem* vocat, *Potestatem*, haud aliter ac πολὺ & δεύτερα αὐτοκρατείαν summum pace & bello imperium dixerunt scriptores Græci. Ejusmodi vero Consularis Potestatis crebra occurrunt exempla in priscis monumentis, sicut in commemorata paullo ante Plinii Junioris Inscriptione, ubi Legatum Provinciæ Ponti vocari vidimus CONSULARI POTESTATE. In quo autem vis fuerit illius Consularis Potestatis, aperte docet alicubi Appianus, qui in Syriam Prætores missos scribit, ἵνα ἔχοιεν ἐξουσίαν καταλόγου στρατιᾶς καὶ πολέμου εἶτα τὴν ὑπατικήν· *ut haberent potestatem delectus militum & belli instar Consulum.* Hæc autem Potestas Consularis, militum nempe agendi delectum, Præsidibus Provinciarum tam Populi quam Cæsaris ab Augusto sublata, ut Dio tradidit, ac peculiari proinde imperio indigebat. In Syriacis. Lib. LIII.

Smyrna vero, cujus mentio in superiore nummo, una erat ex liberis civitatibus conventus Asiatici, quod vel arguit nummus, quem descripsere diligentes antiquarii, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΙΕΡΑ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ ΚΑΙ ΕΛΕΥΘΕΡΑ. Unde & inter *Socios* etiam relati alicubi à Cicerone Smyrnæi, *nocturnus introitus in* SMYRNAM *quasi in hostium urbem, quæ est fidelissimorum antiquissimorumque* SOCIORUM. Ad quam proinde urbem aliasve liberas ejusdem Asiæ regendas præter ordinarios Asiæ Proconsules, pro oblatis casibus extra ordinem nonnunquam mittebantur moderatores, qualem διορθωτὴν τῶν ἐλευθέρων πόλεων vocat [b] Arrianus, [a] Lucianus autem ἁρμοστὴν τῆς Ἀσίας. Ita sub Antoninis Herodem Atticum ac Sophistam Polemonem Præfectos liberis Asiæ civitatibus, quarum princeps juxta Ephesum Smyrna, auctor est Philostratus. Pergami quoque & Smyrnæ præfectu- Goltzius & Occo. Philip. XI.

[a] Dissert. lib. III. c. 7.
[b] De Morte Peregrini.

L. I. & II. de Vit. Soph.

Lib. LXXIX. ram à se sub Macrino gestam Dio testatur. Neque aliter Maximum sub Trajano missum ad ordinandum statum liberarum Achaiæ Civitatum docet in Epistolis Lib. VIII. Epist. 24. Plinius, haud aliter ac sub Tiberio missum ad restaurandas collapsas terræ motu Asiæ urbes virum prætorium apud Tacitum ac Dionem legimus. Talis itaque sub Caracalla hic Aurelius Eutyches superiore nummo expressus, qui Smyrnam nempe aliasque adhuc forte Asiæ urbes regebat Consulari Potestate, seu ut Tullius Philip. XI. loquitur de Trebonio Smyrnæ occiso, *consulari imperio* Pro Flacco. *Asiam obtinentem*, & de Lucullo alibi, cum *Asiam Provinciam Consulari imperio obtineres*. Quamquam diversi, ut jam innui, ab Asiæ Proconsulibus, extraordinarii isti Rectores in eandem Asiam missi, iique ut plurimum prætorii, *ne*, quod observat Tacitus, *Consulari* Annal. II. 47. *obtinente Asiam, simulatio inter pares & ex eo impedimentum oriretur*. Equidem Proconsularis vulgo Asia, ut notum, Lib. XXII. seu Proconsulari Potestate, ut Ammianus aliquoties de eadem loquitur, administrata; unde & Proconsulis Cæsennii Pæti mentio in Nummo Domitiani Regiæ Gallorum Gazæ, qui horum Smyrnæorum cum Ephesiis, inter quos crebra alias dissidia, concordiam notat, ΑΝΘΥ. ΚΑΙCΕΝ. ΠΑΙΤΟΥ ΟΜΟΝΟΙΑ CMΥΡ. ΕΦΕ. h. e. *Proconsule Cæsennio Pæto, Concordia Smyrnæorum, Ephesiorum*. Meminit quoque Cæsennii Pæti Josephus, quem à Vespasiano Syriæ Rectorem constitutum docet, sed apud quem corrupte Κε- Bell. Jud. l. σέννιον Πέτον legitur aliquoties pro Καισέννιον Παῖτον, VII. c. 21. vel fide superioris Nummi. Iisdem Asiæ Proconsulibus adscribendus etiam quidam Volosenna ex præclaro & c. 27. Nummo ejusdem Regiæ Gazæ, Neronis temporibus percusso cum inscr. ΟΥΑΛΟΣΕΝΝΑ ΑΝΘΥΠΑΤΩ ΙΟΥΔΑΙΕΩΝ ΑΝΚΥΡΑΝΩΝ, h. e. *Volosenna Proconsule*,

sale, *Julienſium*, *Ancyranorum*. Phrygiæ nempe majoris hæc Ancyra Ptolemæo commemorata, diverſa ab altera Galatiæ Metropoli, ut colligo cum ex conjunctione Julienſium ejuſdem Phrygiæ incolarum, tum ex addito Proconſulis nomine, Galatia enim Cæſaris Provincia, ut liquet ex Eutropio & lapidibus antiquis; Phrygia vero pars Aſiæ Proconſularis, cujus Rector deſignatur hic Voloſenna. Ita conjuncti rurſus hi Julienſes & Ancyrani cum inſertis inter utroſque Saloniti in quodam Antinoi nummo, quem vulgavit Triſtanus. Cæteroquin totam illam cum Proconſulum tum Legatorum Proprætore diviſionem ab Auguſto inſtitutam accurate narrat Dio, ſed in cujus explicatione mire hallucinatus eſt Interpres. Frequenter certe in tradendis id genus Magiſtratuum nominibus lapſos videas Appiani, Dionis, aliorumque Interpretes, & qui ſeſe illis manciparunt; dum diſtincta in Provinciis Proconſulum, Proprætorum & Procuratorum nomina non ſemel confundunt. Sic Flaccum Syriæ Præſidem, quem ὑπατικὸν vocat Joſephus, male Interpres *Proconſulem* vertit pro *Conſulari*, quales vulgo Syriæ Legati; atque ita perperam è Cæſaris Provincia Populi Provinciam facit. Sed gravius adhuc errat Interpres Philoſtrati, qui è Romano Syriæ Præſide Principem quendam ejuſdem tractus fingit, dum τῆς Συρίας ἄρχοντα vertit alicubi, *cum Syriæ quïdam princeps*; quo tempore ſcilicet Syria Romanis obnoxia Cæſaris Legato ſuberat. Commune enim Ἄρχοντος & Ἡγεμόνος nomen Præſidibus Provinciarum, quocunque tandem ſeu Proconſulum, Conſularium, vel Legatorum Proprætore titulo eaſdem adminiſtrarent. Diſerte quidem de nomine Ἄρχοντος id obſervat Dio, & utrumque vel in Provincialibus Cæſarum Nummis obvium; quam-

Lib. XVIII. Antiq. c. 8.

Lib. I. de vit. Apoll.

Lib. LIV.

quam Ἡγεμόνα nomen Cæsarum Legatis Strabo videatur vindicare. Ubi enim agit de hac ipsa Provinciarum divisione, & diversis in iisdem Populi ac Cæsaris Magistratibus, Καὶ εἰς μὲν τὰς Καισαρος ἡγεμόνας καὶ διοικητὰς πέμπει· *In Cæsaris quidem Provincias Præsides & Procuratores mittit.* Ita enim omnino corrigi debuit in Græco textu, & verti à Latino interprete. Duo quippe, ut notum, præcipui Cæsarum Ministri in eorundem Provinciis, Legati & Procuratores, illi qui toti Provinciæ præerant, hi qui pecunias Cæsaris in iisdem colligebant, easdemve militibus distribuebant, priores Ἡγεμόνες, posteriores διοικηταὶ, (vulgo Ἐπίτροποι) eo loco nuncupati: exemplo nempe Βασιλικῶν διοικητῶν, seu Dispensatorum Regiæ pecuniæ, quorum Polybius meminit in Excerptis, & quales οἱ ἐπὶ τῆ διοικήσεως vocantur Demostheni. Accedere Straboni videtur nummus Antonini Pii Mediceus, Plotinopoli in Thracia, quæ Cæsaris ut diximus Provincia, percussus cum Præsidis nomine, ΗΓ. ΠΟΜΠ. ΟΥΟΠΕΙΣΚΟΥ ΠΛΩΤΕΙΝΟΠΟΛ. *Præside Pompeio* vel forte *Pompilio* aut *Pomponio Vopisco, Plotinopolitarum.* Plotinopolis nempe urbs à Trajani conjuge nomen sortita, sicut ab ejusdem sorore in vicino tractu Marcianopolis, cujus loci nummi itidem in superioribus adlati. Immo ut Ἡγεμόνα Strabo, ita *Præsidis* etiam nomen tanquam Cæsaris Provinciarum Rectoribus proprium & à Proconsule distinctum vindicant nonnunquum Romani Scriptores. Vulcatius, *An ego Proconsules an Præsides putem, qui ob hoc sibi à Senatu & Antonino Provincias datas credunt, ut luxurientur.* Ubi per Proconsules Populi Magistratum, per Præsides Legatos Cæsaris vides designari. Quin postea distincti iidem Præsides cum à Proconsulibus tum à Legatis, ut præter antiqua marmora liquet ex scri-

Lib. XVII.

Pag. 126.

In Avidio Cassio.

ſcriptoribus Hiſtoriæ Auguſtæ. Commune tamen, ut jam innui, Ἡγεμών nomen Rectoribus Provinciarum tam Populi quam Cæſaris; ut præter alia innuit nummus itidem Mediceus Philippopolitarum in Macedonia Proconſulari Provincia ſub eodem Pio percuſſus, ΗΓΕ. ΓΑΡΓΙΛΙ. ΑΝΤΙΚΟΥ. i.e. *Præſide Gargilio Antiquo.* Hinc Dione Caſſio apud Photium Rectore Africæ Proconſularis Provinciæ, Ἀφρικῆς ἡγεμόνευσεν, quod male Schottus expreſſit, *in Africa Dux fuit*, quum vertere debuiſſet, *Proconſul Africam rexit.* Eodem nempe modo, quo in Dionis Excerptis legitur Aufidius Victorinus Ἀφρικῆς ἡγεμονεύσας. h.e. *cum Africæ Proconſul eſſet*, ut bene ea verba expreſſit decus harum litterarum Henr. Valeſius. Pag. 106. Bibl. Pag. 726.

GESTA vero præcipua Familiarum id genus ac Illuſtrium Togatorum ita iidem Nummi complectuntur, ut in illis adhuc hodie ſpectare liceat nobiliſſimorum civium Tropæa, Triumphos, Templorum aut Ludorum Dedicationes, Viarum Munitiones, Aquarum ductus, Fabricas, Leges latas, Adoptionis Symbola aliaque præclara bello aut pace ſuſcepta, multaque ex iis aliunde vel ignota vel obſcura. Neque enim fidem ſingulis detrahet, quod de falſis vel emendicatis Familiarum id genus titulis aut imaginibus apud Livium lego; *Nec facile eſt*, inquit, *aut rem rei, aut auctorem auctori præferre. Vitiatam memoriam funebribus laudibus reor*, FALSIS QUE IMAGINUM TITULIS, *dum Familia ad ſe quæque famam rerum geſtarum honoremque, fallente mendacio, trahunt.* Unde & alibi ſimilis adfert fraudis exemplum, ubi agit de imagine L. Minucii, cui Tribuni Plebis nomen falſo fuerat adſcriptum; *ſed ante omnia refellit* FALSUM IMAGINIS TITULUM *paucis ante annis lege cautum, ne Tribunis Collegam* *Ad Geſta Illuſtrium Romanorum.* Lib. VIII. c. 40. Lib. IV. c. 16.

cooptare liceret. Sicut vero indulsisse sibi nonnunquam Quirites vestros, in dedicandis Majorum suorum Imaginibus, ita in iis quæ publice auro, argento, ære incisæ, minus fraudis aut impostura commissum facile licet augurari. Africæ quidem domitorem non Scipionem solum CORNELIA Gens ostentat, sed CESTIÆ etiam EPPIÆ, NORBANÆ gentibus signatum Africæ caput cum Elephantis proboscide haud absimilis decoris communionem adserit. Alium Scipionem, Pompeii nempe Socerum, signat insignis denarius Gentis Cæciliæ, cum Iside & litteris G. T A. seu *Genius Tutelaris Ægypti*, ut eosdem ex Servio erudite interpretatur Fulvius.

Ita præter expressa in iis ÆMILII de Perseo, aut SULLÆ de Jugurtha, aut J. CÆSARIS de Gallis Germanisque nobilissima Tropæa, alia quoque videas haud contemnenda. M. LEPIDI certe XV annorum adolescentis virile facinus arguit statua ejusdem Equestris cum Tropæo, & præclara nummi inscriptio M. LEPIDUS XV. A. PR. H. O. C. S. iisdem ferme verbis quibus à Valerio describitur; ut jam notavit Fulvius, *M. Lepidus Annorum Quindecim Prætextatus Hostem Interemit, Civem Servavit*. Immo nec de Jugurtha solum Tropæum, sed idem vinctis post tergum manibus, à Boccho Rege Syllæ in solio sedenti traditus occurret; ut jam testis oculatus Plutarcho facile fidem præstes, non semel adferenti Sullam in annulis capti-

Lib. III. cap. 1.

captivi Jugurthæ imaginem gestasse; quod ipsum à Valerio etiam alicubi traditum, & à Fulvio etiam animadversum. Nec commemoro hic aut M. MARCELLUM ferentem spolia opima Jovi Feretrio, aut varios METELLORUM, SCIPIONUM, JULIORUM, aliorumque id genus triumphos, qui genuinam Romæ Triumphantis imaginem nobis ante oculos ponunt. L. certe Æmilium triplici Triumpho insignem præter Fastos, clare ejusdem Nummus cum inscr. TER PAULLUS inspiciendum præbet. Immo non privatorum solum, sed ipsius Populi Rom. Fortitudinem exprimere videtur Fulvio sequens denarius Gentis Liciniæ, cum litteris FORT. P. R.

Quamquam, ut verum fatear, mallem easdem *Fortuna Populi Romani* interpretari, consueta magis in Nummis antiquis formula, sicut FORTUNA AUGUSTI in iisdem frequens, & in Græcis aliquot nummis ΤΥΧΗ ΕΦΕΣΙΩΝ, ΤΥΧΗ ΤΑΡΣΟΥ, ΤΥΧΗ ΚΑΡΧΕΔΟΝΙΩΝ, seu *Fortuna Ephesiorum*, *Fortuna Tarsi*, *Fortuna Carthaginensium*. Solemnes vero LUDORUM editiones, *Apollinarium* puta, *Liberalium*, *Cerealium*, *Floralium*, non solum signant iidem, quos vocant, Consulares Nummi, sed à quibus etiam primum fuerint instaurati. Præclari hanc in rem duo denarii, alter Gentis Memmiæ cum inscr. MEMMIUS ÆDIL. CERIALIA PRIMUS FECIT; alter Serviliæ,

FLO-

FLORA: PRIMUS. seu *Floralia Primus Fecit.*

De Cerealibus aut Floralibus ludis non repetimus quæ vulgo nota, & ab Ursino ad explicationem horum denariorum adferuntur. Consuli etiam de priori Nummo poterit Politianus vester, qui eum apud urbis suæ Principem Laurentium Mediceum vidisse testatur in
Cap. LXXXV. præclaro Miscellaneorum opere. Neque enim quæsitum inde Familiæ decus, quod Memmius nempe aliquis aut Servilius PRIMUS Ludos id genus FECIT.
Lib. XXXIV. Id enim in simili argumento frequenter à Livio obser-
cap. 54. vatum videas; *Megalesia Ludos Scenicos C. Atilius Serranus & L. Scribonius Libo Ædiles Curules* PRIMI FECERUNT. Idem alibi de Ludis Apollinaribus stata die à
Lib. XXVII. P. LICINIO Varo Prætore institutis, *P. Licinius Va-*
cap. 23. *rus Prætor Urbis, legem ferre jussus, ut hi ludi in perpetuum in statum diem voverentur. Itaque ipse* PRIMUS *ita vovit* FECITQUE *ante diem* III. *Non. Quintil. is dies deinde solennis servatus.* Ex quo loco insuper illustrantur duo Gentis Liciniæ denarii, in quibus per desultorios equos designati Apollinares ludi, & constat ad quem Prætorem ejusdem Gentis, quod Ursinum fugit, horum institutio sit referenda. Haud minus frequentes etiam cernas TEMPLORUM dedicationes, utpote ab illustribus viris supremisque Magistratibus fieri tantum solitas; adeo ut quondam penes solum Consulem aut
L. IX. c. 46. Imperatorem jus fuisse Templi dedicandi idem Livius ali-

alicubi doceat. Ita occurrit in Gente Cassia Ædes VESTÆ à Q. Cassio dedicata, quo nomine ejusdem Nummus à Trajano restitui meruit; Ædes autem VENERIS ERYCINÆ in sequenti nummo Gentis Considiæ.

Refert illum nummum Fulvius ad Templum Veneris Erycinæ, quod prope Collinam portam visebatur. Quamquam quum istud in monte situm appareat in eodem nummo, haud incommode meo judicio referri posset ad ipsum Siculum Veneris Erycinæ Templum, revera in Colle & Arce positum, ac à Tiberio instauratum, ut auctor est Tacitus; *Et Segestani Ædem* VENERIS *Montem apud* ERYCEM *vetustate delapsam restaurari postulavere; notamemorantes de origine ejus & læta Tiberio. Suscepit curam libens ut consanguineus.* Suetonius vero id Claudio tribuit, *Templum quoque in Sicilia* VENERIS ERYCINÆ *vetustate collapsum, ut ex ærario Populi Romani reficeretur, auctor fuit.* Ipsum vero JOVIS CAPITOLINI Templum conspiciendum præbet denarius Gentis Petilliæ, ut illius formam inde colligere adhuc hodie liceat. Mitto HONORIS Ædem in Durmia & Mucia, CLEMENTIÆ in Julia, ut quando aut à quibus Templa ac delubra id genus erecta sint vel restaurata non aliunde certius constet. Idem quoque beneficium aliis publicis urbis operibus præstant, quæ in iisdem denariis occurrunt expressa, ut BASILICA ÆMI-

Annal. IV. 43.

In Claudio.

LIA à Paullo Æmilio Lepido extructa, à M. autem Lepido REFECTA, quæ ſtatio *Regia* Latina voce nuncupatur,

Illinc belligeri ſublimis Regia Paulli.

Sic non Vetera ſolum ROSTRA in denario cujuſdam Palikani Gentis Lolliæ expreſſa, ſed & Nova ſeu Julia in denario Gentis Sulpitiæ, quibus duo viri inſident. PUTEAL Libonis exhibet denarius Gentis Scriboniæ, ita ut revera Aram potius, quam Tribunal, contra eruditorum aliquot opinionem, referat. Occurrit idem in Gente Æmilia cum CONCORDIA in anteriori parte; unde non male Jacobus Rævardus elegans Juriſconſultus eandem Aram putat ad quam jurabant Judices, aede cujus reſtitutione agebat Symmachus, *Illa Aræ* CONCORDIAM *tenet omnium. Illa Aræ fidem convenit ſingulorum.* En vero tibi eandem Baſilicam ÆMILIAM, ROSTRA Julia & PUTEAL, in eorum gratiam, quibus minus obvia id genus monumenta.

Varior. l. 1. cap. 3.

Ita COMITIUM inſtar Navis cujuſdam cum adjuncto titulo Veneris CLOACINÆ ſpectatur in denario Gentis Muſſidiæ; VILLA PUBLICA in denario Gentis Didiæ; PRÆTORIUM in ſequenti denario Gentis Caniniæ, ſicut SEPTA cum ſuis Cancellis, Ponte, Ciſta, Diribitorio in adjuncto hic denario cujuſdam Cocceii Nervæ, unde legem aliquam de ſuffragiis ab eodem latam colligebat Urſinus.

Neque

Neque enim minus LEGUM latarum memoria, quam Geſtis aut Operibus aliis nobilitata illuſtrium Familiarum inſignia deprehendas. Adeo etiam ut inter præcipuos honores Auguſto mortuo decretos, ceu *maxime inſignes* relatum continuo audiamus, *ut* LEGUM LATARUM TITULI, *victarum ab eo Gentium vocabula anteferrentur*. Ut proinde haud mirum ſit videre adhuc hodie aut in denario Gentis Caſſiæ ſignatam LEGIS TABELLARIÆ memoriam cum litteris A. C. ſeu ABSOLVO & CONDEMNO, hoc eſt eaſdem *Tabellas damnatoriam & abſolutoriam*, quarum meminit alicubi Tranquillus; aut in eadem Caſſia, aliam DE SUFFRAGIIS latam à Caſſio Longino cum littera A in Tabella, qua vocem ANTIQUO haud dubitem deſignari; aut in Cœlia LEGEM PERDUELLIONIS cum Tabella & litteris L. D. ſeu LIBERO & DAMNO; aut in Porcia LEGEM PROVOCATIONIS ad Populum, à Læca Tribuno Plebis latam cum adſcripta ejuſdem formula PROVOCO; aut denique LEGEM PAPIAM de peregrinis cum Tabella, in qua PAPI inſcripta. Sed operæ pretium erit eoſdem præclaros denarios, eo quo illos enarravimus, ordine lectorum oculis uno obtutu inſpiciendos dare.

Tacit. Annal. 1. 8.

In Auguſto.

Referri huc etiam poſſent & altera Tabella, in qua SORS inſcripta in Gente Plætoria, & Judicium Veſtalium cum alia rurſus Tabella in nummo Gentis Caſſiæ expreſſum. Inter Acta ſcilicet illuſtrium Romanorum nihil ita proprium aut illuſtre olim habitum, quam Leges ab iis latæ, quod alicubi docet Tullius, &
Philip. 1. exemplo Cæſaris firmat; *Nihil tam eſſe in Actis Cæſaris, quam Leges Cæſaris.* Mox; *Ecquid eſt quod tam proprium dici poſſit actum ejus, qui togatus in Rep. cum poteſtate imperioque verſatus ſit, quam Lex? Quære acta Gracchi, Leges Sempronia proferentur, quære Sylla, Cornelia.* Hinc etiam Cato in odium Cæſaris legum ab eo latarum cognomen *Juliarum* ſcilicet, ſecundum quas tum judicia fie-
L.xxxviii bant, in prætura ſuppreſſiſſe apud Dionem legitur. Haud aliter nempe ac Metello infeſtos Senatores no-
L.xxxvii. men ejus Legi ab eo latæ detrahere, aliudque inſcribere voluiſſe, idem auctor alicubi teſtatur. Adeo nempe glorioſum videbatur, Legem proprio nomine inſcriptam promulgaſſe. Appoſite hanc in rem Chryſoſtomus;

καὶ γ

κἂν ζηλώσῃ τις, κἂν μιμήσεται τοῦτο τὸ ἔθος, πρὸς τοῦτ' ἐρεῖ- ζουσιν ἔξεστι λέγειν οἱ ἔγγονοι καὶ οἱ ἐξ ἐγγόνων, ὅτι ὁ δεῖνα τὸν καλὸν τοῦτον Νόμον πρῶτος εἰσήγαγεν· *& etiamsi æmuletur aliquis ac imitetur hunc morem, habebunt Nepotes ac nepotum filii, quod sciscitantibus referant, talem scilicet præclaram illam Legem primum intulisse.* Ita etiam ut in superioribus Nummis impletum videre licet opportunum Scriptoris dignitate & meritis ætate nostra haud incelebris monitum, quod in civilis prudentiæ plena Henrici VII. Anglorum Regis Historia consignatum reliquit; *Præcipue vero (nostro quidem judicio) hoc ipsum optimis Historiæ Scriptoribus defit, quod scilicet non satis crebro summarie referant Leges maxime memorabiles, quæ temporibus, de quibus scripserint, perlatæ sunt; cum sint Leges Acta Pacis principalia. Etsi enim in voluminibus Legum ipsarum maxima ex parte reperiri soleant, neutiquam tamen hoc tam bene informat judicium Regum & Consiliariorum & virorum civilium, quam si videant eas descriptas, & veluti* DEPICTAS *in Tabulis Temporum.* Inter publica autem Opera, à quibus instructis olim vel instauratis quæsiti etiam Tituli & Familiæ decora, VIÆ, PONTES, AQUÆDUCTUS haud postremum sibi locum vindicarunt, ut sequutis temporibus liquet etiamnum ex Constitutione Arcadii in Codice Theodosiano; *Quoniam* VIAS, PONTES, *per quos itinera celebrantur, atque* AQUÆDUCTUS, *Muros quinetiam juvari provisis temporibus oportere signasti.* Alibi autem, *Absit ut nos Institutionem* VIÆ *publicæ &* PONTIUM, *stratarumque operam titulis Magnorum Principum dedicatam inter sordida munera numeremus.* Unde non mirum in aliquot denariis Gentis Viniciæ expressam Columnam cum memoria VIARUM ab Augusto MUNITARUM, nempe QUOD V. M. S. aut QUOD VIÆ MUN. SUNT. Proprium

Hom il. XLIX. pag. 332. Tom. V.

Verulamius Baco.

Lib. 36. Oper. Publ.

Lib. 6. de Itin. Muniend.

nempe hic *Muniendi* vocabulum frequens eo sensu apud Tullium, Livium, Suetonium, aliosque, sicut & *Viarum Munitio*, unde in Codice Theodosiano Ti-
Tit. 3. l. xv. tulus *de Itinere Muniendo*. Sic PONTEM è sublicio à Lepido Quæstore lapideum factum exprimit etiamnum denarius Gentis Æmiliæ. Celebrem vero ductum AQUÆ MARCIÆ, à quodam Philippo Gentis Marciæ erectum, ostendit ejusdem denarius cum inscr. PHILIPPUS AQUA MR. Meminit vero illius præ-
Diss. Epict. lib. 11. ter scriptores rerum Romanarum Arrianus, qui Aquam Marciam non deteriorem Aqua Dines alicubi pronuntiat. Ita Hadrianum Aquarum ductus infinitos, seu
Orat. xxv. ἀενάους ποταμούς, ut eleganter eos vocat Gregorius Theologus, suo nomine nuncupasse auctor in ejus vita Spartianus. Quibus inserere liceat expressam AQUÆ CLAUDIÆ memoriam in singulari Nummo ejusdem Claudii, quem apud Abbatem Bracesium una, ut meministi, inspectum præclaro ejusdem Viri beneficio hic vulgamus, & de quo integrum sit penes diligentes antiquarios judicium.

Eundem videas ab Occone descriptum, ac inter rarissimos Nummos adnumeratum. Mitto varia adhuc & illustria Quiritium vestrorum gesta, ut Aretam Arabum

bum Regem à M. Scauro pulsum, in cujus rei memoriam REX ARETAS cum Camelo in ejusdem denario expressus, supra à nobis alia occasione adlato. Mansit autem illud nomen ARETÆ familiare in eo tractu, unde apud Procopium legas Alamundanum quendam Saracenum Aretæ filium Veneri immolasse; alibi, Aretham (sicut ibi scribitur) Regem Arabum à Justiniano constitutum. LIBERTATIS nomen & insigne, Pugiones, Pileum, EID. MARTIAS non in Bruti solum, aut Cassii, aut Lentuli Spintheris, sed Plætorii etiam Nummis reperies; ut hinc facile istum conjuratis adnumeres, & quæsitam ab iis omnibus hanc importuni facinoris vel gloriam vel tesseram cernas. Nonne vero in scenam rursus M. ANTONIUM prodire fatearis; ita amores ejus, imperia, victorias, fœdera, res mari ac terræ in Europa ac in Oriente contra Parthos, Armenios alios que gestas, insignia Deorum adsumpta, totam denique hominis histrioniam tot superstites illius Nummi ponunt in conspectu? LEGIONES certe ejusdem in Fœdere Mutinensi ad XLIII adscendisse narrat Appianus, post Philippensem autem victoriam ad XXVIII reductas. At enim XXV continua serie ad XXXIII eadem interrupta, distincta totidem hujus Antonii Numismata repræsentant. Tradunt etiam ignota aliunde quarundam Legionum nomina; qualia XIV ANTIQUA; XVII CLASSICA; XVIII LIBYCA; sicut ex earundem Legionum numero QUINTA occurrit à Vespasiano restituta, SEXTA autem à M. Aurelio & L. Vero. Nummos vero ab eodem Antonio cum Cleopatræ effigie, percussos Anagniæ observabam non ita pridem apud Servium, qui ad illud Poëtæ, *quod dives Anagnia possit*, notat; *dives Anagnia aut fertilis aut adludit ad historiam. Nam Antonius*

Bell. Pers. l. II. c. 28.

Ibid. c. 18.

Bell. Civil. l. V.

tonius Augusti sorore contempta, postquam Cleopatram duxit Uxorem, MONETAM *ejus nomine in Anagnia civitate jussit fieri.* Rarissimus autem nummus æreus, qui hinc caput fratris Lucii, nempe L. ANTONIUS, illinc Marci continet cum litteris M. ANTONIUS, qualem una vidimus apud illustre Matronarum decus Feliciam Rondanini. Rara præterea ipsius Antonii cum illa Augusti sorore seu Octavia conjuge effigies, de qua mox ad historiam Augustarum. Quid commemorem jam VOTA pro salute ipsius AUGUSTI communi omnium Ordinum consensu suscepta, & ejus rei caussa luculenta certe ac digna quæ proderetur ad posterorum memoriam. *Quod* nempe *Per Eum Resp. In Ampliori Atque Tranquilliori Statu Esset?* SELLAM CURULEM apud Romanos cum imposiți Corona, in Ludis ac Theatris absentibus etiam aut mortuis positam, ut eximium aliquod honoris insigne, notarunt jam eruditi, & non semel auctores antiqui meminere. Præter Livium vero aut Dionem, ex quibus hunc morem ad Tacitum illustravit Lipsius & ad Suetonium Casaubonus, clarissima illius rei argumenta veteres Nummi etiamnum suppeditant. Hinc in denariis Gentis Juliæ Sella Curulis spectatur cum Corona superimposita, sicut in altero quoque nummo Gentis Lolliæ.



Quem morem viderat quoque juxta Lipsium Fulvius, ac præter Dionem adnotavit jam olim Appianus. Origo autem ejusdem profecta cum ex honore ἐδρίας in Thea-

Fell. Civil. lib. 1.

Theatris quæsito, ut obſervarunt jam viri docti; tum ex ſimili honore Diis exhibito in illis ludorum ſolemnitatibus. Id clare ſatis innuit Dio, adſerens decretam ejuſmodi ſellam Cæſari, ἐξ ἴσου τοῖς θεοῖς. Ludi nempe Gentilium, ut notum, Diis ſacri; unde factum ut Coronæ illis ac ſellæ tanquam ſupremis Ludorum Præſidibus ponerentur; quæ poſtea cum reliquis Deorum honoribus defunctis vel abſentibus Cæſaribus aut Conjugibus Auguſtorum, ſicut Fauſtinæ apud Dionem, eorumve conjunctis, ut Marcello, Germanico, aliiſque id genus Auguſtæ Domus ſubſidiis communicatæ. Unde factum etiam paullatim, ut non una, ſed plures ejuſmodi ſellæ in ſignum majoris erga defunctum reverentiæ tribuerentur; ſicut tres ſellas aureas mortuo Pertinaci decreviſſe Severum refert idem Dio. Alias, quod obſervo, nec in Theatris ſolum, ſed in Templis quoque ejuſmodi ſellæ honos Cæſaribus nonnunquam exhibitus; unde abſente Caio, ſellam ejus Patres in Templo poſitam adoraſſe apud Dionem legas. Neque vero aliena ab hoc more, immo eidem plane conſona apud hodiernos Chinenſes obtinere video, ubi receptum tradunt ne ullus Legatus ad Regis conſpectum admittatur, niſi adorato prius ſolemni ritu ſuperiorum Regum ſolio. Ita liquet huc etiam referendas duas ſellas Curules cum Corona, obvias in nummis Domitiani argenteis, quales nuper verſabam in Cimeliarchio Barberino, mortuis nempe & conſecratis Veſpaſiano ac Tito ibi dicatas. Ejuſdem notæ etiam Titi nummus aureus cum ſella Curuli & Corona, cujus ſenſum non adſequutus eſt eruditus alias Areſchotanorum Nummorum interpres. Mos autem ille repetitus videtur ex uſu veteris Reip. quo in illuſtrium funeribus, majorum effigies cum auro radiante toga eburneis

Lib. XLIV.

Lib. LXXIV.

Lib. LIX.

Lib. VIII. neis sellis impositæ, ut me docuit Polybius. Neque vero id apud Romanos solum, sed apud Græcos etiam & Barbaros usitatum videas in iis, quæ in Alexandri funere

Lib. X. observat Curtius, *Tunc Perdiccas Regia sella in conspectum vulgi data, in qua Diadema Vestisque Alexandri cum armis erant, Annulum sibi pridie traditum à Rege in eadem sede posuit.* Immo quod ferme præteriissem, similis honor sellæ Curulis habitus jam olim Manio Vale-

Lib. II. cap. 31. rio Dictatori, ut diserte auctor est Livius, ne eundem sub Julio Dictatore itidem, qualis signatur in nummo paullo ante expresso, repertum credas; *super solitos honores locus in Circo ipsi posterisque ad spectaculum datus*, SELLA *in eo* CURULIS *posita.* Cæterum de sellis Curulibus eorumque usu plura qui volet, adeat de sellis Veterum Parergon, quod nuper edidit ad Marmor Pisanum vir elegantis eruditionis ac industriæ Valerius Chimentelli.

DIS-

DISSERTATIO SEPTIMA.

DE

PRÆSTANTIA ET USU NUMISMATUM ANTIQUORUM.

QUÆ ad commendationem horum ſtudiorum à nobis hactenus adlata ſunt, OCTAVI præſtantiſſime, æquos & faventes lectores facile reor habitura. Neque fruſtra me in eo laboraſſe, haud pauca ſane ſuadere mihi videntur. Quid enim ad ſummam ingenii aut doctrinæ laudem conſequendam opportunius, quam ea verſare monumenta, quibus ſimul & novitas gratiam, & varietas delectationem, & vetuſtas auctoritatem conciliat? Equidem cum ea ſit humani ingenii ratio, ut per nova neque alias trita arcem famæ ac doctrinæ ſibi invadendam putet, ſingula hic ſe affatim offerunt, in quibus omnis illa ſollicitudo acquieſcat. Etenim haud vulgaris laus, ut multi opinantur, neque continuo in medio poſita, abditæ ac retruſæ vetuſtatis arcana ex coævis neque facile obviis monumentis eruere. Quis utique hanc provinciam cum laude ſuſcipiet, aut pro dignitate adimplebit, niſi proviſu priſcæ eruditionis multiſque litteris, iiſque reconditis & exquiſitis abunde inſtructus? Tenendi locorum ſitus, linguarum varietas, cæremoniæ Deorum; civiles & militares ritus; urbium incunabula & incrementa; earundem Conditores, Heroës, Magiſtratus; diffuſa denique rerum geſtarum per omnium gentium & ſæculorum Annales

memoria. Illa ipsa ænigmata, quæ iis passim continentur, quam uberem præterea solerti ac penetranti in abdita ingenio materiam præbent, ne eruditus magis quam ingeniosus interpres videatur? Accedat eodem oportet sani quædam judicii acrimonia, quæ in explicandis iisdem symbolis, certa ab incertis, verisimilia à probatis secernat; quæ digitum in veros fontes intendat; quæ specioſa repertæ alicujus notationis imagine haud facile sibi blandiatur. Jam quam arduum illud simul & jucundum, in iis te exercere monumentis, quæ primus è situ ac tenebris in lucem eduxisti; certe quæ longe à vulgus eruditorum oculis ac intelligentia disjuncta, in imis terræ visceribus, aut in beatiorum hominum scriniis delitescebant? Quid dicam de multiplici industriæ laude ac longi usus beneficio, quo proba in hoc genere ab adulterinis, cusa veteri metallo ab incrustatis aut subæratis segreget; quo sincerum de ætate singulorum judicium, quantum quidem fieri poterit, ferat? Quæ singula quum flagitet horum studiorum ratio, haud mirum forte nondum hanc elegantiam priscæ eruditionis plures cultores nactam, & in horum numero tam paucos hactenus extitisse, qui pro dignitate eandem excoluisse videantur. Neque sic tamen eorum conatus continuo improbandos statuam, ne propria hic cædam vineta, qui quum tantam vim ingenii aut doctrinæ conferre ad hæc studia nequeant, vel eo tamen se oblectant otio, vel in diligenti eorundem perveſtigatione sibi pro virili elaborandum putant.

Circa Historiam Augustam.

HISTORIAM equidem AUGUSTAM ita hæc memoria prisci ævi complectitur, ut non alterius ferme usus aut contemplationis gratia, pretium illi vulgo tribuatur. Ea enim felicitas fuit monumentorum

rum in hoc genere, ut ex ea veram imperii omnium maximi magnitudinem æstimare nobis hodie liceat. Adeo eam ante oculos ponit infinita nummorum in hoc genere supellex, mole, elegantia, numero spectabilis; ut hæc sola multitudine aut varietate, tractantium cupiditatem morari & explere videatur. Hinc felix passim Procerum aut Antiquariorum industria, in colligendis iis & in quasdam classes digerendis, eaque publicis & præclaris monumentis ab iisdem non semel contestata. Neque enim hujus utilitatis præstantiam ignorare quemquam patiuntur, aut laudabiles vel Vici, vel Stradæ, vel Hulsii conatus, aut intentior Seb. Erizzi opera; aut diffusa Goltzii industria; aut diligens Occonis cura; aut luculenta Ducis Arescotani penus Nummaria; aut Fr. Angeloni haud contemnendi labores; aut præstantior in hoc genere, & fulta majoribus litterarum præsidiis Joannis Tristani solertia. At vero longe adhuc plura & potiora forte ad illustrationem & complementum ejusdem Historiæ Augustæ latent etiamnum recondita in Principum & Antiquariorum Cimeliarchiis aliquando ex iis bono publico depromenda. Talium certe præclaram quandam segetem cum à Cl. vestro Gottifredi exspectamus, tum à præclaris in Gallia viris, quibus Regiæ hujus Gazæ custodia feliciter commissa est. Hæc enim singula non inani aliqua prædicatione, sed totidem oculatis testibus probant, Cæsarum Seriem, Conjugia, Adfinitates, Titulos, Dignitates, facta quæque illustria domi ac foris, nullibi luculentius quam in eorundem Nummis consignata reperiri.

Continuam certe aut minus interruptam Cæsarum & Augustorum SERIEM nequidquam alibi in monumentis veterum quæras. Eam quippe ita Nummis anti- 1. *Ad Seriem Cæsarum & Augustorum.*

antiquis digestam nosti, ut non illos solum tradant, quorum diuturna ac vulgata imperia, sed frequenter etiam obscuros illos & minusculos vel Cæsares vel Tyrannos. Hos enim ut plurimum videas, aut brevitate vitæ vel principatus; aut longinquitate locorum, in quibus tanti nominis consortes impetu vel factione designati; aut tenui gestorum fama, contrariis & incertis auctorum relationibus tradi. Huc referri posset CLODIUS MACER, cujus nummum post Neronianos produxit Tristanus, nisi suspecta esset illius fides, & reprehensa erudito antiquario novitas. Felicior hac in parte PESCENNIUS NIGER, cujus superstites aliquot nummi inter selectiora id genus Cimelia vulgo solent referri. Ut præcipuum certe & unicum Gazæ Farnesianæ ornamentum recondi haud ignoras hujus Pescennii Nummum mole & raritate plane singularem, & quem cum aliis ejusdem Musei nummis, Sereniſſimi Parmæ Ducis comitate, tractare mihi licuit. Ab una parte nempe exhibet Pescennium cum inscr. ΑΥΤΟ. ΚΑΙ C. ΠΕCΚΕΝΝΙΟC. ΝΙΓΕΡΟC. CEB. in aversa vero Mulierem cum Spicis, Face & Serpente, ac epigraphe ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΝΕΟΚΟΡΩΝ: ut Antiochiæ percussum illum constet, in quo tractu susceptum à Pescennio sed breve & infelix imperium liquet. Ut vero dubiam largiar nonnullis hujus Nummi fidem, at vero extra controversiam ab omnibus positi alii ejusdem Pescennii nummi, quales aliquot Germaniciæ ad Euphratem percussi cum inscriptione ΚΑΙ CAPEIAC ΓΕΡΜΑΝΙΚΗC, & variis symbolis, aut venatoris nempe cum Arcu & Cane, ut in sequenti nummo Musei Lomeniani jam Regii,

aut

aut Æsculapii seu Serpentis variis plicis involuti, in Nummis Gazæ Cæsareæ ae Mediceæ; aut Bacchi cum vase & Botru in Cimeliarchio Reginæ Christinæ; aut Figuræ dextra virgam protendentis, in nummo Gazæ Estensis; quos omnes Viennensi excepto versare mihi licuit. Accedit alius ejusdem Musei Cæsarei cum Pallade & inscr. TIANΩN, & alter rursus Leonardi Agostini, (modo genuinus) cum figura & ara, ac loci nota TANAΓPAIΩN. De GORDIANIS autem Cæsaribus vulgo nosti ambigere non unum Scriptorem Historiæ Augustæ, an duo vel tres iidem exstiterint. Neque liquida res foret hodie, ni præter obvia Gordiani junioris numismata, rariora nonnulla Avum ejusdem ac Patrem, dictos vulgo Africanos, adhuc hodie conspiciendos darent. Sic hiatus ille haud ignotus inter Gordiani Nepotis & Valeriani tempora, in Historia Augustæ scriptoribus, Eusebii Chronico, Juliani Cæsaribus, aliisque priscis & coævis monumentis; in quo supplendo refulget præcipua quædam nummorum id genus opera. Ex iis utique, MARCIUM quendam (non *Marcum*) & SEVERUM HOSTILIANUM, Gordiani Pii successores, non Zonaras solum aut Cedrenus (quod vidit Casaubonus) sed Nummi etiam apud Goltzium arguunt. MARINUM in Pannonia electum ævo Philipporum, & Jotapianum quendam Zozimus & Zonaras litteris mandarunt. Quo auctore ve-

ro

ro dictus sit recentioribus P. CARVILIUS MARINUS, quærit Casaubonus: id vero è nummis hauAdam. Rupert. in Chronol. stum, ut nuper adnotavit vir doctus. Quamquam, ne quid dissimulem, eosdem haud ignorem suspectos novitatis peritis aliquot antiquariis. Alium tamen rarum & genuinum ejusdem Marini Nummum, præter Octavium Stradam, vulgavit haud ita pridem vir hujus antiquitatis intelligentissimus P. Seguinus, ΘΕΩ ΜΑΡΙΝΩ inscriptum; ut consecratis Cæsaribus eundem quoque arguat adnumerandum. Trajani Decii successores duos Nummi rursus suppeditant, quorum exigua aut obscura apud Auctores mentio; Q. HERENNIUS ETRUSCUS MESSIUS DECIUS, NOB. CÆS. Alter, C. VALENS HOSTILIANUS AUG. vel juxta alios, C. VALENS HOSTILIANUS MESSIUS QUINCTUS NOB. C. qui postremus in Nummo Inclytæ Reginæ, errore procul dubio illius qui nummum flavit HOTILIANUS sine s etiam scribitur. Præter argenteos & æreos utriusque Nummos mihi non semel inspectos, æreum maximum Hostiliani (vulgo apud vestrates *Medaglione*) apud Abbatem Bracesium vidisse memini, qui eodem volente novissime in Reginæ Museum transiit, & exquisitæ raritatis nummis merito debet accenseri. In aversa illius parte signatur Victoria gradiens cum corona, & inscr. VICTORIA AUG. G. Priorem vero, Q. nempe HERRENNUM ETRUSCUM, à patre Decio Cæsarem declaratum clare docet Victor Schotti, præter lapides & Nummos. Cum Patre etiam eundem in acie cecidisse, cum Victor uterque, tum Jornandus & Cassiodorus tradunt, suppresso tamen illius nomine. Eundem vero non CÆSAREM solum, sed AUGUSTUM etiam à Patre Decio adhuc superstite renuntiatum, Nummus argen-

argenteus apud Occonem arguit; quamvis fatear *Cæsarem* tantum vocari in Nummis ejus hactenus mihi inspectis. Frustra autem Onufrius hoc *Augusti* nomen mortuo demum Decio illi Etrusco concessum existimat. Singularem vero imprimis ejusdem Nummum, eumque & majoris, ut vocant, moduli è Cimeliarchio nuper Cl. Seguini jam Regio depromptum haud pigebit repræsentare. Exhibet hinc hujus Herennii vultum cum inscr. ΚΟΤΙΝ. ΕΡΕΝ. ΕΤΡΟΥCΚΟC ΜΕC. ΔΕΚΙ. seu *Quintus Herennius Etruscus Messius Decius*; illinc duas figuras, unam Herculis stantis, qui dextra fulmen gerit, sinistra autem Clavam porrigit Jovi sedenti, cum litteris ΕΠ. ΚΟΜ. Φ. ΓΑΥΚΩΝΟC ΘΕΟΛΟΓΟΥ, infra ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΠΡΩΤΩΝ Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ

Unde lucem etiam mutuantur, quæ de Hercule κεραυνοφόρῳ seu Fulmine armato jam alibi monuimus. Notanda vero hic obiter illa ΘΕΟΛΟΓΟΥ appellatio, quam profert ille Glucon, & qualem Seleuco tribuit Porphyrius in aureo libello, ubi Diphili meminit Cypriorum Regis, quem regnasse tradit circa Seleuci & Θεολόγια tempora, qua de re alibi. De altero vero, VALENTE nempe HOSTILIANO, cum defuncto Decio, Treboniani Galli in imperio Collegam clare docet Victor Schotti. *Hæc ubi Patres comperere, Gallo* HOSTILIA-

Diss. v.

Lib. II. de Abstin.

LIANOQUE *Augustæ imperia, Volusianum Gallo editum Cæsarem decernunt.* Ita Eutropius, prout recte nuper eum distinxit vir doctus, *mox Imperatores creati sunt Gallus* HOSTILIANUS, *& Galli filius Volusianus.* Hæc vero in Nummis clara, in quibus hic Hostilianus *Cæsar* non solum, sed *Augustus* etiam vocatur. Illud autem magis ambiguum, an idem Decii gener, ut post Onufrium existimat Tristanus, an vero filius censendus sit, ut nuper adseruit vir doctissimus ad Eusebium; quorum tamen neutrum ex Victore & Eutropio licet colligere. Non diffiteor me illi sententiæ libentius accedere, ut credam eum Severi Hostiliani paullo ante Cæsaris filium, à Decio autem adoptatum, data illi forte in matrimonium filia, ut ex edito utriusque Nummo colligit Tristanus. Ut vero postremum ex iis à doctis quibusdam antiquariis controverti haud ignoro, sic adoptionem illam Hostiliani, Nummi alii & lapides videntur comprobare, in quibus VALENS HOSTILIANUS Gentile illi nomen, QUINCTUS & MESSIUS Decii nomina, consueto more, adoptionis ejusdem memoriam posteris tradidere. Neque enim hæc postrema cognomina continuo eum Decii naturalem filium probant, ut existimabat vir doctus, qui ab adoptatis novorum parentum appellationes sumi non debuit ignorare. Certe neque Victor, neque Eutropius, qui Decii & Hostiliani meminere, hunc prioris filium tradunt; qui alias Decium & ejusdem filium Etruscum una die volunt interiisse. Utrumque vero ETRUSCUM & HOSTILIANUM Cæsarem & Principem Juventutis dictos sub Decio, ex amborum Nummis & Inscriptionibus patet. Neque hic prætereundus Nummus æreus è maximorum genere, inspectus mihi in Gaza Barberini Cardinalis, qui hinc Decium exhibet, illinc

illinc duo capita mutuo se respicientia cum inscript. Q. HER. ETR. DECIUS C. VALEN. HOSTIL. Unus forte hic turbat Zozimus, qui filium alterum Decii, patre & fratre mortuo à Gallo adoptatum scribit, & ab eodem postea è medio sublatum; quæ ad hunc Hostilianum Galli collegam spectare videntur. Nec alia supereſt ratio, nisi ut dicamus, aut Zozimum, generum vel adoptatum filium à naturali non distinxisse, quod accuratioribus Zozimo scriptoribus haud insolitum; aut ad alterum quempiam Decii filium nobis ignotum eundem respexisse. Certe nec eodem fato tradit eum periisse, quo Hostilianum extinctum narrat Victor, & ante Gallum jam soli Decio designatum hæredem imperii Hostilianum; ex reliquis Nummorum Lapidumve monumentis clare licet eruere. Hostiliano vero demum sublato, VOLUSIANUM Augustum cum Patre GALLO declaratum, videtur ex Nummis colligi, in quibus Volusianus Cæsar primum dictus, postea solus vel cum Patre Augustus nominatur. Sed obscuriora adhuc proxima GALLIENI & VALERIANORUM tempora simul & imperia, quibus certe Nummi dilucidam quandam facem præferunt. Hic enim aut titubantes passim videas scriptores Historiæ Augustæ, aut caliginem crebro lectori offundentes. Id vero & agnovit & probavit re ipsa doctissimus Casaubonus, dum in eadem eruenda haud unius lapsus reliquit vestigia. Ac primo de VALERIANO JUNIORE an Augustus vel Cæsar tantum sit declaratus, hæc refert Trebellius Pollio; *ubi & continuo & frater ejus* (hoc est Gallieni) VALERIANUS *est interemptus, quem multi Augustum, multi Cæsarem, multi neutrum fuisse dicunt, quod verisimile non est. Siquidem capto jam Valeriano scriptum invenimus in fastis,* VALERIANO IMPERATORE COS.

Quis igitur alius esse potuit Valerianus, nisi Gallieni frater? Huic certe Valeriano Juniori Augusti nomen tribuit nummus Græcus apud Occonem; sed qui ad alterum SALONINUM VALERIANUM Gallieni non fratrem, sed filium referri debuerat. Id enim manifeste arguit ejus inscriptio, ΠΥ. ΑΙΚ. CΑΛΩΝ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟC. CEB. hoc est, *Publius Licinius Saloninus Valerianus Augustus*; & simul *Cæsarem* eum non solum, quod tradit Victor Schotti, sed *Augustum* etiam declaratum. Frustra vero additum à Trebellio, quod nullus alius potuerit esse Valerianus, nisi Gallieni. Tres enim Valeriani in Nummis, prior P. LICINIUS VALERIANUS à Persis captus, alter itidem P. LICINIUS VALERIANUS filius superioris & frater Gallieni, Onufrio & Goltzio P. AURELIUS LICINUS VALERIUS VALERIANUS, quem prope Mediolanum sepultum vult Trebellius; tertius, P. LICINIUS CORNELIUS SALONINUS VALERIANUS Gallieni filius. Ita duo in antiquis Nummis Gallieni, unus P. LICINIUS GALLIENUS Valeriani filius, qui diu rebus Romanis præfuit, alter Q. JUL. SALONINUS GALLIENUS NOB. CÆS. Gallieni filius, ac Salonini Valeriani frater minor, & qui proinde Trebellio *Gallienus minor Saloninus* haud immerito dicitur. Unde miror virum doctum, qui nuper observationes Historicas ex antiquis Lapidibus ac Nummis concinnavit, in tradendis Valerianis & Gallienis aliquos confudisse, alios præteriisse. Illos vero minusculos seu tumultuarios Cæsares circa eadem tempora exortos, quos sub XXX Tyrannorum nomine Trebellius Pollio complexus est, pauciſſimis exceptis tradunt antiqua Numismata. Ita quidem, ut qui ex iis vel *Augusti* vel *Cæsares* declarati, aut quibus nominibus ac cogno-

cognominibus distincti, non aliunde certius hodie nobis constet. Neque enim in iis solum occurrunt ODENATHI, MACRIANI, QUIETI, POSTUMI, VICTORINI, TETRICI, aliique, sed & illi, quorum unum Trebellium videas obiter meminisse, CYRIADES, INGENUS, CALPORNIUS PISO. Hinc etiam patebit Julio Ateriano apud eundem Trebellium, *Junium Postumum* non male vocatum, nec id ex Nummis refelli, ut censebat illustris Salmasius, in quibus nempe non Pater sed Filius C. JUNIUS CASSIUS POSTUMUS vocatur. Nec video cur nuper vir doctus aliquoties designatus Aterianum accuset, quod Filii nomen Parenti perperam tribuat; quum ejus verba ad Postumum juniorem commode possint referri, nec ulla in iis occurrat Senioris mentio; *Victorino*, inquit, *qui Galliam post Junium Postumum rexit, neminem existimo præferendum.* Uterque enim in Galliis Augustus renunciatus Postumus Parens & Filius. Ita HERENNIANUM & TIMOLAUM, Odenathi & Zenobiæ filios, Augustos declaratos ex Nummis accepimus, ut vere pateat adsertum à Pollione, horum adolescentum nomine imperasse Zenobiam. Negat tamen id Vopiscus in Aureliano: *Hæc quoque ad rem pertinere arbitror Balbasi filii nomine Zenobiam, non Timolai & Herenniani imperium tenuisse, quod tenuit.* Ita horum Nummorum fide *Vaballathus* (seu potius *Vhaballatus* juxta Nummorum scripturam) in eodem loco Vopisci feliciter à doctissimis Viris restitutus loco *Balbathi*, & merito castigatus error Casauboni, qui fictum hunc Principem nec plane in rerum natura extitisse credidit, aut plane ab hoc Vhaballatho diversum. Quo loco non prætereundus inclytæ Reginæ Nummus inscriptus IMP. VHABALLATHUS AUG. & in aversa figura cum

capite radiato & Globo, ÆTERNITAS AUG. Neque vero alterum illi nomen HERMIÆ minus feliciter jam adsertum à Tristano, pro quo Salmasius, Occo, aliique ARMENIÆ vocem in hujus Vhaballathi nummo signare credidere, & in eruenda etiam causa nequidquam laborarunt. Geminus certe cum Tristani nummo alter Mediceus, & quem Magnæ Christinæ Musæum etiam recondit, ΑΥΤ. ΕΡΜΙΑC ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟC ΑΘΗΝΟΥ L. Δ. in aversa parte Nummi Aureliani cum capite laureato, & diademate. Ut certe liqueat Occoni, Goltzio, aliisque temere fidem non esse mancipandam, ubi Græcos Nummos attigere, quod & sæpe in processu hujus operis demonstratum, & aliis sexcentis exemplis probare hic possem. Neque ignotum aliunde apud Græcos illud nomen Hermiæ seu
Lib. v. Ερμείας, sicut Polybio vocatur summæ rerum præfectus apud Antiochum, cui simile profert etiam antiquus nummus Temnitarum Æolidum, ΕΠ. ΑΥΡ. ΕΡΜΕΙΟΥ ΤΗΜΝΕΙΤΩΝ. Illud vero magis ambiguum, cur Tristano placuerit eundem Hermiam Vhaballathum, Herodiani filium & Odenathi nepotem ex ingenio statuere, quem Zenobiæ tribuit Vopiscus; aut cur ΑΘΗΝΟΥ in superiori Nummo, quasi *Athenis filium* ad eundem Herodianum referat, quam tamen appellationem nec Herodiani ipsius nummi arguunt, nec aliunde licet eruere. Utinam minus nonnunquam ingenio & conjecturis suis indulsisset in nummorum id genus explicatione vir alias de his studiis optime meritus, maxime ubi sine duce à veterum authoritate discedit. Neque levius errat Onufrius, quum eundem Vhaballathum, tanquam tertium Zenobiæ filium cum Herenniano & Timolao, Pollioni designari scribit. Altum enim de hoc Vhaballatho apud Pollionem silentium.

tium. Id vero minus mirum iis videbitur, qui sciunt quid & quantum Onufrii (qui tamen pater Historiæ Scaligero alicubi vocatur) diligentiæ tribui in talibus debeat. Haud ignotus vero Tyrannus iisdem temporibus DOMITIUS DOMITIANUS, qui à Domitiano Imperatore aut Domitilla genus suum derivabat, & cujus rarissimum nummum cum titulo Augusti, nempe IMP. CL. DOMITIUS DOMITIANUS AUG. & cum Genio in aversa parte haud illibenter hic vulgamus.

In Cimel. Reg. Christinæ & P. Seguini.

Ita FIRMIUM etiam & FIRMUM diversos tradunt Nummi rariores, illum Zenobiæ socium & Augustum dictum in nummo Græco apud Goltzium, hunc Tyrannum in Africa sub Valentiniano Imperatore, cum inscr. D.N. FIRMUS P.F. AUG. Unde haud male jam collegerunt eruditi, & priorem male Vopisco Firmum vocari, & posteriorem de hoc Firmo Valentiniani temporibus exorto omnino esse intelligendum; quamquam aliter doctissimo viro placuisse noverim. Mitto Diocletiani & Collegarum temporibus exortos, eosque Augustos in Nummis signatos, ÆLIANOS duos, quorum alterius nummum possidet laudata toties Regina; AMANDUM; duos JULIANOS; ACHILLEUM; ALECTUM; CARAUSIUM quoque, cujus postremi nummus cum in Thesauro Mediceo reconditus, tum novissime Cimeliarchio Barberino accessit. Ejusdem etiam rarissimum num-

nummum, nec alias quod sciam hactenus visum, adservat Gaza Palatina, in quo Carausii caput radiatum IMP. C. CARAUSIUS P. in aversa parte figuræ duæ cum sceptro in unam coalescentes, una sursum, altera deorsum, litteræ autem exesæ præter eas quæ legi possunt, VICTOR.

Qui nummus alium quendam egregie illustrat viri Ill. Camilli Maximi, in quo Crispina Commodi, & in aversa parte duæ figuræ eodem modo medio corpore depictæ, una sursum, altera deorsum, cum inscr. etiam repetita TITIA TITIA. Neque dissimilis Gordiani nummus in Museo Cl. Seguini, in quo Herculis figura sursum itidem ac deorsum tradita, & geminata inscriptio NIKA, nempe NIKAIEΩN. Ut facile liqueat replicatam in Nummis id genus figuram aut inscriptionem, monetarii errori continuo adscribendam. Accedit inter enumeratos paullo ante Tyrannos, JULIANUS non ὁ ἀθλιβάτης, sed alter in aureo nummo Leopoldi Principis ab Etruria, in quo figura stans cum stella & inscr. LIBERTAS. Alii vero Tyranni, priores sequuti haud longo intervallo, viris doctis etiam è Nummis descripti, ALEXANDER nempe; C. JULIUS VALENS; M. MARTINIANUS; sed qui nummi, ut obiter hoc dicam, dubiæ fidei habentur accuratis priscæ monetæ æstimatoribus. Melioris notæ occurrunt, qui duos fratres exhibent magno Constantino sanguine junctos, DELMATIUM scilicet & HAN-

HANNIBALIANUM; quorum prior cum dignitate Cæsaris occurrit, posterior cum Regis titulo jam olim à Cl. Valesio ad Ammianum vulgatus. Equidem DELMATII nummum videas etiam in Museo Reginæ inscriptum FL. DELMATIUS NOB. CÆS. in altera facie, victoriam cum corona & inscr. DELMATIUS CÆSAR. Jam NEPOTIANUM & VETERANIONEM Augustos circa eadem tempora declaratos, Nummi eorundem arguunt, quales exstant in Gaza Medicea, cum solitis illo ævo symbolis, GLORIÆ ROMANORUM & VIRTUTIS EXERCITUUM. Quin exorti eodem Constantiniano ævo Tyranni TIBERII signata adhuc hodie memoria in illius nummo, quem servat Gaza Cardinalis Buoncompagni, omni hoc monumentorum genere commendatissima. Ita PETRONIUS MAXIMUS & PRISCUS ATTALUS, cum alibi tum in Cimeliarchio Farnesiano mihi inspecti; quorum ille Valentiniano cæso imperium arripuit, de quo præter Historicos adeundus Sidonius in Epistolis & Panegyrico Aviti; alter vero Imperator ab Alarico juxta Philostorgium constitutus. LEONEM & ANTHEMIUM, concordes in imperio collegas laudat idem Sidonius, & illustravit ex nummo aureo doctissimus Sirmondus. Occurrit idem Anthemius cum alibi, tum in nummo aureo Christinæ Augustæ. SEBASTIANUM vero Tyrannum quendam ætate Honorii exstitisse, qui Augustam appellationem sibi quoque vindicavit, vix aliunde disces quam ex rarissimo ejus nummo, quem selectis suis Numismatibus opportune inseruit Cl. Seguinus. Neque hic prætereundi duo singularis raritatis Nummi, quos versabam nuper inter alios plures selectiores; unus aureus Regiæ Gazæ Parisiensis, inscri-

Hist. Eccl. lib. XII.

ptus D.N. GLYCERIUS P.F. AUG. Unde liquet hunc Anthemii temporibus, non *Cæsarem* solum, ut eum vocat Marcellinus Comes, sed *Augustum* etiam renuntiatum, quem è Cæsare factum postea Episcopum, & mox à Nepote occisum tradit: Alter itidem aureus penes illustrissimum Colbertum, cum inscr. D.N. THEODEBERTUS VICTOR, & in aversa parte Victoria & litteræ VICTORIA AUGGG.

2. *Ad Seriem & Historiam Augustarum.*

AUGUSTARUM vero seriem luculentam iisdem nummis acceptam ferimus, & earum quidem, quarum tenuis aut nulla etiam mentio in priscis veterum monumentis. In illis certè videas Cæsarum Uxores, Matres, Avias, Sorores, Filias, Neptes; neque solum earundem imagines, sed nomina insuper, dignitates, & supremi fastigii vel insignia vel appellationes. Neque mirum honorem illum habitum Feminis Cæsarum sanguine aut adfinitate conspicuis, quum aliis matronis apud Romanos Senatoria & Consularia quoque ornamenta legamus nonnunquam concessa. Eximius hanc in rem Lampridii locus in Elagabalo, *si umquam aliqua matrona Consularis conjugii ornamentis esset decorata.* Nec facile quisquam mirabitur ea ætate, qua libertis aliisque sortis vilioris Prætoria aut Consularia ornamenta frequenter decreta legimus, iisdem quoque nobiliores aut gratiosas Matronas insignitas. Ita mentio earum mulierum occurrit apud Ulpianum, quæ Senatoriis ornamentis decorabantur; *Speciosas personas accipere debemus clarissimas personas utriusque sexus; item earum quæ ornamentis Senatoriis utuntur.* Unde ille Lampridii locus, qui magno Casaubono unicus videbatur index hujus moris, & ipse vicissim Ulpianus non parum illustrantur. Exemplum quoque illius præbet sub Elagabali Principatu mater Hieroclis, fœdissimi cujusdam man-

L. 100. D. de verb. sign.

mancipii, quam Dio refert in Excerptis Valesianis, militari satellitio in urbem deductam, inter Consularium matronas habitam fuisse: hoc nempe, quod aiebat Lampridius, *Consularis conjugii ornamentis decoratam.* Pag 766.

Quo spectare præterea observo, quod tradit Procopius de Theodora vilissimo antea scorto, eam ante nuptias à Justiniano evectam ad dignitatem Patritiatus, εἰς τὸ τῶν πατρικίων ἀξίωμα. Hinc *maritalia* etiam matronarum *decoramenta* apud Tertullianum: *Aut quid minus habere infelicissimæ illæ publicarum libidinum victimæ, quas si quæ leges à maritalibus & matronalibus decoramentis coërcebant.* Arcan. Hist. c. IX. L. II. de Cultu Femin.

Alias Consularium Feminarum mentio non semel in libris Juris Civilis, quas *Consularium uxores* explicat ipse Ulpianus, qui & *consularis* earum *dignitatis* alibi meminit. Notat enim nuptas prius consulari viro, postea ad inferiores nuptias devolutas, impetrasse rarissime, *ut in Consulari maneant dignitate, ut scio Antoninum Augustum Juliæ Mammææ Consobrinæ suæ indulsisse.* Haud dissimile exemplum in Lucilla observat Herodianus, quæ cum L. Viri, Marci in imperio Collegæ, postea privati Pomponiani conjunx evasisset, Sellam tamen Imperatoriam, aliosque priores honores Augustæ, Commodi indulgentia retinuit. Unde quoque eadem mortua instar Augustæ consecrata, ut ex ejus nummis adhuc liquet, cum DIVÆ appellatione. Ut equidem minus jam mirum videatur, tot illustres Matronas intueri decoratas ornamentis Augusti conjugii, aliasve feminas iisdem Cæsaribus proxima necessitudine conjunctas, eademque ornamenta cum illarum effigie in Nummis adhuc hodie consignata; Puta nempe Sacerdotium, Carpenta, Consecrationes, Dearum epitheta, MATRIS item aut ORBIS GENITRICIS, MATRIS CASTRORUM aut SENATUS appellatio- L. I. D. de Senat. L. 12. D. de Senat. Lib. I.

lationes, AUGUSTÆ denique cognomen. De hac vero AUGUSTÆ appellatione familiari in earum Nummis, aut adnexis eidem privilegiis, illustris iterum apud Ulpianum locus; *Princeps legibus solutus*, AUGUSTA *autem licet legibus soluta non est, tamen eadem illi privilegia tribuunt, quæ ipsi habent.* Ratio nempe obvia, quod *uxores radiis coruscent maritorum*, ut loquitur Justinianus, aut ex Constitutione Valentiniani & Collegarum, quæ legitur in Codice Theodosiano, quia *Mulieres honore maritorum eriguntur.* Id vero singulari privilegio factum videas in iisdem Nummis, ut non tantum uxores Augustorum, sed Matres quoque eorundem vel Aviæ, AUGUSTÆ itidem sint appellatæ, licet alias nunquam Augusti conjugii consortes. Talis aut ANTONIA Caii Cæsaris Avia, aut AGRIPPINA major ejusdem mater, aut tres JULIÆ, MÆSA, SOÆMIAS, & MAMMÆA, illa Avia, hæc Matres Elagabali & Alexandri; quomodo & HELENAM matrem à filio Constantino AUGUSTAM demum dictam tradit in ejus vita Eusebius, & arguunt superstites ejusdem Nummi. Accedunt eodem Filiæ, ut JULIA Titi, DIDIA CLARA Didii Juliani, & CONSTANTINA Magni Constantini, AUGUSTÆ in earundem nummis dictæ, haud aliter ac Neronis recens nata è Poppæa Filia, auctore Tacito. Insignes quandoque eodem honore Sorores Augustorum, ut MARCIANA, & ejus quoque filia MATIDIA; quibus itidem non Augusta conjugia, sed illa cum Trajano cognatio AUGUSTÆ nomen, ac Nummos cum eodem signatos conciliarunt. Hæc vero præter morem Romanorum & exemplum, qui Consularium Matres *Consulares* dictas negantem novi Ulpianum, *Consulares autem feminas dicimus Consularium uxores, adjecit Saturni-*

L. 31. D. de Legib.

Nov. cv.

Lib. 11. tit. 1.

L. 1. §. 1. D. de Senat.

nus etiam Matres, quod nec uſquam relatum eſt, nec unquam receptum. Unde alibi quoque Juſtinianus, ſolam Uxorem Conſulis ad honores admittit Conſulares, non autem illius Matrem, niſi eadem antea fuerit Conſularis, aut jubente eodem Conſule; Sorores vero, Nurus, aliaſque neceſſitudines diſerte excludit; *Mater vero ſi Conſul hic voluerit; nam neque Filiæ, neque Soror forte, neque Uxor filii, & multo magis ſi nec pertinens ad genus ſit, hoc enim pure illicitum exiſtebat.* Nov. CV. Hinc etiam ſolæ dictæ ex feminis *Clariſſimæ*, quæ nuptæ erant Senatoribus ſeu Clariſſimis perſonis, non autem Clariſſimorum filiæ, maxime ſi plebeiis jungerentur, ut alibi docet idem Ulpianus. L. 8. D. de Senat. Indulgentiores itaque Cæſares in Adfines aut conjunctas, quibus præter Uxores, illud AUGUSTÆ cognomen, adnexaque eidem privilegia non ſemel detulerunt, & publicis etiam Nummorum monumentis tradi ad poſterorum memoriam voluere. Alias *Auguſtarum*, *Conſularium*, aut *Clariſſimarum* feminarum exemplo, quibus deſumptæ ab honore conjugum appellationes, *Curopalatiſſæ* etiam dictæ ſequiori ævo Curopalatarum uxores, qualis Anna Comnenorum Mater vocatur apud Nicephorum Bryennium. Qua ætate L. 11. cap. 1. etiam contigit, ut *Cæſariſſæ* dictæ ſint Auguſtorum filiæ, exemplo filiorum, qui pridem illam Cæſarum appellationem erant ſortiti, ut liquet ex Niceta aliiſque ſcriptoribus Hiſtoriæ Byzantinæ. Immo nec illud prætereundum ex more ſuperiorum temporum, quibus percuſſi vulgo Auguſtarum nummi, quod illa vel cognomina vel ornamenta non continuo tamen tributa ſint mulieribus, quæ admiſſæ videbantur in conſortium principalis faſtigii. Neque enim AUGUSTÆ vel omnes vel ſolæ Auguſtorum conjuges aut Matres, ut modo videbamus; ſed quæ Cæſarum arbitrio & caritate

ritate ac decreto Senatus hac appellatione ornabantur. Adeo ut aliquot ex iisdem legamus illis ornamentis caruisse dum de moderandis potius, quam ampliandis illarum honoribus, Tiberium, Pertinacem, Claudium etiam, uxorum licet mancipium sollicitos accepimus. Ita AUGUSTÆ appellationem à Senatu delatam, Trajani Conjugem ac Sororem aliquandiu deprecatas docet Plinius in Panegyrico; in quam tamen annuente Cæsare eadem consensisse satis arguunt obvii adhuc illarum Nummi. Hæc enim omnia non aliunde certius hodie aut uberius, quam in residuis Nummorum monumentis legas, quibus pars illa HISTORIÆ AUGUSTÆ unice quasi & luculenter potest illustrari.

Neque refero tamen in hunc censum omnes illas vel Conjuges vel conjunctas priorum Cæsarum, MARTIAS, AURELIAS, COSSUTIAS, SCRIBONIAS, LEPIDAS, ARRICIDIAS, aliasque id genus ab Ænea Vico inter Augustas in serie XII Cæsarum depictas. Has quippe à prioribus curis Andreæ Fulvii aliorumque acceptas fatetur ipse se necdum in Nummis reperisse. Neque enim aut Julii Cæsaris nondum firmata dominatio; aut Tiberii cum uxoribus ante principatum divortia; aut Caii in sorores amor; aut Galbæ ac Othonis in principatu cœlibatus; aut Vitellii breve imperium passa sunt Uxorum vultus nummis consignari. Immo ne LIVIAM quidem, nisi ab excessu Augusti, in Romanis nummis depictam reperies, qui illam mortuo conjuge ex Testamento Augusti, *in Familiam* JULIAM *nomenque* AUGUSTÆ *adsumptam*, sub ejusdem JULIÆ AUGUSTÆ nomine repræsentant. Equidem mutationes nominum apud Romanos ex Testamento fieri solitas cum satis arguunt libri Juris Civilis, tum Dolabellæ apud Tullium exemplum, qui

Tacit. Annal. 1. 8.

alte-

alterius cujuſdam Liviæ teſtamento mutari nomen juſſus, *Dolabellam video Liviæ teſtamento cum duobus cohæredibus eſſe in triente, ſed juberi mutari nomen.* Lib. VII. Ep. ad Att. Eadem vero Livia ob adoptionem Filia etiam Auguſti ad Deos tranſgreſſi, ut Velleius tradit, nuncupata, quod firmat etiam ejuſdem nummus haud ignotus, DIVÆ JULIÆ AUGUSTI FILIÆ, & in altera parte DIVUS AUGUSTUS PATER. Quæ nomina cum *Juliæ Auguſtæ*, tum *Auguſti Filiæ* viris doctis nonnunquam impoſuere minus exercitatis in uſu nummariæ hujus ſupellectilis, (ac inter alios eruditiſſimo Reineſio) qui non Liviam, ſed Juliam Auguſti filiam iiſdem nummis deſignari omnino credidere. Et poſtremæ quidem JULIÆ ignoti hactenus antiquariis nummi, ſi unum forte excipias Mediceum, in quo hinc facies ejuſdem videtur depicta cum inſcr. ΘΕΑΝ ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ, ſeu *Deam Venerem*, illinc caput Liviæ ac epigraphe ..BIANHPAN, ſeu *Liviam Junonem*; nempe juxta Prudentium

Adjecere ſacrum, fieret quo LIVIA JUNO;

ut Ovidium mittam, cui frequenter eodem *Junonis* nomine deſignatur, ut

Cum tibi contigerit vultum Junonis adire.

Alias priorem illam Romanam Venerem haud levi cum gaudio ſpectabam nuper in incomparabili Gemma Regiæ Gallorum Gazæ, quæ Agrippæ caput roſtratum, illinc Juliæ conjugis, ut facile licet colligere, vultum præferebat. At utramque illam JULIÆ AUGUSTÆ appellationem, Liviæ ex Auguſti teſtamento delatam, & auctor ſuperiori loco Tacitus, & ex Tranquillo ac Dione abunde licet colligere; ut ad priora tempora nummi ejuſdem cum his nominibus depicti referri nequaquam poſſint. Quod miror equidem non obſervaſſe

se Cl. Tristanum, qui Græcum Nummum Augusti & Juliæ, cum ΘΕΙΟΥ & ΘΕΙΑΣ, seu DIVI & DIVÆ nominibus, vivo Augusto percussum existimavit, quod cum illud *Divæ* tum *Juliæ* nomen omnino refellit. Unde etiam liquet recensitos in exilio à Nasone Fastorum libros, in quibus utrumque illud cum AUGUSTÆ tum JULIÆ nomen huic Liviæ tributum reperias,

Fast. lib. 1. *Utque ego perpetuis olim sacrabor in oris,*
Sic AUGUSTA *novum* JULIA *numen erit.*

Nec infelix alioqui Vates hic fuit, quum consecrationem eidem Liviæ Augusti exemplo auguratur, quæ tamen multis post annis & Ovidii excessum illi contigit, sub Claudii nempe principatu, ut firmant ejusdem Liviæ nummi sub Claudio & Galba percussi, cum inscr. ΘΕΑ ΣΕΒΑΣΤΗ & DIVA AUGUSTA. Neque vero minus incaute adsertum à doctissimo Casaubono ad Suetonium, *de Livia certum & post mariti excessum non Liviam, sed Juliam fuisse vocatam.* Utrumque etiam tum gestasse, patet ex priscis monumentis, in quibus aut LIVIÆ AUGUSTÆ ornatrices vel servæ à cura patellæ, ab argento, à potione describuntur; aut conjuncta etiam JULIÆ LIVIÆ AUG. appellatio illi tribuitur. Thes. Grut. DLXXIX. 2. Unum etiam nummum à se inspectum refert Vicus, in quo DIVA LIVIA DIVA AUGUST. sed quem demum circa Alexandri Severi & Gordiani tempora signatum credit. Argenteum præterea hujus Augustæ rarissimum nummum prædicat Savotus, cum inscr. LIVIA AUGUSTA, in altera autem parte DIANA LUCIFERA, de quo nummo fides sit penes eos, qui videre. Alias obvii adhuc aliquot Græcorum nummi cum illa Liviæ appellatione, in quibus ΘΕΑ ΛΙΒΥΙΑ & ΛΙΟΥΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ inscribitur, cujus

cujus generis apud Cl. Seguinum alioſque vidiſſe memini. Unde ſine ullo temporum diſcrimine, modo LIVIA vocatur, ſicut in ſuperioribus Lapidum Nummorumve monumentis cum Dioni tum Romanis ſcriptoribus, diu etiam poſt adſumptum nomen Juliæ, ut præter alios Claudiano *Venerabilis Livia:* modo JULIA etiam vivente Auguſto, ut Joſepho, Velleio aliiſque, quod ab iis per παρόλημψιν factum ſatis liquet, neque ſollicitandos proinde cum magnis viris eorum codices. Reſtitutos vero à Tito aliquot ejuſdem Auguſtæ nummos rariores aliquoties hic in urbe inſpeximus. ANTONIAM etiam Germanici Matrem & Aviam Caii, AUGUSTAM dictam ex Senatuſconſulto ac SACERDOTEM DIVI AUGUSTI, non ex Dione ſolum aut antiquo lapide, ſed inſuper ex præclaro ejuſdem nummo diſcimus. Qui mire etiam illuſtrat locum Suetonii, quem præterierunt viri docti; *Poſt hæc Antoniæ aviæ quidquid unquam Livia Auguſta honorum cepiſſet, uno Senatuſconſulto congeſſit*; Livia autem, ut modo innui, dicta *Julia* & *Auguſta* brevi ab exceſſu conjugis, lectis ſcilicet tabulis teſtamenti; poſtea eodem conſecrato, *Sacerdos* etiam *Divi Auguſti* à Senatu declarata, ut diſerte hæc temporum diſcrimina obſervat Dio, ſed cujus locum male ſollicitavit & accepit interpres, πότε δὲ ἀθανατίσαντες αὐτὸν καὶ γυναῖκας, οἱ καὶ ἱερὰ, ἱερείαν τε τὴν Λιβίαν, Γῆλίαν τε τὴν καὶ Αὔγουσταν ἤδη καλουμένην ἀπέδειξαν· *Tum vero conſecrantes Auguſtum, ſodales illi & ſacra & ſacerdotem Liviam (quæ jam ante Juliæ & Auguſtæ nomen receperat) decreverunt.* Hic planus loci ſenſus, ſicut eum expreſſimus, nec mutatione illa indiget, νῦν καλουμένην, pro ἤδη καλουμένην, quæ locum perturbat. Vides autem quam lucem utrique cum Suetonio tum Dioni fœneretur hic Nummus, qui congeſtos Liviæ honores

Epithal. ad Honor.

Lib. LIX. Theſ. Grut. CCXXXVI. 9.

Lib. LVI.

diversis vicibus uno Senatusconsulto Antoniæ tributos exprimit, *Augustæ* nempe titulum & *Sacerdotium Divi Augusti*. Ad quod Liviæ Sacerdotium respexit Ovidius de Ponto;

L. IV. El. 9. *Stant pariter natusque pius conjunxque* SACERDOS,
Numina jam facto non leviora Deo;

tum Velleius, qui eandem *transgressi ad Deos Sacerdotem ac filiam* vocat. Viduarum quippe demum aut Virginum Sacerdotia apud Gentiles, juxta Tertullianum, *Sacerdotium viduitatis est & cœlibatium apud Nationes*, & quod jam ante innuerat, *cum Gentiles Satanæ suo & virginitatis & viduitatis sacerdotio perferant.* Neque tamen univira eadem Livia, quæ prius Livio Druso, dein Augusto nupserat; quod tamen in Flaminica requisitum docet alibi idem Tertullianus. At non mirum eandem audire *Divi Filiam ac Sacerdotem*; recepto scilicet ac inde tradito apud Romanos more, ut à conjugibus, liberis & propinquis adsumerentur ejusmodi sacerdotia; Ita *filius Pertinacis Patris Flamen est factus*, juxta Capitolinum; & alibi in vita M. Aurelii, *Flaminemque ei ex affinibus, & sodales ex amicissimis Aurelianos creavere.* Ut propinquius adhuc mittam Agrippinæ exemplum, cui mortuo conjuge Claudio, *Flaminium Claudiale* decretum à Senatu, auctore Tacito. Equidem eo Liviæ ac Antoniæ exemplo videtur mos ille apud Romanos receptus, ut sacerdotia ad feminas transirent, quæ olim ad easdem spectasse negat L. Valerius apud Livium, *Non Magistratus, nec* SACERDOTIA, *nec triumphi, nec insignia, nec dona aut spolia bellica his contingere possunt.* Nisi Vestales forte excipias, quæ tamen ejusdem sexus Deæ erant sacerdotes, qualis vocatur Quirini mater apud Poëtam, *donec Regina Sacerdos*, aut alias Sacerdotum uxores, Pontificum puta aut Flaminum,

De Exhort. Castit.

In Pertinace.

Annal. XIII. 2.

Lib. XXXII. cap. 7.

num, quas una cum maritis Sacra curasse obsérvat Halicarnassensis, τῆς ἑαυτῶν ἀνδρὸς συνιερᾶσθαι. Equidem apud Ægyptios nullas extitisse Sacerdotes feminas Deorum Dearumve tradidit olim Herodotus; quæ frequentes tamen erant apud Græcos, & Deorum quidem utriusque sexus, quales ἱερείας & προφήτιδας apud Bœotios agnoscit Strabo; & ad quæ etiam sacerdotia respexit Claudianus, agens alicubi de honoribus mulierum,

Antiq. l. 11.

In Euterpe.

Lib. IX.

Inde Sacerdotes, hæc intrat pectora Phœbus,
Inde canunt Delphi, Trojanam sola Minervam.

Lib. I. in Eutrop.

Ita facti quoque promiscue apud Romanos ex utroque Sexu Divi Augusti aliorumque Cæsarum consecratorum Sacerdotes, Flamines, seu Flaminæ vel Flaminicæ, quales vocantur in Inscriptione veteri inedita,

F. FLAVIO AUG. LIB. FLAMEN
DIVI TITI ANN. III VIX. AN. LII
M. VIII D. VIIII. HOR. VI.
FLAVIA FLAMINA FLAVIAL.
ET JULIA AMISSA LIB. FLAMI
NIA HER. EX TESTAM. P. CUR.
IN FR. PED. XIII IN AGR. P. XVII.

Flaminam hic vides *Flavialem*, seu Liviæ ac Antoniæ, aut si mavis, Agrippinæ, *Flaminæ Claudialis* exemplo, Gentis Flaviæ Sacerdotem, ac proinde è *collegio Flavialium*, cujus meminit Suetonius, quod una cum Templo Patri ac fratri sacravit Domitianus. At vero ejusdem Antoniæ mater & soror Augusti OCTAVIA se quoque nunc conspiciendam præbet recenti beneficio rarissimi nummi, quem novissime Cl. Seguini industria feliciter detexit. Facile enim optima rei antiquariæ promicondo adsentior, ut non aliam quam Octaviam signet expressa mulieris facies cum junctis fratris Augu-

sti & Mariti Antonii capitibus. Quo refero etiam alium singularem nummum, quem una apud illustrem Matronam Fel. Rondanini inspeximus, qui hinc caput Augusti repræsentat, illinc juncta M. Antonii & Octaviæ capita. Ut vero Aviam Caii Antoniam, ita ejusdem Neptes seu Caii sorores vel prostibula potius, AGRIPPINAM, DRUSILLAM, JULIAM, vulgatus jam antiquariis ejusdem Nummus tradit. Alius occurrit nummus Gazæ Farnesianæ, sed quem dubiæ fidei scio apud peritos quosdam antiquarios, cum inscr. DIVA DRUSILLA, JULIA DRUSILLA; ex quo pateret, (modo esset genuinus) & consecratam revera à Caio Drusillam, ut ex Dione licet colligere, qui & Pantheam dictam eandem refert, & alteram illam JULIAM de filia potius quam de sorore Caii intelligendam. Clare id videtur ex Suetonio colligi, qui de Caio refert, mortua Drusilla, quam impotenter adeo diligebat, & nata illi filia ex uxore Cæsonia, *Infantem autem* JULIAM DRUSILLAM *appellatam per omnia Deorum templa circumferens.* Nummus alius Græcus ejusdem Divæ Drusillæ apud Goltzium & Occonem describitur, cum inscript. ΘΕΑ ΔΡΟΥΣΙΛΛΑ, de quo viderint antiquarii; neque enim eum versare mihi contigit. AGRIPPINAM vero matrem ejusdem Caii & Germanici conjugem, AUGUSTAM ex ejusdem Nummis accepimus, ut liqueat cognomen illud Matri simul & Aviæ Caium detulisse. At rarum quidem hujus Agrippinæ nummum aureum vidisti opinor in Cimeliarchio Etrusci Mæcenatis Leopoldi Cardinalis, qui hinc caput illius Augustæ, illinc filii Caii signatum præferebat. Alium itidem singularem nobis inspectum meministi apud Abbatem Bracesium, in præclara congerie Numismatum antiquorum, qui in priori parte

Lib. LIX.

Agrip-

Agrippinæ vultum cum inſcript. AGRIPPINA M.F. MAT. C. CÆSARIS AUGUSTI, in altera Porticum cum figura ejuſdem referebat. Obvii hujus Agrippinæ nummi cum Carpento duarum mularum ac inſcr. S. P. R. R. MEMORIÆ AGRIPPINÆ, qui facem præferunt Suetonio tradenti Caium defunctæ Matri *Circenſes carpentumque, quo in pompa traduceretur, decreviſſe.* Qualem honorem Domitillæ Veſpaſiani conjugi, ac Juliæ Titi Filiæ itidem habitum arguunt earundem Nummi, cum ſimili carpento & inſcriptione. Quo ſpectat etiam ſequens hujus Agrippinæ Nummus.

De more illo, quo in defunctarum honorem ac memoriam, carpenta per Circum ducebantur, nota quæ obſervarunt jam eruditi. Equidem eximii ſemper honoris loco habitus apud Romanos uſus vehiculi carpentarii, & olim lege Oppia feminis Sacrorum tantum publicorum cauſa conceſſus. Hinc de Agrippina ſuperioris filia Tacitus ut inſolitum notat & Sacerdotibus demum conceſſum, carpento Capitolium ingredi. Unde liquet neque promiſcuum inter viros fuiſſe ejuſdem vehiculi uſum, ſed cum Sacerdotum antiquitus, tum poſtea Auguſti quodammodo faſtigii aut ſummorum etiam magiſtratuum proprium exſtitiſſe. Hinc ſolus aureo inſidens carpento Romam ſolenniter ingreſſus Conſtantius, ut ab Ammiano traditur. Ita Carpento vehi,

Liv. lib. XXXIV.

Annal. XII. 42.

Lib. XVI.

vehi, inter insignes supremorum Magistratuum prærogativas habitum, vel ex Cassiodoro colligas, qui de Vicario urbis Romæ agens; *Ad similitudinem quippe summorum Carpento veheris*, & alibi de Consulari, *In aliquibus adhuc provinciis ornatus penula, carpenti etiam subvectione decoratus.* Quomodo & Præfecto urbis *judiciale carpentum* tribuit alicubi Vopiscus. Mulare autem carpentum nemo in superiori Agrippinæ nummo aliisque id genus mirabitur, qui novit relatum jam olim Mularum usum seu cum Mulabus vehicula, inter solita luxus & pompæ muliebris instrumenta. Hinc illa Elagabali Semiamirica Senatusconsulta, *quæ Carpento Mularum, quæ Boum, quæ sella veheretur*; & à L. Vero, juxta Capitolinum, *data & vehicula cum Mulabus & mulionibus, cum juncturis argenteis*, quod ibi pro insolito virorum luxu refertur. Traductus nempe mos ille ex Oriente, ubi frequens ac in pretio habitus Mulorum usus; de quo multa non trita tradidit nuper doctissimus Bochartus, in præclaro de Animalibus opere. Ita video Chrysostomum mulieres sui temporis eo nomine non semel arguentem, quod nisi Mulabus vehantur, nequidem ad Sacram Synaxim velint accedere; alibi autem, ex iis alias à vestibus, alias à domo Mulis, vehiculis, velle suspici. Immo ex iisdem Mulis, albos præcipuo quodam loco habitos observo apud eundem Christianorum Tullium, qui muliebrem suæ ætatis luxum iterum alibi castigans, inter cætera notat, ἢ σὺν ἀνδρὸς σὺν ἑαυτῶν ἐναγχόσαι τὸ γείτονος τὸ ὁμόλυμα πολυτελεστέραν ἀναγκάζουσι περιάδαι στολὴν ἢ ΛΕΥΚΟΥΣ ΗΜΙΟΝΟΥΣ· *& proprios maritos strangulantes, cogunt eosdem vestem sibi comparare pretiosiorem quam non fert ejusdem dignitatis vicina, ac præterea* ALBOS MULOS. Tangit eundem mulierum luxum Tertullianus, *unde nisi à Diabolo maritum petant idoneum*

Var. lib. VI. cap. 15.

In Aureliano.

Lamprid. in Elagab.

Tom. II. Hom. VII. p. 43. edit. Savil.

Tom. II. Hom. IV. pag. 28.

Tom. V. Hom. XLVII. pag. 313.

Lib. II. ad Uxor.

idoneum exhibendæ sellæ & MULABUS & Cinerariis peregrinæ proceritatis, qui & alibi eidem pompæ muliebri adscribit *Gallicos Mulos*, pro quo vulgo exhibent editi codices *Gallicos multos*, & de bajulis explicant interpretes. At certe præter superiora loca, priori lectioni suffragantur, quæ de Gallicis Carpentis apud Livium alioſque legimus. Superioris autem Agrippinæ filiam & cognominem AGRIPPINAM Neronis matrem Nummis aliquot antiquis signatam haud ignoras. Singularis inter eos raritatis, quem vulgavit nuper Patinus noster, & qui præter Regium Parisiense, Museum etiam Augustæ Christinæ decorat. Eundem non pigebit hic quoque lectori conspiciendum dare.

Exhibet in priori parte caput Agrippinæ cum papaveribus & inscr. ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ ΣΕΒΑΣΤΗΝ, in altera vero Dianam venatricem cum parva Nympha & inscr. ΕΠΙ ΣΕΡΟΤΗΝΙΟΥ ΚΑΠΙΤΩΝΟΣ ΚΑΙ ΙΟΥΛΙΑΣ ΣΕΟΥΗΡΑΣ, & in medio, ΑΚΜΟΝΕΩΝ, seu, *sub Serotinio Capitone & Julia Severa, Acmonensium*. Ac primo illud singulare in hoc nummo, quod non Præsidis solum, sub quo percussus, sed conjugis etiam ejusdem nomina sit complexus. Alterum, Acmoniam hanc urbem fuisse Phrygiæ Pacatianæ, ut liquet ex libris Conciliorum, cujus gentile Ἀκμονδὸς, quod arguit superior nummus, non Ἀκμονιδὸς, ut præferunt hodie Stephani Codices; formatum nempe sicut Ἄπαμδὸς, Ἀλεξανδρδὸς, aliaque ejusdem flexionis. Alium rursus horum ΑΚΜΟΝΕΩΝ nummum, sub Treboniano Gallo

Gallo ſignatum notavi in Muſeo Cl. Seguini, cum Bacchi Cantharum effundentis effigie. At præter hanc Agrippinam, priorem etiam Claudii conjugem VALERIAM MESSALINAM, & Neronis SABINAM POPPÆAM, notas vitæ probro mulieres, tradunt non ſemel ſelectiores aliquot Nummi. Priorem vulgarunt jam duo nobiles antiquarii Erizzo ac Triſtanus, & hic quidem cum inſcr. Auguſtæ VALERIA MESSALINA AUG. At negotium hic Dio faceſſit, cujus locus merebatur expendi viris doctis & accuratis, qui tra-
Lib. LVI. dit Claudium ea uſum moderatione, ut neque nato illi Britannico *Auguſti*, neque hujus matri Meſſalinæ appellationem AUGUSTÆ dari ſit paſſus. Unde nihil aliud hic reſtat, niſi ut lapſum Dionem ſtatuamus, quod durius mihi videtur; aut quod magis placet, Claudium in uxoris gratiam, poſtea à priori propoſito receſſiſſe. Id vero cum nec in Cæſaribus aliis inſolitum, tum in mutabili & uxorio Claudio minus mirum cuiquam videbitur. Ut hoc etiam addam, rariſſimos hujus Meſſalinæ Romanos nummos, ita male ut plurimum injuria temporis acceptos, ut minus commode erui poſſit illorum inſcriptio; quod & probarunt diligentes Cimeliarchii Medicei cuſtodes, & arguit inſuper Erizzo qui mutilam eandem tradit. Ejuſdem etiam notæ, quem nuper verſabam, nummus Regiæ Gallorum Gazæ, qui hinc Claudii caput, illinc Meſſallinæ ſignatum præfert, inſcriptione utrinque vetuſtate exeſa. At rem extra dubium ponunt, qui *Auguſtæ* nomen perſpicue illi tribuunt Græci, aliquot Nummi; quales duos vidiſſe memini, unum in Gaza Reginæ Chriſtinæ, qui in anteriori parte Claudium exhibet, in averſa figuram ſtantem ſpei inſtar columnæ innixam cum flore & inſcr. ΜΕΣΣΑΛΙΝΑ ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑΣ.

alte-

alterum in Collegio Claromontano Parisiensi, qui Messalinam depingit stantem cum duobus liberis & inscr. ΜΕΣΣΑΛΙΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. Græcum vero POPPÆÆ nummum adtulit Tristanus, sed in cujus explicatione, male mea sententia, litteras H. P. ad Junonem refert, quasi in eo Sabina Poppæa *Augusta Juno* vocaretur. Id vero alienum hoc loco, ubi duæ illæ litteræ HP in medio nummi positæ, juxta consuetum ejusmodi inscriptionum morum, ad urbem Heracleæ aut similem referri debent, à qua nummus ille percussus. Alias rectius Juno dicta fuisset altera Neronis conjunx & adoptione soror OCTAVIA, quam exhibent etiam aliquot Nummi, & de qua Auctor Tragœdiæ cognominis,

Generata Divo, Claudiæ gentis decus,
Sortita fratris more Junonis thoros.

Convenientius autem Poppææ cognomen *Deæ Veneris*, cui mortuæ templum à Nerone exstructum refert Dio in Excerptis Constantinianus, cum inscr. SABINÆ DEÆ VENERI MATRONÆ FECERUNT. Ejusdem alias Poppææ & Neronis juncta capita habes hic in nummo Græco, sed ita male à tempore juxta & rudi monetario accepto, ut sola ille antiquitatis reverentia tractari & inspici mereatur. Pag. 695.

Ad quem nummum commode, ut vides, referri possunt illa Auctoris Octaviæ,

—— *jam* POPPÆÆ
Fulget imago juncta NERONI.

Signatus vero ille Ephesi, ut liquet ex insculpta figura Cervi, notissimo in nummis Ephesiorum symbolo. Solenne id etiam Ephesiis eo modo sculptos tradere imperantes conjuges, sicut arguit alius nummus, in quo duo capita Augusti & Liviæ, in aversa autem Cervus, itidem & inscr. ΕΦΕΣΙΩΝ: aut geminus alius cum capitibus Hadriani & Sabinæ, ac litteris ΕΦΕ. Ceterum Poppææ & Neronis juncta capita exhibet alius nummus Regiæ Gazæ Parisiensis, cum inscr. ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΠΟΠΠΑΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ; & insignis alter argenteus illustrissimi Colberti, cum tribus etiam capitibus junctis, Neronis puta, Poppææ & Agrippinæ. De hac vero Poppæa illud solum præterea observo, eam à Josepho ut θεοσεβῆ seu *piam* feminam alicubi laudari. Rationem autem, cur ita honorifice appelletur à gravissimo auctore, inde petendam crederem, quod ille Romam profectus, ab ea absolutionem Sacerdotum, ac multa in discessu munera sit consequutus, ut ipse narrat in Commentariis de vita sua. Hinc illa à grato & memori animo profecta commendatio. Ut mittam propensiorem visum mihi non semel Josephum in memoriam Neronis, ac proinde amatæ illius Conjugis; ut constare potest ex iis, quæ alibi de illo Cæsa-

Antiq. Jud. l. xx. c. 7.

Cæsare idem refert. Id vero datum ab eo videtur, cum Neronis beneficiis in Judæos, tum Vespasiani, sub quo scribebat, reverentiæ, qui magnis à Nerone beneficiis adfectus fuerat. At vero sanctam illam & infelicem OCTAVIAM, digniori fato servarunt aliquot Nummi, qualem cum juncto Neronis capite instar Solis & Lunæ vulgavit Tristanus. Ejusdem notæ nummos videre licet in duobus Urbis Cimeliarchiis, Reginæ nempe Christinæ, & laudati sæpius Camilli Maximi, à quo sequens ectypum sumus nacti cum inscr. NERO CLAUD. CÆSAR IMP. ET OCTAVIA AUGUST. in altera autem parte Nero cum sceptro & inscr. NERO CLAUD. IMP. LURINO VOLUMNIO IIVIR. Antiq. Jud. l. xx. c. 2.

Ut constet equidem errasse Savotum, qui Octaviæ hujus Nummos Græcos dari solum credidit. Postremi generis recondit Gaza Regia Parisiensis, hinc cum Neronis, illinc cum Octaviæ capitibus, & inscr. ΟΚΤΑΟΤΙΑ ΣΕΒΑΣΤΟΥ, *Octavia Augusti*, non *Augusta*. At STATILIÆ MESSALINÆ, unius adhuc è Neronis Conjugibus, Græcum etiam Nummum edidit Tristanus, de quo potest consuli. FLAVIA autem DOMITILLA, Victori liberta, & Uxor Vespasiani, sed eo adhuc privato exstincta, à filiis ejusdem Tito ac Domitiano legitur consecrata. Hinc ejusdem Nummi cum Carpento non solum & inscr. MEMORIÆ DOMITILLÆ, verum etiam alter rarior cum DIVÆ epi-

theto; cujus generis sequens aureus Gazæ Palatinæ, hinc cum Vespasiani capite radiato & inscr. DIVUS AUGUSTUS VESPASIANUS, illinc Domitillæ caput & epigraphe DIVA DOMITILLA AUGUSTA.

Cui geminus aureus itidem pulcherrimus Regiæ Gazæ Parisiensis, nisi quod in priori parte, dandi casu expressa sit inscriptio, DIVO AUGUSTO VESPASIANO: Ut inde demum, nec aliunde, quod sciam, lisiueat, AUGUSTÆ quoque nomine eandem à filiis decoratam. Rarus itidem nummus Græcus Lomenianus hujus Domitillæ, qui eidem Musæo Regio novissime accessit, cum capite illius Augustæ, & inscriptione ΦΛΑΟΤΙΑΔΟΜΙΤΙΛΛΑ, in aversa autem Serpens Equi dorso impositus, & supra à nobis adlatus. Occurrit vero Domitillæ mentio & Filiæ ejusdem nominis, in veteri lapide, qui eadem opera hic supplendus est; Thes. Grut. CCXLV. 5. FLAVIA DOMITILLA FILIA FLAVIÆ DOMITILLÆ IMP. CÆSARIS VESPASIANI NEPTIS. Ita enim legendum ibi nomen illius Augusti, cujus tres tantum posteriores litteræ describuntur. Vespasiani nempe & Flaviæ Domitillæ filia ejusdem nominis Domitilla Suetonio traditur, cujus filia rursus & Vespasiani proinde Neptis in superiori lapide statuenda est. Alias vero VESPASIÆ POLLÆ, Matris ejusdem Vespasiani, aut CÆNIS ejus Concubinæ imaginem in rarioribus aliquot Nummis putat se reperisse Tristanus. Eundem vero DIVÆ honorem & Au-

AUGUSTÆ titulum, JULIÆ TITI Filiæ adscribunt illius Nummi, in quibus vulgo Mulare Carpentum, ut supra innui, & inscr. DIVÆ JULIÆ AUG. DIVI TITI F. Quo respexit Martialis,

Dum voce supplex, dumque thure placabit
Matrona DIVÆ *dulce* JULIÆ *nomen.* Lib. IX. Ep. I.

Domitiani autem Conjugi DOMITIÆ nomen LONGINÆ præter Suetonium tribuit Nummus Mediceus, (qualem descripserant jam olim diligentes antiquarii, & post eos Scaliger in Eusebianis) qui ab una parte Domitianum, ab altera hanc Domitiam refert, & inscr. ΔΟΜΙΤΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. Neque infrequenter eadem Augusta signata in aliis Græcis *Ephesiorum, Magnesiorum, Cadænorum, Amastrianorum,* ac *Amphipolitarum* nummis, quos versare mihi non semel licuit in illustribus Cimeliarchiis, cum Dianæ Ephesinæ, aut Fluvii jacentis, aut Tripodis aliisve id genus symbolis. Haud ignoti quoque Romani ejusdem Augustæ nummi, vel cum inscr. ob natum ex se & mox consecratum infantem, DIVI CÆSARIS MATRI; aut alias DOMITIA AUGUSTA IMP. DOMITIANI; seu, ut præfert insignis nummus æreus, DOMITIA AUG. IMP. CÆS. DIVI F. DOMITIANI AUG. alius minor itidem obvius DOMITIA DIVI F. DOMITIANI. In Cimel. Camil. Maxim. Scilicet eadem ratione qua hujus liberti, servi, ornatrices, aliquoties numerantur in priscis marmoribus, cum inscriptione DOMITIÆ DOMITIANI. Sequentium vero Augustarum Historiam non minus illustrant antiqui Nummi. Nervam quidem Augustum uxorem habuisse, & filium ex uxore dictum Calpurnium, ex Plinio, Dione, & Victore etiam colligit Tristanus, sed nullo idoneo fundamento. Neque enim verba Plinii de Tra-

In Panegyr. jani adoptione loquentis id arguunt, *Itaque*, inquit, *adoptatus es, non ut prius alius atque alius in Uxoris gratiam. Adscivit enim te filium non Vitricus sed Princeps.* quæ nihil aliud quam diversam Trajani, & Tiberii puta vel Neronis, adoptionem probant: quorum ille à Nerva patriæ caritate, hi à Vitricis Augusto & Claudio in uxorum gratiam sunt adoptati. Dio vero nihil aliud tradit, nisi Nervæ Trajanum & quidem Hispanum adoptanti conjunctos non defuisse. Neque de filio siluisset, ut quem celebrat Nervæ in patriam caritatem, magis adhuc conspicuam redderet. Victorem autem, quem testem obiter hic appellat Tristanus, non intellexit: ita enim ille, *Calpurnium Crassum promissis ingentibus animos militum prætentantem detectum confessumque Tarentum cum uxore removit, patribus lenitatem ejus increpantibus.* Plana hæc de Calpurnio & ejusdem uxore à Nerva relegatis, ob crimen majestatis; ex quibus tamen uxorem ipsius Nervæ & filium Calpurnium commentus est Tristanus, parum certe probabili conjectura. At vero verisimilius quis ignotum ex auctoribus Nervæ matrimonium colligat ex ejus Nummo Mediceo, in quo caput muliebre ornatum diademate cum inscr. IMP. NERVA CÆS. AUG. in aversa Globus cum temone: nitamen insolitus apud Romanos illis temporibus usus Diadematis, ad Deam aliquam, puta Junonem, eundem Nummum referendum potius arguat. Trajani vero non solum uxorem PLOTINAM, sed insuper (sicut ante obiter indicatum) MARCIANAM sororem, & Filiam ejusdem MATIDIAM, AUGUSTAS ex Nummis & Lapidibus renuntiatas, discimus. Ex his etiam DIVAM Marcianam arguunt nummi Filiæ inscripti, MATIDIÆ AUG. DIVÆ MARCIANÆ, & singularis quidam Mediceus, in quo legitur

L. LXVIII.

DI-

DIVA AUGUSTA MARCIANNA, cum gemino N & cum Aquila: præterea in aversa parte ac inscr. CONSECRATIO. S. C. cujus etiam index alius ejusdem Divæ nummus, cum figura in curru quem duo Elephantes trahunt. Soror vero Matidiæ SABINA, infausta Conjux Hadriani, cum in vulgatis nummis, tum in rarissimo Farnesiano una cum Antino mariti catamito depicta occurrit. FAUSTINAS vero, Matrem & Filiam non trita solum & obvia passim numismata, sed rariora etiam nonnulla exhibent. Et Matris quidem FAUSTINÆ nummi, Antonini Pii conjugis, plerique post mortem ejus percussi cum solitis consecrationis symbolis ac nominibus. Quo spectant etiam insignes, quamquam jam vulgati antiquariis nummi, in quibus plures figuræ cum puellis occurrunt, Faustina vero subsellio insidens, & inscr. PUELLÆ FAUSTINIANÆ; quæ nempe inde nomen nactæ ut liquet ex Capitolino, quod in honorem mortuæ conjugis alimenta iis è publico ex Pii jussu decreta sint.

In Gaza Regin. Christin.

Tales vero alimentarios pueros ac puellas ad frumentationem primum admissos à Trajano, gratia ætatis iisdem facta, liquet ex Plinii Panegyrico, ut jam viderunt viri docti. Unus vero aut alter nummus hujus Augustæ occurrit signatus eadem viva inter nummos Mediceos, cum inscr. CONCORDIA AUG. Quo referendus etiam præclarus quidam nummus, in quo plures Sabinæ cum parvulis depinguntur intervenientes Sabinorum & Romanorum pugnæ; cujus nummi notitiam

tiam mole & raritate inter paucos insignis, Cl. Gottifredi acceptam fero. Eidem Faustinæ adhuc superstiti adscribendus alius nummus è maximorum itidem genere, hinc cum inscr. FAUSTINA AUG. ANTONINI AUG. illinc cum Cybele vel Faustina habitu Cybeles Leone vecta, cujus hic depicti gratiam incomparabili Reginæ habiturus est Lector.

In Gaza Christinæ Augustæ.

Geminam omnino huic Nummo & præclaram quidem statuam observabam nuper in Villa Pamphiliana. De Galero autem illo, seu operculo Verticis, quod præferunt passim Faustinæ hujus nummi, audiendus est Tertullianus, cui facem iidem commodant. *Aliæ gestiunt in cincinnos coërcere, aliæ ut vagi & volucres elabantur, non bona simplicitate. Affigitis præterea nescio quas enormitates capillorum, nunc in* GALERI *modum, quasi vaginam capitis, &* OPERCULUM VERTICIS, *nunc in cervicem retro suggestum.* Ad FAUSTINAM vero Filiam spectat alius Nummus Regiæ ejusdem Gazæ, in quo eadem Cybele occurrit inter duos Leones sedens, una manu tympanum, altera gestans papavera.

De Cultu.

Fre-

Frequenter nempe sub habitu hujus Deûm Matris depictæ id genus Augustæ; unde ejusdem Faustinæ puerperium, sub puerperii Cybeles effigie adumbratum videas in nummo Cl. Seguini. Ita haud dissimilis adlato modo Faustinæ Nummo alter Filiæ ejusdem LUCILLÆ L. Veri conjugis, cum Cybele sedente itidem inter duos Leones: nisi quod Papaverum loco Pinus ramum gestet, eidemque adstet Atys cum pileo Phrygio.

Ad Lucillæ hujus Matrem Faustinam pertinet, ut obiter hoc addam, alter ejusdem Nummus à Tristano adlatus cum inscr. ΦΑΥCΤΕΙΝΑ CΕΒΑCΤΗ ΕΥCΕΒ. CΕΒ. ΘΥΓΑΤΗΡ, sed quem aliud agens procul dubio vertit, *Faustina Augusta Pii Augusti Conjux*, & ita perpe-

Tom. I. pag. 593.

ram ad Matrem, non ad Filiam refert. Nec Commodi solum Uxorem CRISPINAM Dianæ habitu, sed & ejusdem pellicem MARCIAM Palladis aut Amazonis instar depictam exhibent præclari itidem Nummi. De hac postrema Lampridius, *Commodus Amazonius Marciam Concubinam in Amazone pictam diligebat.* Pertinacis conjux TITIANA Antiquariis hactenus ex Nummis ignota; licet in nummo quodam Mediceo spectetur, in cujus aversa parte Navis cum velo. Neque enim silendum, haud immerito suspectum eundem fuisse erudito illius Gazæ Custodi Petro Fittonio, quasi Crispinæ caput in anteriori parte referret. Equidem ut alia mittam, Pertinacem certe uxorem Augustam dici noluisse tradit Dio, quamquam aliunde sciamus hoc nomen eadem die utrique conjugi delatum. At Successoris ejusdem Didii Juliani duas AUGUSTAS nuncupatas Uxorem & Filiam, MANLIAM nempe SCANTILLAM & DIDIAM CLARAM, Nummi earundem adhuc arguunt; ut vere pateat adsertum à Spartiano; *Uxor etiam Manlia* (non ut ibi legitur Mallia) *Scantilla, & filia ejus Didia clara Augustæ sunt appellatæ.* JULIA DOMNA Severi Conjux ex ejusdem nummis nota, & jam ex iis castigatus ab eruditis error Viri docti, qui ΔΟΜΝΑΜ ab Oppiano per syncopem, pro *Domina* dictam existimaverat. Eundem tamen erravit nuper eruditissimus editor Nicephori Bryennii, qui insuper ex hoc ipso Oppiani loco *Dominas* dictas colligit Matres Augustorum. DOMNA enim proprium cognomen Syræ hujus Mulieris, sicut in Oriente & Ægypto frequens occurrit apud Auctores Ecclesiasticos DOMNI & DOMNÆ appellatio. Ita Isidori illius, cujus vitam describit Damascius apud Photium, uxor *Domna* ab eodem vocatur. Unde etiam eadem

In Gaza Christ. Reg.

Lib. LXXIII.

Capitol. in Pertinac.

In Did. Juliano.

dem vox mihi videbatur restituenda in lege quadam de Legatis, ubi Julii Agrippæ primipilaris neptis *Julia Domina* vocatur; *quæsitum est an & prædia extranei hæres haberet, an vero ad Juliam dominam, quæ habuit patruum Majorem Julium Agrippam, pertinerent.* Cur vero hæc *Julia* neptis hujus primipilaris, *domina* ibi appelletur, vix unquam commode explicabunt juris interpretes. Magnus quidem Cujacius in divinis Observationibus (ut non male eadem vocat illustris Thecanus) ex hoc loco, sed dubie tamen & titubanter colligebat, Mulieres olim Romanis dictas *dominas*, non respectu solum maritorum, sed etiam per se. Verum errorem vulgatæ lectionis melius detexisset, pro qua *Juliam Domnam*, legi debere quovis pignore contenderem. Et hæc quidem continuo notaveram, dum forte Cujacii observationes versarem, quum animadverti postea idem jam de hac *Julia domina* in *Domnam* transferenda, duobus eruditissimis viris suboleviſſe, Guidoni nempe Pancirollo, in libris Variarum, & novissime Ægidio Menagio in Amœnitatibus Juris. Diversa autem DOMNI apud Anastasium aliosque coævos Scriptores ratio; qui hoc nomen Cæsaribus aut Ecclesiarum Antistitibus, ut dignitatis titulum vulgo solent tribuere. Male vero eadem Julia Severi pro Julia Domna, JULIA DONINA legitur in Veteri lapide apud Gruterum. A *Domna* vero factum etiam *Domnica*, quo nomine Valentis uxor vocatur apud Socratem. Nec minus quis ex ejusdem JULIÆ nummis colligat, eam perperam ab Eutropio, Spartiano, Eusebio, & Orosio, Novercam Caracallæ, & præterea ejusdem Uxorem, non autem Matrem statui; quod utique apud Varnos minus insolitum accidisset, quibus novercam uxorem ducere lege concessum tradit Procopius. Certe præter potiorem

L. pater. 38. § 4. D. de legat. 3.

L. III. c. 18.

Thes. CCLXVIII.

Hist. Eccl. l. IV. c. 26.

Bell. Goth. l. IV. c. 20.

hic longe Oppiani, Herodiani, & Dionis coævorum Scriptorum auctoritatem, MATER AUGG. Caracallæ nempe & Getæ vocatur sine ullo discrimine, & manifestius adhuc Mater hujus Caracallæ in priscis nummorum monumentis. Unde occurrit ejusdem JULIÆ mentio in veteri lapide, qui Scaligero aliisque eruditis crucem fixit,

I. O. M. ET.
IVNONI REGINÆ
PRO SAL. IMP. M. AVR. ANTONINI
PII AVG. ET IVLIÆ AVG. MATRIS
AVG. M. VLP. MVCIANVS
MIL. LEG. XIII. GEM.
HOROLOGIAR. TEMPLVM
A SOLO DE SVO EX VOTO
FECIT
FALCONE ET CLARO COSS.

Neque enim alia hæc Julia Mater Augusti, nisi eadem hæc Mater Caracallæ, qui *M. Aurelius Antoninus Pius* passim in Nummis & lapidibus antiquis vocatur. Unde accedere non possum doctissimo Reinesio, qui ob repertam sibi in Nummis Juliam SoæmiamMatrem Elagabali non parum sibi gratulatus, ad eandem continuo lapidem hunc refert. Neque enim hanc Juliam sine adjuncto SOÆMIÆ cognomine in priscis monumentis dictam reperies; quum Julia Severi in iisdem passim JULIA PIA, JULIA AUGUSTA describatur; ut mittam geminam cum hoc marmore aliorum auctoritatem, in quibus iisdem verbis hanc JULIAM MATREM AUG. h. e. Caracallæ vocari videas. De Consulibus, qui Scaligerum hic turbarunt,

res

res facile componi poteſt, ſi non pro ordinariis, ſed pro ſuffectis habeantur: ut alias idem eruditiſſimus Reineſius recte obſervavit. Ejuſdem vero Caracallæ Uxor PLAUTILLA, cum in Nummis vulgaribus, tum in altero Græco apud Triſtanum, cum prænomine FULVIÆ ſpectatur. Eam itidem exhibent duo inſignes mole & raritate Nummi, alter Tarſi percuſſus, hinc cum capite Plautillæ, illinc cum eadem Auguſta & conjuge Caracalla dextram jungentibus, ac inſcr. AΔP. CEΥHPIANHC TAPCOΥ MHTPOΠOΛEΩC: alter Caracallæ & Plautillæ capita repræſentans, cum inſcr. M. ATP. ANTΩNEINOC, infra ΠΛAΥTIΛ-ΛA, in altera parte vero nudam Venerem cum Vaſe & inſcr. KNIΔIΩN. Quem præclarum Nummum, qui celebrem illam Cnidiam Venerem nobis adhuc hodie ante oculos ponit, verſabam haud ita pridem inter illuſtria Cimelia Regiæ Gallorum Gazæ. Elagabali autem Mater paullo ante commemorata Julia SOÆMIAS; & tres ejuſdem Uxores, JULIA PAULLA, JULIA AQUILIA, ANNIA FAUSTINA in ſelectis numiſmatibus etiamnum proſtant. Poſterioris vero nomen ex iiſdem ſolum diſcimus, quam à Commodo genus derivaſſe tradit Herodianus, Dio vero M. Aurelii neptem vocat. Alias Annii cujuſdam Fauſti, delatoris ſub Nerone inſignis, meminit Tacitus, à quo ſtemma hujus Anniæ Fauſtinæ videretur arceſſendum. Male vero eadem à Triſtano prior Elagabali conjux ſtatuitur; quum & Herodiano tertia diſerte adnumeretur, & cæde mariti Pomponii Baſſi quæſitas illius nuptias, ſed non primas, Dio auctor ſit. Duas vero priores Auguſti illius Conjuges, prænomen JULIÆ geſtaſſe, non aliunde rurſus quam ex earundem Nummis percipimus; quarum altera CORNELIA PAULA, altera ſi-

In Cimel. Reg. Chriſtin.

Hiſt. II. 10.

Lib. IV.

Lib. LXXIX.

ra sine alio prænomine, AQUILIA SEVERA Dioni vocatur. Unde etiam adsequimur, frequenter id receptum ea maxime ætate, ut Augustarum nomina mutarentur, aut ornarentur alterius prænominis additione. Hanc vero nominum in Augustis id genus mutationem maxime fieri solitam videas, ubi turpia illa videbantur aut ominosa, ut de Euphemia Justini Imperatoris Conjuge notat Procopius, quæ antea Lupicina vocabatur; unde, inquit, ὅτε ξυὼ τῷ ὀνόματί τε αὐτῆς ἰδίῳ ἅτε καταγελάστῳ ὄντι ἐς Παλάτιον ἦλθεν, ἀλλ' Εὐφημία ὠνομασμένη· *neque cum proprio nomine, quod ludibrio opportunum videbatur, in Palatium venit, sed Euphemia appellata.* Haud aliter nempe ac auspicata id genus nomina, aut in sponsi & sponsæ deductione, ac admissione Vestalium apud Romanos; aut in dedicatione Templorum, juxta illud Taciti in restituendo Capitolio, *Ingressi milites, quibus fausta nomina*, aut alias pro male ominatis Urbium nominibus quæsita nonnunquam reperias; nempe, quod ait alibi Procopius, τὰ δὲ πρὸ ξυμφορᾶς ὀνόματα διαφεύγοντες βλασφημίαν. More utique hominum consueto, quo, sicut rursus alio loco vere observat idem Auctor, magis vocabula turpia, quam res ipsas solent amoliri. Exemplum cæteroquin mutati aut adsumpti alterius nominis dederat jam olim LIVIA, cui primæ cognomen AUGUSTÆ cum pronomine JULIÆ concessum videmus. Hinc postea frequens istud evasit sequentium Augustarum, ut JULIÆ DRUSILLÆ, JULIÆ AGRIPPINÆ, JULIÆ TITI, & in JULIA PIA Severi Conjuge renovatum; quod nomen eandem è familia Juliorum traxisse observat doctissimus Reinesius. Ab ea certe translatum ad Augustas & Gentiles eorundem temporum, JULIAM MÆSAM hujus Sororem ac Aviam duorum Augustorum

In Aran. Histoc

Hist. IV. 53.

Bell. Gotth. l. I. c. 15.

Bell. Gotth. l. IV. c. 15.

rum JULIAM SOÆMIAM Elagabali, & JULIAM MAMMÆAM Alexandri Severi Matres, ac earum exemplo ad utramque illam Elagabali Conjugem, JULIAMPAULAM & JULIAM AQUILIAM: ita ut eadem ætate Augusti ANTONINI, Augustæ vero JULIÆ vulgo dicerentur. Neque tamen octo JULIAS intra Severi & Alexandri tempora, ut existimabat vir longe eruditissimus, sed sex tantum reperias modo commemoratas, Severi nempe Conjugem eandemque Matrem Caracallæ, Sororem ejus Aviam duorum Augustorum Elagabali & Alexandri, Matres utriusque, & duas prioris Uxores. Neque enim aut tertia uxor Elagabali ANNIA FAUSTINA, dicta JULIA, ut patet ex ejus Nummis; & ideo, ut existimo, quod stirpem & clarum nomen duarum Augustarum jam aliunde ad mariti nuptias adferret; neque etiam ulla Julia Alexandri Severi conjux occurrit in priscis monumentis. Alia nempe illi in iisdem tribuitur; ab antiquariis vulgo alteri elocata, SALLUSTIA BARBIA ORBIANA, quæ ut frequenter sine mariti effigie, ita occurrit in rarissimo nummo ejusdem Alexandri. Eum enim à se inspectum significavit mihi aliquoties princeps apud vos antiquariorum Fr. Gottofredi, in anteriori parte referentem Alexandrum Severum, in altera hanc Sallustiam Orbianam. Unde illius nummi auctoritate, hæc non Trajani Decii, ut vulgo antiquariis persuasum, sed ejusdem Alexandri uxor esset statuenda. Quod ipsum confirmare videntur alii Nummi ejusdem SALLUSTIÆ, in quibus illa cum conjuge depicta manus eidem tradens, ac inscr. CONCORDIA AUGUSTORUM; quorum ille Alexandrum Severum potius quam Decium referre videtur. Turbat aliquantum inscriptio marmoris;

In Cimel. Card. Buoncomp.

GNÆÆ

Thes. Grut. CCLXXIV. 2.

GNÆÆ
SEIÆ HEREN
NIÆ SALLVS
TIÆ BARBIÆ
ORBIANÆ AVG.
CONIVGI DOMINI
NOSTRI AVG.
VALENTINI VE
TERANI ET
VETERES.

in qua ea DOMINI NOSTRI appellatio ad Decii magis quam hujus Alexandri tempora videtur referenda. Quibus addi potest Nummi à Tristano adlati auctoritas, in quo hinc Hostilianus Decii filius aut gener potius, hinc SALLUSTIA BARBIA ORBIANA; sive eadem cum hac Sallustia, sive filia illius, ut credidit Tristanus, statuatur. Adeo ut vel alterutrum fateri oporteat, aut duas cum his nominibus floruisse Augustas, alteram Alexandri Severi, alteram Decii conjugem, quod minus equidem verisimile; aut de fide horum nummorum eundum ulterius in consilium. Cæterum aliam eidem Alexandro uxorem tribuit Lampridius, nomine MEMMIAM, quam & MEMMIAM SULPICIAM, nescio cujus nummi fide protulit Goltzius. Maximini etiam Conjunx sed tacito nomine ab Appiano, Marcellino & Zonara refertur, quorum iste eandem à truculento marito interfectam narrat. Ea vero vulgo statuitur ab antiquariis, non Calpurnia quædam cum doctissimo Camerario, sed quæ in veteri numismate occurrit appellata DIVA PAULINA, & in aversa parte cum Consecrationis nomine ac symbolis. Ut verum tamen fatear, levibus aut nullis potius conjecturis id hactenus nititur; quum id neque ex Nummi inscri-

inſcriptione aut aliis Veterum monumentis liceat hodie colligere. Immo obſtare potius videntur mea ſententia illa conſecrationis ſymbola: quem honorem Tyranni conjugi & hoſti Senatus ab eodem Senatu habitum parum videtur mihi veriſimile. Nequidquam enim Triſtanus illum tuetur exemplo Poppææ & Sabinæ Hadriani, quæ quamquam à maritis interfectæ, eorum tamen opera fuerunt conſecratæ. Neque enim eadem Maximini ratio, cujus & ferocius adhuc ingenium, & breve ac procul ab Urbis conſpectu imperium, & cum perpetua Senatus diſſenſione conjunctum, & infenſi denique poſt mortem ſucceſſores. Notum alias etiam ſub Cæſarum imperio penes Senatum fuiſſe conſecrandi facultatem; adeo ut difficulter honorem illum Hadriano mortuo extorſiſſe legatur Antoninus Pius. Capitol. in Pio. Mitto leviores adhuc ejuſdem Triſtani conjecturas, qui modo JULIAM PAULINAM dictam eandem fingit pro arbitrio, & modo Julii Pauli Juriſconſulti, modo Pontii cujuſdam Paulini filiam, modo eandem credit cujus mentio in lege quadam de Legatis, *Paulinæ filiæ meæ legatum.* Hæc enim omnia tam incerta quam incertiſſima. Si aliquis conjecturæ hic locus, & Nummi elegantia pateretur, ad PAULINAM, Hadriani ſororem magis placeret eandem referre, de qua exſtat nobilis adhuc inſcriptio. Id vero poſtea Occoni in prioribus ejus curis placuiſſe animadverti, qui dein motus Panvinii & aliorum auctoritate, dubius tamen in vulgatam ſententiam conceſſit. Inſcriptio autem talis,

DOMINA
PAVLINÆ SO.....
IMP. CÆSAR.
TRAIANI HADR.
AVG.
FVNDA.
DD.

Huic enim recenti Marcianæ ſororis Trajani exemplo, idem Conſecrationis honos à Senatu haberi potuit. Verum obſtat, ut innui, Nummi illius DIVÆ rudior pro Hadriani ætate figura & adſpectus, tum forte Excerptorum Dionis auctoritas, in quibus ſugillatus legitur Hadrianus, quod conſecrationis honorem Antinoo catamito, non autem Paulinæ Sorori deferri curaſſet. Adfert ceteroquin eundem Paulinæ Nummum Pyrrhus Ligorius in opere inedito, quem eidem Hadriani modo Matri modo Sorori vindicat, ita tamen ut in eo DIVA PAULA, non PAULINA legatur, ſicut vocari tamen agnoſcit in Inſcriptione Fundana. Id vero ideo factum exiſtimat, quod conſecrantes eandem Paulinam Romani, nomen diminutivum ei ademerint: quæ mira certe viſa mihi obſervatio, & juxta quam non FAUSTINÆ, CRISPINÆ ſed FAUSTÆ aut CRISPÆ vocari debuiſſent Auguſtæ poſt mortem ſideribus receptæ. Sed nullus conjecturæ hic locus, cum DIVA PAULINA, non PAULA diſerte legatur in illius Nummis, ac præter alios in quodam inſigni Regiæ Gazæ Chriſtinæ, in quo figura cum velo & face bigis vecta ac inſcr. CONSECRATIO. Notior ex iiſdem Nummis Gordiani Conjunx FURIA SABINA TRANQUILLINA, ſicut vulgo ab Antiquariis deſcribitur; quæ tamen non SABINA, ſed SABINIA vocatur in præclaris neque obviis nummis qui integrum hoc nomen repræſentant. Tales duos æreos ac argenteos videbam haud ita pridem in illuſtribus Lutetiæ Cimeliarchiis, cum inſcr. SABINIA TRANQUILLINA AUG. ac alium inſuper Græcum ejuſdem Auguſtæ nummum è maximorum genere, CABEINIA TPANKTIAAINA. Quibus utique ſuffragatur inſcr. antiqua, quam in Hiſpania repertam ſuis ad Concilium

Pag. 754.

In Mſ. Reginæ Chriſtinæ.

Apud Ill. Colbertum & P. Sevium.

Apud P. Seguinum.

lium Illiberitanum commentationibus inſerentem vides Cl. Mendoſam, FURIÆ SABINIÆ TRANQUILLINÆ. Idem fatum experta Philippi Uxor OTACILIA, quæ vulgo traditur Antiquariis MARCIA OTACILLA, & quam pejus adhuc in *Optatillam* vertebat nuper vir doctiſſimus. OTACILIA enim dicta eadem, non OTACILLA, ut diſerte priorem illam ſcripturam exhibet Nummus æreus in Muſeo Cl. Seguini inſcriptus MARCIA OTACILIA SEVERA AUG. & alius inſuper Græcus, in quo itidem ΩTAKIAIA legitur. Frequentes utique in Lapidibus antiquis *Otaciliæ*, cujus Gentis apud Romanos notæ Livius inſuper, Suetonius, aliique meminere, ac præterea Euſebius in Chronico ex verſione Hieronymi, ubi *Vultacilius Plotus* corrupte pro *Otacilius Piletus* legitur, ſicut erudite ex Tranquillo monuit litterarum decus Joſ. Scaliger. Hæc autem Otacilia Auguſta cum in pluribus Nummis obvia, percuſſis celebritate ludorum ſæcularium, tum in præclaro Farneſiano, cum inſcr. SÆCULUM FRUGIFERUM. Cognomen autem SEVERÆ eidem tribuunt cum alii nummi, tum inſignis Græcus Mediceus, M. ΩT. CEOTPA CEM. CEB. De Trajani Decii, quæ vulgo hactenus creditur, uxore, SALLUSTIA BARBIA ORBIANA, modo vidimus eandem præclari Nummi fide Alexandro Severo adjudicari. Alteram etiam ejuſdem filiam eruit Triſtanus cum inſcr. SALLUSTIA HERENNIA BARBIA ORBIANA, quam Hoſtiliani conjugem credit, ni potius eadem cum matre ſit ſtatuenda. Sic alia rurſus in Nummis occurrit HERENNIA ETRUSCILLA, quæ Decii filia, Herenni Etruſci ſoror & uxor Voluſiani, vulgo antiquariis ſtatuitur. Turbat hic tamen Onufrius, qui eandem Hoſtiliani Con-

jugem censet, & firmat etiam Nummi auctoritate, in quo hinc Hostilianus scilicet, illinc Herennia Etruscilla describuntur. Atqui labat tota Nummi illius, ut ab eo traditur, fides, in quo diversa Hostiliani & Etrusci nomina confundit. Neque enim Etruscus tulit nomen Hostilii, neque Hostilianus Etrusci, quæ omnia mire ibi permiscet Onufrius, dum eadem Nummorum auctoritate vult confirmare. Alias ut fateor nihil obstare video, quin hæc Herennia æque Hostiliani ac Volusiani uxor censeatur. Nec solum nota ex iisdem Nummorum monumentis, aut Valeriani Patris MARINIANA, aut Gallieni Filii SALONINA, sed & Fratris Valeriani Junioris uxor CORNELIA SUPERA à Tristano ex rarissimo nummo primum producta, & cui geminum audio exstare in Cimeliarchio Archiducis Leopoldi, nunc Cæsareo. Rarum autem SALONINÆ Gallieni cognomen CHRYSOGONES, ex nummo Græco adtulit idem Tristanus, inscripto scilicet CAAΩN XPYCOΓONH qua de re eum videat Lector. Occurrit ejusdem mentio in Nummo Augustæ Reginæ à Metropolitanis in Ionia percusso, sed in quo pro XPYCOΓONH, sicut exhibet Tristanus, KPHCOΓYNH legebant diligentes antiquarii. Eadem felicitate productæ è Nummis *Tyrannæ* vel *Ty-*
in Victoria. *rannides*, sicut eas vocat alicubi Pollio, JULIA DONATA, Uxor Postumi, & VICTORIA Mater Victorini cum inscr. MATER CASTRORUM, quemadmodum eidem Pollioni vocatur. Altera etiam Heroïna ZENOBIA AUGUSTA occurrit in uno aut altero Græco nummo quantivis pretii, cum adjuncto SEPTIMIÆ nomine, nempe qualem habuit Cl. Patinus noster CEΠT. ZHNOBIA CEB.

Alios

Alios itidem videas apud Cl. Seguinum cum integro Septimiæ nomine CEΠTIMIA ZHNOBIA CEB. & Spei typo in aversa parte. Ita ut inde liqueat, non filiorum illam solum, quod Vopiscus tradit, sed proprio etiam nomine imperii insignia suscepisse. PROBI etiam Uxorem aliunde ignotam Strada jam olim ex Nummo argenteo protulit, in quo conjuncta Probi & Conjugis capita, præterito tamen hujus nomine. Talem æreum maximum exquisitæ raritatis notavi aliquando in Museo Augustæ Reginæ, cujus ectypum inde depromptum juvabit hic quoque divulgare.

Unde vero dictam eandem JULIAM PROCLAM hauserit Strada & ex eodem Tristanus, fateor me juxta ignarissimos scire. Hujus equidem Juliæ Proclæ pulcherrimum nummum protulit in lucem Cl. Seguinus, percussum à Mytilenæis & inscriptum IOT. ΠPOKAAN HPΩIA'A. Quænam vero fuerit hæc Heroïna frustra diu à se quæsitum tradit idem vir elegantis judicii ac industriæ. Illud certe extra dubium nummum in-

ſpicienti, eſſe eum Probi ætate haud paullo ſuperiorem, & circa Antoninorum tempora ſignatum, ut placere memini Cl. Gottofredi. Eam vero, quæcunque tandem fuerit, cœleſtes honores conſequutam docet adſcriptum ΗΡΩΙΔΑΣ nomen, pro quo & Ηρωΐνας & Ηρῷσας etiam dixerunt Græci. Apollonius Rhodius,

Lib. IV. Ηρῷσας Λιβύης πιμήορoι,

Heroïdæ Libyæ vindices; ubi notat ex Herodiano Græcus Scholiaſtes, Ηρῷσας contracte pro Ηρωΐσας nuncupatas. Ηρωΐνας autem vocat Julianus in Cæſaribus, agens de Fauſtina à Marco conjuge conſecrata, Ηρωΐναις ἀνέγραψεν. *Heroïda* vero juxta ſuperiorem Nummum dixit etiam Ovidius,

Triſt. lib. 1. El. 5. *Prima locum ſanctas Heroïdas inter haberes.*

Ipſa autem Aureliani SEVERINA in rarioribus quibuſdam Nummis ULPIÆ nomine addito, Diocletiani Filia GALERIA VALERIA Maximiani uxor; & Maxentii MAGNIA URBICA (non ut apud Occonem MAGNENTIA URBICA) Auguſtarum etiam ſeriem implent. At Conſtantini ſanctius Matris nomen, in præclaro nummo Leonardi Agoſtini, celebris in Urbe antiquarii occurrit. FL. JUL. HELENA. AUG. Unde *Flaviam Juliam* dictam eandem, ſicut ex veteri inſcriptione diſcimus, repetito è veteri more JULIÆ nomine Auguſtis olim familiari. A Filio vero Conſtantino hanc AUGUSTÆ appellationem ſortitam, nummoſque cum eadem ſignatos tradentem novimus Euſebium ac Sozomenum. Hinc de eadem Sulpitius Severus, *namque* HELENA, *Mater Principis Conſtantini, quæ* AUGUSTA *cum filio conregnabat.* Infauſtam vero Conſtantini conjugem, non FAUSTAM ſolum, ſed FLAVIAM etiam & MAXIMAM dictam adſequimur ex ſequente Nummo,

mo, in quo cum duobus liberis eadem depingitur.

In Cimel. Reg. Christ.

Sic alteram hujus Constantini uxorem THEODORAM, Maximiani Herculei filiam, FLAVIAM MAXIMAM dictam itidem videas in antiquis illius Nummis, nempe FL. MAX. THEODORA AUG. seu ut præfert sequens... MAXIMA THEODORA AUG. cum muliere infantem lactente in aversa parte ac inscr. PIETAS ROMANA.

Unde liquet, illa FLAVIÆ MAXIMÆ nomina communicata fuisse à Constantino cum conjugibus, quum ipse FLAVIUS MAXIMUS CONSTANTINUS diceretur. Eutropius vero & Orosius hanc Theodoram Patri Constantio uxorem tribuunt, ex qua sex filios fratres Constantini dicunt eum suscepisse. Sed non novum illud scimus in historicis illorum temporum, ut Maximianum cum Maximino, Constantium cum Constantino non semel confuderint. Ita mitto hic aut supra jam indicatam Constantini filiam & Hannibaliani prius, dein Galli conjugem, celebrem in priscis

scis annalibus, cujus verum nomen ex Nummis demum eruitur FL. JUL. CONSTANTINA AUG. quæ Philostorgio lucem commodant, qui eam à Patre Constantino ornatam diademate & Augustam renuntiatam tradit. De Gallo enim ejusdem conjuge verba faciens, ait, Καῖσάρ τε ὢν ὁ ΑΥΓΟΥΣΤΗΣ ἀνὴρ κὴ γαὲρ αὐτὴ πατρόθεν ἐῶ δεδεγμένη τὸ ἀξίωμα· *Cæsar quum esset & AUGUSTÆ maritus; ipsa enim à Patre hoc dignitatis nomen consequuta fuerat.* Hist. Eccles. l. IV. c. 28. Ut agmen jam hic claudam, in monumentis id genus consignatæ neque passim obviæ, aut magni Theodosii Conjuges ÆLIA FLACCILLA & GALLA PLACIDIA; aut Leonis ÆLIA VERINA in nummo aureo Cl. Seguini mihi inspecta, & cui geminum habet Cæsareum Cimeliarchium; aut Valentiniani III. soror, HONORIA in singulari nummo aureo Regiæ Gallorum Gazæ; aut Justini EUPHEMIA, cujus aureum itidem Nummum tractare nuper mihi licuit in eadem Gallorum Metropoli recenter eo adlatum, nec visum antea eruditis ibidem antiquariis; aut Justiniani THEODORA, aut Phocæ denique LEONTIA.

3. *Ad alias Cæsarum Necessitudines.*

Accedunt præterea in eadem veterum Numismatum congerie aliæ adhuc AUGUSTORUM necessitudines, quas natura aut subsidiaria ejus adoptio Cæsarum familiæ inseruit. Equidem plures id genus cum vulgati jam diligentibus Antiquariis, tum rariores quidam Nummi adhuc repræsentant, ut ad supplementum ac integritatem Historiæ Augustæ non parum inde accedat præsidii. Præcipua certe AUGUSTÆ domus subsidia vel ornamenta continuo se hic offerunt, gener AGRIPPA, CAIUS & LUCIUS Nepotes & adoptione Filii, DRUSUS privignus, GERMANICUS pronepos, hujus liberi NERO ac DRUSUS, Tiberii DRUSUS ac gemini ex eodem Nepotes, denique,

que, *Hic Cæsar & omnis Iuli Progenies*. MARCELLUM quinetiam, breves illos ac infaustos Quiritium amores nummus quidam Mediceus arguere nonnullis videbatur, in quo hinc egregius forma juvenis, illinc S. C. nota occurrit cum insc. P. LICINIUS STOLO III-VIR AAA FFF. cui geminum nuper videbam apud Cl. Seguinum. Quamquam in eo Nummo juvenis Augusti potius quam Marcelli signatos vultus alii existiment, de quo ut judicet peritus talium Lector, eundem hic conspiciendum damus.

Ejusdem certe Marcelli effigiem ex gemma veteri depictam videas apud Ursinum ac Tristanum; ne quem terris tantum fata ostenderunt, posteris eadem omnino illum invidisse conqueramur. Mitto nobile iisdem temporibus par fratrum, duos nempe M. Antonii filios M. ANTONIUM è Fulvia & ALEXANDRUM è Cleopatra genitos, quos è duobus rarissimis Nummis protulere duo insignes Gallorum Antiquarii commemoratus modo Tristanus ac Seguinus; aut ortum ex ejusdem Antonii & Cleopatræ progenie JUBAM, huic memoriæ itidem insertum. Haud vero ita liquidum, quid de ectypo sequentis Nummi statuendum sit, qui incredibilis venustatis visitur in Gaza Palatina, quamquam è veteri Gemma expressus nonnullis videatur; &

quo alii CÆSARIONEM Julii & Cleopatræ filium, alii ANTINOUM, de quo mox in sequentibus, alii quem volunt aut fingunt (apertus enim hic conjiciendi campus) signatum credidere.

AGRIPPAM vero illum bello invictum nummi plures etiamnum exhibent, quos divulgarunt jam antiquarii; in quibus nempe modo solus occurrit, modo cum Augusto socero conjunctus, cujus etiam fuerat perpetuus victoriarum socius. Clarum vero illum maxime triumphis maritimis satis adhuc evincunt & superbum Coronæ Rostratæ insigne, & Neptunus cum Delphino ac Tridente vulgo in iisdem Nummis obvius. Rarior quidam nummus Mediceus, in quo caput ejusdem sine corona illa navali, & in aversa Tropæum depingitur cum clypeis & inscr. HERENNIO PRÆT. quæ rursus splendida sunt victoriarum hujus Agrippæ monumenta. Manilius certe eundem adscribit viris fortibus in cælum receptis,

Lib. 1. *Et Cato Fortunæ victor, Matrisque sub armis*
Miles AGRIPPA *suæ*,

quem locum non adsequutus est vir incomparabilis, qui proinde legendum in eodem credidit, *Martisque sub armis Miles Agrippa sui.* Dictus nempe hic *Miles* Agrippa *suæ matris sub armis*, hoc est, sensu certe haud valde recondito, Patriæ suæ seu Romæ belligerantis nondum Jano clauso. Ne quis hic socrum Octaviam defi-

designari existimet, ut primo conjecerat idem illustris interpres, sub qua scilicet militaverit Agrippa. *Matres* nempe, ut notum, passim pro *Patria* apud utriusquæ linguæ auctores; ita [a] Pindarus de Thebis, Μάτηρ ἐμά, Italia Trojanorum *antiqua mater* [b] Virgilio, Roma [c] Claudiano *Mater Regumque Ducumque*, & Agrippæ proinde inter eos Duces haud infimi; sicut etiam ratione Coloniarum, *Matres*, *Parentes*, ac *Metropoles* vulgo nuncupatæ, quæ alias *Origines*, *Patria*, aut *Major* vel *Antiqua Patria* vocabantur, & *parere* proinde eædem dictæ apud Tertullianum, *Scythæ exuberant Persas*, *Phœnices in Africam eructant*, *Romanos Phryges* PARIUNT. Illud autem *sub armis* loquendi genus eidem Manilio familiare, & sicut de Roma bella gerente superiori loco, ita alibi de ejus æmula,

[a] Od. 1. Isthm.
[b] Æn. III.
[c] In sec. Cons. Stil.

Quondam Carthago regnum sortita SUB ARMIS, Lib. IV. v. 100.

ac rursus,

quumque ipsa SUB ARMIS L. IV, v. 87.
Pax agitur;

ac usitatum inprimis, quod hic notandum, ævo Theodosiano, ad quod referunt nonnulli ætatem Manilii, ut liquet ex Codice ejusdem nominis, *quicunque* SUB ARMIS MILITIÆ *munus Comitatense subierunt*. *Milites* etiam eodem ævo pro *Officiali*; quamquam & Velleius jam olim de se præfecto castrorum, *Tiberii Cæsaris Militem fecit*, aut Curio apud Cæsarem, *Equidem me Cæsaris Militem dici volui*. Ut non mirum, si in Actis Conciliorum, Avitus Viennensis Episcopus ac Senator Romanus Burgundionum Regem Clodovei Militem vocet; *Quod apud Dominum meum, suæ quidem gentis Regem, sed* MILITEM *vestrum obtinuisse me suggero*. Ea vero fuit Militis hujus Agrippæ apud posteros veneratio, ut aliquot ejus Nummi à Tito, Domitiano, &

Cod. Theod. I. 3 S. t. 1. de Decur. Lib. II. Bell. Civil. l. II. Tom. I. Concil. Ep. ad Clodov.

Trajano Cæsaribus restitui meruerint; laudabili illis temporibus & inducto ab Augusto more, à quo *restituti* leguntur apud Suetonium illorum ducum tituli ac honores, à quibus propagatum Romanum imperium. Cæterum eundem Agrippam videbam nuper in singulari nummo inclytæ Reginæ, qui hinc Liviam & Augustum cum inscr. ΣΕΒΑΣΤ. seu *Augusti*, illinc AGRIPPAM cum filiis CAIO & LUCIO repræsentat ac epigraphen ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ, seu Carum *Alabandensium*, qui eundem signarunt. Obvii vero iidem CAIUS & LUCIUS CÆSARES in nummo Augusti argenteo pervulgato, qui eosdem Consules designatos ac Principes Juventutis tradit. Rariores ærei ejusdem notæ, & cum iisdem honorum titulis, CÆSARES AUGUSTI F. COS. D. P. JUVEN. Singulares vero qui vel CAII solum aut LUCII capita exhibent, quales aliquot edidit Tristanus; quamquam unus non ad Caium Agrippæ filium, sed ad Caligulam referri debuit, ut ab erudito Tristani censore observatum. Mitto Augusti privignum DRUSUM & filium ejus GERMANICUM, utrumque decus Romani nominis, neque ex veterum numismatum tractatione ignotum. Drusi etiam restitutos à Tito Nummos aliquot, juxta morem paullo ante indicatum, adservat Gaza Medicea, & unum quidem inscriptum IMP. T. CÆS. VESP. F. AUG. P. M. TR. P. PP. COS. VIII. RESTITU. Duos autem è Germanici liberis NERONEM ac DRUSUM exhibet singularis Nummus laudati aliquoties Cimeliarchii, unde sequens ectypum sumus nacti, cujus pars anterior Tiberium signat cum inscriptione CÆSAR DIVI AUGUSTI F. AUGUSTUS P. M. altera autem duo capita adversa.

In-

Inſcriptus ille Nummus, ut vides, NERO ET DRUSUS CÆSARES QUINQ. C. VINC. quæ poſtrema videntur explicanda *Quinquennalis Caius Vincius.* Quamquam pro Vincio, (cujus gentis aliqua ſed obſcura in antiquis lapidibus mentio) Vinicium mallem, ſi per nummi ſcripturam liceret. Germanici quippe gener M. Vinicius, cui Juliam Germanici filiam elocavit Tiberius, & quem proinde alibi inter Cæſaris progeneros recenſet Tacitus. Gentilis itaque ejus C. Vinicius (quo nomine unus inter ſuffectos Conſules occurrit in antiquo marmore apud Gruterum) & à quo proinde haud mirum foret hunc honorem Germanici liberis habitum, ut eoſdem juxta Avum Tiberium ære ſignandos curaret. Idem vero QUINQ. ſeu *Quinquennalis* nummo inſcriptus; quales luſtri ac ludorum cauſſa inſtitutos cum Romæ ſingulorum ferme corporum & collegiorum, tum in Coloniis ac Municipiis plures exſtitiſſe viderunt jam eruditi, & cujusgeneris *Duumviri Quinquennales*, *Quinquennales Perpetui*, *Quinquennales* etiam & *Quinquennalicia Poteſtate* frequenter occurrunt in lapidibus antiquis, ac inter Nummos etiam Gentium Romanarum ſupra indicatos, II-VIR QUI. ITER. ſeu *Duumvir Quinquennalis Iterum.* Talis etiam *in patria ſua Quinquennalis* exſtitiſſe traditur Hadrianus, hoc eſt, Ἄρχων Δὶς πέντε ἐτῶν & Ἄρξας τ πεντετηρικὸν, ut vocatur idem Magiſtratus in duabus Inſcriptionibus

Tacit. Annal. VI. 15.

Spartianus in Hadriano.

Neapolitanis. *Quinquennales* alias ludos, vulgo in Principum honorem ac pro eorum salute celebrari solitos, designatos etiam videas in sequenti Nummo Postumi aureo, utpote qui per annos septem juxta Trebellium, aut decem etiam juxta Eutropium, Augusti dignitatem obtinuit. Hinc rarioris Nummi, quem vidi apud illustrissimum Colbertum, inscriptio, POSTUMUS PIUS AUG. in aversa autem parte Victoria cum clypeo sinistro pede basi insistens, ac epigraphe, QUINQUENNALES POSTUMI AUG.

Cæteroquin occurrunt iidem Germanici liberi NERO & DRUSUS in aliis adhuc Nummis, quos duæ figuræ equestres in iisdem signant, & in quodam Mediceo Caii fratris jussu, ut videtur, expressi cum inscr. C. CÆSAR DIVI AUG. PRON. AUG. P. M. TR. P. IIII. PP. At filium Tiberii DRUSUM, & ejusdem Drusi GEMELLOS virilis sexus duabus Cornucopiis inclusos, ne desit scilicet aliquis *magna de stirpe Nepotum*, conspiciendos etiam præbent antiqui Nummi. Cui ordini præterea inserendi CLAUDII Imperatoris LIBERI, qui cum duplice itidem Cornucopia signantur in præclaro Nummo Coloniæ Patrensis, quem cum Mutinæ in Gaza Estensi, tum hic apud clarum Urbis Antiquarium Leonardum Agostini inspeximus. exhibet ille priori parte Claudium, altera autem sequentem iconem.

Nummi

Nummi nempe inscriptio LIBERIS AUG. COL. A A. P. seu *Liberis Augusti Colonia Augusta Aroë Patrensis.* Deductam nempe Patras ab Augusto Coloniam, & monuit jam olim Strabo, & juxta eundem evincunt plures Nummi vulgo inscripti COL. A A. PATREN. & unus etiam sub Augusto COLONIA AUGUSTA PATREN. *Aroën* vero aut *Aroam* eandem dictam antiquo conditoris nomine docet Pausanias, ut erudite jam observavit P. Seguinus. Tria autem illa capita, quæ sculptor hic minus accurate expressit, totidem Claudii liberos juxta Nummi epigraphen arguunt, virilis nempe sexus BRITANNICUM, ac muliebris ANTONIAM & OCTAVIAM, quarum illam suscepit è priori conjuge Petina. Equidem supremum illum Claudiorum sanguinem BRITANNICUM è rarissimo nummo vulgarunt jam celebres antiquarii Tristanus ac Seguinus Alabandæ in Caria signato, ac inscripto ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΒΡΕΤΑΝΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. Alterum ejusdem adolescentis protulerat jam olim Strada, cum epigraphe in aversa parte, ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΕΤΙΜΙΝΔΙΟΥ ΒΑΛΟ. ΝΚΟ. quæ mire exercuit eruditos antiquarios, dum eandem ad lubitum refingunt, ut videre licet apud Tristanum, qui novam etiam commentus est, miram certe & futilibus conjecturis, quod dico illibenter, nixam, nempe ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΕΠΙΝΕΙΟΥ ΒΑΛΟΙΟΥ; ad quam stabilien-

Lib. VIII.

Tom. I. p. 199.

liendam duo ignobilia Macedoniæ oppida, unum Ptolemæo Επνείᾳ, alterum Stephano Βαλοίᾳ nomine descriptum, pro uno eodemque cum adjuncta Metropoleos dignitate secure venditat. Neque opus pluribus arguere, quam invito Apolline & sensu omni ac scriptura repugnante hæc hariolatus sit vir doctus. At veram Nummi illius epigraphen videor mihi ex ipsa Nummi scriptura, quam Strada protulit, eruere, à qua nequidquam alii longius discedunt, ut nempe ita legenda sit ac distinguenda, ΚΟ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΕΠΙ ΜΙΝΔΙΟΥ ΒΑΛΟ... nempe *Corinthi Metropoleos sub Mindio Bal...* Achaiæ scilicet Proconsul sub Claudio quidam Mindius, ut alibi jam indicatum ex Nummo Patrensium Mediceo. Ejusdem autem Provinciæ Metropolis Corinthus, à qua signatus in honorem Claudii Britannicus, cum adscripto more consueto Proconsulis nomine, & adpicta dimidiata navi, opportuno maritimæ urbis symbolo. Ita liquida omnia & cum Nummi à Strada expressi scriptura ac insigni consona. Nisi forte quis malit per litteras illas Ν. ΚΟ. conjunctim lectas, ut Occo easdem videtur etiam legisse, *Nicomediam* designari, cum consueto *Metropoleos* nomine. Neque navis etiam aut Triremis abludens effigies, cujus generis exprimit sequens itidem Nicomedensium Nummus cum duabus ædiculis.

In Cimel. Reginæ Christinæ.

Atque

Atque ita ſtatuendum ſit, hunc Mindium temporibus Claudii, cum Achaiæ, quod Patrenſium nummus omnino arguit, tum Bithyniæ, juxta ſuperiorem nummum, Proconſulatum geſſiſſe. Unum hic deficit, in quo haud multum equidem ſitum eſt hujus Mindii cognomen quod per vocem *Galli* forte ſupplendum eſſet, ut ſi conjecturæ aliquis hic locus, ΓΑΛ. pro ΒΑΛ. in eodem legendum ſit. Certe *Gallus* inter Mindiorum cognomina, ut liquet ex Inſcriptione veteri, M. MINDIUS M. F. GAL. Diverſus vero à duobus illis BRITANNICI Nummis, quos hactenus viderant antiquarii, alius inter præclara Regiæ Gazæ Cimelia recenſendus, qui in priori parte Claudium & Agrippinam oſtentat, in altera ſtantem ac togatum Britannicum cum inſcr. ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΒΡΕΤΑΝΙΚΟΣ. Duos etiam VITELLII LIBEROS ad poſterorum memoriam prodit nummus aureus cum inſcr. LIBERI IMP. GERM. AUG. cujus ectypum imputabit lector ſummo illi litterarum Patrono Leopoldo Cardinali Mediceo.

Theſ. Grut. 21. 3.

In Gaza Reginæ Chriſtinæ.

Unde utique mirum mihi videtur, cur ἄπαιδα ſeu *ſine liberis* vocet alicubi Vitellium Joſephus. Ubi enim comparationem Vitellii ac Veſpaſiani inſtituit, ἐδῆ, inquit, ἀνδὶ μὴ ἡγεμόνος ἀγαθοῦ τύραννον ὠμόταν, ΑΠΑΙΔΑ ἢ ἀνδὶ πατρὸς αἱρεῖσθαι πρὸς πάντων; *Neque enim pro bono Imperatore crudeliſſimum Tyrannum*, NULLOS *autem habentem* LIBEROS *pro Patre optaturos Principem*: ita enim poſtrema vertenda ſunt, quamquam παῖδα pro ἄπαιδα contra apertum loci ſenſum legiſſe videatur interpres.

Bell. Jud. l. v. c. 10.

In eo enim discrimen inter utrumque collocat Josephus ac præferendum innuit Vespasianum, quod præter alia liberos idem haberet, sine prole autem esset Vitellius. At habuisse Vitellium utriusque sexus liberos præter indubiam auctoritatem superioris Nummi, clare haud uno loco Tacitus ac Suetonius docent, *Vitellius duxit Galeriam Fundanam, ab hac quoque* LIBEROS *utriusque sexus tulit*; immo utrumque etiam superiori nummo expressum patri superstitem, ac filiam quidem, cujus nuptias Otho ambiverat, à Vespasiano successore *splendidissime maritatam*, filium autem GERMANICUM dictum, & cunctis antea fortunæ insignibus decoratum, brevi post Parentis fata à Muciano Vespasianarum Partium duce interfectum. Nisi ideo ἄπαις vocetur Josepho præ Vespasiano Vitellius, quod idem filius foret *titubantia oris, prope mutus & elinguis*, ac imperio proinde parum idoneus, Vespasiano autem duo essent filii fama ac ætate florentes, iidemque signati quoque in viventis adhuc Patris nummis, LIBERI IMP. AUG. VESPAS. Alterius vero ex iis, DOMITIANI nempe filium CÆSAREM in prima infantia mortuum ac DIVIS adscriptum, arguit adhuc hodie Matris Domitiæ nummus, cum puerili effigie supra Globum inter Astra collocati, seu sideribus recepti, & inscr. DIVUS CÆSAR IMP. DOMITIANI F. aut in aliis DIVI CÆSARIS MATRI. Ut liqueat certe, cur *sidereus* idem filius vocetur Silio,

Siderei juxta radiabunt tempora nati,

aut cur *Deorum parens* Statio dicatur Domitianus. Neque vero LIBEROS solum, sed PATRES etiam quamquam privatos eadem filiorum pietas nonnunquam consecravit. L. VITELLII parentis actionem Censoriam cum nomine & dignitatis appellatione ostendat adhuc

Sueton. in Vitellio.

Tacit. Hist. II. 59.

Sueton. in Vitellio.

adhuc Vitellii Imperatoris nummus, quem infra ventilabimus. TRAJANI vero PATREM in aliquot Auguſti illius nummis aureis depictum videas, DIVI etiam ac PARTHICI appellatione inſignem, nempe DIVUS PATER TRAJANUS, aut DIVO TRAJANO PART. AUG. PATRI; vel DIVO TRAJANO PATRI AUG.; aut ut in ſequenti nummo juncta Nervæ & Trajani illius adoptione, hujus naturâ Parentis capita, cum inſcr. DIVI NERVA ET TRAJANUS PAT. ſicut eundem ſuppeditat rurſus Cimeliarchium Cardinalis Medicei.

Quo ſpectat illud Plinii, *ſed & tu* PATER TRAJANE, *nam tu quoque ſi non ſidera, proximam tamen ſideribus obtines ſedem.* In Panegyr.

HADRIANI etiam PARENTEM utrumque nummus itidem aureus ſervavit ad poſterorum memoriam, cum addita epigraphe DIVIS PARENTIBUS. Unde jam lucem haud obſcuram mutuatur, quod apud Auctorem Octaviæ legitur, Vid. Numiſm. Duc. Arſchot.

Nero ipſe DIVO *Domitio genitus* PATRE;

ubi fruſtra ſollicitant hunc locum eruditi, & pro *ipſe* DIVO putant legendum *inſitivus*. Haud enim mirum illud, ut jam vides, aut inſolitum in antiquis monumentis, ut DIVUS vocetur imperantis Neronis parens, quamquam privatus & extra Auguſti faſtigii ſocietatem defunctus, cujus memoriæ maximos illum honores habuiſſe diſerte etiam auctor eſt Tranquillus. Neque vero pium duntaxat in Parentes HADRIANUM, ſed, quæ veſania illorum temporum, in cata-

mitum etiam ANTINOUM, luculenter certe evincunt selecta illa Nummorum monumenta, quibus ANTINOOC HPΩC vulgo inscribitur. Ἥρωες nempe Græcis qui Romanis *Divi* & *Consecrati*, unde Augusto dictus apud Dionem Parens Cæsar Ἥρως ἰδίᾳ, hoc est *Divus Julius* juxta ejus Nummos; &, Caracalla militibus id procurantibus Senatusconsulto inter Ἥρωας, h. e. *Divos* relatus apud eundem Dionem; & Faustinæ M. Aurelii Consecratio Ἡρωΐνας seu *Divæ* nomine, ut supra innui, à Juliano Imperatore designata. Hujus vero HEROIS seu DIVI ANTINOI nummos sub insignis forma juvenis effigie passim recondunt illustria Cimeliarchia, & in aversa parte aut Bovem, aut Arietem, aut Aquilam, aut Equum, aut Tripodem, quandoque vero aut Deum Lunum, aut Mercurium cum pedo & talaribus, aut Antinoi ipsius figuram equestrem cum Caduceo, aut eundem in Grypho sublimem. Percussi autem vulgo illi Nummi à *Bithynien-sibus*, *Ancyranis*, *Julien-sibus*, *Smyrnæis*, *Achivis*, *Amisenis*, *Nicomeden-sibus*, *Calchedoniis*, *Tarsen-sibus*, *Byzantiis*; cujus generis nonnullos jam vulgarunt nobiles antiquarii. Ut vel satis inde liqueat, hunc HEROA non fuisse ex eorum genere, qui in Patria tantum consecrati, & quos Πατρῴους & ἐγχωρίους vocarunt Græci; quales vulgo Athenien-sium Heroës, ad quorum cultum lege Draconis perpetua, ut eam vocat Porphyrius, tenebantur. Vere proinde ab eruditissimo Clemente scriptum alicubi, hunc amasium non in Ægypto solum, sed apud Græcos etiam Hadriani jussu consecratum. Immo sacratus idem Antinous in aliarum adhuc Gentium ac Civitatum Nummis, præter superius indicatos, ut in duobus *Arcadum* ac *Tianorum* Regiæ Gallorum Gazæ. Prior autem catamiti illius faciem exhibet in anteriori parte

Lib. II. — L. LXXVII. — In Cæsaribus. — Lib. IV. de Abstin. — In Protrepticō.

parte cum ſolito *Herois* nomine, in averſa autem Equum cum litteris TOIC APKACI. Quo firmatur utique Pauſanias adſerens apud Mantinenſes Arcadas pro Deo habitum hunc Antinoum, Feſtis annuis, Ludis, Templo, ſtatuis eidem decretis; atque ideo quod Bithynius eſſet genere, Bithynii autem origine eſſent Arcades & Mantinenſes. Inde factum etiam videas, quod jam erudite monuit Triſtanus, ut Mercurii habitu cum talaribus aut caduceo depictus ſit iſte Divus ex aliquot nummis civium ſuorum Bithynienſium, cum inſcr. BEIΘYNIEΩN ΑΔΡΙΑΝΩΝ. Arcas enim Deus ille Cyllenius, ut notum, ac proinde in antiquis Arcadum nummis ſignatus, cujus generis aliquot occurrunt apud Goltzium. Metropoleon autem ſacra à Coloniis retenta, eoſdemque Deos loci præſides liquet ex antiquis Auctorum juxta & Nummorum monumentis; unde deductarum etiam Coloniarum argumenta arceſſunt non ſemel veteres, ut Dionyſius de Græcorum & quidem horum Arcadum in Italia ſede, qui & alibi Tyrrhenos negat Lydorum Colonos, vel ideo quod eoſdem Deos non haberent, οὐδὲ γὰρ θεοὺς Λύδοις σφῶν αὐτοὺς νομίζουσιν. Sicut itaque Mantinenſium Arcadum, ita Colonorum etiam Bithynienſium Deus Mercurius in amborum nummis expreſſus. Alter vero Nummus Regiæ Gazæ Bacchum ſignat Pantheræ inſidentem cum inſcr. TIANOI. Unde rurſus illuſtratur Pauſanias, qui hujus Antinoi Statuas Libero Patri ſimiles commemorat. Alium etiam nummum ab iiſdem Tianis percuſſum in memoriam tanti Herois videas in Gaza Medicea, cum nuda ejuſdem figura. Neque vero ſolum ſacerdos hujus Divi, nempe *Hoſtilius* quidam *Marcellus* expreſſus in antiquo ejus Nummo, quem deſcripſerunt viri docti, ſed in aliis etiam Templum Hadria-

Tab. Græc. XI.

Antiq. lib. I.

Lib. VIII.

Lib. VIII.

ni jussu illi erectum, ut notat inscriptio, quam præfert Nummus Gazæ Cæsareæ, ΑΔΡΙΑΝΟC ΩΚΟΔΟΜΗCΕΝ, seu *Hadrianus Ædificavit*. Neque enim Urbem solum in Ægypto amasio suo cognominem, ac sacerdotes instituit Hadrianus, quos Antinoi hujus θεράπωτας vocantem videas Origenem, sed Templum etiam apud Mantinenses Arcadas eidem sacravit, ut auctor est idem Pausanias, & apud quos proinde signatus videtur superior Nummus. Haud etiam hic prætereundus insignis quidam alius Christinæ Augustæ, cum illius catamiti effigie ac memorabili inscriptione, ΑΓΑΘΟC ΗΡΩC ΑΝΤΙΝΟΟC, h.e. *Bonus Heros Antinous*, in aversa vero Taurus, cum Luna bicorni, ΑΔΡΙΑΝΟΘΗΡΙΤΩΝ.

Lib. v. contra Celsum.

ΑΓΑΘΟC ΗΡΩC nuncupatur ibi Antinous, quasi *Bonus* seu *Propitius Divus*, juxta Gentilium Theologiam, quibus Ἀγαθοὶ Δαίμονες dicti boni seu salutares Genii, & quidem Dracones apud Phœnices & Ægyptios, ut supra tradentem vidimus Philonem Byblium, & Ægyptium Neronis nummum, inscriptum ΑΓΑΘΟΣ ΔΑΙΜΩΝ. Ita Venerem dictam videas Θεὸν Παναγαθὸν in Inscriptione veteri, & in alia rursus ephebi hujus Antinoi exemplo, BONO DEO *Puero Phosphoro*; quomodo alias & *Bona Juno* vocatur apud Poëtam,

Thes. Grut. LIX. 1.

Id. LXXXVI. 3.

Et tu lætitiæ Bacchus dator, & BONA Juno,

h.e.

ñ. e. *propitia* juxta Servii gloſſam. Ut mittam notas aliunde *Bonæ Deæ*, *Bonæ ſpei*, *Boni Eventus* appellationes, ac obvias itidem in monumentis antiquis *Fati boni* aut *Fortunæ Bonæ ſalutaris*. Et hæc ſcripſeram, quum occurrit opportune Juliani Cæſaris locus, ubi magno Conſtantino jam Divo eadem ΑΓΑΘΟΥ ΗΡΩΟC, appellatio tribuitur, & qui vel ſolus ſuperiorem Nummi epigraphen illuſtrare merebatur. Hæc enim ſcribit de Conſtantii erga defunctum parentem pietate & cultu, ὃν ἐκ ἰδίᾳ μόνον σεβόμενος ἀεὶ ἐν τοῖς κοινοῖς συλλόγοις διεπέλεις ἀνακηρύττων καθάπερ ΑΓΑΘΟΝ ΗΡΩΑ, *quem tu non privatim ſolum venerari ſoles, ſed & publice tanquam* PROPITIUM DIVUM *præconio tuo celebrare*, ſive ut ad verbum expreſſit Petavius, *tanquam* BONUM *aliquem* HEROEM. Immo juxta hunc Antinoum, Ἥρωας etiam προνοητὰς, ſeu ſecundum Interpretes, *Lares Propitios* apud Halicarnaſſenſem legas, quibus in ſingulis urbis compitis ſacella extrui juſſerit Servius Tullius. Expreſſus autem in altera Nummi facie Apis Ægyptiorum, qualis vulgo olim depictus, ac præter alios ab Ammiano deſcribitur, *maximeque omnium corniculantis Lunæ ſpecie latere dextro inſignis*. Hinc eadem ejus figura in Tabula Iſiaca, & in Nummo quodam Hadriani Ægyptio, quem videre licet apud Triſtanum. Opportune vero idem Apis in ſuperiori Antinoi nummo ſignatus, utpote in Ægypto primum conſecrati, ac præcipua poſterorum etiam religione culti, ſicut agnoſcit non uno loco apud Origenem Celſus. Percuſſus vero ille Nummus ab Hadrianotheritis, urbis in Mœſia incolis ab Hadriano extructæ, & à ſtudio venationis nomen ſortitæ, ut ratio nominis indicat, ac innuit etiam Spartianus, *Oppidum* HADRIANOTHERAS *in quodam loco, quod illic feliciter eſſet venatus, & Urſam occidiſſet aliquando*

Orat. 1. pag. 84.

Antiq. l. IV.

Lib. XXII.

Lib. III. & V.

In Hadriano.

quando constituit. Oblata insuper mihi ejusdem oppidi mentio in duobus aliis Nummis, uno Antonini Pii, altero Philippi senioris Mediceo inscripto Α'ΔΡΙΑΝΟΘΗΡΕΙΤΩΝ. Ex quibus utique liquet minus vere observatum à doctissimis Spartiani interpretibus, hanc urbem Græcis non *Hadrianotheras*, sed brevius tantum Α'δριανῆ & corrupte Α'δριανεῖς dictam, aut, ut voluit ὁ πάνυ, *Adrianutheras* eandem inscribendam. Eadem vero sub diviso nomine Α'δριανῆ Θήρας occurrit hodie non solum apud Dionem, sed præterea etiam apud Aristidem, qui aliquoties ejus meminit in sermonibus Sacris, & cujus similiter mentionem reperias in Actis Concilii Calchedonensis, sub nomine Α'δριανῆ θηρῶν, ac ut habet Latina versio, *Adrianutherorum* (rectius *Hadrianutherorum*) *Sanctæ Ecclesiæ Dei Hellesponti.* Dicta vero alias una voce Α'δριανοθήρας, quod Spartianus ac superiores Nummi arguunt, juxta similes flexiones in casu recto ejusdem Originis, Ὀνοματοθήρας, Ὀρνιθοθήρας, Φυλαδοθήρας, aliasque minus vulgares à Θήρα & Θηρέω deductas, cujus generis aliquot selectiores collegit erudissimus Reinesius. At non HEROS solum, sed DEUS etiam in aliquot ejus Nummis inscriptus iste *Hadriani Ganymedes*, ut Prudentio vocatur; puta ΑΝΤΙΝΟΟΝ ΘΕΟΝ Η ΠΑΤΡΙC, qualem jam vulgavit Tristanus, aut in alio simpliciter, ΑΝΤΙΝΟΟΝ ΘΕΟΝ observato mihi in Gaza Estensi; sublato nempe omni (quod sæpe alias factum) divini & Heroïci cultus discrimine. Adeo ut vere quadret in hunc Antinoum, quod de Caio Cæsare refert Dio in Excerptis Constantinianis, per adulationem aliis Deum, aliis Heroa dictum, aut quod de Lampsaca notat Plutarchus, primum illi Heroicos honores decretos, postea ut Deæ sacrificatum. Ut constet etiam non frustra à

In Gaza Reginæ Christinæ.

Serm. Sacr. 1.

Var. l. 1. c. 6.

Pag. 670.

Ter-

Tertulliano jam olim adsertum, *nescio quem cinædum* DEUM *facitis*, aut juxta emendationem Salmasianam, *Synodi Deum*; vel ab Origene contra Celsum, τὸ πμᾶ- ὦσι ΘΕΩ τῷ ANTINOΩ, *coli pro* DEO ANTINOUM; ac ut alibi idem tradit, non passuros illi Ægyptios Apollinem aut Jovem conferri. Hinc Σωθρο- νος τ ἐν Αἰγύπτῳ Θεῶν, seu *Confessor Deorum Ægyptiorum* dictus in veteri Inscriptione Antinous, non vero Πά- ρεδρος seu *Adsessor Deorum*, quod inferioris ordinis ac dignationis nomen, ut eruditis notum; haud aliter nempe ac Philippus Macedo Σωθρονος τοῖς δώδε- κα Θεοῖς credi voluit apud Diodorum, aut Pallas Jovi Σωθωνος vocatur apud Julianum Cæsarem; aut Marcus apud Herodianum Θεῶν Σωέδρος. Unde etiam à Socrate observatum video, à Cyzicenis Hadrianum tertium decimum Deum appellatum (quo nomine Demades coli voluit ab Athenienſibus Alexandrum, auctore Æliano, h. e. juxta Philippum Patrem, Σωθρονον τ δώδεκα Θεῶν) ab ipso vero Hadriano Antinoum inter Deos relatum. Neque vero solus hic adolescens formæ munere cœlestes honores consequutus; quum & Deos ob pulchritudinem factos Helenam, Pelopem, Ganymedem recenseat alicubi Lucianus, & Philippum Butaciden ob venustatem ab Agestanis cultum Herodotus, & quod ad Hadriani ac Antinoi exemplum propius facit, (ut mittam Hephæstionem ab Alexandro consecratum) Argyano formoso adolescenti Templum ab Agamemnone, qui eundem deperibat, extructum, auctoribus [a] Athenæo & [b] Clemente Alexandrino. Scilicet juxta Manilium,

Proxima sors Cygni, quem cœlo Jupiter ipse
Imposuit formæ pretium.

Immo neque alia de caussa pulcherrimus suæ ætatis adolescens

In Apologet.

Lib. VIII.

Lib. III.

Thes. Grut. LXXXVI. 7.

Lib. XVI.

Orat. V.

Lib. I.

Hist. Eccl. l. III. c. 23.

Var. l. V. c. 12.

In Charidemo.

Lib. V.

[a] L. VIII. [b] In Protrept.

Lib. I.

olescens Eurypylus ab Homero Heroibus adscriptus, & signatus itidem in veteri Nummo, quem supra excussimus, ΕΥΡΥΠΥΛΟC ΗΡΩC. Sed ut missis Hadriani delitiis, ad ejus successores pergamus, offert se hic parum notus ANTONINI PII & FAUSTINÆ filius nomine GALERIUS, quem primus edidit Tristanus, sed qui è Nummo Christinæ Augustæ & Mediceo ita suppleri debet, M. ΓΑΛΕΡΙΟC ΑΝΤΩΝΙΝΟC ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟC ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ ΥΙΟC, *M. Galerius Antoninus Imperatoris Antonini Filius.* Unde patet, non *Annii*, ut existimabat Tristanus, sed *Marci* prænonem fuisse huic Galerio, cujus obscura alias apud auctores mentio. Sic alium præter Commodum, M. AURELII & alterius FAUSTINÆ filium, VERUM nomine è duobus Nummis expressit idem Tristanus, uno Romano, quem jam exhibuerat Strada, cum inscr. COMMODUS CÆS. VERUS CÆS. sed dubiæ apud eruditos antiquarios fidei, altero Græco Amastrianorum, cum inscr. ΟΥΗΡΟC ΚΑΙCΑΡ. Qui postremus Capitolino suffragatur, de Marco tradenti, *filium nomine* VERUM CÆSAREM, *exacto sub aure tubere, septennem amisit*, ac pro Severo *Verum* apud Lampridium reponendum arguit, qui de Commodo agens, *appellatus est autem*, CÆSAR *puer cum fratre suo Vero*, non ut legitur in libris, Severo. Ejusdem vero sub *Sexti* nomine mentionem à Galeno fieri existimavit doctissimus Casaubonus, ac proinde dictum eum *Sextum Verum*, atque ita apud Lampridium pro *Severo* rescribendum; in quam sententiam etiam continuo concessit Tristanus, quasi *Sexti Veri* nomine à Galeno vocaretur. At *Sextus* ille tantum sine addito *Veri* nomine à magno auctore nuncupatur, quem à se curatum docet, neque de Marci Imperatoris, sed de Maximi viri magnæ per

In M. Aurelio.

In Commodo.

ea

ea tempora auctoritatis filio Galenum loqui, haud vane contendit eruditissimus Reinesius. COMMODUM vero hujus VERI fratrem Liberos suscepisse, qua de re silent auctores, demonstrat aureus illius Augusti Nummus, quem apud Cl. Seguinum vidisse recordor, inscriptum in aversa parte LIBERI AUG. Non commemoro jam, quos obiter supra indicavimus, VALERIANOS JUNIORES & SALONINUM quendam VALERIANUM; aut Infantes in gremio Matrum hærentes, quos ab Augusto vel à Cæsareo etiam fastigio propera mors submovit; cujus generis, ut alios mittam, duos FAUSTÆ Magni Constantini Conjugis liberos videre licet in adlato supra Augustæ illius nummo.

Var. lib. III. cap. 2.

DISSERTATIO OCTAVA.

DE PRÆSTANTIA ET USU NUMISMATUM ANTIQUORUM.

REplicanti mihi hic in Urbe superiorum ætatum memoriam, subiit continuo animum priscæ Cæsarum Majestatis cogitatio. Mitto alia dominæ quondam gentium decora, quæ veteris elegantiæ studio incensum possent hic etiamnum delectare. Unum illud secretioris cujusdam horroris genio perfundebat, intuentem subinde antiquas illorum hominum imagines; ante quas prostratos olim memineram Reges Regum, easdemque numinum instar, consensu quodam generis humani sacratas. Hinc eam temporum felicitatem mihi tacitus gratulabar, quæ post longum tot sæculorum decursum, signatos adhuc hodie eorum vultus, eademque veteris fastigii insignia, in statuis aut Nummis antiquis, beata ac invidenda copia suppeditabat. Immo posteriorum eo majus hic agnoscebam beneficium, quo expressa in iis nomina ac titulos noveram, unde singuli dignosci etiamnum possent, & digito *hic Julius, ille Augustus*, atque ita de cæteris, ad nostram ac posteritatis memoriam demonstrari.

De Titulis et Honoribus Augustorum.

Equidem haud obscura circa TITULOS & HONORES Augustorum lux ex iisdem Nummis adfulget. Alios nempe ex iisdem nosti Candidatis Imperii, alios Imperatoribus ipsis tributos. Prioris generis nota CÆSARIS nomenclatio, quæ antea primi tantum fastigii, mox

mox etiam evasit secundi appellatio; ita tamen ut ab utroque sit retenta. Adhibitum nempe hoc discrimen in iisdem Nummis videas, ut quæ Augusti successoribus ad Vespasiani tempora, cognominis loco cedebat; postea mutata sede, prænominis vicem ut plurimum occuparit, ac pro cognomento Augustorum liberis aut apparitoribus, ut eos vocat Ammianus, vulgo sit relicta. Unde qui ante imperium DOMITIANUS CÆSAR vel AURELIUS CÆSAR in Nummis vulgo appellantur, eodem adepto, CÆSAR DOMITIANUS, & CÆSAR AURELIUS, præter alios principatus titulos, in iisdem designantur. Quæ observatio eo etiam confert, ut originem adsequamur illius moris, quo divisa illa AUGUSTI & CÆSARIS nomina; & quem videas inter veteres ac recentiores controverti. Ita ut errare liqueat & Victorem Schotti, qui à Trajano Hadrianum adoptante inductam hanc *Cæsaris* eo sensu appellationem credit; & doctissimum Casaubonum, aliosque eruditos, qui è Spartiano colligunt, eandem ab Hadriano in Ælio Vero primum repertam; & Capitolinum denique qui eandem huic prærogativam tribuit, ut primus è designatis Imperii hæredibus *Cæsar* sit renuntiatus. Aperte certe iisdem repugnat cum Dio, qui Trajanum ipsum *Cæsarem* à Nerva in Senatu declaratum scribit, & alibi Vespasianum Imperatorem creatum à Senatu, Titum autem & Domitianum *Cæsares* tradit designatos; tum cum eodem Dione vel Suetonius, qui idem adserit de Domitiano; vel Tacitus, cui jam antea adscitus à Galba Piso *quatriduo Cæsar* vocatur; quo nomine rursus eundem designari videas à Dione in Excerptis Constantinianis; vel Nummi denique qui perspicue Originem hujus moris indicant. Quum enim momentanea tantum fuerit hæc

1. *De Titulis Secundi Fastigii, & appellatione* CÆSARIS.

L. LXVIII.

Lib. LXVI.

Hist. 1. 19. Pag. 697.

adoptio Pisonis in nomen *Cæsaris* adsumpti, nec tradita publicis eorundem temporum monumentis, (adeo et-
Hist. IV. 40. iam ut *de Pisone irritum* observat Tacitus, quod jusserant Patres sub Vespasiani principatu, de celebranda ejus memoria) hinc à Tito & Domitiano primum *Cæsaribus*, dein *Augustis*, usum hujus appellationis & dignitatis liquet ad eorum Successores transiisse. Haud obscure id videntur mihi evincere, cum mutata primum sedes nominis *Cæsaris* in Nummis Vespasiani, ut nempe IMP. CÆSAR VESPASIANUS AUG. in iis inscribatur, atque ita sequentes Augusti illius exemplo, pro quo superiores Galba, Nero, Claudius, aliique, TI. CLAUDIUS CÆSAR AUG. aut IMP. SER. GALBA, CÆS. AUG. in iisdem monumentis passim appellantur; tum clarius Domitiani Numismata, in quibus CÆSAR ante imperium vocatur. Quibus utique adscribendus rarissimus Nummus æreus sub Vespasiano percussus, cui similem etiam argenteum ab Occone descriptum videas, in cujus nempe anteriori parte illius effigies, in altera duæ figuræ equitantes, juxta sequens ectypum è Nummis Gazæ Mediceæ expressum, cum inscriptione TITUS ET DOMITIANUS CÆSARES PRIN. JUVENTUTIS.

Ex cujus præclari Nummi inscriptione licet colligere. Primo inductum pridem hunc morem, ut in designatione *Cæsarum*, præter solita Congiaria & donativa, facti illius memoria cum eorum vultibus Nummis proderetur.

deretur. Hinc in inter prærogativas Cæsarum receptum, sicut præter luculentam Nummorum congeriem cum illorum imagine, aperte docet Herodianus, qui Severo tribuit, ut de Clodio Albino Cæsare à se renuntiato fidem faceret, νομίσματά τε αὐτῷ κοπῆναι ἐπέτρεψε, *nummos cum ejus imagine signari permisit.* Lib. III. Secundo, à Vespasiano aut à Senatu in illius gratiam institutam hanc CÆSARUM denominationem; quo firmaret in duobus filiis successionem, exemplo & iisdem verbis Augusti Caium & Lucium Nepotes adoptantis, cujus rei memoria obvio illius nummo itidem tradita, cum utriusque Cæsaris imagine & inscr. C. L. CÆSARES AUGUSTI F. COS. DESIG. PRINC. JUVENT. Adeo ut mirer observare doctissimum Casaubonum, quo inventum hoc *Cæsaris* pro designato imperii hærede Hadriano adsereret, eadem mente Augustum Caium & Lucium PRINCIPES JUVENTUTIS appellasse, quum tamen alteram CÆSARUM appellationem præterire ibi non debuerit, in quam eodem fine adscitos ab Augusto ex filia Nepotes constat. Hinc inter causas secessus Rhodiani à Tiberio delecti, eam refert Dio in Excerptis Valesianis, ὅτι μὴ καὶ ΚΑΙΣΑΡ Pag. 663. ἀπεδείχθη, *quod* CÆSAR *etiam non esset renuntiatus.* Tertio, omnino restituendam Spartiano antiquam lectionem, *de Ælio vero dicendum est, qui tantum* CÆSARIS *nomen* accepit, ubi male *primo* aut *primus tantum* contra rei veritatem & meliorum codicum fidem invexit ὁ πάνυ. Quarto, non per προλῆψιν seu *anticipationem*, ut visum quibusdam eruditis, CÆSARIS nomen candidatis imperii ab Auctoribus quandoque tribui ante Ælium Verum; quod tamen revera serius ac sub eodem primum sit receptum. Immo præter fratres TITUM & DOMITIANUM, accedit iisdem Domitiani filius adhuc

adhuc infans CÆSAR salutatus, & post mortem Divis adscriptus; ut liquet ex Nummis Domitiæ Matris supra descriptis, DIVUS CÆSAR IMP. DOMITIANI F. & ad quem respexit alicubi Martialis,

L. III. Epig. *Suspicor has pueri Cæsaris esse nives.*

De appellatione PRINCIPIS JUVENTUTIS.

Quinto non solum CÆSARIS, sed etiam PRINCIPIS JUVENTUTIS appellationem, symbolum fuisse futuræ successionis; unde vulgo in Nummis & Marmoribus, utrumque Augustorum liberis aut hæredibus tributum videas. Hunc nempe titulum eo sensu in Caio & Lucio Cæsaribus cœptum; in Nerone & Druso, dein altero Nerone propagatum; in Tito & Domitiano renovatum; ac in reliquis dein Cæsaribus passim admissum, sicut Marco, Commodo, Geta, Diadumeniano, Philippo, Hostiliano, Herennio, Gallieno, Salonino, Salonino Valeriano, Carino Numeriano, Maximo, Galerio, Maximiano, usque infra Constantinorum tempora, veteres nummi ante oculos ponunt. Eundem certe & Constantino Magno tribuit Nummus Augustæ Reginæ, & filio ejusdem Constantino Juniori, Nummus æreus maximus Gazæ Barbarinæ. Ita Tiberium Nepotem Imperatoris Tiberii, PRINCIPEM JUVENTUTIS renuntiatum adoptavit Caius, sed quem mox è medio sustulit. Nomen autem illud PRINCIPIS JUVENTUTIS seu ἐφηβάρχα, ut vocatur Arriano, nobilissimis adolescentibus Equestris ordinis, libera adhuc Republica concessum nemo nescit; *Equites enim illis Principes Juventutis*; ut Livius alicubi loquitur, quo etiam nomine Brutum & Curionem compellat in Epistolis Tullius: sicut alias omnium ordinum, & Cæsarianorum etiam *Principes* quosdam fuisse discimus ex priscis monumentis. Hinc qui in superiori nummo aliisque id genus Princeps Juventutis appel-

Dio. l. LIX.

Differt. lib. III.

Lib. XLII. cap. 61.

appellatur Domitianus, Juvenali dictus alicubi, *Jam Princeps Equitum*; quod minus commode interpretes, per Magistrum Equitum interpretantur. Ita nempe πρόκριτος ἱππάδος dictus Dioni in Excerptis M. Aurelius Cæsar designatus, h. e. *Princeps Juventutis*, interprete Cl. Valesio, Capitolino autem *Sevir turmis Equitum Romanorum*. Hinc etiam per figuras Equestres designati vulgo in antiquis nummis illi *Principes Juventutis*; nonnunquam etiam ut in nummis Neronis & Commodi, cum inscr. EQUESTER ORDO PRINCIPI JUVENT. Opportune itaque de Commodo Lampridius, *Cooptatus inter tres solos Principes Juventutis, quum togam sumpsit*. Quem locum, quod genuinum ejus sensum non adsequerentur, de mendo suspectum habuerunt doctissimi Interpretes. Hinc pro *tres solos* emendabat Lipsius *trossulos*; qua voce antiquitus *Equites* designati. Acute sane, & eidem continuo suffragantibus harum litterarum triumviris, Casaubono, Grutero, Salmasio. At mihi liceat cum pace tantorum Virorum, adsensum hic aliquantum cohibere. Mitto insolitum obsoletæ pridem vocis usum, ubi obvia & familiaris occurrebat. Hanc certe *Trossulorum* vocem pro *Equitibus* ab oppido *Trossulo* deductam, à Gracchorum temporibus antiquatam videre licet apud Plinium, quibus jam pudebat multos eo nomine appellari; idque ut existimat vir summus, propter vocis ambiguitatem, qua vir mollis etiam ac delicatus (à Græco τρυσὸς) designabatur. Quid dicam supervacuum hic ejusdem vocis usum? Neque enim alii Principes Juventutis quam ex Equestri Ordine, ut parum necesse fuerit, & præter receptum loquendi morem, dici Commodum cooptatum inter Equites Principes Juventutis. Neque magis opportuna aut necessaria ejusdem Salmasii e-

Satyr. IV.

Pag. 104.

In M. Aurelio.

In Commodo.

L. XXXIII. cap. 2.

mendatio, *inter trossulos Princeps juventutis*; quo nempe unicus ea ætate princeps juventutis Commodus designetur. Præterquam enim quod eodem laborat incommodo, accedit aliud haud leve, quod vim vocis *cooptandi* non adtendisse videatur vir incomparabilis, quæ de adlecto in plurium Collegium, non de unico principe juventutis dici potuit. Ita cooptati à Collegis Pontifices Augures, Tribuni plebis apud rerum Romanarum Scriptores, de qua voce paullo infra. Nulla itaque, si quid judico, mutatione opus apud Lampridium, aut vocis pridem antiquatæ & omnino supervacuæ notatione. Delecti nempe vulgo nobilissimi adolescentes Equestris Ordinis, qui *Principes Juventutis* appellarentur. Ejusdem designationis & ordinis, ut modo videbamus, Seviri turmis Equitum Romanorum, quorum frequens mentio in Lapidibus antiquis. Talis Commodi hujus parens Marcus à Pio designatus, neque unicus tamen sed inter plures quod ratio nominis docet, & præterea facile è Capitolino discas, *& Sevirum Turmis Equitum Romanorum jam Consulem designatum creavit & edenti* CUM COLLEGIS *Sevirales ludos adsedit. Collegæ* itaque Marco in illo Seviratu, inter quos à Pio adlectus. Ita Commodus cum togam virilem sumeret (non ut Caius aut Lucius Cæsares, præter morem, *necdum posita puerili prætexta*) inter Principes Juventutis cooptatus, qui non plures quam tres exstitisse dicuntur. Neque insolitum hunc numerum colligas præterea ex præclaro Getæ Nummo, in quo tres figuræ Equestres occurrunt cum inscr. PRINC. JUVENT. Immo haud incommode rationem illius numeri eruere mihi videor. Seviri nempe, quod vel nomen arguit, sex numero totidem Turmis Equitum Romanorum præfecti. Distincte vero iidem juxta Lapides

Tacit. ann. l. 3.

pides antiquos in Seniores & Juniores; adeo ut tres è Junioribus constarent, qui vulgo tradito è veteri Rep. titulo ac more, *Principes Juventutis*, dicti. In eo autem seu plurium seu trium Collegio facile credimus primas obtinuisse, seu quasi Principum Principem exstitisse filium & successorem Augusti. Quo respexisse etiam videtur Curtius, ubi Alexandrum de Philota Romano more induxit loquentem, *Equitatui optimæ exercitus parti, Principibus nobilissimæ juventutis unum præfeci.* Lib. VI. Iidem vero Tullio nuncupati *signiferi Juventutis*, ut in Oratione pro L. Sylla; *cum signifer esset Juventutis*; (sicut alibi *signifer seditionis*, eidem dictus de illius duce seu principe) quod certe egregie rursus illustrant ii Nummi in quibus vulgo figura stans cum duobus signis legionis, & inscr. PRINCIPI JUVENTUTIS. Quibus etiam adscribendus Nummus ejusdem Commodi, in quo manus junctæ cum Signo militari, & eadem inscriptio *Principis Juventutis*, Illud vero paullatim receptum videas, ut destinati ad imperium successores primo *Principes Juventutis*, dein *Cæsares* renuntiarentur; ut vel ex Claudiano colligas tradente de Honorio, Pro Domo sua. In Cimel. Reginæ Christinæ.

Nec dilatus honos, mutatus Principe Cæsar
Protinus æquaris fratri. De IV. Cons. Honor.

Ita NOBILISSIMI titulus, iisdem Cæsaribus, passim etiam in antiquis Nummis adnexus occurrit à Philippi Junioris temporibus; quamquam & jam ante Maximini filio eundem tribuat vetus Lapis, C. JULIUS VERUS MAXIMUS NOBILISS. CÆSAR PRINCEPS JUVENT. immo ex aliis etiam liqueat à Trajano repetendam ejus originem, & ab ævo Commodi, quo idem adhuc Cæsar PONTIFEX NOBILISSIMUS vocatur. Quod illustrat etiam obvius ejusdem De titulo NOBILISSIMI. Thes. Grut. CLVIII. 4. Id. CCXLVI. 3. Id. CCLX. 6.

Commodi nummus cum inscr. NOBILITAS AUG. At distincta postea illa NOBILISSIMI & CÆSARIS nomina, ac sub Byzantinis Imperatoribus peculiaris NOBILISSIMI dignitas instituta, ut viderunt jam viri docti. Græcis eadem dicta, ut Philostorgio, Hist. Eccl. l. XII. c. 10. Ἐπφανεστάτη ἀξία, & Ἐπφανέστατοι *Nobilissimi*; sicut præter alios aperte docet alibi idem auctor, apud quem Hist. Eccl. l. VIII. c. 8. Jovianus filium Ἐπφανέστατον, ὃ ὡσεὶ Ῥωμαίοις τὸ ΝΩΒΕΛΙΣΣΙΜΟΝ ἀναγορεύει. Unde, ut obiter hoc dicam, Valerium Constantium dictum in Marmore Arundelliano, τὸν Ἐπφανέστατον Καίσαρα, doctissimus interpres minus accurate *Illustrissimum Cæsarem* vertit, qui ex recepto titulo ac more, *Nobilissimus* dici debuisset. Ita hujus Valerii nepotem Constantium, juxta Delmatium, & Hannibalianum, ob adgnationem Νωβελισσίμου dignitatem nactos tradentem videas Zozimum. Factum vero paullatim, ut inter Augustorum liberos, alii *Cæsares*, alii *Nobilissimi* iique juniores vulgo dicerentur, sicut manifeste colligas ex loco Nicephori, quem jam ad Procopii Anecdota notavit vir doctus; alii vero distinctis temporibus primum *Nobilissimi*, dein *Cæsares* vocarentur. Postremum certe de Valentiniano juniore è Constantio & Placidia nato observat Olympiodorus apud Photium; & juxta eundem Philostorgius, sicut & eodem titulo alterius Valentiniani inscriptæ aliquot leges Codicis Theodosiani, [a] *Valentiniano Nobilissimo Puero & Victore Coss.* quibus geminæ aliæ de Honorio, [b] *Honorio Nobilissimo Puero & Euodio Coss.* Haud aliter nempe ac *nobiles pueri* dicti jam olim [c] Tacito, talia Augustæ domus subsidia, Britannicus & Nero. Immo postea, PROTONOBILISSIMI quoque titulus invectus inter honores Aulæ Byzantinæ; sicut *Protosebasti Protopatritii, Protocancellarii*, & sexcentorum id genus.

Lib. II.

Lib. XII. cap. 10.

[a] L. VIII. de Privileg. eor. & l. I. de Oblat. Eq.

[b] L. IV. de Proximis &c. l. III. & IV. de Exsecut.

[c] Annal. XI. 11.

In

In hunc etiam ordinem secundi fastigii una cum *Cæsaris*, *Principis Juventutis*, aut *Nobilissimi* titulis, referri debet dignitas SACERDOTIS COOPTATI IN OMNIA CONLEGIA SUPRA NUMERUM, ad quam vocati in spem successionis, vulgo evehi à prima juventute consueverant. Clarum id ex Neronis Cæsaris Nummis, qui hos titulos eidem largiuntur, sicut etiam M. Aurelio Cæsari destinato vetus Lapis. Unde illustratur quoque Lampridii in Commodo locus, qui de eo ut Cæsare adhuc loquens, *Adsumptus in omnia Collegia Sacerdotalia Sacerdos Commodus.* Male autem priorem hunc Nummum ad Drusum Germanicum Tiberii fratrem retulit vir doctus, deceptus cum aliis nonnullis, nominum communione *Neronis Claudii Drusi Germanici*, quæ cum alibi, tum in nummo aureo Claudii, Neroni tribuuntur, cum illius adhuc adolescentis effigie ac inscr. PRINC. JUVENT. Ratio autem illius instituti petenda ex reliquis Augusti arcanis, quibus ut supremum rerum aliarum arbitrium, ita sacra omnia & Religiones omnes Populi Romani, in sua voluit habere potestate. Hinc inter reliquos honores ab Augusto admissos, illum qnoque Dio alicubi commemorat, ut Sacerdotes quoscunque pro arbitrio constitueret, neglecto etiam numero antiquitus recepto, quod tradit postea in immensum crevisse. Ita factum, ut præter receptam Pontificis Maximi dignitatem, auctus sit ab eo Sacerdotum numerus, & in eorum Collegia unus è proximis & ex hæredibus adscitus; quomodo aut Claudium Marcellum admodum adolescentem *Pontificatu extulisse* legitur apud Tacitum; aut in Caium Sacerdotium contulisse apud Dionem: unde Lituum etiam & Simpulum videas in obvio nummo, qui eundem Caium & Lucium fratrem signat. More

De SACERDOTIO *Cæsarum.*

Jac. Gütherr. de Jur. Pont. l. 1. c. 9.

Lib. LI.

Annal. l. 3.

Lib. LV.

scilicet jam à J. Cæsare deducto, qui hunc ipsum Au-
Lib. II. gustum, Velleio auctore, *Pontificatus Sacerdotio puerum honoravit.* Unde id quoque præter alia ab iisdem Julio & Augusto hauserunt successores, ut omnibus illis Sacerdotiis mature inaugurati, hæredes suos in eadem à teneris quasi cooptarent. Quo consilio etiam videas Getæ conjunctas *Cæsaris*, *Principis Juventutis* & *Pontificis* appellationes in Nummis aliquot tribui, P. GETA CÆS. PONTIF. PRINC. JUVENT. Ut hæc singula totidem primi fastigii tyrocinia facile agnoscas. Ita hoc veluti rudimento, sacris ac cæremoniis Deorum ut Cæsares initiati, Augusti demum supremam sacerdotii dignitatem, Pontificatum nempe Maximum consequebantur. Arcanum hoc cum aliis id genus recluſit nobis Dio, sed cujus locum non recte accepit interpres;

Lib. LIII. ἐκ τε δὴ ὧν πάσαις ἱερωσύναις ἱερῶσθαι, καὶ πρόσεστι καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς πλείοσι σφῶν διδόναι, ἀρχιερέων τε πιὰ αὐτῶν, καὶ ἂν δύο καὶ τρεῖς ἀρχωσιν εἶναι, πάντων αὐτὸι καὶ τῶ ὁσίων καὶ τῶ ἱερῶν κυρίους. *Ex eo autem quod omnibus Sacerdotiis inaugurati sunt Imperatores, & quod alios in pleraque illa Collegia adsciscunt semperque unus eorum, ubi duo vel tres simul imperant, summum Pontificatum gerit, continuo fit, ut omnium Religionum & Sacrorum Domini evadant.* Vides hic apertam hujus moris Originem; inauguratos omnibus Sacerdotiis Imperatores, seu Sacerdotes in omnia Collegia cooptatos, & alios in eadem ab iis adlectos, h. e. Cæsares & in spem successionis adolescentes, non autem ut sensum perverterat Interpres, *ac plerosque in ea Collegia adsciscunt*, contra Dionis mentem & totam arcani illius politici rationem. Inde etiam perspicua cum occasio tum inscriptio superioris Nummi, quem hactenus nimis leviter adtigere viri docti, qui Neronem tradit *Ex Senatusconsulto Sacerdotem cooptatum In Omnia Collegia supra Numerum*, nempe

nempe SACER. COOP. IN OMN. CONL. SUPRA NUM. EX S. C. quæ singula opus habent aliqua notatione. Mitto proprium hujus moris & Tullio aliisque familiare loquendi genus *Sacerdotis in Collegia cooptati*, qualis vel Fannius *cooptatus in Augurum Collegium*; In Bruto. vel apud Livium *Triumvir Epulo*, item *Pontifex & Decemvir cooptatus*; ne de solis inter Sacerdotes. Auguribus cum quibusdam eruditis hanc vocem usurpatam credas. *Cooptati* itaque dicti promiscue omnium Collegiorum Sacerdotes, quod vel Superior nummus arguebat, sicut *nominari*, *adlegi*, *capi*, ac juxta Servii glossam, *creari*. Servius, *Et sunt propria verba quæ nulla ratione mutantur, nam ut Sacerdotes* CREARI, *Virgines* CAPI, *dicimus*; quam tamen postremam vocem præter Vestales, ad Flamines etiam Diales, Pontifices, Augures, spectasse docet Gellius. *Nominabat* nempe Sacerdotem, puta Augurem unus aut duo è Collegis, *(neque enim licebat à pluribus nominari*, ut idem Tullius alicubi observat) qua nominatione idem in Collegium *Cooptari* dicebatur. Cicero *paternum Auguratus locum, in quem ego eum, ut quod à Patre accepi filio reddam, mea nominatione* COOPTABO. Plinius *qui me nominationis die, per hos continuos annos inter Sacerdotes nominabat tanquam in locum suum* COOPTARET. Idem vero SUPRA NUMERUM seu ὑπεραριθμίως Nero Sacerdos Cooptatus, haud aliter nempe ac Vitricus ejus Claudius; AD NUMERUM *sodalium Augustorum sorte ductorum* EXTRA ORDINEM *adlectus*. Quo referendæ aliquot Inscriptiones antiquæ, *Adlecto* SUPRA NUMER. *Sevirum Augustalium*. Immo neque insueto etiam in aliis honoribus conferendis titulo ac more; sicut apud Tacitum, ut SUPRA NUMERUM *legaretur, qui templi curam susciperet*; alibi de Comitiis Prætorum,

Ad Æn. VII. L. I. c. 12. Philip. II. Philip. XIII. Lib. IV. Ep. 8. Sueton. in Claud. Thes. Grut. CCCCXLIX. 1. & CCCCLI. 4. Annal. IV. 16.

torum, *tres qui supra* NUMERUM *petebant*, qui &
In Nerone. *Canditati* SUPRA NUMERUM Suetonio vocantur;
Lib. x. Ep. 113. apud Plinium denique de Civitatum Buleutis, *quos indulgentia tua quibusdam civitatibus* SUPRA LEGITIMUM NUMERUM *adjicere permisit*; & iterum alio loco,
Lib. x. Ep. 32. *quominus statim revocandos putarem, quos habet* SUPRA NUMERUM. Ita & imaginarium militiæ genus
Sueton. in Claudio. à Claudio institutum, *quod vocaretur* SUPER NUMERUM, seu, ut tradunt quidam libri, SUPRA *numerum*: ut mittam *supernumerarios* illos milites, Scholarios aliosque, quos è Vegetio, Procopio, & Codice Theodosiano ad eum Suetonii locum erudite, ut solet, observat ὁ
Lib. xxxiv. cap. 47. πάνυ; & quo referri etiam possunt *Extraordinariæ* illæ
Lib. xxxv. cap. 5. *Cohortes*, seu *Extraordinarii milites*, quorum mentio in veteri Romanorum militia apud Livium. Neque mirum etiam audiri Neronem Sacerdotem IN OMNIA CONLEGIA cooptatum; hoc est Augurem; Pontificem; Septemvirum Epulonum; XV Virum Sacris Faciundis, seu *Sacerdotem summorum Collegiorum*,
In Augusto. ut Suetonio eadem vocantur; Sodalem præterea Augustalem; è Saliorum numero; denique quod modo apud Dionem vidimus optimum illius Nummi interpretem, ἐν πάσαις ἱερωσύναις ἱερῶσθαι. Nihil enim obstabat, (haud insueto temporibus nostris more) quo-
Epist. xxi. minus unus apud Gentiles pluribus Sacerdotiis ornaretur. Unde Cæsar Julianus Callinicum quendam declarat insignitum duplici Sacerdotio Cereris & Matris Deûm. Id vero apud Romanos jam olim receptum, quamquam rarius quondam & pro eximio honore habitum, ut quis in duo Collegia cooptaretur. Livius de
Lib. xxx. cap. 26. Q. FABIO Maximo Augure & Pontifice, *nam* DUO SACERDOTIA *habuit*; Quomodo & unus vel alter,
Lib. xxvii. & xxix. idem Augur & Decemvir nonnunquam illi commemora-

moratus. Successu vero temporis, neque solum in Domo Augusta, unus in plura etiam Collegia adlectus, unde & Galbæ ante Imperium *Sacerdotium triplex*, & Vitellius *Sacerdotiis amplissimis auctus*, eodem Suetonio auctore, & de M. Agrippa ac Statilio Tauro Velleius, non obstitisse novitatem generis, *quominus ad complura eveherentur Sacerdotia*. Lib. II. Inde etiam illa exclamatio apud Neronis hujus educatorem, [a] *Cooptatus in Collegium sum, cur in unum?* qui & alibi meminit cujusdam [b] *Sacerdotiorum candidati*. Immo hinc in eodem Neronis Nummo, Patera, Tripus, Simpulum, Lituus ad designanda multiplicia illa Sacerdotia, quod viderunt jam eruditi antiquarii, seu ad declarandum Neronem, ut de Germanico Tacitus, *Auguratu & vetustissimis cæremoniis præditum*. Annal. I. Neque vero frustra additum Ex. S. C. Ab ampliſſimo enim Ordine collati vulgo tituli & honores, quibus vel Augusti, vel eorum liberi & successores ornabantur, maxime ubi iidem erant extra ordinem seu *supra numerum*; aut alioqui nondum per leges capax ejusmodi honorum ætas foret. Ita Marcum Pius *in Collegia Sacerdotum* JUBENTE SENATU recepit, qui etiam octavo ætatis anno in Saliorum Collegium relatus alibi ab eodem Capitolino traditur. Liberæ autem Reipubl. temporibus, facta etiam nonnunquam ætatis gratia in cooptandis Sacerdotibus; sicut inter Neronis hujus Majores *Cn. Domitius Ænobarbus oppido adolescens* SACERDOS *lectus* apud Liviumlegitur; & J. Cæsar Flamen Dialis annorum XVII destinatus apud Suetonium. Rarissime tamen illud olim factum aperte innuit alicubi idem Livius, *Augur T. Sempronius Gracchus admodum adolescens, quod tunc* PERRARUM IN MANDANDIS SACERDOTIIS *erat*. Quamquam solis interdum pueris delata quarundam Gentium in-

[a] Senec. de Ira l. III. c. 31.
[b] De Benef. l. IV. c. 28.
In M. Aurelio.
Lib. XLIII. c. 28.
Lib. XXIX. c. 38.

stitutis Sacerdotia; unde priscis temporibus apud Achivos Sacerdotium Jovis, Puero forma præstanti creditum, cui pubescenti alius succedebat, ut observat
In Achaicis. Pausanias; & apud Thebanos pueri forma egregii creati Sacerdotes annui, sicut alibi etiam refert idem au-
In Bœoticis. ctor. Haud aliter nempe ac Elagabalus adhuc juvenis, *pulchritudine ac statura & Sacerdotio conspicuus* à Capito-
In Macrino. lino traditur; & quod firmant ejus Nummi, in quibus præter signatos ejus vultus, occurrit inscriptus SACERDOS DEI SOLIS ELAGABALI. Ad ea vero Nobilissimorum Cæsarum Sacerdotia referendi quoque ii Nummi, in quibus visuntur Instrumenta Sacerdotalia, & inscr. puta SEVERI PII AUG. FIL. qui explicandi scilicet de Severi liberis Caracalla & Geta in Sacerdotalia id genus Collegia pro more cooptatis. Propria certe jam olim Nobilium Sacerdotia apud Romanos; unde Sacerdotes de plebe adlegi ægrius tu-
Lib. x. c. 6. lisse Patres Livius refert, quam cum Consulatum vul-
Lib. 11. gari viderent; & *Nobilissimi ac Sacerdotes viri* conjuncti alicubi apud Velleium; & *nobiles adolescentuli avitis ac*
Hist. 1. 77. *paternis Sacerdotiis* ab Othone ornati, Tacito auctore; & Commodus, ut paullo ante videbamus, *Pontifex*
L. x. Ep. 61. *Nobilissimus* dictus in veteri lapide; & apud Symmachum, juxta antiqui moris vestigia, *decrevit nobilibus Sacerdotia.*

2. *De Appellationibus Primi Fastigii.*

Primi autem Fastigii appellationes aliæ communes singulis Imperatoribus, aliæ propriæ ac peculiares quibusdam, in eorum Nummis occurrunt. Priores illas rursus ita apud Dionem distinctas nosti, ut quædam successionis aut splendoris essent vocabula, sicut CÆSARIS AUGUSTI, PATRIS PATRIÆ, PII, FELICIS; alia insignia dignitatis ac potentiæ, ut IMPERATORIS, CONSULIS, PROCONSULIS, PON-

PONTIFICIS MAXIMI, TRIBUNITIÆ POTESTATIS, nonnunquam CENSORIS, & labente imperio DOMINI appellationes. Omnes autem illas, (si postremum demas) ab Augusto aut repertas, aut renovatas, aut cæteroquin ex civili usu Reip. desumptas, ad ejus Successores transiisse omnium clarissime docent superstites eorum nummi. Ex quibus etiam percipias non solum totam honorum id genus congeriem, sed discrimina insuper & gradus, quibus iidem solebant conferri. Notum enim decreto Senatus, & per quædam temporum intervalla, titulos illos Imperatoribus delatos; donec postea tandem vel Universos Cæsares ipsi usurparent, non exspectato Senatus decreto, vel iidem uno Senatusconsulto ab amplissimo ordine iis deferrentur. Prioris moris exemplum invexit Elagabalus, de quo refert Dio, eum occiso Macri- Lib. LXXIX.
no, in Epistola ad S. P. Q. Romanum scripta, *Imperatoris*, *Cæsaris*, *Antonini Filii*, *Pii*, *Felicis*, *Augusti*, *Proconsulis*, *Tribunitiæ Potestatis* nomina necdum sibi decreta priorem occupasse. Neque vero dissimile jam olim, quamquam serius Caii Imperatoris factum; qui omnia principatus vocabula tanto tempore Augusto singulatim decreta, quorum nonnulla recusavit Tiberius, uno die arripuisse, ab eodem Dione traditur, tantum *Pa-* Lib. LIX.
tris nomine aliquandiu dilato. Posterior in Alexandro Severo illius successore à Senatu inductus, juxta Lampridium; qui eundem refert *Augusti* & *Patris Patriæ* nomen ac reliqua potestatum nomina deferente Senatu uno die adsumsisse. Cujus moris ut insoliti causas idem tradit, studium Senatus, ut militibus creandi Principem occasionem adimeret, & communem Populi præterea ac Senatus in eundem Alexandrum propensionem. *Hac igitur causa*, inquit, *festinatum est, ut omnia*

simul Alexander quasi Vetus Imperator acciperet, & paullo post, *Certatim denique omnia decreta sunt & Nominum genera & Potestatum.* PRIMUS *denique omnium cuncta insignia & honorificentiæ genera simul recepit.* Quamquam & simile quid jam olim in Vitellio, sed absente & plerosque illos honorum titulos recusante, repertum. Tacitus, *In Senatu cuncta longis aliorum principatibus composita statim decernuntur.* Accedit enim hic observatio alterius moris, quo vel cautela vel moderatione nonnullorum Principum, aut aliqui honores ex iis plane rejecti, aut alii ab iisdem serius sunt admissi. Quæ omnia commode possunt ex iisdem Nummis intelligi.

Hist. II. 55.

De Titulis CÆSARIS *& Augusti.*

CÆSARIS quidem ad declarandam dignitatis, si non generis successionem, servata ab Imperatoribus nomenclatio, à qua Vitellium tamen abstinuisse, patet ex ejusdem Nummis vulgo inscriptis, A. VITELLIUS GERMANICUS IMP. ut vere adsertum sit à Suetonio, *Vitellius Germanici cognomen recepit, Augusti distulit,* CÆSARIS *in perpetuum recusavit.* Undè rariores statuendi ii Nummi Vitelliani, qualem & infra etiam divulgamus, qui adsumptum serius AUGUSTI cognomen præferunt. At vero *Cæsarem* dici tandem eum voluisse, quo superstitione nominis inclinatam fortunam erigeret, sed sero nimis, & irrito conatu apud Tacitum legas. Neque certe notius aliud extra fines Romani Imperii, aut nobilius Romanorum Principum vocabulum, & quo proinde eosdem Persis vocari solitos tradit Procopius, ubi Legatos Cosrois ad Belisarium de Justiniano querentes inducit, ὅτι ὁ ΚΑΙΣΑΡ, ἔτω γὰρ τὸν Ῥωμαίων καλοῦσι βασιλέα Πέρσαι, *quod* CÆSAR, *ita enim Romanorum Imperatorem vocant Persæ*; non *Augustum* Scilicet aut *Imperatorem.* Quo etiam respexisse videtur Justinianus, ita hujus nominis prærogativam,

Hist. III. 58.

Bell. Persic. l. II. c. 21.

præ

præ aliis principatus vocabulis alicubi extollens, *quæ causa apud omnes terræ populos nominatissimum* CÆSARIS *nomen est, & nos præter omnes alias Imperatoriæ majestatis notas eo gloriamur.* AUGUSTI vero à priori illo Augusto recepta denominatio, novo & ampliori cognomine quam *Romuli*; quod tamen illum vehementer ambiviſſe auctor eſt Dio. Religioſam enim AUGUSTI appellationem, & vi illius nominis vivos quaſi & videntes Cæſares conſecratos præter Tranquillum aut Dionem, manifeſte Appianus refert; ut ſcilicet jam tum, quod de eadem ait Florus, *dum colit terras ipſo nomine & titulo conſecraretur.* Certe à Græcis dictum videas, σεβασμὸν τυγχάνειν, pro *conſecrari*, ut aliquoties apud Diodorum, qui & τῶν σεβασμὸν τυγχανόντων ζώων, ſeu *de conſecratis beſtiis*, apud Ægyptios mentionem facit. Inde etiam Σεβαστικὴ ſeu religioſæ contemplationi addicti inter diſcipulos Pythagoræ, ut in libro Anonymi de vita hujus Philoſophi apud Photium legas. Hinc eadem AUGUSTI appellatio in nummis Cæſarum retenta, ut proprium inſigne ſummi faſtigii; unde & *ſuperior poteſtas*, & alibi *Auguſtum culmen* vocatur Ammiano, Græcis paſſim μεγάλη vel μείζω σεμνοτέρα; Libanio μείζω τάξις; μείζω θρόνος; ὑπερτέρων; κορυφὴ τῆς ἐξουσίας; Euſebio in vita Conſtantini μέγιστον τῆς ἀνωτάτω βασιλείας σύμβολον, alibi ἀνωτέλεσμα δὲ Ῥωμαίοις τιμὴ (quo tamen nomine τιμῆς τῆς ἀνωτάτω, *Patritiatum* vocat alicubi Procopius) quibus ſingulis appellationibus unum AUGUSTI nomen deſignatur. Ut videas jam, cur non ſolum conjuncta vox eadem cum reliquis poteſtatum nominibus, ſed ſola etiam iiſdem omiſſis occurrat in multis Imperatorum nummis; nempe CÆSAR AUGUSTUS, & illius exemplo, HADRIANUS AUGUSTUS; M. AURELIUS AUGUSTUS; ANTO-

Præf. Nov. 30.

Lib. LIII.

Lib. I. Bell. Civil.

Lib. I.

Orat. Fun. Jul. & in Baſilic. III.

L. IV. c. 68.

Bell. Vandal. l. II. c. 6.

NINUS AUGUSTUS de Caracalla; GALLIENUS AUGUSTUS, & ita in aliis. Neque frustra proinde de hac appellatione ab Augusto ad successores transmissa Chrysostomus, καὶ ποσὸν ἐλαμβήνη ὁ ἀνὴρ, ὡς καὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ γενέσθαι σεμνότητος καὶ ἀξιώματος· *ac in tantum vir ille cultus est, ut nomen ejus fieret appellatio dignitatis.* Unde non leviter errat vir doctus, qui illud *Augusti* cognomen, à Tiberio, Caio, Nerone, Galba, Trajano, aliisque rejectum putat; à Pio vero, M. Aurelio, Pertinace primum admissum, ANTONINI nomine postea in ejusdem locum suffecto omissum; post Maximinum vero denuo renovatum scribit; à cujus temporibus scilicet Imperatores AUGUSTI non ANTONINI dicti sint. Mira hæc omnia in eo Viro, qui ex professo de Imperatorum titulis ac dignitate commentabatur, & qui prisca Nummorum Lapidumve monumenta debebat hic ante omnia consulere. In iis enim videre potuisset promiscue ab Imperatoribus post Augustum (ἀρχὴν & πηγὴν τῶν σεβασμῶν, & τῶν σεβαστῶν ἡμῶν, ut Philoni vocatur) id cognomen AUGUSTI adsumptum, ne Tiberio quidem excepto, de quo tamen Tranquillus refert eum AUGUSTI nomen licet hæreditarium nullis nisi ad Reges aut Dynastas Epistolis addidisse. At neque solum AUGUSTI FIL. passim in ejusdem nummis describitur, sed aliquoties etiam AUGUSTUS, ut in aliquot nummis aureis aliisque. TI. DIVI. F. AUGUSTUS. Unde præter alios Cæsares, à Flaviis, Nerva item, Trajano, Hadriano, jam ante Antoninum Pium, & post Pertinacem ab omnibus Antoninis, aliisque ante & post Maximinum, passim receptum illius usum deprehendas, neque disjunctum ab *Antonini* nomine. Utriusque enim diversa hic ratio; istud vice gentilis nominis, Caracallæ, Elaga-

Homil. III. p. 718. T. V.

J. Cæsar Buleng.

Legat. ad Caium.

lagabalo aliisque usurpatum, prius vero delatum ut hæreditarium supremi fastigii cognomentum. Neque enim apud Dionem, Caligulam AUGUSTI, sed JUVENIS AUGUSTI appellationem sibi delatam in contumeliæ argumentum vertisse, ejusdem Cæsaris Nummi cum *Augusti* titulo satis probant. Itaque neque Galbam & Trajanum ob adsumptum Cæsaris titulum, juxta Tranquillum & Dionem, ideo altero AUGUSTI caruisse, signata utriusque vocabuli in eorum nummis memoria sinit dubitare. Dilatum quidem illud AUGUSTI nomen à Vitellio videas, ut paullo ante è Tranquillo audivimus, nec longam tamen ejus rei moram agnoscas ex ejusdem Nummis, qui sine hoc titulo & cum eodem prostant. Primus nempe hic honoris gradus electis Imperatoribus à Senatu deferri solitus, ut constat ex innumeris locis Historiæ Augustæ, & cum aliis Majestatis insignibus, tum labente imperio, usu peculiaris Diadematis, ab inferiori Cæsarum fastigio distinctus. Perspicue hoc discrimen notat Ammianus, qui Juliano Cæsari à militibus in nomen & dignitatem Augusti adsumpto, loco Diadematis frustra quæsiti, Torquem capiti ejus impositum refert, ut *coronatus saltem speciem haberet obscuram superioris potestatis*. Haud aliter nempe ac Hypatio per seditionem Imperatori renuntiato, Torquem itidem penuria Diadematis impositum apud Procopium legas. Quod autem ad eum Ammiani locum observat Vir doctissimus, & adductis similibus Juliani ac Libanii locis illustrat, habitum Diadema inter insignia Augusti fastigii, nec Cæsaribus concessum, id certe clarissime tradentem videas Chrysostomum, de hoc ipso Juliano, & fratre ejus Gallo Cæsaribus renuntiatis alicubi verba faciem, καὶ δέχεται ΧΩΡΙΣ ΤΟΥ ΔΙΑΔΗΜΑΤΟΣ τὸν Βασι-

Lib. LIX.

Lib. XX.

Bell. Pers. l. 1. c. 24.

Orat. LXIV. in S. Babyl. T. v. p. 459. ed. Savil.

βασίλειον ἄτερ, τοσοῦτον γὰρ καὶ τὸ ἀδελφοῦ τοῦ τετελευτηκότος ἐξουσίας τὸ μέτρον ἦν; *& accepit ille* SINE DIADEMATE *principatum; hæc enim poteſtatis illius, & quam habuerat frater ejus defunctus, menſura quædam erat.* Hinc idem Julianus apud Philoſtorgium dicitur fuiſſe in habitu Cæſaris per quinquennium, ἐν ᾗ τῷ διαδήματι poſt Conſtantium, hoc eſt, in *Auguſto faſtigio*, duo cum dimidio. Neque aliter Zozimus, Diadema περιστόμιον vocat Imperatoriæ dignitatis, ac inter Auguſtæ poteſtatis inſignia, Cæſaribus vero inconceſſum. Quibus addi poteſt ex eodem Philoſtorgio, Conſtantinæ Conſtantini filiæ exemplum, quæ à Patre Diademate ſimul & nomine Auguſtæ decorata legitur. Hæc vero & quæ aliunde congeri adhuc poſſent clariſſima illius moris teſtimonia, non parum rurſus turbare video alia Auctorum loca, in quibus Coronæ ſeu Diadematis Cæſarum injectam mentionem reperias. Ita Claudianus de Honorio Cæſare necdum Auguſto à Theodoſio renuntiato,

Hiſt. Eccl. Lvii. c. 15.

Lib. iii.

Lib. iv. cap. 1.

Et ſacro meritos ornat Diademate crines.

De iii. Conſ. Honor.

Illuſtris quoque ea de re locus apud Nicephorum Bryennium, qui ubi parenti ſuo Bryennio oblatam à Botoniate Cæſaris dignitatem refert, κακεῖσε, inquit, τὰ δ' ὑιοθεσίας ἔθη τοῖς Καίσαρσι γενέσθαι, καὶ τῷ στεφάνῳ πενιωθῆναι συνήθως, *inde ſolita adoptionis in Cæſarum renuntiatione uſurpata, & Corona pro more redimiri.* Quæ ita videntur concilianda, ut ſtatuamus proprium fuiſſe Auguſtorum inſigne, Diadema illud ſeu Coronam auream gemmis contextam, quam πενίαν τὴν χρυσῆν, aut λιθοκόλλητον πενίαν, vel ἐκ λίθων στέφανον, & βασιλικὴν πενίωμα vocarunt Græci, Themiſtius etiam στέφανον χρυσοῦν ἀπέφθε, quod male per *Corona auri obryzi* expreſſit Petavius, ut liquere poteſt ex iis quæ ad Juliani Cæſa-

Lib. iv. cap. 3.

Orat. xiii.

res

res olim notavimus. Eandem Gemmatam Coronam ita describit alicubi Chrysostomus, ὡς καθάπερ τὸ στέφανον πλέκων χρυσοῦν εἶτα μαργαρίτας ἐνιδεὶς τῇ πυκνότητι τοὺς λίθους λαμπρότερον ἐργάζεται τὸ διάδημα, *& sicut aliquis Coronam plectens auream, dein gemmas apponens, lapidum frequentia splendidius efficit Diadema.* Ita de Juliano recusante dignitatem Augusti Libanius, φύγοντος τὴν ταινίαν τὴν χρυσῆν, *defugientis Coronam auream.* Hinc inter Officia Domus Augustæ, AB AURO GEMMATO legas in lapidibus aliquot antiquis. De illo itaque Diademate seu aurea & gemmata Corona intelligenda ea Auctorum loca, quæ Diadema aut Coronam soli Augusto fastigio vindicant. Neque tamen statuendum successu temporis, omni Corona aut Diademate Cæsares ita dictos caruisse, sed habuisse eosdem quod minoris esset pretii ac splendoris, sicut etiam in Byzantinis monumentis legisse memini. Constantio certe parenti Constantini, adhuc Cæsari diadema illi fastigio peculiare tribuit diserte Eusebius, τὸ μὲν καπρχὰς τῷ τῶν αὐτοκρατόρων ΚΑΙΣΑΡΩΝ ΔΙΑΔΗΜΑΤΙ λαμπρωύμενον, *qui initio quidem* CÆSARUM DIADEMATE *decoratus.* Laurea etiam adhuc redimita frequenter Cæsarum capita, sicut Crispum & Constantinum Juniorem Cæsares illo habitu videas depictos in sequenti nummo aureo Gazæ Palatinæ.

Orat. LXXVII. in S. Melet. T. v. p. 337.

Orat. Fun. in Julian.

Thes. DLXXXII. 5.

Lib. 1. de Vit. Const. c. 18.

At rursus, ne quid dissimulem, hæc turbant alii Cæsarum id genus Nummi, in quibus iidem sublato omni discrimine cum λιθοκολλήτῳ πεινίᾳ seu Gemmato Diademate, ante & post consequutum nomen Augusti promiscue depinguntur. Ita eundem Crispum, & Constantem adhuc Cæsarem, ornatos gemmato diademate non aliter ac Parentem eorum Constantinum observes in sequentibus Nummis.

Eo autem modo solvere licet hunc nodum. Sub Constantino Magno inductus primum loco laureæ solemnis ac ordinarius usus gemmati Diadematis, quo vel per

per aliquot sæcula caruerant Romanorum Imperatores, vel rariſſime uſi conſpiciuntur, qualis omnium primus Caracalla, & poſt eum Elagabalus, Aurelianus, Carinus; quibus illud Diadema nonnunquam frequentatum liquet ex antiquis auctoribus, aut ex rarioribus eorum Nummis, cujus generis aliquot videre licet apud Triſtanum. Errat enim haud leviter Sulpitius Severus, & ex more ſuorum temporum, quod Auctoribus nonnunquam ſolemne, de ſuperioribus ætatibus judicium facit, dum inquit, *A Veſpaſiano, ut mos eſt, Diademate capiti impoſito ab exercitu Imperator conſalutatus.* Admiſſum autem à Conſtantino ritu ordinario Diadema, quod rurſus Nummi ejus arguunt; ita tamen ut cum aliis honorum inſignibus, ejuſdem etiam uſum in filios in partem curarum ac imperii adſumptos derivari pateretur. Certe de Conſtantina filia diſerte id tradentem vidimus Philoſtorgium, Diademate eandem à Patre ornatam; ut minus equidem mirum ſit fratres ejuſdem eo cultu conſpicuos videre in ſuperioribus Nummis. At non continuo quæ patris fuerat in liberos, eadem filii Conſtantii in conſobrinos Gallum & Julianum indulgentia; à quo *Cæſares* quidem renuntiati, ſed *cum modo ac menſura*, nempe χωρὶς τοῦ διαδήματος, *ſine Diademate*, ut diſerte & ſignanter utrumque à Chryſoſtomo notatum audivimus, & quibus pauculis verbis mea ſententia totam rem illam perplexam alias ac implicatam, nobis planam fecit. Ita Diadema Auguſti faſtigii proprium & peculiare manſit inſigne, ut coævi illorum temporum Auctores docent, quibus inde per τὸ διάδημα & χρυσῷ aut λιθοκόλλητον ταινίαν eandem *ſuperiorem poteſtatem* ſeu μεγάλῳ σεμνοτητι dixi-
mus deſignari, aut ſimpliciter etiam χρυσὸν περὶ τῇ κεφα- Epit. Jul.
λῇ, ut de Diademate Juliani Auguſti à militibus re- p. 305.

nuntiati loquitur Libanius, quod (fides penes auctorem) libenter voluisset deponere. Quamquam etiam inter insignia Regia Lazorum Regi à Justiniano juxta morem missa recensetur ab Agathia στέφανος χρυσᾶς λιθοκόλλητος, *Corona aurea gemmata.* Mitto vero hic Ἰουστινιάνειον illud, seu peculiare Justiniani Diadema, quod è musivo opere Ravennæ erexisse illum narrat in Anecdotis Procopius. Cæterum promiscue eadem dignitas Augusti in Nummis, cum ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ, tum ΣΕΒΑΣΤΟΥ nominibus appellatur, ut instar proprii Cæsarum nominis pateat retentam frequenter à Græcis Romanam appellationem. Neque vero demum circa Justiniani tempora vocem Αὐγέστα à Græcis receptam, ut visum quibusdam eruditis, satis arguunt varia Hadriani, Pii, aliorumque Numismata cum eodem cognomine ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ, & quibus adscribendus Juliæ Severi Nummus Musei Seguiniani cum inscr. ΙΟΥΛΙΑ ΑΥΓΟΥCΤΑ. Utramque etiam appellationem conjunxit non semel Eusebius, ut de Constantino Chloro agens, ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ καὶ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ἀνηγορεύετο, & alibi de Filiis Constantini declaratis itidem Augustis, Αὐτοκράτορες ΑΥΓΟΥΣΤΟΙ, ΣΕΒΑΣΤΟΙ, Βασιλεῖς ἀποδείχθησαν, & ita in Codice Justiniani, ἀεὶ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ, inter reliquos Imperatorios titulos. Factum nempe postea, ut ΣΕΒΑΣΤΟΥ novum quoque dignitatis nomen evaderet, à principali fastigio diversum, quod Alexio Comneno & fratri ejus Isaacio à Botoniate tributum narrat Bryennius, ὁ Βασιλεὺς ἐντίμως δεξάμενος, ΣΕΒΑΣΤΟΝ τεῖμησε, *quem Imperator honorifice excipiens,* SEBASTI *titulo decoravit.* Immo accessit augustior adhuc cum ΠΡΩΤΟΣΕΒΑΣΤΟΥ, tum ΠΑΝΤΙΠΕΡΣΕΒΑΣΤΟΥ appellatio, ab eodem fastigio disjuncta, & quam postremam illi

Lib. III. p. 90. ed. Reg.

De Vit. Const. l. I. c. 18.

In Procem. cod.

L. III. c. 28.

illi ipsi Nicephoro Bryennio in generum adscito concessit Imperator Alexius Comnenus, auctore Zonara, τέτῳ τὴ ϑυγατέρα τῶτην καπηγυήσας πέμηκε τὸν ἄνδρα ΠΑΝΤΠΕΡΣΕΒΑΣΤΟΝ. Cæterum ab illa voce ΣΕΒΑΣΤΟΥ pro Imperatorio apice, σεβάζεσθαι dixerunt etiam Græci recentiores, pro AUGUSTUM vel AUGUSTAM *renunciari*; sicut de Eudocia Michaëlis Imperatoris matre loquitur idem Bryennius. Neque vero negotium facessent designati frequenter in Nummis plures *Augusti*, puta AA. vel AAA; pro more scilicet eorum temporum, quibus Acta, Leges, aliaque publica monumenta simul imperantium nomina præferebant: quamquam, ut recte observat Jurisconsultorum hujus ætatis decus Jac. Gothofredus, Leges illæ aut monumenta unum ex his auctorem haberent.

Tom. III. Annal. L. II. c. 18. In Prolegom. Cod. Theod.

IMPERATORIS nomen duplici ratione iisdem Augustis tributum in Nummis videas. Primo, vulgo Prænominis instar ad dignitatem illam innuendam, qua supremum belli & pacis arbitrium in eos collatum, quo sensu πολέμε καὶ εἰρήνης κύριοι vocantur Dioni. Secundo, vice cognomenti, ob rem eorum auspiciis bello præclare gestam, & proinde ob felices ejusmodi successus sæpius in iisdem Nummis repetitum. Prius illud novo more J. Cæsari & filiis ejus ac Nepotibus, quibus tamen carebat, concessum, in Augusto vero postea renovatum nemo nescit; ut nempe Dictatorii aut Regii nominis invidia civili vocabulo minueretur, vis tamen imperii penes eundem resideret. Hinc vere proprii nominis instar, juxta Dionis observationem, liquet illud ab Augustis in eorum nummis usurpatum; non aliter ac eosdem in litteris ad declinandam invidiam non Reges, sed ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑΣ sese indigitasse docet alicubi Synesius. Alioquin Græcis scriptoribus ci-

De Titulo IMPERATORIS. Lib. XLIII. Dio lib. XLIII. & LII. De Regno.

tra ambages Βασιλεῖς eosdem passim vocatos nosti, & dignitatem illam Imperatoriam Βασίλειαν, ut præter recentiorum Auctorum turbam, Herodianus agens de Severo filios suos Imperatores designante, Lib. III. οὗτ' τοὺς υἱεῖς αὐτῷ κοινωνοὺς τῆς ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ καὶ Αὐτοκράτορας ἀπέδειξας. Scilicet ad Diodori mentem, qui Romanam IMPERATORIS vocem per Græcam ΒΑΣΙΛΕΩΣ explicandam docet; Eclog. lib. XXXV. ΙΝΠΕΡΑΤΩΡΑ αὐτὸν ἀναγορεύειν καὶ ἀποκαλεῖν, ὅ ἐστι ΒΑΣΙΛΕΑ. Hinc etiam in veteri Tabula Paschali Bibliothecæ Vaticanæ, mentio fit ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ, *Regni* nempe seu *Imperii* Alexandri Severi. Unde etiam Monarchia dicta nonnunquam Cæsarum dominatio, ut Juliano Cæsari in Orationibus, & pridem Aristidi, Orat. de Rom. qui eandem perfectissimam Monarchiam vocat Regia potestate majorem. Inde quoque Imperatores citra ambages *Reges* & Augustæ *Reginæ* passim apud Poëtas, & imperare *regnare*, ut apud Lucanum, *Cæsaribus regnare vacet*, & apud Claudianum aliquoties, de Maria Honorii Conjuge,

Epithal. Honor. *Magnorum soboles Regum, parituraque Reges,*

item alibi,

De Mall. Theod. Cons. —— *oracula Regis*
Eloquio crevere tuo.

Et jam olim de Domitiano Papinius, Sylv. l. IV. I.

—— *longumque tibi Rex magne juventam.*

Sic *Imperatori Populo* legas apud Tacitum, quem *Populum late Regem* dixit Maro. Ita præter Poëtas sequiori ævo Latinis Scriptoribus *Reges* vocati nonnunquam iidem Imperatores, ut Orosio, & eorum imperium *Regnum*, ut Theodoricus scribens ad Imperatorem Anastasium, Cassiod. Var. l. I. *Regnum vestrum, imitatio vestra*; sicut & jam olim Tertullianus, De Virginib. Veland. c. 17. *Ait Romana quædam Regina.* Immo

hinc

hinc etiam μεγάλης Βασιλέως appellationem iisdem Augustis quandoque à Scriptoribus tributam supra vidimus, & Diocletianum πρεσβύτερον Βασιλέα, seu *seniorem Imperatorem* ab Eusebio pro more illorum temporum nuncupatum. Neque ideo probandi Græcorum Scriptorum Interpretes, qui Βασιλεῖς & Βασιλίδας vulgo *Reges* & *Reginas* passim vertunt, ubi de Romanorum Imperatoribus vel Augustis occurrit mentio, & ita lectorem incautum alio traducunt, ut Interpres Philostrati, cui Γαλλιανῆς Βασιλὶς quædam *Julia Regina* vocatur, quo nomine viro docto imposuit; quæ tamen non alia ibi, quam Julia Augusta Severi conjunx. Roma quoque Βασιλὶς vel Βασιλὶς πόλεως nomine pridem apud Herodianum, Eusebium, aliosque passim designata; & in præclaris Marmoribus nuper in urbe effossis, ΕΝ ΤΗ ΒΑΣΙΛΙΔΙ ΡΩΜΗ, quemadmodum postea ejus exemplo altera Roma iisdem nominibus adfecta, quæ obvia apud Byzantinæ Historiæ conditores; ac in Latinis etiam Chronicis, Victoris puta Tununensis, aut Marcellini Comitis, *Urbs Regia*, & *Urbs Augusta* frequenter, quibus vulgo Constantinopolim designant. Alias capita Provinciarum dicta etiam Αὐτοκρατορίδες, sicut Sepphorim Γαλιλαίας πάντὸς Αὐτοκρατορίδα vocat alicubi Josephus, cujus urbis nomen, ut obiter hoc addam, corrupte aliquoties apud eum legitur, Σέμφωρις nempe pro Σέπφωρις, ut recte præferunt alia loca, & firmant nummi illius urbis haud passim obvii, cum inscript. ΣΕΠΦΩΡΗΝΩΝ. Neque vero illud prætereundum, utrumque cum ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ, tum ΒΑΣΙΛΕΩΣ vocabulum, non cum Augustis solum, sed cum Cæsaribus etiam seu designatis hæredibus communicatum. Prioris seu Imperatorii nominis fidem facit Eusebius agens de Constantio adhuc Cæsare, cujus

Orig. lib. XVIII. c. 3.

In Gaza Reg. Galliarum.

De Vit. Const. l. 1. c. 18.

jus locum jam occupavit vir doctus. Ita Ammianus de Juliano Cæsare adsumpto à Constantio, *Imperatorem appellans clementem & faustum*, alibi *imperatorii muneris fulgore flagrantem*. Similem vero alterius vocis usum apud eundem Eusebium observo, ubi Constantinus, ad Crispum filium Nobilissimum Cæsarem scribens, παιδὶ Κρίσπῳ ΒΑΣΙΛΕΙ φιλανθρωποτάτῳ, *Filio Crispo* CÆSARI *clementissimo*, ut recte hunc locum expressit Cl. Valesius. Ita Cæsaris dignitas in Gallum Juliani fratrem à Constantio collata, Βασιλέως nomine Gregorio Theologo designata, ἐπεὶ δὲ τὸ μὲν ἀδελφὸν ἡ φιλανθρωπία ἐκ καίσαρος ἀπεδείκνυσι ΒΑΣΙΛΕΑ, & eadem potestas nomine Βασιλείας eidem in sequentibus dicta. Nec aliter Procopius de Justiniano Cæsare renuntiato, ἀνεῖπον γὰρ αὐτὸν ΒΑΣΙΛΕΑ. Unde frequenter apud eosdem Byzantinos scriptores, Cæsares dicuntur Augustis συμβασιλεύειν, quod *conregnare* vocat Sulpitius Severus. Conjunctam alias ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ appellationem Orientis Regibus haud insuetam, & à Tryphone Diodoto ac Tigrane Armenio adsumptam, supra vidimus ex duobus eorum Nummis. Cæterum ut AUGUSTI, ita IMPERATORUM quoque nomen priscis Galliæ Regibus, à Byzantinis Imperatoribus interdum communicatum, ut Clodovæo ab Anastasio, ex veteribus chartis aliisque coævis monumentis observarunt jam viri docti, ac inter alios laudatus paullo ante Jac. Gottofredus in erudita Diatriba de jure Præcedentiæ. Illud vero insuper circa hunc Titulum Imperatorium è Nummis observandum: Primo, neque prænomen illud à J. Cæsare in nummis receptum, nec ab Augusti successoribus Tiberio, Caio, Claudio etiam, nisi rarius in iisdem admissum, ut de Tiberio & Claudio constat adseruisse Suetonium,

Lib. XV.

Hist. Eccl. l. x. c. 9.

Orat. 1. in Jul.

In Hist. Aman.

tonium, illos à Prænomine IMPERATORIS abstinuisse. Equidem in magna nummorum copia qui supersunt eorundem Principum, vix semel tributum illis videas. Unde etiam eorum exemplo, neglectum liquet eundem titulum ab aliis Cæsaribus, ut Severo, Caracalla, Gallieno, aliisque, quorum Nummi frequentius carent eo prænomine, donec à Constantinopolitanis Imperatoribus plane omissum observes itidem in eorum nummis, exceptis forte aliquot Juliani æreis, in quibus solitum antea illud IMP. nomen adhuc hodie legitur. Justinianum certe notat Agathias primum è Byzantinis Cæsaribus, *Romanorum Imperatorem* dictum, καὶ πρῶτον ὡς εἰπεῖν, ἐν τοῖς ἔτι τὸ Βυζάντιον βεβασιλεύκοσι Ῥωμαίων ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ὀνόματί τε καὶ πράγματι ἀποδέδεικτο. Secundo, idem non perpetuo Prænominis, sed etiam vice Cognomenti quandoque à prioribus Cæsaribus usurpatum, ut ex plurimis Neronis, Galbæ & Vitellii Nummis liquet, sicut SER. GALBA IMP. CÆS. AUG. Tertio pro Prænomine, non ab Augustis solum, sed etiam à M. Antonio Triumviro adscitum in aliquot ejus Nummis, IMP. ANTONIUS AUG. *Augur* nempe non *Augustus*; quum alias in ejusdem & Pompeii, Bruti, Cassii aliorumque denariis postponi soleat, in quibus nempe pro imperio militari aut rei feliciter gestæ præmio usurpatur. Posterioris vero hujus appellationis usum, petitum ex veteri more Reip. & acclamationibus militum, non aliunde certius quam ex Nummis aut lapidibus disces, ita frequenter in iis repetitum legitur id cognomentum. De Augusto id jam olim notavit Dio, cujus locus levi emendatione indiget, ἐκείνην γὰρ πολλάκις μὲν καὶ πρότερον πολλάκις καὶ ὕστερον ἀπ' αὐτῶν ἔργων ἔλαβεν, ὥστε ἓν καὶ εἴκοσιν ὄνομα ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ σχεῖν. *Hanc* L. v. p. 157. Lib. III.

etiam (Imperatoris appellationem) *sæpius & antea & postmodum ex ipsis rebus à se gestis reportavit, semel & vicies* IMPERATOR *dictus.* Ita enim emendari & explicari debent illa verba levi trajectione, ὥστε ἐν καὶ εἴκοσιν, *ut* XXI. *Imp.* nomen retulerit, non vero ἐν εἴκοσιν *vicies*, ut male legit & vertit Xylander, pejus autem vir doctus illius corrector, qui de *imaginibus* Imperatoris verba illa in margine & in adnotatis ad Dionem sumenda contendit. Nec accedo doctissimo Casaubono, quem deprehendi postea ad Suetonium legentem hoc loco ἐν ἔτεσι, ut subaudiatur vox ἔργοις paullo ante adscripta, *in viginti* nempe *gestis* aut victoriis. Perspicue cum Dione Tacitus de eodem Augusto, *Nomen Imperatoris semel atque vicies partum*, & cum utroque Nummi, in quibus IMP. XXI. apud Occonem & Goltzium descriptus legitur, ne de veritate hujus emendationis liceat dubitare. Ita & Caligulam Imperatorem XII. à militibus dictum, & Titum XV. in utriusque vita observat Dio. Prior tamen in Nummis Imp. II. vocatus tantum legitur, quod ideo factum crederem, quia ærea Caii numismata post ejus mortem Senatusconsulto conflari jussa; unde mutila hac in parte Caii in iisdem historia. Posterior vero non XV. solum, sed etiam XVII. Imp. in ejusdem Nummis traditur. Parabant nempe Cæsaribus, ut notum, has crebras appellationes eorum Duces & Legati; ita ut alios honores victoribus relinqueret, titulum vero Imperatoris Cæsar referret, ob res nempe suis auspiciis gestas. Hinc apud Dionem legas, M. Crassum devictis Dacis, alia quidem præmia consequutum, non autem eundem Imperatorem salutatum, sed Augustum, quod aliter nonnulli tradiderant; & alibi M. Vinicium Augusto idem nomen paravisse observat Blæso; tamen & *postremum* quidem eandem Impera-

Annal. I.

Lib. LIX. & LXVI.

Lib. LI.

Lib. LV.

peratoris appellationem relictam à Tiberio Tacitus auctor est; quod nihilominus aliis etiam concessum subsequutis Cæsaribus haud male ex Appiano colligit magnus Casaubonus. Omnino vero notandum hoc loco, quod de more hujus appellationis idem Dio in Claudio tradidit; eum ob res gestas in Britannia aliquoties Imperatorem salutatum, contra patrium morem, quo non sæpius, sed semel tantum id nomen poterat de uno bello reportari, ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ πολλάκις ἐπωνομάσθη ὥσθ' τὸ πάτριον, ὃ γὰρ ἐξὸν ἐν ἑνὶ πολέμῳ ἢ ἅπαξ, οὐκ ἐξ αὐτοῦ πολέμου ἢ ἐπίκλησιν ταύτην λαβεῖν· *ob hæc aliquoties* IMPERATOR *dictus est præter morem Romanorum; neque enim sæpius quam semel licet uno de bello id nomen adsumere.* Unde intelligimus, quo titulo ac jure Imperator toties, nempe XXVII. vocetur in Nummis Claudius, & inducti ab eo moris imitationem ad alios quoque transiisse. Annal. III. 74. Lib. IX.

PONTIFICIS MAXIMI nota ex iisdem Nummis appellatio, qua supremam Sacrorum & Religionum curam in se transtulerunt Cæsares. Hinc ab Augusto ad Gratianum usque Imperatorem transiit usus hujus appellationis, ut docent Lapides, & adnotavit jam ante eminentissimus Annalium Scriptor. Nonnulli vero serius eandem, ut à Justino retentam volunt, cujus extat inscriptio cum verbis PONT. MAX. in quibus tamen non *Pontificem*, sed *Ponticum Maximum* legendum monuit nuper eruditissimus Reinesius. Conjuncta vero in Cæsarum Nummis Principatus & Sacerdotii jura ea ratione, qua Reges Lacedæmoniorum dicti jam olim Xenophonti, rerum divinarum respectu Sacerdotes, humanarum vero Imperatores; aut qua quosdam Duumviros & Sacerdotes vocatos legimus nonnunquam in priscis monumentis. Tales nem- *De Titulo* PONTIFICIS MAXIMI *& Adfinibus.* De Lacedæm. Rep.

pe Sacerdotes Duumvirales in Codice Theodosiano, & in Actis Cæciliani, Didymus quidam SACERDOS Jovis Optimi Maximi, & simul Duumvir Coloniæ Carthaginensium, quem locum adtulit ad Eusebium Cl. Valesius. Quo spectat præclara inscriptio cujusdam Gnæi Munatii, in qua dicitur inter alia, MUNICIPI FLAMEN PERPETUUS DUUMVIRALI POTESTATE. Unde factum ut Romanorum exemplo, nonnisi functos supremis Magistratibus ΑΡΧΙΕΡΕΙΣ seu Provinciarum Sacerdotes creasse legatur apud Eusebium Maximinus. Quare etiam iidem ΑΣΙΑΡΧΑΙ & ΑΡΧΙΕΡΕΙΣ seu Asiæ Principes & Sacerdotes occurrunt apud eosdem Gentiles; ut cum aliunde, tum ex aurea Epistola Smyrnæorum liquet de Polycarpi Martyrio, in qua illud Sanctissimus Præsul passus legitur ὅτι Ἀρχιερέως Φιλίππου, quem paullo ante Ἀσιάρχην vocant iidem Smyrnæi, ne de muneris communione possis dubitare. Egregie vero id illustrat præclara Nummi inscriptio sub Antonino Pio percussi, qui utramque appellationem uni etiam eidemque tribuit, ΠΡΟ. ΦΡΟΝΤΩΝΟΣ ΑΣΙΑΡΧΟΥ ΚΑΙ ΑΡΧΙΕ. ΓΙ. ΠΟΛΕΩΝ ΚΟΙΝ. *Frontone Asiarcha & Sacerdote* XIII. *Civitatum Communis* Asiæ; numeralibus nempe litteris ΓΙ pro ΙΓ transpositis, obvio more seu τρισκαίδεκα, sicut itidem in sequenti nummo Laodicensium ΣΑ. ΕΥΤΥΧΟΥΣ ΑΡΧΙΕ. ΓΙ ΠΟΛ. *Samio Eutyche Sacerdote* XIII. *Civitatum*, ex quibus nempe constabat Commune Asiæ, ut aliunde liquet, & qua de re alibi. De simili vero *Asiæ Sacerdotio* occurrit aliquoties mentio in libris Jurisconsultorum, ut quod sponte illud iterare nemo prohibeatur; aut in *Asia Sacerdotium Provinciæ* suscipere non cogantur numero liberorum quinque subnixi. Nec pauci alioquin occurrunt antiqui Græcorum Nummi, qui

Thes. Grut. ccccxxxix. 5.

Hist. Eccl. l. VII. c. 14.

In Cimel. Mediceo.

L. 17. D. de Mun. & honor.

L. 8. D. de vacat. & excus.

qui ſicut Pontificia Cæſarum dignitate cum aliis Imperatoriis titulis; ita in averſa parte illo aut *Aſiarchæ* aut *Sacerdotis* nomine quaſi loci Præſidibus conceſſo nonnunquam ſignantur. Poſteriorem præfert Nummus Cianorum Bithyniæ oppidi ſub Domitiano cuſus, ΕΠΙ ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ ΚΛΑΥ. ΒΙΑΝΤΟΣ ΚΙΑ. *Sub Pontifice Claudio Biante, Cianorum.* Accedit alius Apameæ percuſſus, ΕΠ. Μ. ΑΥΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΑΡΧΙ. ΑΠΑΜΕΩΝ, *ſub M. Aurelio Alexandro Pontifice Apamenſium.* Præter vero præclaros hos Nummos ineditos, referri etiam huc debet inſcriptio alterius Nummi, Hephæſtionis nempe Daldianorum, quam videre licet in rebus Severi apud Triſtanum. Ita haud abſimili ratione, ΑΣΙΑΡΧΟΥ mentio aliquoties in geminis Nummis, ut Cyzicenorum, ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΝΕΟΚΟΡΩΝ, ΕΠΙ Μ. Λ. ΑΥΡΕΛΙΟΥ ΑΣΙΑΡΧΟΥ, *Cyzicenorum Neocoron ſub M. L. Aurelio Aſiarcha.* Sic alius Smyrnæorum, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑΣΙΑΣ, *Smyrnæorum Primorum Aſiæ*, in altera autem parte ΕΠ. Μ. ΑΥΡ. ΤΕΡΤΙΟΥ ΑΣΙΑΡΧΟΥ, *Sub M. Aurelio Tertio Aſiarcha*, & cujus Aſiarchæ nomen notavi itidem in nummo Regiæ Gallorum Gazæ, inſcr. ΤΕΡΤΙΟΥ ΑΣΙΑΡΧΟΥ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. Agnoſcis, ut opinor, apertum horum Nummorum & Epiſtolæ Smyrnæorum conſenſum; Aſiarcharum nempe ac Pontificum ſeu Sacerdotum nominibus, ut ſupremis quibuſdam loci Præſidibus, ſignatam rei geſtæ memoriam; ſicut alias nominibus Conſulum apud Romanos, aut Cæſarum eorundemque Pontificum Maximorum. Ita Amphictyonum & Byzantiorum decreta videas ſignata Sacerdotum nominibus apud Demoſthenem, & apud Joſephum decretum Athenienſium in gratiam Judæorum, ὅτι Πρυτάνεως καὶ Ἱερέως Διονύσου, ſuffragia vero

In Gaza Medicea.

In Gaza Medicea.

In Cimel. Reginæ Chriſtinæ.

Origin. lib. XIV. c. 16.

vero collegisse Dorotheum Ἀ ἐχιερέα. De annis cæteroquin Sacerdotum nominibus signari solitis, apud Nicopolitas puta, Alexandrinos, quibus dictus proinde Sacerdos Augustalis ἔ ἐνιαυτὸ ἄρχων, morem notarunt jam duo viri longe eruditissimi, Casaubonus & Seldenus, ille ad Suetonium, hic ad Marmora Arundelliana. Simile quid de Jovis Olympii Sacerdotibus apud Syracusa-
Lib. XVI. nos observat etiam Diodorus. Juxta autem illius moris vestigia, quo inscripta in Actis publicis Sacerdotum aut Asiarcharum nomina, in Inscriptione donariorum ejusdem Smyrnæ, quæ occurrit in prædictis marmoribus, Ctesyphon quidam ΑΣΙΑΡΧΗΣ vocatur. Iidem nempe apud Asiaticos, cum Ludorum & Publici Concilii totius Communitatis, tum reliquorum Flaminum Præsides quidam & principes habebantur. Unde lux
XIX. 31. etiam non mediocris accedit celebri Actorum loco, ubi occurrit *Asiarcharum* apud Ephesios mentio. Liquet enim ex monumentis modo adlatis, *Asiarchas* id genus non Ephesi solum, ut existimarunt nonnulli, sed modo Cyzici, modo Smyrnæ locum habuisse; ubi nempe communia Asiæ Sacra & publici conventus habebantur, quibus præerant illi Asiarchæ. Secundo, unum videri Asiarcham hoc munus eodem tempore administrasse, quamvis plurium simul Asiarcharum mentio occurrat eodem Actorum loco & tertium aut quartum Asiarcham
Sermon. Sacr. IV. electum se tradat alicubi Aristides. Firmant nempe hic Nummi eandem Cl. Valesii sententiam, quam ex commemorato uno Philippo Asiarcha in Polycarpi martyrio jam ad Eusebium adseruit. Adeo tamen ut statuendum sit omnino, aut per vices hoc munus plures impleviss; aut vero unum Asiarcham ut reliquorum Principem constitutum, à quo petita sit Fastorum & rei gestæ memoria. Ita *Primi* ΑΡΧΙΕΡΕΙΣ in antiquis Nummis interdum

terdum signati, ut Cebessi urbis Lyciæ, ΕΠΙ ΑΥΡ. ΜΑΡΚΟΥ ΑΡΧΙ. ΠΡΩ. ΚΑΒΗΣΣΙΚΩΝ, *sub Aurelio Marco Pontifice Primo Cebessensium*, ni ΠΡΩΤΩΝ potius legendum sit seu *Primorum*, & ita ad *Cebessenses* non ad Pontificem referri debeat, ut ΠΡΩΤΩΝ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ, aliaque gemina. Alioqui *Sacerdos Perpetua & Prima* occurrit aliquoties in antiquis lapidibus. Tertio, non audiendum hic Augustum Interpretem, Constantinum Porphyrogennetam, qui Asiarcham Asiæ Proconsulem interpretatur, & hanc suam explicationem firmat hoc ipso Actorum loco. Neque enim aut alibi, aut in productis Nummis Asiarcha ut Romanus Proconsul, sed ut Præses publici Asiæ conventus & communium Sacrorum producitur. Cæterum in veteri Inscriptione, quam nondum excusserunt viri docti, Antonius quidam Hyacinthus ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ ΑΣΙΑΡΧΗΣ vocatur; ut eosdem habuerint Asiatici & Magistratus præcipuos, & solemnium Gentis Sacrorum Antistites. Unde facile jam adsequimur, cur ἀρχῆς & ἐπαρχίας apud Græcos, & *Præsidis* ac *Præfecturæ* nomine apud veteres Jurisconsultos, seu *Gentium Præsidatus*, eadem Asiarcharum & supremorum Sacerdotum dignitas designetur. Ita nempe conjuncta in iis occurrunt munia Principatus & Sacerdotii, ut iidem illi Principes dicti & Sacerdotes non obscuram Pontificiæ Cæsarum dignitatis imaginem adumbrent, de quibus illo sensu Tacitus, *Nunc Deum munere summum Pontificem etiam summum hominum esse*; Scilicet,

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique Sacerdos;

quod etiam ad Romanorum Imperatores eosdemque Pontifices trahit ibi Servius, *sane majorum hæc erat consuetudo, ut Rex esset etiam Sacerdos, vel Pontifex. Unde hodieque* IMPERATORES *dicimus* PONTIFICES.

Thes. CLXXIV. 8. & CLXXVIII. 8.

Them. Orient. p. 19.

Thes. DXXII. 1.

Ulpian. l. 14. D. de excusat.

Annal. III. 58.

Æneid. III.

Quo

Quo spectant etiam Nummi quidam Elagabali peculiari titulo inscripti, SUMMUS SACERDOS AUG. Illud tamen discrimen hoc observes, quod non perpetua erat Asiarcharum, sicut apud Romanos Pontificis Maximi dignitas, quam perpetuam seu *continuam* (ut Taciti verbo utar de Præfecto urbis perpetuo) Cæsaribus Nummi largiuntur; nec in iis proinde renovari videas, instar Consulatus aut Tribunitiæ potestatis. Notum quippe hoc Sacerdotium fuisse ex eorum numero, quæ non annua erant, aut singulis vel quinquenniis vel decenniis, ut reliqua Augusti imperia, renovabantur, sed ἀΐδιοι, ut Græci eadem vocare solent. Hinc apud Cassiodorum, ubi mentionem injicit perpetui Patritiatus, *credo ad similitudinem* PONTIFICATUS *unde venerat, rem fuisse formatam, qui* SACERDOTIUM *non deponunt, nisi cum vitæ munera derelinquunt.* Ita factum ut exemplo perpetui hujus Pontificatus, alia quoque Sacerdotum Collegia apud Romanos Pontifices suos crearent *assiduos*, ut de iis loqui amat Livius, seu ἀΐδιοι. Tales præter alios illi ΑΡΧΙΕΡΕΙΣ ΔΙΑ ΒΙΟΥ, seu Palæstræ Pontifices, quorum mentio in Inscriptionibus Athleticis Romæ novissime repertis, in ruinis Thermarum Titi. Unde luculentam ex iis ad ipsum lapidem à me nuper cum geminis aliis descriptam, non pigebit hic in Lectoris gratiam divulgare;

Annal. VI. 10.

Var. Lib. VI. cap. 2.

Η ΙΕΡΑ ΞΥΣΤΙΚΗ ΣΥΝΟΔΟΣ ΤΩΝ ΠΕΡΙ ΤΟΝ ΗΡΑΚΛΕΑ ΑΠΟΚΑΤΑΛΥΣΕΩΝ ΕΝ ΤΗ ΒΑΣΙΛΙΔΙ ΡΩΜΗ ΚΑΤΟΙΚΟΥΝΤΩΝ Μ. ΟΥΛΠΙΟΝ ΔΟΜΕΣΤΙΚΟΝ ΔΙΑ ΒΙΟΥ ΞΥΣΤΑΡΧΗΝ ΚΑΙ ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΤΟΥ ΣΥΜΠΑΝΤΟΣ ΞΥΣΤΟΥ ΠΕΡΙΟΔΟΝ ΕΙΚΗΝ ΠΑΡΑΔΟΞΟΝ ΕΠΙ ΒΑΛΑΝΕΙΩΝ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΤΟΝ ΕΑΥΤΩΝ ΠΡΟΣΤΑΤΗΝ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝ ΠΡΕΣΒΥΣΑΝΤΑ ΚΑΙ ΑΙΤΗΣΑΜΕ-

ΣΑΜΕΝΟΝ ΤΟ ΤΕΜΕΝΟΣ ΤΩ ΣΥΜΠΑΝΤΙ ΣΥΣΤΩ ΤΗΝ ΤΕΙΜΗΝ ΑΝΑΘΕΝΤΟΣ Μ. ΜΕΤΤΙΟΥ ΑΜΕΡΙΜΝΟΥ ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΩΝ Α. ΟΥΑΝΝΙΟΥ ΑΓΡΙΠΠΙΑΝΟΥ ΚΑΙ Μ. ΜΕΤΤΙΟΥ ΑΜΕΡΙΜΝΟΥ.

Dedicatum fuit nempe Antonini Pii temporibus præclarum hoc monumentum, ut eruo ex gemina inſcriptione apud Gruterum, in qua itidem occurrit mentio hujus M. Ulpii Domeſtici, & Legationis illius ad Pium nomine Collegii Athletarum ſuſceptæ; quæ Inſcriptio edita miram ex iſta lucem fœneratur. Sed de his alibi ad has ipſas Inſcriptiones. Unum hic notandum, hunc Ulpium Domeſticum univerſæ Palæſtræ Xyſtarcham ſimul & ΑΡΧΙΕΡΕΑ perpetuum vocari, ex eo nempe genere, quos proinde *Sacerdotales Præſides* à Tertulliano dictos videas. *Quid ergo mirum ſi apparatus agonum Idololatria conſpurcat de coronis profanis, de* SACERDOTALIBUS PRÆSIDIBUS, *de Collegiatis Miniſtris.* Munerum nempe ſeu Ludorum editores Flamines vulgo & Sacerdotes, quo reſpexit etiam Canon Concilii Illiberitani, *Flamines qui non immolaverunt ſed* MUNUS *tantum dederunt*, à cujus ſenſu longe utique recedunt docti Hiſpani illius Concilii Interpretes, qui ignoratione obvii illius moris *Munus* ibi explicant de dono, quo ſe à ſacrificandi neceſſitate eximerent. Sicut vero ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΔΙΑ ΒΙΟΥ in ſuperiori Marmore, ita ΙΕΡΕΑ ΔΙΑ ΒΙΟΥ ſeu *Flaminem perpetuum* legas in Nummo quem vulgavit jam olim doctiſſimus Sirmondus; ut nempe illos innuat, qui *Flamines perpetui* vocantur in Codice Theodoſiano, aut cum *Flamines*, tum *Pontifices perpetui* in Marmoribus antiquis. Quales etiam Jovis Ἀιὸς Σίου Sacerdotes apud Mylaſenſes obſervat Strabo; aut Templi apud Arabas Diodorus; aut apud Bur-

Theſ. cccxv. 9. & cccxvi.

De Spectacul.

Can. III.

Lib. XIV.

Lib. III.

L. XXVIII. gundios Sacerdotem omnium Maximum Ammianus; aut non Hebræorum duntaxat Pontificem, de quo id
Lib. XVI. tralatitium, Josephus, sed Herodem etiam perpetuum
Antiq. c. 9. scilicet Agonothetam ab Olympiis declaratum. Immo nec perpetuam solum in eodem Augusto, sed hæreditariam etiam Pontificiam dignitatem reliquorum Cæsarum Nummi satis arguunt; cujus rei gemina exempla suppeditant nonnunquam prisca Gentilium monu-
Lib. XLIV. menta. Unde certe haud male apud Dionem, inter honores à Senatu Jul. Cæsari decretos, ille etiam refertur, ut filius ejus qui nasceretur aut adoptivus, evaderet Pontifex Maximus; qui honos utique ad Hæredem
Lib. III. ejus ac reliquos dein Successores transiit. Ita apud Herodotum mentionem videas Sacerdotis, qui sibi & liberis Sacerdotium petit; quales nempe πατρικὰς aut κατ' γένος ἱερωσύνας, ut eas vocarunt Græci, *paterna ac avita*
In Othone. *Sacerdotia* Suetonius, apud Ægyptios, Rhodios aliosque familiares ex eodem [a] Herodoto, [b] Diodoro præterea ac priscis id genus auctoribus colligas. Hinc etiam in antiquo lapide ΙΕΡΕΥΣ ΔΙΑ ΓΕΝΕΩΣ, & in altera Inscriptione Græca cum priori, quam modo expressimus, reperta, Claudius quidam Rufus successor declaratur proprii Parentis in eodem munere Pontificis universæ Palæstræ, ΟΣ ΚΑΙ ΔΙΑΔΟΧΟΣ ΕΓΕΝΕΤΟ ΤΟΥ ΙΔΙΟΥ ΠΑΤΡΟΣ, nempe ut apud
Pag. 169. Bibl. Photium legas alicubi, ἱερεὺς καὶ ἐξ ἱερέων τὸ πρὸς πατρὸς ἄνωθεν καταγόμενος; aut sicut apud Philostratum Scopelianus quidam traditur, Hebræorum scilicet more, oriundus ex Sacerdotali genere & hæreditarius Asiæ
In vit. Sophist. Sacerdos, ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ μὲν ἐγένετο τῆς Ἀσίας αὐτὸς καὶ πρόγονοι αὐτῷ πάντες ἐκ πατρὸς πάντες. *Sacerdos vero fuit Asiæ ipse & illius majores omnes à Patre ad Filium.* Ita *certis è familiis* adscitus Clarii Apollinis apud Colophonios culti Sacerdos

cerdos apud Tacitum. Neque vero omittendum hoc loco, ubi plures simul Augusti regnabant, penes unum & seniorem quidem hanc Pontificatus Maximi appellationem resedisse apud Romanos, ut supra ex Dione notavimus. Id vero rursus perspicue probant Nummi, in quibus M. Aurelius PONT. MAX. vocatur, non autem Collega ejus L. Verus. Alias inferior quoque PONTIFICIS dignitas tanquam initium quoddam seu tyrocinium illius fastigii in aliquot junioris Drusi & Getæ adhuc Cæsaris nummis signatur, ut supra monui. Omissa vero cum plerisque aliis mentio hujus dignitatis à Gallieni temporibus, in sequentium Augustorum Nummis, licet non abdicarint continuo vim aut usum hujus appellationis. Neque enim titulum illius dignitatis solum gestasse, sed munia etiam peregisse Cæsares, docent nonnunquam Auctores; ut de Hadriano Spartianus, *Sacra Romanorum diligentissime curavit, peregrina contempsit*, PONTIFICIS MAXIMI *officium peregit*. Ita Tiberius ut Pontifex Maximus de jure Flaminis consultus apud Tacitum, & à Plinio Trajanus, *quia sciebam in urbe nostra ex ejusmodi causis, collegium Pontificum adiri solere, te Domine*, MAXIMUM PONTIFICEM *consulendum putavi, quid observare me velis*. Hinc etiam ab Augusto ratione illius muneris, Fatidici libri recensiti; Annus Julianus iterum ordinatus; auctus Sacerdotum numerus; Cærimoniæ antiquæ restitutæ; & Claudius obsecrationem *jure* MAX. PONT. præit, auctore eodem Suetonio; & apud Tacitum fugillatus Vitellius, *quod* MAXIMUM PONTIFICATUM *adeptus cærimoniis publicis* diem quendum nefastum, hoc est suo more improvide, *edixisset*; & ab Alexandro Severo *Caussas Sacrorum finitas* notat Lampridius; & Vopisco dictus *Sacerdotia composuisse*

Annal. II. 54.

Annal. III. 59. Lib. X. Ep. 72.

Sueton. in Aug.

Hist. III.

Aurelianus; & Julianus ut Pontifex Maximus, quo-
Ep. LXII. rundam Sacrorum procurationem sibi vindicat, ἐγὼ τοίνυν ἐπειδή περ εἰμι κῆ μοὶ τὰ πάτρια ΜΕΓΑΣ ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ, *Ego proinde quandoquidem sum juxta leges patrias* MAGNUS PONTIFEX; quod & in alia Epistola testatur cuidam Sacerdoti nuncupata, & quam cæteroquin Pontificis appellationem sibi ipsimet Julianum
Hist. Eccl. l. VIII. c. 1. tribuisse, docet nos Socrates, καὶ ἑαυτὸν ΑΡΧΙΕΡΕΑ ὠνόμασεν. Unde utique Libanius, gaudere Julianum
Panegy. Jul. p. 245. *Sacerdotis* haud minus quam *Imperatoris* nomine, non frustra videtur alicubi prædicare Cæterum eandem appellationem in Nummis certe illorum temporum insolitam retinet quoque nummus aureus M. Constantini,
In Gaza Cardinal. Leopold. Medic. ubi P. M. seu *Pontificis Maximi* titulus cum reliqua honorum congerie adscribitur. Sicut vero ΑΡΧΙΕΡΕΙΣ vel ΑΡΧΙΕΡΕΙΣ ΜΕΓΙΣΤΟΙ in Græcis Cæsarum Nummis & Lapidibus vocantur Romanorum Cæsares,
Lib. LXXIX. sic etiam Vestalium Maxima Ἀρχιέρεια apud Dionem dicitur. Ita factum ut eadem ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ appellatio quam Christo tribuunt prisci Ecclesiæ Doctores Clemens Romanus, Origenes, alii, dein translata sit promiscue ad Christianorum Antistites, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos; quo nomine & Vigilium Romanum & Paulum Alexandrinum Præsules, præter alios vocat in Arcana Historia Procopius. Ex eodem fonte profluxerunt postea inversa ΙΕΡΑΡΧΗΣ & ΙΕΡΑΡΧΙΑΣ nomina, inter quæ discrimen illud statuit
Maxim. in Schol. ad l. 1. de Cœl. Hier. Auctor scholiorum ad opera Dionysii vulgo Areopagitæ, ut ΙΕΡΑΡΧΗΣ Sacrorum curam, ΑΡΧΙΡΕΥΣ Sacerdotum magisterium capessat; prior nempe τῶν ἱερῶν, posterior τῶν ἱερέων ἄρχων.

De Titulo TRIBUNITIÆ POTESTATIS. DE TRIBUNITIA POTESTATE supra vidimus, qua ut summi fastigii vocabulo, annos Principatus

tus passim in Nummis Cæsarum distinctos nosti. Ut manifeste ii demum arguunt, quam vere à Dione sit adsertum, juxta eandem imperii sui annos à Cæsaribus numerari. Perpetuam nempe illam potestatem semel susceptam gerebant Cæsares, quomodo & eam vocat in Hadriano Spartianus, *ad* PERPETUAM *Tribunitiam Potestatem omen sibi factum*; ita tamen ut quotannis eandem cum Tribunis plebis renovarent, sicut cum Dionis auctoritas, tum Nummorum conspectus probat. Adeo ut nec Tiberium, cui ad quinquennium delatam illam scribit Suetonius, abstinuisse ab eadem in singulos annos illius quinquennii & sequentium etiam renovanda, ex iisdem constet contra quam viris doctis placuit. De Vespasiano observat idem Suetonius sero eundem Tribunitiam potestatem recepisse, quod vix hodie ex illius Nummis colligas, qui ab initio principatus eandem illi deferunt, & quidem ad numerum usque TRIB. POT. X. quot illi anni imperii fuere. Communicatam vero ab Augustis eandem dignitatem cum designatis hæredibus, eoque exemplo summæ spei admotos, quod tradunt nonnunquam Scriptores, ex Ælii, Aurelii, aliorumque Nummis observes, quibus L. ÆLIUS CÆSAR TRIB. POT. COS. II. & AURELIUS AUG. PII F. CÆSAR TRIB. POT. COS. II. Unde illud etiam eruas, annos Tribunitiæ potestatis in iisdem Nummis, non ab imperii exordio, sed ab initio illius fastigii vulgo signatos; adeo ut Tiberio, Neroni, Marco, Commodo, aliisque longe plures anni Tribunitiæ potestatis, quam imperii tribuantur. Exquisitæ vero hanc in rem raritatis Nummus M. Aurelii adhuc Cæsaris nondum Augusti, in cujus aversa parte Roma sedens galeata, cum adscripta gemina Tribunitia potestate, nempe TR. POT. VII. Tacit. Annal. III. 56.

TR. POT. VIII. cujus ectypa ad me transmissi gratiam Thomæ Chiffletio paternæ & fraternæ laudis æmulo habiturus est lector.

Adsumptum autem illud ab Imperatoribus nomen, non vero Tribunorum plebis, ex more illorum temporum, quibus Potestas Tribunitia, Censoria, Consularis, pro dignitate Tribuni Plebis, Censoris, Consulis reperta; quorum prima signatur passim in Nummis Augustorum, altera in Nummis Domitiani. Hinc etiam discrimen haud leve hujus *Tribunitiæ Potestatis* & *Tribunorum Plebis* observes. Primo, quod illa Patritiorum, quales necesse erat creari aut fieri Cæsares, hi Plebeius esset Magistratus, ad quem tamen Equites admissos ab Augusto, alicubi tradit Dio. Secundo, quod prior omnia imperia præemineret, ut supra ex Tacito vidimus; hi non item, qui infra Consulum & Prætorum fastigium censebantur. Tertio, quod in illa etiam intra primum ab Urbe milliare præsidium haberent opis ejusdem indigi; in Tribunis Plebis autem tantum intra Urbis pomœria. Quamquam & Tribunos Plebis nonnullos Imperatores legamus exstitisse, sed privatos etiamnum neque adhuc summi fastigii hæredes aut consortes; puta Hadrianum, qui, auctore Spartiano, *Tribunus plebis factus est Candidato & Quadrato iterum*

Lib. LIV.

Dio. l. LIII.

rum Coss. aut Severum, qui *Tribunatum plebis Marco Imp. decernente promeruit.* Cæterum vi illius Potestatis Tribunitiæ, quæ *pars maxima regalis imperii* Vopisco alicubi vocatur, tria maxime Augustis competebant, è quibus duo observat Dio: Jus intercedendi amplissimum, unde Scauri apud Tacitum gratulatio, quod Tiberius *relationi Consulum jure* TRIBUNITIÆ POTESTATIS *intercessisset*; alterum ut essent Sacrosancti, quare J. Cæsar interfectus Appiano & alibi Dioni ὁ ἱερὸς καὶ ἄσυλος vocatur. His tertium accedit, Senatum cogendi facultas. Unde Tiberius rursus apud Tacitum legitur, solo TRIBUNITIÆ POTESTATIS edicto Patres in Curiam vocasse; & in eadem verba Tranquillus, *jure autem* TRIBUNITIÆ POTESTATIS *coacto Senatu.* Alioquin ampliata eadem facultas in Augusto peculiari Senatus decreto, ut quoties vellet Senatum convocaret, quod jam occupavit ad Suetonium ὁ πάνυ.

In Tacito. Lib. LIII. Annal. I. 13. Annal. I. 7.

CONSULUM etiam usurpatum pro arbitrio ab Augustis fastigium in eorundem Nummis passim expressum legitur. Origo autem illius moris à Sylla profecta, qui Dictaturæ quoque Consulatum præter morem adjecit. Unde factum observat Appianus, ut Romanorum Cæsares Imperatoriæ Majestati, Consulatus quoque adderent dignitatem. Immo cum florente adhuc Rep. Pompeius Consul sine collega novo exemplo fuisset renuntiatus, inde etiam hoc Cæsaribus tributum liquet, ut soli Consules nonnunquam designarentur. Ita omnia reperias Imperatoriæ dignitatis incunabula in liberæ sed inclinantis jam Reip. sub unius arbitrium inductis novo more exemplis. Neque perpetuum tamen eundem Cæsarum Consulatum præter Fastos iidem Nummi arguunt; qualem Scipioni olim sed recusanti delatum scribit Valerius. Unde cum J. Cæsari

DE CONSULATU CÆSARUM.

Bell. Civil. lib. I.

Lib. IV. c. 1.

Con-

Consulatus continuus esset decretus, aut juxta Dionem ad decennium, quartum tantum Consulatum admisisse dicitur à Suetonio; quem tamen refellit Nummi inscriptio apud Goltzium (modo illi fides constet) C. CÆSAR COS. QUINCT. IMP. SEXT. DICT. PERPETUO. Ita XIII. Consulatus Augusto illius Nummi cum Tranquillo tribuunt, quemadmodum germana Pontis Ariminensis inscriptio, ut legitur in vita magni Peireskii, non XIV. cum Tacito, aut apud Gruterum, & rursus Liberio V. non III. cum Tranquillo, eadem monumenta adjudicant. Vitellio tamen perpetuum Consulatum tribuit vetus lapis, cujus rei index quoque nummi inscr. apud Goltzium A. VITELLIUS L. F. IMPERATOR COS. PERP. Ita Vitellii exemplo *assiduus Consul* ex Claudiani voto Honorius,

IV. Cons. Honor. *His precor assiduus Consul, Mariique relinquas*
Et senis Augusti numerum,

haud aliter ac *assiduum* Flaminem Dialem ac *assiduas* Lib. I. c. 20. Vestales vocat alicubi Livius, ratione perpetui utriusque Sacerdotii. Ita *jugis* quidam & *indesinens* Consulatus Cæsaribus tribuitur in Justiniani Novella, Nov. CV. *eo quod Imperatori quidam jugis & indesinens Consulatus omnibus civitatibus & populis & gentibus in singulis quæ placent distribuendo advenit; aut cum ipse annuerit trabea, ideoque & Imperii Consulatus per omnia sit frequens & sceptra.* Alioquin eodem honore licet sæpius repetito, ad paucos vel menses, vel dies, vel horas etiam contenti vulgo Cæsares, mox ad alios illum transferri curabant. Exemplum illius moris invexit Augustus, quo ad plures Consularis trabea deferretur. Unde factum etiam, ut rursus invaluerit nata jam sub J. Cæsare celebris illa Consulum ordinariorum & suffectorum origo, & à temporibus

ribus Imp. Claudii bimestres ut plurimum Consules pro annuis evaserint. Duo nempe hic mutata sub Cæsaribus; unum, ut Consulatum ante tempus deponerent; alterum, ut absentes eundem inirent, quorum postremum de Augusto notat Tranquillus, & de Vespasiano ac Tito Tacitus. Quare etiam ne extra Consulatum deessent eidem Augusto & successoribus Consulis prærogativæ, duo iterum sub eodem inducta reperio. Unum ut Consularis Potestas perpetua cum jure XII. fascium illi deferretur: Alterum ut extra Consulatum jus nihilominus haberet Relationis, quod Consulum alias proprium juxta Polybium ac Dionem, & postea inter solitos Cæsarum honores receptum. Cæterum non adscripti solum diligenter in Nummis Cæsarum, Consulatuum ab iis gestorum numeri, sed in nonnullis etiam rarioribus solemnis Consularis Processus pompa. Hujus notæ duo insignes Lectori indicandi: Unus aureus magni Constantini, qui extat in Cimeliarchio Cæsareo inscriptus FELIX PROCESSUS COS. VI. AUG. &c. Alter Maxentii, quem videas in Gaza Inclytæ Reginæ, unde sequens ectypum sumus nacti, opportune nobis à laudato paullo ante Thoma Chifflet io subministratum. Hist. IV. 58. Dio l. LIV.

Currum agnoscis Triumphalem quem trahunt quatuor Elephanti & Victoriam desuper, quæ Coronam

offert Maxentio, cum inscriptione superiori haud absimili, FEL. PROCESS. CONSULAT. AUG. N. seu *Felix Processus Consulatus Augusti Nostri.* Inde vero tria continuo colligas. Primo, ut erudite monebat Chiffletius noster, Maxentii Consulatum, de quo obscura alias mentio, si unum forte excipias Anastasium Bibliothecarium, & Auctorem incertum de Præfectis urbis apud Onuphrium. Alterum, Maxentii Triumphum de Alexandro Tyranno, cujus rei gestæ historiam videre licet apud Zozimum: Tertium, factam sicut in superiori Constantini nummo, *Felicis Processus Consularis* mentionem, & signatam his monumentis perpetuam ejus rei memoriam. Proprium nempe hic *Processus* seu procedendi vocabulum, de solemni Consulum pompa, qua die magistratum illum inibant. Ita de Honorio Consule Claudianus,

De III. Cons. Honor.

—— PROCEDE SECUNDIS
Alitibus,

quo *Felicem* nempe illi *Processum*, juxta superiores Nummos, auguratur. Sic in Fragmento nondum edito notarum veteris alicujus Grammatici in Ciceronis Orationes, quod tractare mihi licuit in instructa ab optimis & antiquis libris Bibliotheca viri magni Isaaci Vossii, illud observabam ad Verrinas, *Quæsturam intelligimus, nam omnes cæteri magistratus Kal. Jan.* PROCEDEBANT, *soli vero Quæstores Nonas Decembris.* Ad quem Processum seu Pompam Consularem respexit etiam Hieronymus, agens de Consule designato, *qui quasi de subjectis hostibus triumpharet, Capitolinas adscendit arces, quem plausu quodam & tripudio Pop. Rom. excepit.* Qualem etiam Imperatoris Valentiniani Consulis designati Processum describit nobis Ammianus; *Et cum introisset Ancyram Imperator, paratis* AD POMPAM *pro tempore necessa-*

Ad Marcell. de exitu Læræ.

Lib. xxv.

necessariis, CONSULATUM INIIT, *adhibito in Societatem trabeæ Varroniano filio suo admodum parvulo; cujus vagitus pertinaciter reluctantis ne in* CURULI SELLA VEHERETUR EX MORE, *id quod mox accidit, portendebat.* Vides hic Imperatorem Consulem, procedentem eundem solemni pompa eam in rem parata, die initi Consulatus, adscito quoque in societatem illius honoris & Processus infante filio adhuc vagiente, nempe τῷ ἐν ἀγκάλαις ὑπάτῳ, ut loquitur alicubi Themistius de Consulatu lactentibus adhuc Augustorum liberis delato. Sic frequentes *Nobilissimi Pueri Coss.* in Inscriptione legum Codicis Theodosiani, ut paullo ante de Valentiniano III. & Honorio videbamus; ac de Olybrio Valentiniani genero Hieronymus, *Consul quidem in pueritia.* Ascendebant nempe frequenter augustissimum illud Consulum Tribunal, ut de Trajano Plinius loquitur, Imperatores; ita tamen ut ea ætate ex Domo Augusta alterum sibi Collegam vulgo adsciscerent, submotis ab ea trabeæ societate privatis. Hinc de Juliano Ammianus, qui Sallustium Præfectum Galliarum alterum sibi adjunxerat Consulem, *& videbatur novum adjunctum esse Augusto privatum, quod post Diocletianum & Aristobulum nullus meminerat gestum.* Ejus moris tamen, privatos à societate Consulatus removendi, auctorem Constantium Juliani Decessorem innuerat alibi idem Ammianus, *Quod autem per omne tempus imperii nec in consessum vehiculi quemquam suscepit, nec* IN TRABEA SOCIUM PRIVATUM *adscivit, ut fecere Principes consecrati.* Haud obscura vero, quæ vulgo Auctores antiqui referunt de ornata ab Augustis Sella Curuli, seu de illo titulo Consulis,

Orat. XII.

Epist. ad Demetriad. p. 63. T. I.

Lib. XXIII.

Lib. XVI.

——— *Augusti quem se decorare fatentur*, Claud. in Pr. Cons. Stil. lib. I.

Panegyr. Julian. p. 229. & quibus multa consentanea apud Libanium legas, tradentem inter alia Imperatores gratificari volentes Consulari dignitati, in semet eam recepisse adnexo Consulatus imperio. At aliter loquitur Consul ipse tandem & Imperator Julianus, qui refert alicubi Imperatores, alias dignitates Reip. aboleviſſe, alias retinuisse ἀλλὰ εἶα, de Consulatu vero addit, χαίρουσι δὲ καὶ πρὸς ἐνιαυτὸν τυγχάνοντες, *gaudent etiam in annum eum adepti.* Quo loco itidem notanda illa Zonaræ verba de Principibus ante Diocletianum, οἱ πρώλω γὰρ βασιλεῖς ΚΑΤ' ΟΥΔΕΝΑ ΤΠΑΤΟΥΣ τιμώμενοι, *superiores enim Imperatores* INSTAR CONSULUM *observabantur.* Certe Jovem ipsum Deorum Regem & Patrem eo nomine quo vulgo Consules Græci, θεῶν ὕπατον vocat idem Libanius; & iteratione Consulatus augeri honorem negat in quadam Constitutione Theodosius junior, *quia nihil est altius dignitate.*

Orat. III. p. 201. Annal. II. Panegyr. Jul. p. 230. L. 1. Cod. de Consul.

De Proconsulatu *Cæsarum.*

Neque vero à gesto Consulatu PROCONSULES dictos eosdem Cæsares nosti, ut quibusdam tamen placuit, sed ob Pronconsulare imperium cum reliquis majestatis insignibus iisdem concessum, prout observarunt jam eruditi. In Nummis autem Cæsarum vix eundem PROCONSULIS titulum expressum videas, qui illis alioquin frequenter in saxis & in nonnullis litterarum inscriptionibus apud Dionem, Eusebium, aliosque, & aliquoties apud auctores Historiæ Augustæ tribuitur. Miratur vero non leviter ὁ θαυμάσιος Casaubonus hoc Nummorum aliorumque silentium; nec causam adsequi sese profitetur, cur præterita sit eadem Cæsarum dignitas in plerisque monumentis prisci ævi, quum Tribunitiæ Potestatis constans occurrat mentio; quarum utraque tamen ex æquo Cæsaribus competebat. Rationem autem vel silentii vel diversitatis inde peten-

petendam crederem: Primo, quod non ſemper aut in Urbe, ſed extra pomœrium duntaxat Proconſulis titulum ſuſciperent Imperatores. Diſerte id apud Dionem expreſſum legas, ὕπατοί τε γὰρ πολλεσάκις γίγνονται, καὶ ἀνθύπατοι ἀεὶ, ὁσάκις ἂν ἔξω τοῦ πωμηρίου ὦσιν ὀνομάζονται· *Conſules enim fiunt ſæpenumero & PROCONSULES ſemper quoties EXTRA pomœrium ſunt, appellantur.* Lib. LIII. Hinc Elagabalus apud Dionem imperium in Syria ſuſcipiens inter reliquos titulos, Proconſulis quoque nomen adſumit; procul nempe ab Urbis pomœrio poſitus. Lib. LXXIX. Quo ſpectant etiam duo illuſtria apud Tacitum loca. Prius, ubi abſenti Germanico delatum tradens Proconſulare id genus imperium, addit, *quominus idem pro Druſo poſtularetur, ea cauſſa, quod deſignatus Conſul Druſus PRÆSENSQUE erat.* Annal. I. 14. Alterum, ubi decretum refert inter alia, ut Nero PROCONSULARE *imperium EXTRA URBEM haberet.* Annal. XII. 41. Unde quum non eadem eſſet hujus tituli, quæ Tribunitiæ Poteſtatis aut aliorum ratio, inde in Nummis Cæſarum aliiſque monumentis omiſſa frequenter illius ſignificatio, quem iiſdem tamen tribuunt nonnullæ Corporum & Collegiorum Inſcriptiones. Secundo, quod hæc poteſtas Proconſularis infra aliarum faſtigium cenſeretur, quæ in Nummis Cæſarum leguntur expreſſæ: unde nec *Principis Senatus* (quem titulum præter Auguſtum, à Tiberio cum Cæſaris & Germanici appellationibus adſumptum tradit Dio) nec de *jure Relationis*, alia appendice principalis faſtigii, ullam in iiſdem mentionem reperias. Lib. LVII. Neque enim omnibus, ſed præcipuis appellationibus ſuperioris poteſtatis & jam olim & hodie etiamnum Nummi Principum ſignari conſueverunt. Hinc reliquis etiam titulis, *Imperatoris, Cæſaris, Auguſti, Pontificis Maximi, Tribunitiæ Poteſtatis, Conſulis,* PROCON-

SULEM postponi passim videas in priscis Inscriptionibus, & in litteris Galerii Maximini apud Eusebium. Adeo ut nec adscriptum eundem reperias in antiquis Cæsarum Elogiis, ante Nervæ & sequentia Antoninorum tempora, quibus plenior quædam refertur honorum & titulorum congeries; quamquam jam ante Proconsulare illud imperium Augusto tributum constet ex Dione, & Neroni ex Tacito. Trajano certe & Ælio Cæsari adscribunt etiam hunc titulum Marmora, ut pateat errare virum incomparabilem, qui in Antoninis hunc primo credit reperisse. At Nervæ quidem male tribuitur lapis apud Gruterum cum illo titulo *Proconsulis*, qui successori ejus Nervæ Trajano adscribendus; prout colligo ex adjuncto *Dacici* cognomine, & lacunis inscriptionis, quæ non incommode suppleri possunt. Tota nempe aut certe præcipua vis hujus potestatis in Imperatoris vocabulo jam erat reposita, cujus auspiciis reliqui Præsides bella suscipiebant, & quo uno nomine supremum peregrinarum juxta & urbanarum rerum arbitrium, omniaque Magistratuum jura in Cæsares translata aperte docet Dio. Additus tamen opportune, ut judico, & peculiari de caussa in gratiam Augusti PROCONSULIS titulus. Divisus nempe ab eo fuerat Orbis Romanus in Provincias Cæsaris & Populi, quarum postremis Populi Magistratus sub Proconsulum nomine præerant. Unde ut nihilominus Cæsaris auspiciis omnes illas provincias ex æquo administrari singularum Præsides facilius intelligerent, nec ullas partes Orbis Romani imperio illius exemptas, translata illa PROCONSULIS aut JURIS PROCONSULARIS ad eundem Augustum & successores nomenclatio. Et hæc notaveram in prima editione hujus operis, quum postea eandem Juris Proconsularis

Hist. Eccl. lib. IX.

Thes. CCXLV. 9. & CCLI.

Salmas. ad Hist. Aug. p. 82.

Lib. LIII.

ris Cæsaribus usurpati originem vidisse quoque Petrum Marcum in renovato formis luculento opere de Concordia Sacerdotii & Imperii recenter in urbem adlato, opportune monuisti. Neque vero statui debet cum magno Casaubono, ita pertinax hac in parte Nummorum veterum silentium, ut non sese manifestet hic PROCONSULIS titulus in aliquot antiquis id genus monumentis. Mitto quem jam ab Occone descriptum videre idem potuisset in duobus Constantini nummis, nempe CONSUL P. P. PROCONSUL ANT. Tres autem eodem quoque titulo inscriptos, quos notare mihi contigit in illustribus Cimeliarchiis, quia vulgo rariores, in Lectoris gratiam hic haud illibenter, vulgamus. Exhibent duo priores aurei, deprompti ex Gaza Palatina, Diocletianum ac Maximinum, cum figura quæ Globum gestat in aversa parte, solito illis temporibus in nummis symbolo, & inscr. CONSUL VII. P. P. PROCOS. Tertius itidem aureus è Museo laudati sæpius Etrusci Mæcenatis Cardinalis Medicei, Magnum Constantinum signat, cum inscr. aversæ partis P. M. TR. P. P. P. COS. IIII. PROCOS. ubi prioribus litteris *Pontificem* quoque *Maximum* vides eundem Cæsarem designari, quod rarum alioquin in nummis illorum temporum supra monuimus. Pag. 53. & 537.

Immo

Immo ejusdem etiam notæ Trajani nummum vidisse memini apud Abbatem Bracesium, sed ex eo nummorum genere, quos *Crotoniatas* vulgo appellant, in quo nempe Caput Trajani cum inscr. IMP. CÆSAR TRAJANUS AUG. P. M. P. P. PROCONS. in aversa autem parte, Æneas cum Anchise & Iulo. Cæterum ad hunc PROCONSULIS titulum non referri debuit ille Zonaræ locus de Augusto, τὴ ὑπάτων πμλὼ ἀμφὶ δίς ἔλαβε, ut male observat vir doctus, sed ad perpetuam Consularem potestatem Augusto delatam, ut supra ex Dione vidimus. Eandem vero dignitatem candidatis imperii aliisque arbitris supremæ potestatis frequenter concessam apud Auctores legimus, sicut Germanico, Seiano, ac necdum Augustis Pio, Marco; ita ut inter initia fastigii Cæsarum seu *adipiscendo imperio*, ut Tacitus ea de re loquitur, *præparata*, eandem quoque dignitatem reponendam constet. Quæ vis autem hujus imperii fuerit perspicue designat meo judicio Tacitus, *Tunc decreto Patrum permissæ Germanico Provinciæ quæ mari diviguntur*, MAJUS *que imperium quoquo adisset, quam his qui sorte aut permissu Principis obtinerent.* Hoc nempe *Majus Imperium* nihil aliud quam imperium illud Proconsulare, quale Augusto delatum iisdem verbis describit Dio, ἐν ᾗ τῷ ὑπαχόῳ τὸ πλεῖον τῆ ἐκασταχόθι ἀρχόντων ἰσχύειν ἐπέτρεψε, *ut* MAJOR *ipsi in Provinciis, quam eorum Præfectis potestas esset.* Ita ampliata paulatim hæc potestas, quæ jam in M. Antonio Prætore reperta, (cujus *infinitum imperium* vocat Lactantius,) renovata in Pompeio Lege Gabinia, qua permissum ei ad quinquennium juxta Dionem Proconsulare imperium in toto Orbe Romano; aut quum delata ei rei frumentariæ procuratio, seu interprete illius legis Tullio, MAJUS IMPERIUM *in Provinciis quam sit eorum qui eas obti-*

Annal. XIII. 21.

Annal. II. 43.

Lib. LIII.

Lib. I. c. I.

Lib. IV. Ep. ad Att. I.

obtinent. At non *Majus* sed *Æquum* illud Pompeii cum Proconsulibus imperium lege Gabinia ei concessum vocat Velleius, & cujus imperii exemplum in Corbulone repetitum Neronis temporibus apud Tacitum legas. Hinc autem dignitatis hujus memoriam Pompeii ejusdem Nummi cum PROCONS. titulo servarunt; ut originem iterum & exempla hujus Augustorum fastigii in ipsa Republica observes. Alioquin aucta eadem potestas in Cæsaribus, cujus tres reperio prærogativas: Primo quod revera non *æquum* sed *Majus* illis quam Præsidibus Provinciarum in easdem cederet Imperium. Id certe clare innuit Ulpianus, *Præses Provinciæ* MAJUS IMPERIUM *in ea Provincia habet omnibus* POST PRINCIPEM, quibus consentanea & totidem verbis tradit agens de officio Proconsulis. Secundo, quod non ad certum tempus, sed perpetua illis deferretur, nec deponi proinde intra pomœrium, aut renovari eandem opus esset, ut observat Dio; qui alibi docet Proconsulare imperium gerenti in urbem venire non licuisse. Imperium itaque illud Proconsulare Cæsarum Perpetuum intra & extra pomœria; usus autem appellationis PROCONSULIS extra pomœria solitus ab iis usurpari; quorum utrumque aperte diversis locis tradidit Dio. Quamquam & simile quid jam olim in libera quoque Republ. concessum, quum auctore Livio, Q. Fulvio Proconsuli & postea M. Marcello concessum, ut Urbem cum imperio inirent. Tertio, quod citra certos maris aut terrarum limites, Cæsaribus in toto Orbe Romano, non ut Pompeio ad quinquagesimum à mari milliare, jus illud deferretur. Nihil quippe aliud, ut jam monui, illo jure seu imperio Proconsulari quæsitum, quam ut æquum vel supremum Cæsarum in omnes Provincias Cæsaris & Populi

Annal. xv. 25.

L. 4. de Off. Præsid.

L. 8. D. de Off. Proconf.

Lib. LIII.

Lib. XXXIX.

L. XXVI. c. 9. & 21.

imperium ipso nomine traderetur. Ut proinde non male Symmachus Imperatorem vocet alicubi *cunctarum Provinciarum parentem.* Et hæc obiter de illo titulo Proconsulis à Cæsaribus admissi, quem non satis hactenus expenderant viri docti, & cujus nobis occasionem suppeditavit non doctissimi solum Casauboni dubium & sollicitudo circa Nummorum, ut existimabat, ea de re silentium, sed & ingenua alterius Semonis confessio, qui doceri ab eodem cupit, cur Severus aliique eum sequuti Imperatores, PROCONSULES vocentur in Inscriptionibus antiquis, additque, *Hoc non mediocriter mirari soleo, quia causam ignoro.* At hæc omnia plana jam ni fallor & perspicua.

L. IV. Ep. 61.

Joſ. Scalig. Ep. LXVI.

De Titulo PATRIS PATRIÆ, *& adfinibus.*

Frequens vero in iisdem Nummis PATRIS PATRIÆ appellatio, quam Ciceroni primum tributam, & dein ad Cæsares translatam observat[a] Appianus. Mitto obviam ejusdem rationem à[b] Dione indicatam; qui illud non ut potestatis, sed ut honoris & cautelæ vocabulum, iisdem impositum docet; ut meminerint subditos Patria Caritate diligere, & subditi eosdem vicissim debita liberis reverentia prosequi; seu ut Seneca de caussa illius appellationis Principi concessæ, alicubi loquitur, PATREM *quidem* PATRIÆ *appellavimus, ut sciret datam sibi potestatem patriam, quæ est temperatissima, liberis consulens, suaque post illos ponens.* Illud vero magis hic ad rem facit, quod notat insuper Appianus, serius eam reliquis appellationibus concedi solitam, & nonnisi post prævia magnarum rerum experimenta. Hinc videas eandem in priscis monumentis Historiæ Augustæ, ut summum quasi honorum apicem, neque statim, neque promiscue Cæsaribus concessam; quæ discrimina demum ex eorum Nummis intelligas. Ita J. Cæsari, à quo mos illius cognomenti ad successores

[a] Bell. Civ. l. II.

[b] Lib. XLIII.

Lib. I. de Clem. c. 14.

transſ-

transiit, post mortem primo delatum hunc titulum existimarunt Viri docti, ob Columnam illi defuncto ab Antonio erectam cum inscr. PARENS PATRIÆ, quam ut *exsecratam* fugillat alicubi Tullius. Verum non repertum tum primum sed renovatum hoc ejus cognomentum, præter Dionem aut Tranquillum, Nummi id satis refellunt eodem vivo percussi, in quibus CÆSAR PARENS PATRIÆ describitur. De tempore ejusdem appellationis Augusto concessæ major inter eruditos controversia, de qua videnda Lapidis Inscriptio apud Gruterum. De Tiberio, cognomen illud constanter eum recusasse Dio & Suetonius tradunt, ac ejusdem Nummi fidem faciunt, qui carent hoc titulo. A Nerone illum sub initium principatus propter ætatem rejectum auctor iterum Tranquillus; ita tamen ut brevi post receptum constet ex ejusdem Nummis, qui primis Imperii annis percussi, eundem cum reliquis signant. A Vespasiano eandem appellationem cum Tribunitia Potestate serius admissam auctor itidem Tranquillus. De posteriori vidimus; priorem autem secundo imperii anno jam ab eo susceptam agnoscas in ejusdem Nummis. De Hadriano etiam refert Spartianus, PATRIS PATRIÆ delatum sibi nomen *statim atque iterum distulisse*, quod hoc nomen Augustus sero meruisset. Hanc tamen moram brevem fuisse, recte ex ejusdem Nummis collegit magnus Casaubonus; qui nempe primo ejus Consulatu percussi illius cognomenti meminere. Sciendum tamen plurimos exstare ejusdem Nummos cum sola Inscriptione HADRIANUS AUGUSTUS, & memoria Consulatus; ut vel hinc *iterum* hoc nomen illum *distulisse* cum Spartiano colligas. De Pertinace vero, ut singulare observat Capitolinus, quod primus eadem die Augustus & PATER

Philip. 1.

Thes. CXXXVI. 2.

PATRIÆ sit renuntiatus; quod etiam de Alexandro Severo & reliqua honorum congerie adnotovit Lampridius. Ubi observandum obiter, non tam ratione aut destinato consilio, quam impetu & acclamationibus Populi aut Senatus, appellationes id genus frequenter concessas. Ita eodem ritu, quo Romulus olim Parens Urbis à multitudine declaratus legitur apud Livium, sic à Populo J. Cæsarem PARENTEM PATRIÆ legas apud Dionem proclamatum; ne magis Ciceroni cum Appiano, quam ejusdem Romuli exemplo, cognomen illud Cæsaribus tributum censeas. Nec aliter de Othone narrat Dio in Excerptis Constantinianis eum à militibus PATRIS nomine sæpe proclamatum, tanquam liberis ac parentibus propriis sibi chariorem.

Pag. 697.

Βασιλεῖ γὰρ inquit alicubi Philo, ἐκείνη προσῤῥησις οἰκειοτέρα ΠΑΤΡΟΣ, *Regi appellatio nulla magis propria quam* PATRIS. Cæterum jam olim Cyrum *Patrem*, ceu ΠΑΤΕΡΑ ΑΝΘΡΩΠΩΝ dictum observat Pausanias, & eandem etiam appellationem Antoninum Pium meruisse, δόξῃ γὰρ ἐμοὶ καὶ τὸ ὄνομα τὸ ἐς Κύρον φέροιτο ἂν ἐς πρεσβυτέρου ΠΑΤΗΡ ΑΝΘΡΩΠΩΝ καλεόμενον, *Mea vero sententia Cyri senioris nomine insigne insigniri meruisset, ut nempe* PATER HOMINUM *diceretur*. Quo nomine dicam illi scribit Vir undiquaque doctissimus ad Capitolinum, quasi oblitus sit Pausanias, decreto Senatus PATREM PATRIÆ appellatum eundem Antoninum, & ita occupatum esset à Senatu, quod ipse decernendum statuit. At quis non absolvendum hic videt ab omni reprehensione Pausaniam; quum non eadem sit PATRIS PATRIÆ & PATRIS HOMINUM appellatio; prior angustior nec solius Antonini, sed promiscue Cæsaribus communis, ut vel eorundem Nummi luculenter arguunt, posterior Jovi Deorum Hominumque

De Provid.

In Arcadicis.

que Parenti propria & Cyro peculiaris. Quod ipsum & res arguit & confirmat egregie Themistius, qui mire Pausaniæ locum & mentem illustrat. Ille enim uti Cyrum PATREM, alios Persarum Reges variis cognominibus distinctos commemorasset, addit, θεία γ' μόνη ἡ ἐξ πατέρος ἐπωνομία, ΠΑΤΕΡΑ γὰρ ΑΝΘΡΩΠΩΝ καὶ τὸν Διὰ οἱ πολλοὶ ἐπονομάζουσι. *Sola vero ex iis divina Parentis appellatio*; PATREM *enim hominum & Jovem ipsum Poëtæ appellant.* Ita voluisset hoc loco Pausanias, Antoninum non PIUM solum aut PATREM PATRIÆ, quod usu jam tritum & infra ejus φιλανθρωπίαν, sed PATREM HOMINUM Jovis aut Cyri exemplo appellari; quemadmodum alibi eundem Cyrum & Justinianum inter se componit itidem Procopius, ἐπεὶ καὶ ΠΑΤΗΡ ὡς ἤπιός ἐστι· ad Herodotum nempe respiciens, qui eandem plane caussam tributæ Cyro appellationis tradit, κῦρον γὰρ ΠΑΤΗΡ, mox ὁ γὰρ ὅτι ἤπιον. Eodem quoque titulo compellaverat jam olim Augustum Ovidius; Orat. v. Præf. de Ædif. In Thalia.

Hoc tu per terras, quod in æthere Juppiter alto Fast. l. II.
Nomen habes, HOMINUM *tu* PATER, *ille Deûm.*

Hinc Cæsares etiam non solum PATRES PATRIÆ, aut *Patres Urbis*; quemadmodum alii, sed minorum gentium *Patres Defensoresque civitatum* dicti occurrunt in Constitutionibus Imperatorum, aut *Patres Coloniæ* vel *Provinciæ* in lapidibus antiquis; sed revera Jovis instar, *Patres Ausonii*, *Patres Latii*, *Patres Mundi* etiam, seu *Patres Orbis* frequenter Poëtis dicti, puta Martiali Statio, aliisque. Quin sola etiam PATRIS appellatio iisdem jam Divis nonnunquam adscripta, sicut DIVUS AUGUSTUS PATER in aliquot Nummis; ut non frustra eodem adhuc vivo dixerit Poëta illi familiaris,

Hic ames dici PATER *atque Princeps*,

& Trajanus in quodam nummo Hadriani ſub Jovis habitu cum fulmine & haſta, DIVUS TRAJANUS AUG. PARTH. PATER, in alio autem ejuſdem Hadriani, quem viderat ὁ πάνυ Peireskius, PATRI; ac præterea Pertinax in ſingulari nummo Regiæ Gallorum Gazæ mihi inſpecto DIVUS PERT. PIUS PATER. Eadem nempe de cauſſa, ob quam Jovem Græcis PATREM dictum videre licet apud Diodorum,
Lib. v.
Lib. IV. c. 3. aut apud Lactantium, qui tradit Gentilibus *omnem Deum inter ſolemnes ritus & precationes* PATREM *nuncupari*. Ut etiam inde liqueat, non fruſtra ad illud Virgilianum, *Da Pater augurium*, dictum à Servio, PATER *Religionis, ut ſupra diximus, nomen eſt*; quomodo & *Patres* dicti jam olim ſacrorum cum apud Gentiles tum apud Chriſtianos Antiſtites, ut eruditis notum, ac notanter *Pater ſacrorum* apud Tertullianum in Apologetico. Immo inde quoque profectum hunc morem videas, ut defuncti Auguſti PATRES aut PARENTES à ſucceſſoribus vocarentur, quamquam nullis cognationis vinculis iiſdem conjuncti; cujus moris crebra exempla occurrunt in Codice Theodoſiano. Quo loco inſuper notandum illud, quod Totilas apud Procopium ad Imp. Juſtinianum ſcribens, PATREM
Bell. Goth. l. III. c. 21. eum ſe vocaturum dicit, ſi Pacem concedat, ΠΑΤΗΡ τε ἂν ἐμὸς εὐθέτως καλοῖο. Cæteroquin illud cognomen PATRIS ORBIS, quod meruiſſe pridem Auguſtum tradit alicubi Ovidius,
Faſt. l. 1. *Jam dudum tu* PATER ORBIS *eras*,
geſtaſſe demum videmus illius Conjugem Liviam, quæ in Nummis GENETRIX ORBIS vocatur. Hinc natæ rurſus illæ propriæ Cæſarum appellationes in eorum Nummis itidem obviæ, PATRIS CASTRORUM, PATRIS EXERCITUUM, quæ ut ſummi faſti-

fastigii vocabula Augustis tantum solita conferri, aut designatis eorum hæredibus. Quæ illustrant egregie locum Taciti, apud quem inter reliqua crimina Pisoni objecta, vitio versum, quod passus sit, ut PARENS LEGIONUM *appellaretur*. Novum insuper in Augustorum gratiam repertum PATRIS SENATUS cognomentum, quod Claudio recusanti Consul Vipsanius deferebat (*quippe promiscuum* PATRIS PATRIÆ *cognomentum*) sed à Pupieno ac Balbino receptum eorundem Nummi arguunt, cum inscr. PATRIS SENATUS; quibus addi potest Nummus Commodi cum eadem egipraphe PATER SENATUS. Repertum illud nempe vice antiquæ appellationis PRINCIPIS SENATUS, quam ab Augusto susceptam, à Tiberio inter titulos principatus adscriptam supra ex Dione vidimus, & quam Pertinaci etiam tribuit vetus lapis, IMP. CÆS. P. HELVIO PERTINACI PRINCIPI SENATUS PATR. PATRIÆ COS. II. Ac Imperatorum exemplo ad Augustas etiam translata itidem cognomenta MATRIS SENATUS, MATRIS CASTRORUM, MATRIS etiam PATRIÆ, quæ Nummi & Marmora Faustinæ, Juliæ Severi, Mamææ & Victoriæ largiuntur, & de qua priori appellatione Lucanus noster,

Ann. III. 13.
Ann. XI. 25.
Occo. pag. 323.
Thes. CCIX. 1.

Tarpeiamque Jovis sedem, MATRES QUE SENATUS. Lib. V.

Qui mos scilicet in Liviæ gratiam inductus, quam *alii* PARENTEM, *alii* MATREM PATRIÆ *appellandam censebant*. Alioquin ut illi Patres aut Matres Castrorum, Exercituum, Legionum, Senatus; ita FILIUS *Castrorum* vocatus Caius apud Suetonium, & *Legionum alumnus* apud Tacitum, & Gordianus, FILIUS *Exercituum*, & *Senatus* apud Capitolinum, *Cordus*

Tacit. Annal. I. 14.
Annal. I. 44.
In Gordiano.

dus dicit omnes MILITES *eum* FILIUM *appellasse, ab omni* SENATU FILIUM *dictum.* Quomodo nempe jam ante M. Aurelius pro civium erga se caritate, ab aliis modo FRATER, modo PATER, modo FILIUS etiam, pro cujusque ætate dictus ac dilectus.

Cap. in M. Aurel.

De Titulo PII *& adfinibus.*

PII vero & FELICIS cognomenta tribuunt passim iisdem Augustis antiquæ Nummorum & Lapidum inscriptiones. Mos autem earum inductus ex acclamationibus Senatus in inauguralionibus Principum, aut præclaris rebus in commune beneficium ab iis gestis. Elagabalus quidem inter reliquos imperii titulos, utrumque adsumpsit ante Senatus decretum, ut constat ex ejusdem Epistola apud Dionem. Alias enim neque continuo sub initium Principatus, neque conjunctim semper eædem appellationes Cæsaribus delatæ. Discrimen hoc & corruptum simul morem adulatione illorum temporum in Commodo observat Lampridius; *Inter hæc Commodus, Senatus semet ridente, quum adulterum matris Consulem designasset, appellatus est* PIUS, *quum occidisset Perennem appellatus est* FELIX. Hinc utrumque nomen simul in Nummis ejusdem Commodi primum videas receptum, & dein in Severi aliorumque Cæsarum inscriptionibus frequens. Alioquin & Tiberio jam olim sed abnuenti, & Successori ejus Caio in Deos juxta & conjunctos impio, PII cognomen delatum tradit Suetonius. De ratione vero illius appellationis præter Antoninum vulgo postea Cæsaribus concessæ, differit cum Cæsar ipse sed ἀποθέωτος Julianus, tum alicubi Themistius; qui alibi etiam Deorum exemplo ita dictos docet, qui tanquam ΕΥΣΕΒΕΙΣ & ΣΩΤΗΡΕΣ soleant invocari. Hinc recepta jam olim à Syriæ Asiæque Regibus nomenclatio cum aliis Deorum cognominibus; ut intercæteros ab Antiocho Evergete,

Lib. xxix.

Orat. ix.

Orat. ix.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

te, sicut probat illius Nummus, ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΥΣΕΒΟΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Apud Romanos vero duplici ratione tributum illud cognomentum Cæsaribus liquet ex eorum Nummis: Priori, pro Religione erga Deos; unde instrumenta sacerdotalia, Pateræ, Aræ, aut Templa in aliquot Cæsarum & Augustorum Nummis depicta, cum inscr. PIETAS AUG. Quo spectat rarus quidam Otaciliæ Augustæ, in quo mulier stans juxta Aram, dextram extendens, & sinistra tenens pixidem, cum inscr. PIETAS AUGUSTÆ. Eadem scilicet εὐσεβείας & θεοσεβείας significatio de Religionis cura & pietate in Deos apud Gentiles, ut frustra inter eas voces discrimen quæsitum sit à nonnullis. Ita utrumque promiscue sumi à Platone videas, ὅταν ἐξ ἀνδρὸς ἀγαθοῦ καὶ ΘΕΟΣΕΒΟΥΣ ἀσεβὴς γένηται· paullo post, καὶ τῷ ἐξ ΕΥΣΕΒΟΥΣ ἄρα γενομένῳ ἀσεβεῖ. In Cratylo p. 394. edit H. Steph.

Altera, frequentius pro insito amore erga Liberos, Parentes, Senatum, Principem, & mutua quadam inter se omnium ordinum caritate. *Quid est Pietas* juxta Tullium, *nisi voluntas grata in parentes*; & quo sensu proinde noti vulgo & PIUS Æneas apud Poëtam, & PII fratres Catinenses apud Græcos ac in Nummis itidem obvii, & præter Oppium, Metellus, ac S. Pompeius PII in iisdem similiter dicti. Ita rursus Parentum in liberos caritatem, non solum PIETAS in Augustarum Nummis, Matris Symbolo gremio liberos foventis, aut manus super eosdem extendentis frequenter adumbrat; sed in quodam etiam aureo Antonini Numismate figura stans cum tribus pueris & inscr. PIETATI AUG. Quo referri etiam debet rara inscriptio Theodoræ Maximiniani Conjugis PIETAS ROMANA, cum figura mulieris filium lactantis, & qualem supra videas expressam in Historia Augustarum. Hinc vero In Plancio. In Cimel. Card. Leopold. Medic.

natum utrumque hoc discrimen in Romanorum monumentis, ut iis ex æquo celebraretur PIETAS Principis cum erga Deos, tum in liberos ac subditos, pro utraque nominis illius ratione; & rursus PIETAS subditorum erga Principem ut Parentem nempe communem, aut etiam ut Numen tutelare. Inde Ἀσέβεια seu
Annal. VI. *Impietas* dicta crimen Majestatis, ut Albucilla apud Tacitum, *quæ defertur* IMPIETATIS *in Principem*, &
Pag. 99. clarissime apud Dionem in Excerptis, τῆς λεγομένης ΑΣΕΒΕΙΑΙΣ. Adeo ut non mirum sit audire Pisonem
Annal. III. 16. de se profitentem, *vixisse me Cæsar cum fide adversum te, neque alia in Matrem tuam* PIETATE; aut statuam videre erectam L. Vitellio patri Imperatoris cum inscr.
Suet. in Vitellio. PIETATIS IMMOBILIS ERGA PRINCIPEM. Unde & inter fausta Patrum acclamationes in inauguratione Pertinacis, ingestum illud PIETATI SENATUS FELICITER; quem Lampridii locum egregie rursus illustrant præclari Nummi Antonini PII & Commodi, cum Imperatoris & togata Senatus figura ac inscr. PIETATI SENATUS. Nempe juxta
In Panegyr. Plinium, PIETATI SENATUS *cum modestia Principis* FELIX *speciosumque certamen.* Ita vicissim alius occurrit nummus Galbæ insignis, & cujus ectypum hic habes è Museo, quod nosti, viri apud vos à genere, dignitate, meritis, ingenii ac vitæ elegantia splendidissimi, & de quo sæpe alias in hoc opere, Camilli Maximi. Exhibet ille in priori nummi facie caput Galbæ laureatum cum inscr. SER. SULP. GALBA. IMP. CÆSAR AUG. p. m. TR. P. in aversa autem juxta sequentem iconem, duas figuras stantes, unam Imperatoris paludati quam minus accurate cælator expressit, alteram Senatus togati sinistra lauream tenentis, dextra autem coronam Imperatoris capiti imponentis,

nentis, cum inscr. SENATUS PIETATI AUGUSTI.

Crederem facile inscriptum ita hunc Nummum auctoritate Senatus, ob adoptatum à Galba Pisonem, *nobilem utrinque*, & in quo facto *Patrum favor aderat*, auctore Tacito; ni obstaret forte breve illud quatriduum quod inter adoptionem & cædem fuit, intervallum. Ita haud dissimilem nummum in L. Vero descripserunt viri docti, cum eadem inscr. PIETATI SENATUS. Sic alibi mutua duorum Augustorum Pupieni & Balbini concordia solito symbolo, duabus nempe manibus junctis adumbratur, cum inscr. PIETAS MUTUA AUGG. Ita factum etiam, ut sequiori ævo inter solita & propria Imperatorum epitheta, PIETAS sicut *Mansuetudo*, *Clementia*, aliæque id genus sit recepta, quod notatur in Novella Justiniani, & cujus exempla in Constitutionibus Imperatorum, obvia ut [a] Theodosii, *Nec non à Divo* PIETATIS *meæ Avo*; & cum apud [b] Symmachum aliquoties, tum [c] Cassiodorum, qui Theodericum inducit scribentem ad Imperatorem Anastasium, *ad Serenissimam* PIETATEM *vestram*. Ut mittam etiam Ponticam Diœcesim à Constantio, quod [d] Ammianus refert, ad honorem Uxoris *Eusebiæ*

Hist. I. 19.

Occo. pag. 303. & 307.

Nov. CXV.

[a] Cod. Th. l. 2. de Frum. Urb. Const.
[b] Lib. X. Ep. 34.
[c] Var. lib. I.
[d] Lib. XVII.

PIETATIS *cognomine dedicatam.* Cæterum Antonino non commune solum cum reliquis dein Augustis, sed & proprium PII cognomen mansit, desumptum ab illius cum in Hadrianum, tum in Deos Pietate. Postremum notat Pausanias; aliam vero causam adfert Joannes Antiochenus, τὸ πρὸς ΕΥΣΕΒΟΥΣ ἐπίκλησιν ἁπάντων τῶν Αὐτοκρατόρων ἐκ τῆς ἤθους ἁπλότητος ἀπηνέγκατο. PII *vero appellationem omnium Imperatorum primus à morum simplicitate retulit.* Si vero generum ejus Marcum audiamus, PIUS quasi *Clemens* dictus, *Hæc* (Clementia nempe) *Cæsarem Deum fecit, hæc Augustum consecravit, hæc Patrem tuum imprimis* PII *nomine ornavit.* Quo certe respexisse videtur Claudianus,

Sis PIUS *imprimis, nam cum vincamur in omni*
Munere, sola Deos æquat CLEMENTIA *nobis.*

In Arcadicis. Pag. 821.

Vulcat. Gallio. in Avid. Cass.

In IV. Cons. Honor.

Quacunque vero de caussa cognomen hoc eidem Antonino adhæserit; solo dein illo nomine frequenter designatus, ut apud Lampridium, *quid* PIO *sanctius, quid* MARCO *prudentius, quid* VERO *simplicius*; ac in libris veterum Jurisconsultorum, in quibus vulgo *Divus Pius* appellatur. Immo inde non ΕΥΣΕΒΗΣ solum, sed ΠΕΙΟΣ etiam videtur Græcis dictus juxta Nummum Regium, & alterum Musei Seguiniani, in quibus diserte legitur ΠΕΙΩ vel ΠΕΙΩΝ ΕΦΕCΙΩΝ, cum signato ejusdem PII vultu in priori nummi facie. Et quamquam insolita plane occurrat illa appellatio, ac mihi prima fronte, ante eosdem Nummos coram inspectos, ut ingenue fatear, parum verisimilis videretur, qui noveram eundem Cæsarem Græca ΕΥΣΕΒΟΥΣ voce passim Græcis nuncupatum, & ΕΥΣΕΒΕΙΑ dictos iisdem ludos Puteolis ab hoc Antonino Pio in honorem Parentis Hadriani, ut Artemidorus refert, institutos; haud difficulter tamen postea censui, indubiam

In Alexand. Sev.

Select. Numis. p. Seguin. p. 147.

Thes. Grut. cccxiv. 1.

Lib. 1.

biam optimorum Nummorum scripturam non temere rejiciendam. Nihil enim obstat, cur non ΠΕΙΟΣ dici potuerit hic Imperator, sicut ΜΑΓΝΟΣ, ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ, ΙΟΥΣΤΟΣ, aliaque id genus Romana nomina jam alibi notavimus; quæ ideo quod in proprii cognominis vicem transierant, Romanam etiam appellationem frequenter retinuere. Ridet certe alicubi Lucianus, quendam historiarum conditorem, qui Romanorum nomina in alia Græca transformabat, *Saturninum* vocans Κρόνον, *Frontonem* Φρόντιν, aliaque id genus multo absurdiora. At non proinde ferendus error nobilis antiquarii, qui in Nummo Caracallæ Tarsensi, obvias litteras Π. Π. explicat ΠΕΙΟΣ ΠΑΡΘΙΚΟΣ seu *Pius Parthicus*; quæ juxta consuetum earum in sexcentis Nummis id genus usum, ΠΑΤΗΡ ΠΑΤΡΙΔΟΣ explicari debuerant.

Quom. conscr. Hist.

Tristan. Tom. II. p. 215.

FELICIS etiam appellatio Syllæ exemplo à Cæsaribus admissa, quam Commodo, Perenne occiso, peculiari Senatus decreto demum concessam, ex Lampridio & Nummis ejusdem monuimus. Inde etiam juncta dein PII & FELICIS cognomina, in nummis & inscriptionibus ejusdem Commodi primum recepta. Neque obstant illæ Inscriptiones, quas video in magno Gruteri opere ad M. Aurelium hujus Patrem referri, cum utraque illa appellatione, IMP. CÆS. M. AURELIO ANTONINO PIO FELICI. Caracallæ enim, qui eadem nomina *M. Aurelii Antonini* gestavit, illæ verius adscribendæ; ut licet etiam eruere ex adjuncto BRITANNICI, quem prior præfert Inscriptio, titulo; ac præterea ex præmissis illis ante M. Aurelium IMP. CÆS. nominibus, quod in Romanis Nummis Caracallæ, non autem Marci obvium. Neque vero infrequentes in luculento illo Thesauro id

De Titulo Felicis & adjunctis.

Thes. CCLVIII. 9. 10. & CCLIX. 1.

genus transpositiones ortæ ex nominum communione, cujus exempla etiam alibi in hoc opere notamus. Quamquam utrumque PIETATIS & FELICITATIS elogium norim Trajano concessum in veteri Marmore, & juxta ejus laudatorem, de eodem dictum sit *à cuncto Senatu, ô te* FELICEM; mox, *Estne verum quod inter ista clamavimus, ô nos* FELICES. Scilicet juxta veteris itidem Nummi epigraphen, quæ eandem appellationem Senatui tribuit, INVICTA ROMA FELIX SENATUS. Solliciti nempe ante omnia Cæsares, ut felicitas suorum temporum non uno acclamationum aut monumentorum genere posteris traderetur,

Thes. CCXLVI. 4.

Plin. in Panegyr.

Ovid. l. 1. Trist. El. 2.

Hoc duce si dixi FELICIA SÆCULA, *proque Cæsare tura pius, Cæsaribusque dedi.*

Hinc frequentes illæ in præclaris eorundem Nummis Inscriptiones, FELICITAS AUGUSTI; FELICITAS TEMPORUM; FELICITAS REIPUBLICÆ; FELICITAS SÆCULI; FELICITAS PUBLICA; FELICIA TEMPORA; FELIX TEMPORUM REPARATIO; item ADVENTUI AUG. FELICISSIMO, & in eximio nummo Maxentii ÆTERNA FELICITAS AUG. Hæc omnia vero variis ibi symbolis expressa, Triremi puta seu prosperæ navigationis cursu; quatuor Pueris & Cornucopia, ceu quatuor anni tempestatum felici proventu; Olivæ ramo & Caduceo ceu Pacis nuntiis; tum figuris Victoriarum nonnunquam, ut belli feliciter confecti testibus. Unde patet etiam cur apud Symmachum aliosque scriptores eorum temporum, SÆCULI vel TEMPORUM FELICITAS, *Laus, Gloria, Fama, Æquitas*, in litteris ad Augustos exaratis passim extollantur, subinde vero infelicitas temporum, seu Tacito

Annal. XIV. 48.

Tem-

Temporum infamia notetur. Et appositè hanc in rem Cassiodorus, *Præsertim cum* BEATITUDO *sit* TEMPORUM, *lætitia populorum.* Inde quoque illæ Cæsarum in antiquis Lapidibus appellationes, non PII solum aut FELICIS, sed PIISSIMI, FELICISSIMI, BEATISSIMI, quas duas postremas non unus etiam Diocletiani & Maximiniani Nummus præfert. Quod minus mirum ea ætate qua *Invictissimi*, *Victoriosissimi*, *Fortissimi*, *Clementissimi*, *Maximi*, dicti passim Augusti. Immo inde etiam eorundem Cæsarum Regia, & ejusdem Urbis simulacra, Coloniæ, BEATÆ passim & FELICES dictæ in antiquis id genus monumentis; qualis ROMA BEATA in nummo Constantii; ROMÆ FELICI, in nummis Caracallæ & Macrini; in aliis FEL. BER. seu *Felix Berytus*; FELIX IADERA; OCTAVIOLA FEL. apud Ligorium; FELIX RAVENNA; in singulari nummo Mediceo COL. AUR. KAR. KOMM. P. F. *Colonia Aurelia Carrenorum Commagene Pia Felix*; in nummis aliquot Severi & Caracallæ FELIX KART. ac in Galerii Maximini nummo Mediceo, SALVIS AUGG. ET CÆSS. FEL. KART. seu *Salvis Augustis & Cæsaribus Felix Carthago*; Ut satis liqueat, cur à Tertulliano vocentur Carthaginenses *vetustate nobiles*, *novitate* FELICES; ea ætate nempe qua se ita publico ære signabant, juxta consuetos id genus restauratarum sub Cæsaribus Urbium appellationes. Hinc appositè de eadem Carthagine Optatianus,

Var. lib. 1. c. 20.

De Pallio.

Nunc se FELICEM, *nunc se sub nominis arce*
Tutam, quod KARTHAGO *decus venerabile gestat.*

Sic DACIA FELIX in aliis Nummis, h. e. secundum antiquam Trajani inscriptionem, *Cujus Virtute* DACIA *Imperio addita* FELIX *est*. Inde quoque nova

Thes. CCXLIX. 4.

Roma.

Roma passim *Felicissima Civitas* dicta in Novellis Justiniani; immo Urbes etiam à Romanis restauratæ FELICITATES nuncupatæ, sicut Olyssipo *Felicitas Julia* apud Plinium. Neque aliter apud Græcos μεγίστω καὶ εὐδαίμονα vocari passim videas nobiliorem quamvis civitatem, magnitudine scilicet & opibus florentem; quomodo & opulenti homines Romanis *beati* & *beatiores* dicti; aut Ephyra seu Corinthus Himerio apud Photium, judicanti oculo felicitatem adferens vocatur, quæ & alias illo *Felicis* nomine apud Poëtas & Historicos celebris. Quod vero monuimus è Nummis de FELICITATE PUBLICA, non autem singularum solum Urbium aut Provinciarum; aut de FELICIS appellatione sub Commodo recepta, illustrat etiam singularis quidam Nummus, quem primo descriptum videre contigit in Collectaneis Ligorianis, cum Commodi vultu in anteriori parte, in aversa vero cum memorabili inscriptione Coronæ inserta, ΚΟΜΜΟΔΟ.ΒΑCΙΛΕΥΟΝΤΟC Ο.ΟCΜΟC ΕΥΤΥΧΕΙ ΝΙΚΑΙΕΩΝ, & quæ postrema explicabat Ligorius, *boni aut felicis odoris Nicæensibus*. Quæ certe explicatio mihi quum mira, ac, ut libere dicam, absurda videretur, & ob totam Nummi epigraphen plane insolitam, ut qui scirem quantum sibi in his indulsisset Ligorius, suspecta quodammodo esset Nummi ipsius fides, opportune postea occurrit mihi similis inter nummos vere Regiæ Gallorum Gazæ, quem verum utique ac genuinum deprehendi, & cum eadem quam descripserat Ligorius epigraphe, sed quem aliter explicandum facile intellexi, nempe. Ο. ΟCΜΟC supplendo Ο. ΚΟCΜΟC ΕΥΤΥΧΕΙ. h.e. *Commodo Imperante Mundus Felix est Nicæensium*: quomodo legas itidem in veteri Epigrammate inedito Leonidæ in natalem Cæsaris,

Lav. c. 22.

Bibl. Cod. CCXLIII.

In MS. Regin. Christ.

ὄφελ-

ὁ φέρων ΚΟΣΜΟΣ ἅπας πάππου ὠγάζηται,
Ὡς Πατέρα τείσης εἶσιδεν ΕΥΤΥΧΙΗΣ.

quamquam deest aliquid in priori versu, quod facile suppleri potest; cui & addas licet illud Græci Comici, ὦ πόλις, πόλις ὡς ΕΥΤΥΧΕΙΣ. Consueta nempe, prout vidimus, illorum temporum adulatione, ut sub pessimis etiam & infaustis Principibus, Temporum ac Publicam *Orbis Felicitatem* passim gratularentur Romani Orbis incolæ. Quod hic etiam à Nicænsibus factum, & in honorem illius Principis, sub quo primum FELICIS ille titulus inter solita Principatus vocabula admissus. Ita quum è delatis à Senatu Macrino PII ac FELICIS nominibus solum FELICIS accepisset, ut auctor est Capitolinus, inde continuo signatum videas ejusdem Macrini Nummum, cum inscr. ROMÆ FEL. *Romæ Felici.*

Nec præteriri debet hoc loco recepta sequiori Cæsarum ævo DOMINI appellatio, quæ rursus Prænominis vice & supremi fastigii vocabuli, in eorundem Nummis signatur. Origo autem adsumpti illius tituli à Caio profecta, qui se juxta Victorem Schotti *Dominum dici tentaverat*, ac proinde apud Philonem à Rege Agrippa litteris ad eum scriptis, Ω Δεσπότα compellatur. Renovatus idem à Domitiano, quamquam de illo dixerit Papinius, *De Titulo* DOMINI. Legat. ad Caium.

Et dulci DOMINUM *favore clamant*,
Hoc solum vetuit licere Cæsar: Sylv. l. 1. Ep. 6.

ita tamen ut nondum inter reliqua Principatus vocabula publico ære signaretur. Primus auctor illius moris occurrit nobis Aurelianus, cujus Nummum supra adtulimus inscriptum, DEO ET DOMINO NATO AURELIANO; aut juxta alium à Savoto traditum, DEO ET DOMINO NOSTRO. Sed parcior adhuc usus illius

lius tituli, quod arguunt alii Nummi illorum temporum, donec postea idem à Caro repetitus, & Nummis ejusdem aliquoties adscriptus, DEO ET DOMINO CARO, aut DEO ET DOMINO NOSTRO CARO; ut ad eum passim postea recepti publicis Nummorum aliisque monumentis vocabuli usus referri omnino debeat. Hinc etiam à successore ejus Diocletiano eadem retenta appellatio; ut satis constat ex ejusdem & sequentium Augustorum Nummis, cum solita dein epigraphe DN. vel DN. N. *Domini* seu *Domini Nostri*. Ita vero passim appellati illa ætate Augusti; unde Firmicus Auctor ævi Constantiniani, *Constantinum Maximum Principem & ejus invictissimos Liberos* DOMINOS *& Cæsares* NOSTROS. Transiit eadem ad Successores, adeo etiam ut sola illa ΔΕΣΠΟΤΟΥ seu DOMINI appellatio, omissis aliis principatus vocabulis, nonnunquam in eorum Nummis signaretur; cujus index nobis sequens Nummus aureus Gazæ Palatinæ, quamquam invenustus valde & inconcinnus, juxta solita illorum temporum monumenta. Inscriptus autem ille in aversa parte ΑΛΕΞΙΩ ΚΟΜΝΗΝΩ ΔΕΣΠΟΤΗ, *Alexio Commeno* DOMINO.

Lib. 1. c. 4.

Ut

Ut proinde non fruſtra tradat alicubi Socrates, ſe incurſurum in reprehenſionem, quod non vocet Imperatores θειοτάτους καὶ ΔΕΣΠΟΤΑΣ, *Diviniſſimos & Dominos*. At vacare poterat eo metu, ſi incidiſſet in tempora Auguſti, Tiberii, Trajani, à quibus repulſa illa appellatio; aut Alexandri Severi, qui DOMINUM *ſe vocari vetuit*; quod nempe, ut aiebat ille, non ſervis ſed liberis hominibus imperaret; *Non eſt hic* DOMINUS *ſed* IMPERATOR. Certe qui PATER PATRIÆ eſt, inquit Tertullianus, *quomodo* DOMINUS *eſt*; quæ tamen ſociari videas in nummis ævi Conſtantiniani & ſequentium; ſi excipias Julianum Apoſtatam, qui nomen illud DOMINI ut invidioſum à ſe proſcriptum & propemodum è medio ſublatum tradit. Inde aliquot ejus Nummos adhuc hodie verſamus idem adſtruentes, quippe ſine ſolito illa ætate D N. ſeu *Domini Noſtri* prænomine inſcriptos, ſcil. IMP. JULIANUS, aut FL. CL. JULIANUS. Neque obtinuit tamen, ut ejus exemplum æmularentur Succeſſores, apud quos illa DOMINI appellatio non ſolum in eorum Nummis conſtanter recepta, ſed conſuetæ ſalutationis formulam vulgo conſtituebat; ut ex Sidonio Symmacho, Codice Theodoſiano, aliiſque ſatis notum. In diverſa certe præ reliquis abiere Juſtinianus & conjux Theodora, quos DOMINI & DOMINÆ vocabulum ſevere à compellantibus exegiſſe narrat Procopius; quum antiquis temporibus Cæſares ΒΑΣΙΛΕΩΣ aut ΒΑΣΙΛΙΔΟΣ vocabulis ſalutari conſueſſent. Hinc alibi etiam de eadem Auguſta refert idem Auctor, negare illam ſe unum diem velle vivere, ubi à ſalutantibus DOMINA non compellaretur. Quamquam etiam jam pridem ante Clari aut Diocletiani tempora receptus uſus foret, ut Cæſares DOMINI

Hiſt. Eccl. Præf. l. IV.

Lamprid. in Alexand. Sev.

In Apologet.

In Miſopogonc.

Arcan. Hiſtor. c. XXX.

Bell. Perſ. l. I. c. 24.

à necessariis aut salutantibus dicerentur, quod ex Plinii Epistolis ad Trajanum satis notum; ipsi tamen ab eadem appellatione abstinerent, sicut docent eorum Nummi & Marmora. Unde & Augustum ipsum, quamquam hanc DOMINI appellationem, vel [a] Philone ac [b] Tertulliano auctoribus refugientem, adeo ut graviter iis succenseret, qui hoc nomen illi tribuerent, eo tamen DOMINI vocabulo compellat eum Cleopatra apud [a] Dionem, tum alibi quoque [b] Licinius. Ita DOMINÆ vocabulum apud Romanos olim vel conjugibus vel amasiis à viris aut amicis tribui solitum notarunt jam eruditi, & obvia res certe cum apud Poëtas, tum in libris Jurisconsultorum; *Uxori suæ testamento ita legatum est*, *Semproniæ* DOMINÆ *meæ hoc amplius argentum balneare*. Unde *Domina* etiam pro conjuge usurpata apud Poëtam,

Hi DOMINAM *Ditis thalamo deducere adorti.*

ad quem locum inutilis Servii glossa, modo autem Servii, non alterius magistelli, *aut de Græco tractum est qui uxorem* Δέσποιναν *dicunt*: quasi non & similiter Romani *Dominam*. Qui mos certe eadem adhuc ætate obtinebat, ut vel docebit Hieronymus, *vocanda* DOMINA, *celebrandus natalis ejus*, ubi de præstandis à marito officiis loquitur. Alioquin *Matronas* etiam vocabant uxores eodem ævo juxta Symmachum, *Quid quod etiam jactari morbo Matronam tuam simulas*. De Elagabalo autem omnium virorum Muliere notavit Dio, γυνὴ δὲ καὶ ΔΕΣΠΟΙΝΑ βασιλίς τε ὠνομάζετο, *mulier vero &* DOMINA *& Augusta etiam vocabatur*. Ita sequiori adhuc ævo Augustæ non solum ΔΕΣΠΟΙΝΑΙ, sed ΚΥΡΙΑΙ etiam dictæ, ut apud Nicephorum Bryennium, συνήγοντο οἱ περὶ τὰ δικαστήρια τὴν ΚΥΡΙΑΝ πρέσβιν, quæ alias apud Annam Comnenam Bryennii illius conjugem

ΔΕ-

[a] Legat. ad Caium.
[b] Apologet.
[a] Lib. LI.
[b] Lib. LIV.
L. 40. D. de Aur. Arg. Mund.
Lib. L. adverſ. Jovinian.
Lib. VIII. Ep. 165.
Lib. LXXIX.
Lib. I. c. 22.

ΔΕΣΠΟΙΝΑ vocatur. Cæterum ΔΕΣΠΟΙΝΙΚΑΙ & ΔΕΣΠΟΤΙΚΑΙ seu *Dominicæ* appellatæ quoque Regiæ Domus novæ Romæ apud Scriptores Byzantinos, ut liquet rursus ex Procopio; quomodo jam olim DOMINÆ *fastidia Romæ*, & *Colles septem* DOMINI apud Martialem. Lib. III. Alex. p. 75. In Arcan. Hist. c. 26.

Unum vero hic supereſt CENSORIS munus, quod non omiserunt Cæsares, *cuncta Legum ac Magistratuum munia in se trahentes*. Adeo quidem ut Dio observet, vi illius Potestatis, in vitam & mores Senatorum inquirendi, censum agendi, in Equestrem aut Senatorium ordinem legendi; alios ab iisdem removendi plenum imperium eosdem habuisse. At vero alibi vim quidem agnoscit illius Magistratus penes Cæsares fuisse, sed eosdem tamen sua ætate, præterquam in agendo censu, nomine aut magistratu Censorio abstinuisse. In quo discrimen notat sui ævi & priorum aliquot Cæsarum, dum CENSORIS nomen ab iis nonnunquam susceptum, à Domitiano certe gestam Perpetuam Censuram tradit. Ita nempe se habuit Censura sub Cæsaribus. J. Cæsari & Augusto cum reliquis honorum titulis, oblatum etiam perpetui Censoris munus. Prior admisit sub nomine *Præfecti Morum*, sicut Cicero ac Tranquillus eum vocant. Posterior tenax semper callidi propositi, Perpetui Censoris titulum recusavit; ita quidem ut crearet Censores more veteri, ipse interim *Censoria munia usurpans*; sicut de Claudio loquitur alicubi Tacitus. Alioquin & Censuram gessit Augustus cum Agrippa, ne promiscue Censoris nomen æque ac Dictatoris refugisse illum cum magno Suetonii interprete statuas, sed alterum illud munus obnoxium invidiæ, Perpetui nempe Censoris. Equidem Censor vocatur alicubi Macrobio, *Mira etiam* CENSORIS *Augusti &* De CENSURA *sub Cæsaribus.* Lib. LIII. Annal. XI. 13. Lib. II. Saturn. c. 4.

laudata patientia. Factum vero postea, ut *Magister Morum* idem crearetur in quinquennium cum POTESTATE CENSORIA, ut amisso nempe titulo rem teneret; haud aliter ac *Tribunitiæ & Consularis Potestatis* reperta illa ætate vocabula, sicut *Monarchicæ Potestatis* eodem sensu meminit jam olim Polybius agens de Critolao Prætore Achæorum. Ejusdem quoque *Censoriæ Potestatis* mentionem videas apud Tacitum, qua L. Volusius *legendis Equitum decuriis functus.* Alioquin *Censoriam Potestatem* pro vera Censura dixerunt nonnunquam Auctores, ut Livius de irritis publicanorum precibus apud Senatum, *ut modum Potestati Censoriæ imponeret.* Valerius autem de M. Valerio Messalla censoria nota perstricto, qui *Censoria postmodum Potestate imperavit.* Cæterum ut Censoria Potestas Augusto, ita vis Censoria jam olim concessa M. Fabio Buteoni Dictatori, sed ad tempus tantum, quo Senatum legeret. Equidem postea penes Cæsares mansit illa Potestas Censoria sub Augusto reperta, adeo ut ea contenti, à Censoris nomine frequentius abstinerent, quod Dio tradidit, aut tantum in agendo censu idem usurparent. Hoc modo factum, ut obscura evaserit mentio gestæ Censuræ in Historia Augusta; nomen certe ejusdem à Flaviis admissum, post Domitiani vero tempora vix in publica Cæsarum monumenta sit adsumptum. Obstare tamen hic videtur fragmentum veteris Lapidis apud Gruterum, qui Caracallæ tribuitur, & ubi inter reliquos titulos Censorem illum dictum video, contra morem eorum temporum Dioni observatum. Sed imposuerunt hic nobis eruditi collectores, quum lapis ille non ad Caracallam, verum ad Vespasianum omnino sit referendus, ut ex collatione alterius Inscriptionis mihi fit mani-

Exc. Legat. CXLIV.

Annal. III. 30.

Lib. XLIII. cap. 16.

Lib. II. c. 9.

Livius lib. XXIII. c. 23.

manifestum. Prius fragmentum tributum Caracallæ,

.....PONTIFICI MAX. Thes.
TRIBUNIC. POTESTAT. CCLXX. 2.
IMP. XVII. P. P.
COS. VIII. DESIG. VIIII. CENSORI.
CONSERVATORI CÆREMONIARUM
PUBLICARUM ET
RESTITUTORI ÆDIUM SACRARUM
SODALES TITI.

Altera Inscriptio Vespasiani, ex qua superior suppleri debet,

IMP. VESPASIANO AUG. Thes.
PONT. MAX. TRIB. POT. IIII. CCXLIII. 5.
COS. VIII. DESIG. VIIII. P. P.
SACRARUM ÆDIUM.
RESTITUTORI
ET RITUUM ANTIQUOR.
CONSERVATORI
SODALES TITI.

Similis rursus altera eidem Vespasiano à sodalibus Titiis dicata, cum eodem anno Consulatus & Imperatoris numero, ac titulo præterea Censoris & Conservatoris Ædium Sacrarum; ex qua patebit etiam in postrema corruptos annos Tribunitiæ Potestatis IIII. pro VIII. Nec altera dissimilis Tito, cum Censoris nomine à Sodalibus Flaviis consecrata. Frequentes certe ejusmodi transpositiones & errores numerorum in præclaro opere, & notarunt jam alii, ac nos etiam paullo ante, & emendabit Vir eruditissimus, qui Spartam illam pridem exornandam suscepit. Egregie vero hæc omnia, quæ hactenus de Censura Cæsarum dicta, Nummi veteres vel docent vel illustrant; in quibus (ut singu-

singula mittamus in compendium) Vespasianum & Titum CENSORIS nomen cum reliquis titulis usurpasse videas, & CENS. POT. seu *Censoriæ Potestatis* sub Augusto repertæ memoriam servatam in nummis Do-
Lib. LXVII. mitiani; & eundem unum juxta Dionem tam inter privatos quam inter Cæsares, Censorem ἀϊδιον, proinde CENS. PER. seu *Censorem Perpetuum* passim in iisdem vocari; reliquos vero Cæsares vulgo ab ea Censoris appellatione abstinuisse, certe hanc à Nummis eorundem exulare. Quamquam & Hadriano etiam eandem tri-
In Apolog. buat Apuleius, *quod Imperator &* CENSOR *Divus Hadrianus fecit, & factum memoriæ reliquit.* At eandem, & maxime *Censoris Perpetui* titulum à Domitiano admissum recusasse Trajanum haud obscure innuit Plinius.
In Panegyr. *Ideo non* CENSURAM *adhuc, non Præfecturam Morum recepisti*, mox, *Perge modo Cæsar & vim effectumque Censuræ tuum propositum, tui actus obtinebunt. Nam vita Principis* CENSURA *est* PERPETUA. Claudii vero Censuræ, quæ Flaviorum temporibus antiquior, & cujus præter Tacitum aut Tranquillum, Plinius & Sidonius meminere, testes etiamnum Inscriptiones, cum in veteri lapide, tum in nummo ejusdem Claudii supra adlato qui Imperatorem curuli insidentem exhibet, ante eum transvectionem Equitis, cum inscr. CENSOR. Eximium præterea Censuræ monumentum videas in præclaro Nummo Vitellii, in cujus aversa parte L. Vitellii Parentis actio Censoria luculenter expressa. Censor nempe pro Tribunali in Sella Curuli, ante quatuor figuræ stantes, ex quibus una supra tres reliquas sublata, prima vero Cæsari aliquid porrigit, Nummi autem inscriptio L. VITELL. CENSOR II. S. C.

Por-

Proprium nempe hujus muneris censum agere, quod fiebat sedente pro Tribunali Censore, & vocato per præconem populo, quo nomine plures Quiritium figuras vides in hoc Nummo expressas. Quæ vero sedenti Censori proxima aliquid porrigit, haud dubito quin eum morem innuat, juxta quem ad illos decoris dedecorisque publici arbitros privata acta referri consueverant, secundum legem de iisdem Censoribus à Tullio traditam, *Privata ad eos Acta referunto.* Abunde insuper docet hic Nummus dignitatem muneris Censorii, cujus gesti memoria sub Imperatore filio revocari & publico ære signari meruit. Ut pateat non absurde Plutarcho Censuram omnium honorum apicem vocari; alibi dici ab eodem M. Crassum dignitate Censoria Pompeium superasse; aut cur Pollio tradat Valerianum antea Censorem, postea Imperatorem fuisse, omissa aliarum dignitatum nomenclatione; quod non debuit ibi magno Interpreti negotium facessere. Etenim cum tres Consulatus præter Censuram gesserit hic Vitellius, atque ita non ut *Q. Fulvius* aut *T. Manlius Torquatus duobus*, sed tribus esset *Consulatibus & Censura insignis*; ab hac tamen potius, ut per se eximia & sub Cæsaribus singularis exempli, quæsitum honoris apud

Lib. III. de Legib.

In Catone Majore.

In M. Crasso.

Liv. l. XXVI. c. 5.

posteros monumentum. *Explica totos fastos*, inquit, de Scipione Censore Valerius, *consule omnes currus triumphales, nihil tamen morum principatu speciosius reperies.* Certe ut hic L. Vitellii Nummus, ita Scipionis statua nihil aliud olim inscriptum habuit, nisi CENSORIS nomen, ut auctor alicubi Tullius, qui eo nomine Metellum exagitat, quod Scipionem proavum suum nesciverit tamen Censorem fuisse, *sed nescire proavum suum* CENSOREM *fuisse, turpe est.* Pater itaque ut L. Pisoni, (cujus nobilitatem eo nomine extollit Tacitus) ita Vitellio Imperatori Censorius, quod nesciri etiam à posteris noluit, & quo nomine eidem Tacito dicitur CENSORIS *Vitellii & ter Consulis filius.* Præcipuum nempe Romanæ nobilitatis decus domus Censoriæ, quarum alicubi meminit Halicarnassensis, qui Commentarios Censorios tanquam paterna sacra à patre ad filium docet transiisse, πολλοὶ γ' εἰσὶν ἀπὸ τῶν πατρικῶν οἴκων ἄνδρες ἐπιφανεῖς οἱ διαφυλάττοντες αὐτά· *multi enim sunt è* DOMIBUS CENSORIIS *Viri illustres conservantes talia.* Non ergo sine caussa Imperatorem Vitellium, ab eodem Parente omnem suam claritudinem consequutum docet Tranquillus. Quamquam nota ex auctoribus illorum temporum exquisita illius L. Vitellii adulatio, qua sub impuris principibus summos honorum apices adeptus est, & inter eos Censuram sub Claudio: ut cum aliunde tum ex Tacito constat, *Igitur Vitellius nomine Censoris serviles fallacias obtegens*, qui & Silanum Prætorem per edictum Vitellii (Censoris nempe) ordine Senatorio motum tradit in sequentibus. Immo liquet etiam ex superiori Nummo, quale fuerit illud Tribunal Censorium, cujus meminit Dio, & quod eadem die narrat corruisse, qua illud conscenderant duo creati ab Augusto Censores Æmilius Lepidus & Muna-

Lib. VIII. cap. 15.

Lib. VI. Ep. ad Attic. 1.

Annal. III. 28.

Hist. III. 9.

Lib. I.

Annal. XII. 4.

Lib. LIV.

Munatius Plancus. Quod vero eodem loco Dio id in omen trahit, quod factum nempe fuerit, ut ab eo tempore non duo amplius privati homines Censores fuerint, sed iidem postremi una hoc munere sint functi, hinc etiam obiter potest intelligi, & conferri cum altero Tranquilli loco de Claudio, *Gessit & Censuram intermissam diu post Paullum Plancumque Censores.* Duo nempe circa Censuram mutata sub Cæsaribus: Primum, quod non ut antea perpetua, & juxta legem de Censoribus apud Tullium, *Eaque Potestas semper esto*, sed intermissa fuerit Censura in agendo censu & pro arbitrio Principum solita renovari; unde neglecta eadem ab ævo Augusti ad Claudium, certe sub Tiberio *adserente non id tempus Censuræ*, & postea nonnisi per varia temporum intervalla repetita. Secundo, quod eo casu etiam non amplius duo Consules è Consularibus viris crearentur more veteri, sed Cæsar vel solus Censuram gereret, vel Collegam adsciscret, ut Claudius hunc Vitellium, aut in alium munus illud transferret, qualis sub Deciis Valerianus Censor exstitisse legitur. Postremi itaque sub Augusto Paullus Æmilius & Munatius Plancus duo privati simul veteri Censura defuncti, cujus etiam male ab iis gestæ meminit alias Velleius. Hæc mens Dionis, unde eximie illustratur alter Trebellii Pollionis locus, ubi inducit Valerianum onus Censuræ recusantem, *Hæc sunt propter quæ Augustum nomen tenetis, apud vos* CENSURA *desedit, non potest hoc implere* PRIVATUS. Vides paria facientem cum Dione; Censuram nempe à privatis ad Principem referentem. *Privati* quippe, ut notum, dicti omnes extra Principem, licet summis Magistratibus admoti, sicut passim apud Tacitum ac apud Plinium, de Virginio Rufo Consule, *summum fastigium privati hominis*, & L. Verus jam

In Claudio.

Lib. IV. de Legib.

Annal. II. 33.

Treb. Poll. in Valer.

Lib. II.

Consularis, necdum Augustus, *diu privatus* Capitolino dictus. Quamquam si Dionis Interpretem consulamus, privatum etiam reperiemus Censorem sub Cara-
L. LXXVII. calla, Ulpium nempe Julianum, ὃ τότε τὰς τιμήσεις ἐγκεχειρισμένος, h. e. juxta Xylandrum, *qui tum Censor erat*, verum opportune ita refingente Leunclavio, *cui tum erant commissæ censiones*. Hinc altum etiam de Censoribus silentium in libris veterum Jurisconsultorum, nisi quod obiter origo illius vocis tradatur in libro de Ver-
l. 203. borum significationibus, aut priscæ legis Censoriæ alicubi occurrat in eodem mentio; & cujus silentii causam opportune indicat magnus Cujacius, quod exula-
Obs. lib. XXIV. c. 7. ret jam ille Magistratus è Republica, ideo Trebonianum nihil de eorum officio reliquisse. Censoris tamen nomen & officium reperiunt nonnulli è recentioribus Juris interpretibus, in lege quadam de Pu-
l. 15. D. de Publican. & Vectig. blicanis, *Cæsar cum insulæ Cretæ Cotorias locaret, legem ita dixerat*; ubi pro *Cæsar* notat Dionys. Gothofredus, quendam J. C. emendare *Censorem*, cujus erat locare vectigalia. At inutilis & aliena illa emendatio. Nulli enim tum Censores præter Cæsares, qui omnia Censoriæ potestatis munia, ac proinde etiam Vectigalium locationem & curam in se transtulerant, ita etiam ut sibi solis omnem facultatem in iis Vectigalibus constituendis, reformandis, augendis, di-
l. 10. cod. minuendis reservarent, sicut liquet ex alia lege in eodem titulo. Unde etiam quum è Vectigalibus, alia integra spectarent ad Principem, ex aliis autem
l. 13. C. de Vectigal. & Com. duas haberent partes, tertiam locandi, quæ civitatum propria, facultatem iisdem indulgent juxta Constitutionem Theodosii. Incogitanter ergo fecit vir summus, qui ad illud Tertulliani de omissa suis tempo-
De Pallio. ribus Censura, *Enimvero jamdudum Censoriæ intentionis epi-*

episcynio dispersо quantum denotatus passivitas offert, observat *denotare* Tertulliano dictum pro simplici *notare*, quod erat Censorum proprium: hactenus recte; reliqua nollem dicta; Hos scilicet Censores sub Imperatoribus nomen tantum habuisse, non rem, nec notandi jus: quasi scilicet priscus ille Censorum Magistratus remansisset sub Cæsaribus, quem privati quamquam nomine tenus administrarent. Equidem quod ex superioribus satis etiam notum, insolitum illud accidit sub Deciis, ut decreto Senatus & Principum auctoritate, privatus adhuc Valerianus, nondum scilicet Augustus, Censor crearetur, & cum amplissima Censuræ potestate tam circa mores quam censum; ita ut ab ea soli immunes relinquerentur Præfectus Urbis, Consules Ordinarii, Rex Sacrorum, & Maxima Virgo Vestalium. Omissus alioquin & ante & postea sub Cæsaribus usus saluberrimi istius Magistratus, ubi maxime in censura morum versabatur, nisi quatenus aut Delmatius Hannibalianus à Constantino fratre Censor creatus, ut ex [a] Athanasio & [b] Socrate constat; aut *Censor moribus regendis acerrimus*, dictus [c] Ammiano Julianus, & Diocletiani dictum à [d] Vopisco refertur, *Castiores esse oportere ludos spectante Censore*. At Symmachi ævo constat Theodosium de revocanda Censura veteri sollicitum, eandemque voluisse Senatus arbitrio permittere. Refugit vero communi decreto illud magisterium amplissimus ordo, & in hanc rem conscripta Symmacho oratio sub nomine *Repudiatæ Censuræ*, cujus aliquotiens in Epistolis meminit. Ad quod Theodosii institutum respexisse etiam videtur laudator ejus Latinus Pacatus, *à te voluisti incipere Censuram*; haud aliter nempe ac de Alexandro Severo Lampridius, *Prorsus* CENSURAM *suis temporibus de propriis moribus gessit*. Accedit præterea

[a] Apolog. ad Const.
[b] L. 1. c. 17.
[c] Lib. xxv.
[d] In Carino.

Lib. IV. Ep. 45. & lib. V. Ep. 9.

& altera obſervatio, quod non ſemel ſed bis Cenſuram geſſiſſe L. Vitellium conſtet ex hoc Nummo, in quo inſcribitur CENSOR II. quod omiſſum à Scriptoribus, qui in genere Cenſuræ Vitellii & trium ejus Conſulatuum meminere. Unde liquet etiam errare viros doctos, qui poſt Marcum Rutilium Cenſorinum, nullum bis Cenſorem adſcitum credidere. Gravem certe refert Valerius, hujus Rutilii Cenſoris iterum creati orationem, qua populum corripuit, *quod eam poteſtatem* BIS *ſibi detuliſſet, cujus majores, quia nimis magna videretur, tempus coarctandum judicaſſent.* Equidem quum M. Fabius Buteo, qui Cenſor antea fuerat, Dictator creatus eſſet, quo Senatum legeret, quæ pars erat Cenſorii muneris, ipſe factum id improbat, pro Roſtris inter alia profeſſus, *nec Cenſoriam vim permiſſam uni & eidem* ITERUM. Tanti nempe videbatur ſemel etiam Cenſorem fuiſſe, ut quum ſæpe multiplicarentur in eodem homine Conſulatus, tamen vel partem aliquam Cenſoriæ Poteſtatis, in eundem *iterum* conferri, ne ipſi probare auderent, qui inſolito illo honore adficiebantur. At in Inſcriptione Aletrina de quodam L. Betilieno Vaaro legas inter alia, *Ob haſce Res* CENSOREM *Fecere* BIS, & in altera T. Flavii Hilarionis, CENSOR BIS AD MAG. CREANDOS. Verum hi Cenſores ex eorum genere, non qui Romæ, ſed vulgo in Municipiis & Coloniis creabantur, quæ oppida ſuos quoque habuiſſe Cenſores, ex [a] Livio, [b] Plinii Epiſtolis, aliiſque monumentis antiquis haud ignotum. Et hæc de Cenſura ſub Cæſaribus, cujus rationem non videntur ſatis adſequuti viri docti, & in qua tradenda haud contemnendum occurrit Nummorum beneficium.

Lib. IV. c. 1.

Livius lib. XXIII. c. 23.

Theſ. CLXXI. 8.

Theſ. CCCCXI. 2.

[a] Lib. XXIX. c. 37.

[b] Lib. X. Ep. 83. & 113.

De Titulis aliis ſpecialibus à DIIS *petitis.*

Accedunt hic peculiaria quædam nonnullorum Auguſtorum

guſtorum cognomenta à DIIS petita; Titulis devictarum Gentium; aut Adfinitatibus nonnunquam ac Adfectibus deſumpta. Prioris generis eſt OLYMPII nomenclatio, quo nomine cultum à Græcis Hadrianum non aliunde manifeſtius, quam ex rariſſimis ejus Nummis conſtat. Unus occurrit æreus maximus Laodicenſium cum inſcr. AT. KAI. TPA. AΔPIANOC. OAYMΠIOC, *Imperator Cæſar Trajanus Hadrianus Olympius.* Habuit jam olim geminum ei nummum Erizzo, ſed cujus genuinum ſenſum aut lectionem integram non eſt adſequutus, ut videre apud eundem licet. Alter Epheſiorum inſcriptus KAICAP OAYMΠIOC AΔPIANOC *Cæſar Olympius Hadrianus*, in averſa Templum cum Tropæo & inſcr. EΦECIΩN

In Cimel. Regin. Sued. & Mediceo.

In Cimel. P. Seguini.

Eundem OAYMΠIOY titulum tribuunt quoque Hadriano alii antiqui Nummi, quos citat in Euſebianis ἐ πάνυ, AYTOKPATOPA KAICAPA TPAIANON AΔPIANON ΣEBAΣTON OAYMΠION TON EAYTON ETEPΓETHN. Cum Jove nempe *Olympio* communis eidem hæc appellatio, occaſione Templi, quod illi pariter ac ſibi Athenis dicavit eo nomine Hadrianus, ut ex Dione & Spartiano licet colligere, *Athenis Jovis* OLYMPII *ædem & aram ſibi eodemque modo per Aſiam iter faciens Templa ſui nominis conſecravit.* Unde illuſtratur etiam Pauſanias, qui hujus Templi Athe-

Animad. P. 215.

Spart. in Hadrian.

In Atticis.

Athenis ab Hadriano consecrati meminit, in eoque singulas urbes statuas illi posuisse commemorat; quas nempe erectas sub titulo ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΟΛΥΜΠΙΟΥ, ex præclaris his Laodicensium & Ephesiorum nummis liquere videtur. Hinc factum etiam, ut plures occurrant adhuc hodie Nummi Græci ejusdem Hadriani cum Jovis effigie in aversa parte, quos non magis Athenis, ut Erizzo existimavit, quam alibi per Asiam percussos hinc discas. Non audiendus proinde illustris Scaliger, qui ludos Hadrianales *Olympia* vocari credidit, quod in Olympiada inciderent; & à qua etiam explicatione videtur quodammodo recedere in Eusebianis ultimæ revisionis. Præter Jovem enim, cum quo communem sibi hunc titulum voluit Hadrianus, quod diserte à Spartiano traditum, jam olim dictus etiam *Olympius Hercules*, auctoribus Herodoto ac Diodoro; & Inscriptio Alexandri in India apud Philostratum, ΔΙΙ ΟΛΥΜΠΙΩ; & à Pericle susceptum idem Athenis *Olympii* cognomentum, quod ut arrogantia plenum in eodem sugillat Plutarchus; & à Caio denique simile quid tentatum, qui *simulacra* JOVIS OLYMPII *è Græcia Romam transferri jussit, quibus capite dempto suum imponeret.* Neque eundem JOVIS titulum silent antiqui & rariores quidam Nummi tum Romani in Augusto, IOVI OLY. tum Græci in Nerone, ΔΙΟϹ ΟΛΥ· seu Ὀλυμπίῳ, & cui Σωτῆρι Ὀλυμπίῳ tertium poculum propinasse veteres, notat alicubi Pindarus. Cæterum ab hoc Hadriano Olympio, dictus etiam locus in Delo *Olympium*, quem Hadriani pecuniis ibidem ædificarunt Athenienses, ut ex Phlegonte Hadriani liberto refert Stephanus Byzantius. Inde etiam *Olympia* & *Hadrianea*, seu Hadrianales solemnes ludi per Asiam conjungi videntur in Inscriptione veteri

Lib. v. de Emend. Temp.

Herodot. l. 11. & Diod. Sic. l. IV. In Vit. Apoll. l. 11. c. 15. In Pericle.

In Cimel. Cæsar. & Musco Seguini.

Od. IV. Isthm.

In voce Ὀλυμπίειον.

teri, ΕΝ ΣΜΥΡΝΗ ΟΛΥΜΠΙΑ ΚΑΙ ΑΔΡΙΑΝΙΑ; quamquam mea sententia, non necesse sit illa de eodem agone intelligere; ut nec cum τῷ θαυμασίῳ Emendatore Temporum, *Panathenæa*, *Olympia*, *Panellenia*, *Hadriania*, quorum eadem Inscriptio meminit, de uno etiam eodemque agone interpretari; quod satis refellit vel unus Pindari Græcus Interpres, quem ipse alibi quoque citat ὁ πάνυ. Cæterum hujus Hadriani exemplo, dictus itidem ab Ephesiis OLYMPIUS Commodus, ut docet nos hodie præclarus ejusdem Augusti nummus, ΑΥ. ΚΑΙ ΟΛΥΜΠΙΟΣ ΚΟΜΜΟΔΟΣ, in aversa autem duæ figuræ stantes ΕΦΕΣΙΩΝ ΚΑΙ ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ. At HERCULIS etiam nomen eidem Hadriano tribuunt aliquot Nummi, qualem unum evulgavit Tristanus cum inscr. HERC. GADIT. seu *Herculi Gaditano*. Quo referri debet inscriptio Græca alterius Nummi, prolata jam olim à doctissimo Casaubono è penu Thuanea, in qua *Hercules Romanus* vocatur, ΑΥΤ. Κ. ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΗΡΑΚΛΗΣ ΡΩΜΑΙΟΣ; & altera itidem in qua *Hercules Servator*, idem dicitur ΗΡΑΚΛΕΙ ΣΩΤΗΡΙ ΑΥΤ. *Herculi* alioquin cum nomen tum habitum gestasse Commodum, è priscis authoribus notum, qui illi eandem quoque ROMANI HERCULIS appellationem largiuntur, *Appellatus est etiam* ROMANUS HERCULES, *quod feras Lanuvii in amphitheatro occidisset*, & alibi accepisse statuas in Herculis habitu, & mensem Septembrem HERCULEUM etiam sub eodem dictum tradunt, sicut Urbem Romam ab eo *Coloniam Commodianam*, & *Senatum Commodianum* nuncupatum; ut mittam Classem quoque Africanam *Commodianam Herculeam* ab eo denominatam. Præclaram vero hujus rei fidem adhuc hodie præstant,

Thes. Grut. cccxiv. 1.

L. v. p. 480.

Ad Olymp. vii.

Anim. ad Euseb. 215.

In Cimel. Regin. Sue.

Lamprid. in Commodo.

cum ſtatuæ Commodi in Urbe cum illo Herculis habitu,

Martial. l. IX. Ep. 64.

Herculis in magni vultus deſcendere Cæſar
Dignatus Latiæ dat nova templa viæ;

tum adhuc luculentius nonnulla ejus Numiſmata, cum habitu & ornamentis Herculeis, ac inſcr. HERCULI ROMANO AUG. vel ut præfert nummus aureus Regiæ Gallorum Gazæ, HERCULI ROMANO, ac juxta alium Muſei Patiniani in eandem Gazam tranſlati, ΡΩΜΑΙΩΝ ΗΡΑΚΛ. *Romanorum Herculi.* Accedit his alius Nummus, in quo figura cum Plauſtro, Bove, & Vacca, ſolito Coloniæ deducendæ ſymbolo, ac inſcr. HERCULI ROM. CONDITORI P. M. TR. P. XVII. COS. VII. P. P. ut mittam alterum cum inſcr. HERCULI COMMODIANO, quod nempe ab eo tanquam altero Romulo Roma COLONIA COMMODIANA diceretur. Quo proinde referri debet alia adhuc inſcriptio, ex qua ROMULUM dictum cum Cæſarem conſtat in numiſmate Epheſiorum Mediceo Α. ΑΥΡ. ΡΩΜΥΛΟC ΚΑΙCΑΡ, *L. Aurelius Romulus Cæſar.* Nec diverſo utique conſilio, ſed majori fide ROMULUS AUGUSTUS dictus jam olim Antoninus Pius in præclaris aliquot illius Nummis. Idem alias HERCULIS nomen à Maximiano adſumptum ſatis liquet; unde non ſolum HERCULIUS appellatus in priſcis monumentis, ſed & ſingularis Nummus in ejuſdem honorem percuſſus ſub figura Herculis cum Hydra depugnantis & inſcr. HERCULI DEBELLATORI, de cujus ſymboli ratione actum jam à nobis alio loco. Nec aliena hinc appellatio HERCULIS VICTORIS, cum Maximino Cæſari, tum magno Conſtantino necdum Chriſtiano, in aliquot eorundem Nummis tributa. Haud aliter

nempe

nempe ac Æmilianus Augustus HERCULIS CONSERVATORIS nomine in veteri Lapide; aut Severus HERCULIS DEFENSORIS elogio signatur in antiquo numismate. JOVII vero nomen à Maximiani Collega Diocletiano receptum docent antiqua Lapidum ac Nummorum monumenta. Hinc utrumque etiam Diocletianum & Maximianum JOVIS & HERCULIS nominibus designatos videas in præclaro Nummo, in quo tres Monetæ cum inscr. MONETA JOVI ET HERCULI AUGG. Scilicet ad fidem Oratoris, qui de utroque Cæsare exclamat, *Sancte* JUPITER *&* HERCULES *bone*, alibi, aurea sæcula, *auspiciis* JOVIS *&* HERCULIS *renasci*. Insignis alter aureus Regiæ Gallorum Gazæ, in quo juncta Diocletiani & Maximiani capita, in aversa iidem duo Imperatores sacrificantes cum Ara aliisque figuris, & inscr. JOVIO ET HERCULIO, Diocletiani & Maximiani nominibus suppressis, quæ alioquin in præclaris id genus Nummis frequenter conjunguntur, nempe JOVIO DIOCLETIANO & HERCULIO MAXIMIANO. Ita solis *Jovii* & *Herculii* nominibus designant eosdem nonnunquam Scriptores illorum temporum; ut hinc etiam *Herculea* & *Jovia cohors* ab utroque hoc Cæsare, ut videtur, denominata,

In Cimel. Reg. Christ. & Card. Buoncomp. Panegyr. Maximian.

Vid. Panegyr. Maxim. & Eumen.

Herculeam suus Alcides Joviamque cohortem
Rex dicit superum.

Claud. de Bell. Gildon.

Cæterum JOVII nomen à Diocletiano ad Successores ejus Galerium, Maximinum, Licinium, aliosque transiisse rursus ex præclaris eorundem Nummis constat, JOVIUS MAXIMINUS NOB. CÆSAR; aut JOVIUS LICINIUS AUG. vel juxta eximium Nummum inclitæ Reginæ, DD. NN. JOVII LICINII INVIC. AUG. ET CÆS. quem videre etiam licet a-

Tom. III. p. 428. pud Tristanum, qui eundem de Galerio Maximiano, qui JOVIUS dictus, & Licinio ab eodem Galerio creato Cæsare haud incommode mea sententia explicat; quamquam norim in alia sententia versari eruditos Antiquarios, ac inter eos amicum nostrum, qui eundem suis ad me litteris de Liciniis Patre & Filio interpretabatur. A JOVIO vero profectum postea JOVIANI AUGUSTI nomen, ut videre licet apud Themistium in Panegyrico, quem dixit eidem Imperatori; sicut alias *Sententiam Jovialem*, h. e. à Jove prolatam vocat Martianus Capella. Cæterum de ipsa ΘΕΟΥ vel DEI citra ambages appellatione, quam Senatui, Augusto, Caio item, Aureliano, Caro tribuunt quoque antiqui Nummi, jam abunde egimus alibi in hoc opere.

Lib. I.

De Titulis DEVICTARUM GENTIUM.

A Victoriis aut Titulis devictarum Gentium nota ex iisdem cognomina GERMANICI, BRITANNICI, SARMATICI, DACICI, ARMENIACI, ARABICI, ADIABENICI, PARTHICI, MEDICI, PERSICI, Drusis, Germanicis, Caiis, Claudiis, Neronibus Vitelliis, Domitianis, Nervis, Trajanis, Antoninis, Severis, Maximinis, Diocletianis, Caris, in eorundem Nummis usurpata. Neque enim idem mos Romanorum, quem apud Persas obtinuisse docet Agathias; ut devictæ Gentis appellationem Victoris demum filius gestaret. At summa illa non privatorum solum libera adhuc Republica, sed Augustorum etiam ambitio; ut reliquis fastigii sui titulis debellatæ gentis cognomentum insererent, sicut de Juliano loquitur Ammianus, *ornamentis illustrium gloriarum inserere* PARTHICI *cognomentum ardebat*. Ita insuper ex iisdem Nummis patet, quam vere per intervalla temporum decreta hæc iisdem narrent Historiæ

Lib. IV. p. 135. ed. Reg.

Lib. XXII.

Augu-

Augustæ Scriptores; nec *Armenici*, ut vulgo apud eosdem legitur, sed *Armeniaci* reponendum esse vocabulum. JUDAICI vero cognomen ob Religionis odium & gentis contemptum, non item videmus à Vespasiano aut Tito admissum, quamvis frequens JUDÆÆ CAPTÆ, & in aliis rarioribus Nummis eorundem Cæsarum JUDÆÆ DEVICTÆ occurrat mentio. Cæterum exceperunt eosdem Titulos sequiori ævo cognomina ALEMANNICI, FRANCICI, GOTTHICI, PONTICI; quæ in Valentiniani, Justini aliorumque illius ætatis Augustorum Inscriptionibus & Monumentis passim leguntur. Indignatur quidem eo nomine Gotthorum Rex Theodebertus apud Agathiam, quod Justinianus *Francicum* se, *Alemannicum*, *Gepidicum*, *Longobardicum* in Edictis inscriberet, quasi omnium illarum gentium debellator esset ac dominus. In vicem nempe GERMANICI, amati adeo pluribus Augustis Cognominis, ut vel eorundem Nummi luculenter arguunt, inducta postea nomina cum FRANCICI tum ALEMANNICI. Utrumque etiam simul jam olim receptum, quum nondum Alemanniæ aut Franciæ nomine Germania reliqua; sed cum eadem Alemannia, tum Francia, pars quædam aut veluti appendices Germaniæ censebantur. Hinc de Probo Vopiscus, *testes Germani & Alemanni longe à Rheni submoti littoribus*, & de Caracalla Spartianus, *Nam quum* GERMANICI *& Parthici & Arabici &* ALEMANNICI *nomen adscriberet, nam Alemannorum gentem devicerat.* Unde miror doctissimum Dionis aliorumque Excerptorum editorem, apud unum Aurelium Victorem in rebus Caracallæ mentionem Alemannorum observare, qui recte alias in iisdem Excerptis Ἀλεμανὸς in Ἀλαμανὸς seu *Alemannos* transmutat. Conjun-

Lib. 1. p. 15. ed. Reg.

Pag. 109.

cta autem vides in adductis modo auctorum locis GERMANICI & ALEMANNICI, ut diversa adhuc nomina; donec posterius, quamquam serius, latioris Germanorum gentis locum paullatim occupavit. Eadem nempe ætate inducta ALEMANNIÆ & FRANCIÆ in Historiam Cæsarum & mox in eorum quoque Nummos vocabula. Prioris fidem faciunt cum Nummus aureus magni Constantini ab Occone descriptus, & cui geminum vidi apud illustrissimum Colbertum cum inscr. ALEMANNIA, (non ut habet vulgata inscriptio Nummi Gazæ Areschotanæ ALAMANNIA) tum duo alii Constantini Junioris, prior cum eodem Gentis nomine, alter à Tristano traditus ALEMANNIA DEVICTA. Unde liquet, ut obiter hoc dicam, corrigenda ea Auctorum loca, in quibus *Alamannia* vulgo & *Alamanni*, pro *Alemannia* & *Alemanni* legitur. Posterioris vero seu FRANCIÆ meminit itidem nummus aureus Magni Constantini, quem in illustrioribus Italiæ vestræ & Galliæ Cimeliarchiis tractare licuit, & ejus quoque iconem inde nanciscì, quæ priori parte Constantinum signat, posteriori Tropæum & jacentem mulierem, solitum Provinciæ debellatæ symbolum, cum inscr. GAUDIUM ROMANORUM, infra FRANCIA.

Tom. III. 581.

In Cimel. Reg. Gall. Card. Leop. Med. & Ill. Colberti.

Vix aliud monumentum illustrius videas hujus appellationis, quamquam FRANCORUM non obscura sit apud Libanium, Ammianum, Socratem, aliosque mentio in rebus Constantini filiorum & Juliani; et jam ante FRANCICI cognomen tum Probo tribuat Vopiscus,

piscus, *Tu* FRANCICUS, *tu Gotthicus, tu Sarmaticus, tu Parthicus:* ut facile pateat, ævo Valentiniani non primum illud repertum, sicut quibusdam eruditis placuit. Quæ autem FRANCIA in hoc Nummo designetur abunde docebunt vel Procopius, vel Agathias, apud quos frequenter occurrunt Franci circa Rhenum habitantes, & Germani olim dicti. Parcimus congerendis locis, in re hodie non ignota. Germanorum itaque & Germaniæ loco, quibus appellationibus antea vocabantur, FRANCORUM & FRANCIÆ nomen non ævo solum Agathiæ aut Procopii, sed jam Probi & Constantini ætate receptum; sicut alterum *Alemanniæ* & *Alemannorum*; ut cum ex Auctoribus eorum temporum, tum ex præclaris his Nummis constat. Quibus addas licet Hieronymum, *Inter Saxones quippe & Alemannos gens ejus non tam lata quam valida, apud Historicos* GERMANIA, *nunc vero* FRANCIA *vocatur.* Non ergo in solum *Alemannorum* nomen concessit Vopisci ævo *Germanorum* appellatio, (ut male ad eum Scriptorem adserebat ὁ πάνυ, quo Casauboni loci cujusdam interpretationem refelleret) sed *Francorum* quoque; ut clarissime diu etiam post Vopisci tempora Procopius & Agathias docent. Cæterum non Francorum solum, sed FRANCIÆ quoque, sicut in superiori Nummo & adlegato Hieronymi loco mentio cum apud Claudianum,

In Vita Hilarii.

—— *quam* FRANCIA *Reges*
Quos dederis;

In Pr. Const. Stil. l. 1.

tum in antiquis aliquot Juliani Codicibus, ἠκολούθησαν ἢ ἀπῷ κῷ τὸ συγγενὲς σύμμαχοι προθυμότατοι ΦΡΑΓΓΟΙ καὶ Σάξωνες τὸ ὑπὲρ τὸ Ῥῆνον καὶ τὴν ἑσπερίαν Γαλατίαν ἐθνῶν τὸ μαχιμώτατον καὶ πόλις πᾶσι καὶ ΦΡΑΓΓΙΑ προσοικοῦν Ῥήνῳ

Orat. 1.

pro quibus postremis verbis expuncto *Franciæ* nomine quod

quod inutilis videretur ejus repetitio post præmissos *Francos*, φρέλον προσθεὶς admisit in textum Juliani Petavius. *Sequebantur vero eum pro jure consanguinitatis auxiliares promptissimi* FRANCI *& Saxones, Gentium quæ trans Rhenum & ad mare habitant bellicosissimæ, & civitas universa, &* FRANCIA *Rheno adjacens.* Utramque alias Germanorum Gentem Francos & Alemannos, inter se acerrime nonnunquam commissos abunde docet Theodericus apud Cassiodorum; qui ob debellatos Alemannos Ludovico Francorum Regi gratulatur. Quamquam enim utrique Germani, longe tamen moribus & cultu dispares: Franci juxta Agathiam vestitu tantum & lingua à Romanis diversi, iisdem cæterum legibus & moribus usi, inter omnes barbaros maxime civiles, & sacrorum reverentes: Alemanni autem truces & sacrilegiis, ut ille quidem perhibet, adsueti. Errat vero haud leviter Libanius, qui *Francos* quasi φραγκτὰς seu gentem bene *vallatam*, & inde corruptum φράγκων seu *Francorum* nomen: quasi nempe à Græcis *Franci* nomen suum essent mutuati. Locum, quia haud passim obvius, & Francorum etiam situm tangit, adscribemus;

Var. lib. 11. c. 45.

Lib. 1. p. 13. ed. Reg.

L. 11. p. 36.

In Basilic. 138. Ἐστὶ γένος Κελτικὸν ὑπὲρ Ῥῆνον ποταμὸν ἐπ' αὐτὸν Ὠκεανὸν καθῆκον, ἕτως ὀχυρωθὲν πρὸς τὰ τῶν πολέμων ἔργα, ὥστε τὴν προσηγορίαν ἀπ' αὐτῶν ἐρύμνωσι τῶν πράξεων, ὀνομάζονται ΦΡΑΓΚΟΙ. οἱ ὑπὸ τῶν πολλῶν κεκλημένοι ΦΡΑΓΚΟΙ. τοῦτ' ἔστι προσηγορίᾳ τῇ τῶν πολλῶν ἁμαρτίᾳ διεφθαρμένῃ. *Gens est Celtica trans Rhenum fluvium ad ipsum Oceanum pertingens, adeo bene vallata ad casus bellicos, ut appellationem ab ipsis rebus gestis nacti dicantur* FRANCTI, (seu vallati) *à multis autem vocentur* FRANCI, *corrupto nempe ex errore plurium nomine.* Cæterum & FRANCICI & ALEMANNICI, ac reliqua id genus cognomina devictarum Gentium, uno nonnunquam titulo complexi VICTOR

CTOR GENTT. BARBARR. aut DEBELLATORI GENTT. BARBARARUM, sicut legitur in præclaro Nummo Constantis; aut TRIUMFATOR GENTT. BARB. in altero argenteo magnitudine & raritate insigni. Quo spectat geminus titulus DOMITORIS GENTIUM BARBARARUM in veteri Lapide Valentiniani Augusti, & alius Nummus eximius magni Constantini, cum ampliori adhuc elogio EXUPERATOR OMNIUM GENTIUM, quem vidisse memini in incomparabili Triumphatoris Regis Gaza. In Cimel. Regin. Christ. Thes. Grut. M.LXXXVI. 9.

Adfinitatis vero aut *Adfectus* suscepta nonnunquam à Cæsaribus nomina parandæ benevolentiæ, aut in grati erga Decessores animi significationem. Hinc spectat ANTONINORUM nomen celebratum adeo in monumentis Historiæ Augustæ, & quod sex Cæsaribus vulgo Nummi tribuunt, *Antonino Pio*, *Marco Aurelio*, *Commodo*, *Caracallæ*, *Diadumeniano*, & *Elagabalo*. His *L. Verum* & *Getam* addit Capitolinus in Macrino, ut octo *Antoninos* efficiat; quod tamen nomen in eorum Nummis qui supersunt non pauci, expressum hodie non legas. Inde vero, ne tot ANTONINI confusionem inducerent, quod monuit etiam egregius Legum interpres, vocati iidem in libris Jurisconsultorum *Divus Pius* (nonnunquam *Titus Antoninus*, & *Antoninus Pius*); *Divus Marcus*; *Divus Commodus*; *Caracalla* autem *Divi Antonini* nomine passim designatus. Cæterum ex iisdem Nummis patet luculenter, quam vere inter reliquas Senatus acclamationes, hanc in Alexandro Severo referat Lampridius, MONETÆ *nomen* ANTONINI *reddatur*; aut alibi adsumpto à militibus in nomen Antonini Diadumeniano, ANTONINUM *habemus, omnia habemus*. Ab Antonino Pio scilicet ad M. Aure- *De Titulis* ADFINITATIS *aut* ADFECTUS. Rævard. Var. l. III. c. 10.

lium & reliquos dein transiit usus hujus appellationis, pro more illorum temporum, quo adoptati Cæsares Decessorum nomina vulgo retinebant; unde & NERVA TRAJANUS & TRAJANUS HADRIANUS, & ipse Pius HADRIANUS ANTONINUS in eorundem Nummis & Marmoribus vocantur. Ita SEVERUS PERTINAX frequens in Severi Nummis, *ut esset Imperator vere nominis ejus, vere* PERTINAX, *vere* SEVERUS, ac ut idem Auctor paullo ante, *se quoque* PERTINACEM *vocari jussit, quamvis postea id nomen aboleri voluerit querimonia amicorum.* Quod discrimen notant adhuc hodie ejusdem Severi Nummi, cum adjuncto cognomine *Pertinacis* & sine eodem frequentes, adeo ut hos etiam prioribus posteriores vel inde constare possit. Neque tamen cum laudato paullo ante Juris Antiste, ad eundem Severum ac filium Antoninum vulgo Caracallam respexisse crederem Modestinum, ubi ait, *Divus Antoninus & Pertinax rescripserunt.* Non vero ideo, ut colligere quis posset, quod jam ante mortem, *Pertinacis* cognomen abdicaverat Severus; illud enim eidem mortuo tribuunt quoque lapides antiqui: aut quod præter ordinem temporum ac aliorum id genus Rescriptorum morem, in quibus vulgo DIVI *Severus & Antoninus* occurrit, filius Patri præponatur; id enim in his Imperatoribus factum nonnunquam videas, ut frequenter ab Ulpiano de utroque Severo & Caracalla, [a] *Rescripto Imperatoris nostri & Patris ejus*, aut [b] *Imperatoris nostri & Divi Patris ejus*, ac ab ipso quoque Modestino, [c] *Divus Magnus Antoninus cum Patre rescripsit.* Sed illud obstat, quod parum verisimile videatur ac sit insolitum alias vel apud Auctores, vel in aliis Nummorum Lapidumve monumentis, solo *Pertinacis* nomine Severum designari; sicut neque per *Trajanum* Hadria-

Rævard. Var. lib. III. c. 10.

L. 12. § 2. D. de fideicom. libert.

Vid. Thes. CCLXXI. 1.

[a] L. 1. § 10. D. de extraogni.

[b] L. 6. § 2. D. de Pollicit.

[c] L. 11. § 3. D. de mun. & hon.

Hadrianus, aut per *Hadrianum* Pius solent intelligi, quamquam ambo ea cognomenta tulerint: Ad M. Antonium itaque & Helvium Pertinacem respexit, mea sententia, Modestinus, quorum ille non semper *Divus Marcus*, sed *Imp. Antoninus* sæpe inscribitur, ut passim, *Imperatores Antoninus & Verus*. Neque vero insolitum in libris veterum Jurisconsultorum, ut Imperatorum, quorum exstabant eadem de re Rescripta, quamquam non simul regnassent sicut Divi Fratres, nomina conjungantur; quomodo [a] *Divus Pius & Severus rescripserunt*; alibi [b] *D. Vespasianus & Hadrianus*; item [c] *D. Pius & Imperator noster*, nempe Antoninus Caracalla. Ut vero ad Marcum potius quam ad Pium referam facit, quod postremum vix solo *Antonini* nomine designatum videas in iisdem libris, verum, ut jam innui, aut sub nomine *Divi Pii*, aut cum prænomine *Titi Antonini*, vel cognomine *Divi Antonini Pii*. Quamquam & solis *Divi Antonini* nominibus *Pium* videatur designasse Paulus, ubi inquit, *Divus Antoninus Antiochenses colonos fecit, salvis tributis*, mox de Caracalla, *Imperator noster Antoninus civitatem Erniſenorum*, &c. Deductam enim à Pio non autem à Marco Antiochiam, ut existimabat Scaliger, minus à Caracalla, alibi ex eadem Nummorum penu docemus. Unde liberum est lectori ad alterutrum vel Pium vel Marcum, Rescriptum, de quo agit Modestinus, referre. Cæterum adfectatam ab eodem Severo cum Marco adfinitatem, & erga memoriam Commodi propensionem, egregie illustrant rariores ejusdem vel filii Caracallæ nummi; in quibus aut Severus DIVI MARCI FIL. aut Caracalla *Commodus* etiam vocatur, ut in veteri Nummo Laodicensium apud Tristanum. Singularis etiam hujus notæ nec passim obvius ejusdem Severi nummus, inscriptus ANTONINI,

[a] L. 2. §. 3. D. ad SC. Vellei.
[b] L. 18. §. 30. D. de mun. & hon.
[c] L. 4. D. ad SC. Vellei.
L. 8. D. de Censi.
Tom. II. p. 185.
In Cimel. Ill. Cam.

NEP. seu *Nepos*; quo illam cum Marco adgnationem magis adstrueret, qui PII adoptione filius; & Adriani exemplo, qui in aureo Nummo inscriptus DIVI NERVÆ NEP. sicut in Lapidibus antiquis; aut quomodo in iisdem Antoninus Caracalla, *M. Aurelii Nepos*, *Antonini Pii Pronepos*, *Hadriani Abnepos*; *Trajani* autem & *Nervæ Adnepos* aliquoties vocatur. Huc referri etiam debet expressa illa sanguinis ac adfinitatis significatio in nummis Maxentii, DIVO MAXIMINIANO PATRI MAXENTIUS AUG. & in alio IMP. MAXENTIUS DIVO MAXIMINIANO SOCERO; ut eundem Socerum & Patrem vocet. Signata rursus in aliis Nummis ejusdem Maxentii in Filium pietas, IMP. MAXENTIUS DIVO ROMULO AUG. FILIO, & cum Constantio Chloro cognatio, IMP. MAXENTIUS DIVO CONSTANTIO COGNAT. ut sedulitatem abunde agnoscas illius Cæsaris, in prodendis ad posteros propriis necessitudinibus.

In Cimel. Card. Medic. Vid. Thes. CCLXXI. I. 2.

DIS-

DISSERTATIO NONA.

DE PRÆSTANTIA ET USU NUMISMATUM ANTIQUORUM.

MEMINISTI etiamnum, ut opinor, OCTAVI nobiliſſime, quum in Hortis Juſtinianeis ego & Marquardus Gudius, ab omni liberali doctrina egregie inſtructus, idemque peracri ingenio, una tecum eſſemus, incidiſſe ſermonem de Nummis & Lapidibus antiquis, ac unde major in Hiſtoriam Veterem & omne litterarum genus utilitas redundaret. Neque vero hic replicabo ſingula, quæ utrinque, invitante loci Genio, amicæ & jucundæ, tibi certe, quod non ſemel etiam ab eo tempore declaraſti, longe gratiſſimæ concertationis ſtudium ſuppeditabat. Neque tamen valde, ſi bene memini, rationes noſtræ diſſidebant. Etenim incredibilem quandam Inſcriptionum, quæ vetuſtis ſaxis continentur, præſtantiam, & late diffuſam per omne genus priſcæ ac reconditæ doctrinæ varietatem, amico noſtro haud illibenter largiebar. Immortali certe beneficio demeruiſſe ſæculum & poſtfuturas ætates, qui in iis colligendis ac ordinandis laborarunt noſtra & patrum memoria, viros cohortis litteratæ principes. Neque inferiorem palmam eos manere, qui eodem ſtudio incenſi, (inter quos amicus ille noſter, & pridem alter Germanus quoque, varia Vir & exquiſita doctrina) in eo ſtadio decurrere cogitant. Inde utique, nec aliunde

ferme, petendos varios Sacrorum ritus; Fœderum formulas; Magistratuum scita, munia, discrimina; Collegiorum, Corporum, Professionum genera, officia, rationes; Domus Augustæ ministeria; Titulos Operum publicorum; multa domi militiæque instituta: adde Manium jura; Pietatis mutuæ Parentum, Conjugum, Liberorum, ac eruditæ simul elegantiæ monumenta; principis denique gentium Populi nomina, ætates, tribus, singula publicis quasi Tabulis descripta. Hæc certe aliaque tot litteratis ex omni memoria ætatum, temporum, civitatum Saxis, impensum quoddam pretium apud gnaros talium ac intelligentes haud immerito constituere. At esse vicissim infinitum pene Auri, Argenti, Æris veterum signati usum hodieque; esse quæ mire adficiat, non vero æruginem solum adfricet, priscæ monetæ tractationem; esse ubi eadem majorem etiam laudatis modo saxis utilitatem adferat, sed nondum satis hactenus notam & exploratam. Immensas etiamnum latere opes in Gazis virorum principum, ac in loculis antiquariorum, quibus penus omnis eruditionis mirum quantum possit locupletari. Antiquitatis certe gloria præcellere peculium hoc nostrum; quum Inscriptionum omnium, quæ hodie exstant, vel fatente viro docto, cui hoc opus ætatem fuit, vetustissima occurrat Duiliana, quæ incidit in annum Urbis conditæ CCCCXCIII; Nummos autem, ut è Romanis antiquissimos æreos liberales mittam, cum prora & Jano bifronte, plures inter Græcos exstare magno Alexandro vetustiores, ac Urbis ferme natalibus pares. Quid jam copiam eorundem dicam & varietatem incredibilem? quid opportunitatem eosdem tractandi ac tecum transferendi in quascunque oras volueris, longe utique majorem; adeo ut unius Musei angustiis incisas

Th. Reines. Var. l. III. c. 16.

ciſas tot antiquitates, tot memorias, tot commentarios, quaſi in nuce Iliada, continere liceat? Quid commemorem cælaturæ præſtantiam, ingenium artificum, priſcæ ætatis elegantiam? Quid illam ipſam imaginum vim ac virtutem plane admirabilem prædicem, qua rerum hominumque, non appellationes dumtaxat ac elogia, ſed ſimulacra ipſa, ipſa ora, ipſa momenta rei geſtæ, haud infiguntur ſolum animo, verum ante oculos ponuntur; qua diverſos Deorum habitus dignoſcere; cæremoniis Sacrorum intereſſe; ſacras Ædes, Baſilicas, Porticus, Theatra, Portus, Aquarum ductus, aliaque publica Opera, non nudos eorum titulos intueri; ſolemnia denique Ludorum, quaſi in quatuordecim aut in Orcheſtra ſedeas, etiamnum ſpectare conceditur. Quid beneficium illud diſſimulem, quod ipſa Marmora, ipſæ Statuæ huic Æri unice imputant; ſine quo utique magna pars eorum levi adficeret nos hodie voluptate, inani certe deſiderio torqueret, dum quos vultus eadem referunt, haud indicare quærentibus poſſent? Quid jam Orbis veteris depicti quaſi in tabella effigiem adducam? nullum equidem celebre oppidum, multa etiam aliunde ferme ignota, per Aſiam, Africam, Græciam, Thraciam, Macedoniam, Siciliam, Italiam, Hiſpaniam, aliaſque regiones, quod his monumentis originem, ſacra, memorias ſuas non conſignarit? Nihil damus hic argumento, neque me amor ſuſcepti negotii fallit, ut tamen fieri ſolet ſæpenumero. Conſulatur vel Sicilia Parutæ; tota certe in Nummis, è quibus unice conſtat hoc opus, (& quot adhuc latent alibi, quot ipſi notavimus hujus generis intactos?) non hodierna quidem, multum viſa nobis priſcæ gloriæ degener, ſed vetus illa nobilis Inſula, illa altrix Urbis Æternæ & omnium elegantiorum artium,

tium, cum Diis suis, Conditoribus, Sacris, Animalibus, Plantis, cum omnibus suis decoribus ac ornamentis, se nobis conspiciendam præbet. Sed hæc partim jam ante suis locis adtigimus, partim alibi adhuc dicentur opportunius. Quoad HISTORIAM vero AUGUSTAM, in qua illustranda in præsentia versamur, & cujus etiam caussa omnis tum hæc erat inter nos instituta disputatio, facile posse de tota hac lite transigi. De publicis Principum Actis loquimur, unde Fasti & Annales constant; unde fata Populorum pendent; non de privatis Domus Augustæ rationibus. Sumatur vero, inquiebam, describenda unius è Cæsaribus vita, Trajani puta, aut Hadriani, aut Pii, aut Marci, aut Severi, aut Antonini vulgo Caracallæ, aut alterius, cujus plurima supersint hodie in Lapidibus ac Nummis antiquis monumenta; mandetur eadem litteris, hinc è Lapidum, illinc è Nummorum antiquitatibus petita; & tum subducantur in Comitiis litteratis calculi, quænam è duabus plenior ac uberior tradatur; quæ longe alteram præstet, serie & notatione temporum, memoria locorum, gestorum varietate, evidentia & manifestatione rerum ac personarum.

De Actis Cæsarum. Equidem Cæsarum ACTA quæque illustria domi ac foris, nullibi luculentius, quam in eorundem Nummis depicta reperias. Abunde id evincunt cum vel Nummorum Tituli aliquoties commemorati; tum eorum lucubrationes, quos ex iisdem Historiam Augustam tradidisse diximus aut illustrasse. Adeo ut hic locum habeat, quod Dio oris aurei docet alicubi, non aliunde magis Græciæ magnitudinem, quam ex ruinis ejusdem constare. Neque enim hic levia, fœda, indigna denique Majestate illius vel Imperii vel fastigii se tibi offerunt; sed eximia quæque ac magnifica belli & pacis

Orat. XXXI.

pacis decora; selecta nempe opportune, quæ posterorum memoriæ commendarentur. Ibi res illas illustres cernimus, quas ex dignitate populi Romani visum est non Annalibus solum, ut ille loquitur, aut vero diurnis urbis Actis mandare, sed publico ære signatas æternitati temporum tradere. Accedit defectus aut hiatus Historiæ Augustæ, dum centonem ejusdem tractamus ex variis laciniis consutum; quo fit ut aut vita plurium Cæsarum negligentius tradita sit, aliorum etiam tota interierit. Neque enim licet hodie consulere, aut Ephemeridas eorundem Cæsarum; aut libros linteos; aut Maximi Fabii, Marcellini, Dexippi, Valentis, Marii, aliorumque διαφόρων laudata jam olim monumenta. Jacturam hic eorundem supplet luculenta Nummorum id genus supellex, ex qua integritas mutilis, lux obscuris, ignotis vero Cæsarum Actis fides & veritas constat. Nec juvat hic ire per singula, aut quæ in hoc genere nobis sepositimus non pauca ad supplementum Historiæ Augustæ, aliis etiam intacta operose coacervare. Aliqua tantum hic obiter eaque haud levia vel indecora delibabimus, quæ in uberrima messe, luculenti alicujus spicilegii vicem idoneam, ut opinor, præstabunt. Tacit. Annal. XIII. 31.

De Nummis vulgo Spintriis Tiberianis.

Neque vero (ut hoc moneam in antecessum) quæ modo adtuli de argumenti delectu & præstantia, elevat continuo Nummorum aliquot adspectus, qui obscœna Philænidis schemata, aut impuros libros Elephantidis nobis rursus ante oculos ponunt. Tales nosti veteres illos Nummos rariores, quos vulgo Antiquarii Spintriis Tiberianis adnumerant, idque ex Suetonio colligunt tradente de Tiberio: *Cubicula plurifariam disposita & tabellis & sigillis lasciviissimarum picturarum & figurarum adornavit, librisque Elephantidis instruxit; ne cui in opera edenda*

da exemplar imperatæ schemæ deesse. Hinc nummi adhuc superstites cum *obscœnis* id genus *tabellis*, damnatis Propertio, & quarum alias meminit non semel vanissimæ artis magister, non male ad hunc Tiberium referri hactenus videbantur. Equidem haud abs re in illum quadrare fatearis, quod Democharo tribuit Timæus apud
Pag. 53. Polybium in Excerptis Valesianis, eum Botryos, Philænidis, aliorumque hujusmodi ἀναισχυντηγράφων commentarios obscœnitate sua superasse. Neque sic tamen, ut verum fatear, certo colligi posse existimaverim, Nummos illos percussos sub Tiberio; quum neque id tradat eo loco Suetonius; nec ulla imago aut memoria Tiberii in iisdem sit expressa, sed tantum litteræ numerales I. II. &c. Accedit abhorrens ab ejusmodi instituto Tiberii ingenium, qui in Capreensi secessu & remotus ab hominum conspectu, impuras id genus voluptates sibi seponebat; nedum ut illas ære signari ad posterorum memoriam vellet. Unde conjiciebam aliquando, eosdem ad Nummos illos theatrales haud incommode referri posse, qui in publicis & obscœnis spectaculis in vulgo magno numero spargebantur. Fundus erat mihi hujus moris & instituti Martialis,

Lib. VIII. Epigr. 77. *Nunc veniunt subitis lasciva numismata nimbis,*
Nunc dat spectatas tessera larga feras.

Vides hic *lasciva Numismata*, & simul copiam & rationem eorundem, quæ velut *subitis nimbis* ad spectatores theatrali licentia projiciebantur; & quemadmodum aliòqui *nimbos* de donis theatralibus usurpare novi Claudianum,

Cons. Prob. & Olybr. *Quippe velut densos currentia munera nimbos.*

Haud abs re proinde huc spectare videbantur lascivi illi Romanorum nummi adhuc superstites, qui usu & argumento hunc ipsum morem comprobarent. Firmant id

id ipsum egregie notæ illæ numerales, quales geminæ occurrunt in aliis nummis ejusdem magnitudinis & formæ, cum quadrigis vel effigie Augusti in anteriori parte; in aversa autem numeri varii inclusi coronæ laureæ; & quos non male ob Circensium, aliorumque ludorum celebritatem percussos colligas. Unde cadit etiam eorum argumentatio, qui ideo lasciva id genus numismata Tiberio adscribunt, quod occurrunt nonnulli ejusdem nummi, illinc cum ejus effigie, hinc cum numeris id genus. Neque tamen negaverim ex fœdis illis schematibus Tiberii aut libris Elephantidis, desumi potuisse obscœnas illas Nummorum figuras, qui reliquæ Floralium, aut similium ludorum infamiæ sub impuris Principibus accessissent. Sed de loco Martialis judicent optimi talium arbitri; quum alioquin neque de spectaculis ejusmodi loquatur ibi Poëta, quæ obscœnis id genus figuris locum dare posse videbantur; neque ignorem *lasciva* ibi *numismata* aliter vulgo ab Interpretibus sumi. Quod autem *Veneris figuras* vocat easdem alibi [a] Martialis, & ante illum Ovidius, id ex [b] Aristophane pridem haustum,

Καὶ τοῖσιν δωμαλίοισιν Ἀφροδίτης τρίποων.

Ut taceam nota Philænidis ἀφροδίσια σχήματα. Tales autem figuras ad numerum XXIV observasse in antiquis id genus Nummis referunt urbis Antiquarii. Plures tamen se vidisse testatur Pyrrhus Ligorius in operibus ineditis, & ad numerum usque XL. Adponam ejus verba, *Sarebbe da monstrare in disegno da quaranti atti dishonesti, e che si trovano nelle Medaglie, à proposito delle lascivie e della palestra Clinopale.* Adeo ut vel novem figuras Elephantidis, quarum Martialis alicubi meminit, aut Cyrenem illam δωδεκαμήχανον dictam à totidem generibus schematum, longe post se relinquant impuræ

[a] Lib. XII. Ep. 43.
[b] Trist. l. II. El. 1. In Concionatr.
In MS. Tom. XXIX.

illæ Nummorum figuræ; ac mihi præterea in mentem revocent morem illum à Clemente Alexandrino traditum, quo in Veneris myſteriis Nummus Veneri datus ab initiatis, prout ſolent ἐπαίρα ἐρασταί. Docet idem alibi thalamis vulgo adpenſas impudicas id genus tabellas; quod notavit etiam vetus Epigramma.

In Protrept.

Inque modos omnes dulces imitata tabellas
Tranſeat, & lecto pendeat illa meo.

Diverſa autem ab ἀναισχυντογράφῳ illa Philænide Leucadia (cujus ἀφροδίσια χήματα tam ſtudioſe olim adſervata, juxta eundem Clementem, ac labores Herculis) altera Philænis Samia; ut aperte hanc infamiam à ſe amolitur in antiquo Dioſcoridis Epigrammate inedito, quod propter ejuſdem elegantiam & mulieris verecundiam, non pigebit hic in lectoris gratiam adponere.

Τῆς Σαμίης τὸ μνῆμα Φιλαινίδος, ἀλλὰ προσείπεῖν
Τλῆθί με καὶ στήλης πλησίον ἄνερ ἴθι.
Οὐκ εἰμὶ ἣ τὰ γυναιξὶν ἀναγράψασι προσαίνη
Ἔργα, καὶ αἰσχύνην δ' νομίσασα θεόν.
Ἀλλὰ Φιλαιδήμων καὶ ἐμὸν πάφον. εἰ δέ τις ἡμᾶς
Αἰσχύνων, λαμυρὰν ἔπλασεν ἱστορίλω
Τὸν μὲν ἀναπτύξαι χρόνος ὄνομα, πῖμα δὲ λυγρὰν
Ὀστέα προφθείη κλήδον ἀπωσαμένης.

Samiæ monumentum ſum Philænidis, ſed adloqui Patere me, & ad cippum propius accede Viator. Non ſum ea, quæ mulieribus delineavi proterva Opera, verecundiam non habens pro Dea; Sed amans pudoris per meos Manes. ſi quis vero nos Infamans, impudentem finxit hiſtoriam; Ejus quidem revelet nomen tempus, mea autem turpem Oſſa in cineres redigat famam à me amolientis. Cæterum quocunque auctore proceſſa ſint laſciva illa Numiſmata, vulgo pro *Spintriis Tiberianis* habita,

Ab

Ah gemat in terris iſta qui protulit arte
Jurgia, ſub tacita condita lætitia.

Quum tamen & numero pauci extent hodie iidem Nummi, & rariſſime occurrant in tanta & parata copia illorum, qui egregia quæque & ſalubria facinora habent depicta, nihil inde certe nummorum veterum præſtantiæ ac uſui detrahi, haud difficulter largieris. Adeo ut non minus commode adaptari illis poſſit, quod apud Sidonium lego, *Non hic per nudam pictorum corporum pulchritudinem turpis proſtat* HISTORIA, *quæ ſicut ornat rem, ſic devenuſtat artificem.* L. II. Ep. 2.

Duodecim quidem priorum Cæſarum vitas, ita Suetonius præter Dionem ac Tacitum complexus eſt, ut varia tamen aut ſponte neglecta, aut alioquin accuratam eorundem induſtriam fugerint. Ac primo loco commemorare poſſem COLONIAS ſub Julio, Auguſto, Claudio, Nerone ac Flaviis deductas, de quibus ſilent ferme iidem Auctores, & quas copioſa Nummorum veterum ſupellex nobis etiamnum ſuppeditat. Id enim continuo nos docent expreſſa in iis vulgo illorum Cæſarum cognomenta, à quibus novos ac FELICES id genus Natales & Coloniæ dignitatem conſequebantur. Quid autem nobilius in Actis Cæſarum; immo quanta lux inde iiſdem Actis; Hiſtoriæ Romani orbis; Originibus ſplendidiſſimarum urbium, (neque aliæ ferme ſub Cæſaribus Romanæ Coloniæ:) ac iis, quæ huc ſpectantia, vel in libris Juriſconſultorum ex Ulpiano & Paulo referuntur, vel apud alios auctores obſcure aut perplexe traduntur? Abunde hoc evincerent deductæ à ſingulis Cæſaribus per orbem terrarum Coloniæ; quas ad numerum centum circiter & viginti, ac una vel altera excepta, extra Italiam omnes, ſervata temporum ſerie deſcriptas, ac obiter, ubi opus fuit, in eum finem

De Coloniis ſub Imperatoribus deductis.

illustratas, hic inferere cogitabam. Sed dum præter spem, plures cartas implet illa quamquam subitanea commentatio, hic autem summa rerum capita persequimur, liceat jam aliquot ejus rei, iisque novis ferme exemplis & probationibus defungi. Ac Hispaniam quidem, Municipiis & Coloniis civium Romanorum à JULIO vel AUGUSTO frequentatam, vel tradunt Lib. XI. in genere auctores, ut de Julio Dio; vel obiter aliquas enumerant, ut Strabo, plures Plinius, sed raro indicato deductoris nomine. At quam luculenter ac sigillatim id probant tot superstites nobiles illius gentis Nummi, cum MUNICIPII, vel COLONIÆ JULIÆ, aut AUGUSTÆ cognomentis, quales jam Dialogis aliquot illustravit magnum ejusdem decus Ant. Augustinus: & quibus ex eadem penu liceat mihi superaddere, *Valentiam*, non jam Italicam, cujus unum & alterum nummum à se visum refert idem Augustinus, sed Hispanicam, in nummo M. Aurelii, COL. JUL. VALENTIA; *Dertosam*, eamque dictam *Municipium Hiberam Illergavoniam*, seu M. H. ILLERGAVONIA DERT. ac in aliis etiam clarius MUN. HIBER. cum JULIÆ etiam cognomento; *Hispalim*, seu *Coloniam Romulensem* Plinio, ac proinde in nummo In Cimel. Reg. Gall. In Museo P. Seguini. In Cimel. Reg. Gall. Tiberiano, COL. ROM. Adde [b] *Municip. Caraccam* aut *Caraccense*; *Amanobricam*; [c] *Illiam*; [d] *Calpen*, & postremam quidem *Coloniam Juliam* in præclaro nummo C. I. CALPE. Unde utique colligas, recte *Carteriam* (cujus alii occurrunt nummi, quos jam notarunt antiquarii) & *Calpen* distinctas Hispaniæ Urbes in Antonini itinerario collocari; neque debuisse id viris longe doctissimis Casaubono ad Strabonem, Bocharto, aliisque impugnari, qui nullum oppidum *Calpes* nomine agnoscunt, & cum *Carteia* ob montis vicinitatem

[b] In MS. Ligorii.
[c] In Cimel. Cam. Massimi.
[d] In Cimel. Regin. Christ.

con-

confusum ab auctoribus credidere. Quis jam *Cassandrenses*, *Philippenses*, *Dienses*, Romanorum in Macedonia Colonias, quarum meminit Paulus J C. à Julio vel Augusto deductas retulit, nisi præclari Nummi eorundem locorum adhuc superstites, de quibus alibi nempe ad ipsum Paulum? Mitto ejusdem Macedoniæ aut *Pellam*, quam *Augustanam Coloniam*, ut eas vocabat Hadrianus, teste Ulpiano, reclamant etiam Nummi, COL. JUL. AUG. PELLA; aut *Stobenses*, quos cum superioribus conjunxerat Paulus J C. sub nomine *Stovenses*; Nummi autem varii hactenus parum noti, [a] MUNICIP. STOBENSIUM, qui Plinium illustrant, [b] *Stobi oppidum civium Romanorum*, & quibus geminum male [c] Tristanus de Sinopensibus accepit, qui alioqui in Caracalla unum quoque adtulit nummum illius Municipii. Quamquam *Sinopensem* quoque *Coloniam*, non solum doceant [a] Strabo, [b] Plinius junior, ac [c] Ulpianus, sed eosdem quoque Cæsares οἰκιστὰς nummi egregii Regiæ Gallorum Gazæ, COL. I. AU. SINOPE, *Colonia Julia Augusta Sinope*, cum Sinopensi numine in Gordiano. Quis etiam ab Augusto deductæ in Hellesponto *Germæ* meminit, quam Coloniam tamen agnoscit Ptolemæus, præter nummum Commodi, quem vidi apud illustrem Sevium COL. AUG. GERMENO cum Lupa & lactentibus gemellis, & cui similem parum feliciter Tristanus de *Cermeno*, *Germano* aut *Germalo*, antiqua scilicet regione Urbis Romæ interpretatur. Neque vero id evincebant Lupa & Gemelli; quum ignorare non debuerit vir, qui ætatem in his trivit, frequens illud esse Coloniarum Romanarum insigne, ut in nummis *Corinthi*, *Alexandriæ Troadis*, *Neapolis* juxta nummum Seguinianum, aliis; idque ex recepto more, quem alibi

L. 8. D. de Censib.

L. 1. § 1. D. de Censib.

[a] In Cimel. Regin. Christ.
[b] Lib. IV. c. 10.
[c] Tom. 1. p. 401.
[a] Lib. XII.
[b] Lib. X. Ep. 92.
[c] L. 1. §. 10. D. de Censib.

Tom. 1. p. 716.

ex.

ex eadem penu illustramus, quo Originum suarum insignia servari à Coloniis solita. Hinc eadem etiam lupa cum gemellis in nummo Probi Musei Seguiniani, & cum inscr. ORIGINI AUG. Quomodo Sus alioquin in porta Æliæ Romanæ Coloniæ, juxta Eusebium in Chronico, *Ælia ab Ælio Hadriano condita, & in fronte ejus portæ, qua Bethleem egredimur,* SUS SCALPTUS *in marmore prominens, significans Romanæ potestati subjacere.* Quis è veteribus in Africa deductas à Julio docuit, aut *Tingim* sub nomine *Juliæ Traductæ*, non à Claudio, ut existimavit Plinius, (& verissime certe conjecerat vir undiquaque doctissimus Isaacus Vossius) aut *Uticam*, & quidem postremam sub *Municipii* nomine, præter duos insignes Nummos, priorem Caii JUL. TRA. posteriorem Tiberii cum fig. sedente, quem notabam in Regia Gallorum Gaza, MUNICIP. JUL. UTICENS. DD. P. *Municipium Julium Uticense, Decuriones posuerunt*; unde Paulus etiam JC. illustratur. Quis jam à CLAUDIO deductas in Illyrico *Scodram, Jaderam*; in Thracia *Doberon* tradidit, præter Nummos eorundem locorum, modo Ligorio fides constet, qui illos in Collectionibus suis ineditis cum COLONIÆ CLAUDIÆ cognomentis refert? VESPASIANUM Colonias deduxisse obiter, sed tamen quasi palmarium ejus opus, notat in Chronico Eusebius; quot aut quales, si *Cæsaream* excipias, cum ipse, tum alii ferme auctores silent. Id vero docent nos hodie plures COLONIÆ FLAVIÆ in earum nummis dictæ: quales aut illa *Cæsarea* Palæstinæ, COL. PR. FLAV. CÆSAREA; unde error ille Treboniani, qui quod de *Flaviæ* appellatione seu cognomine Imperatorio illi Urbi indito tradiderant alii, de ipso *Cæsareæ* nomine perperam accepit: aut *Deultum* Thraciæ COL. FLA. PAC. DEULT.

In Cimel. Regin. Christ.

L. 8. §. 11. D. de Cens.

Nov. CIII.

In Cimel. Regin. Christ.

DEULT. seu *Colonia Flavia Pacifica Deultum* in nummo Juliæ Mameæ, aliisque; unde lux obscuro antea & male distincto Plinii loco, *Develton cum stagno, quod nunc* L. IV. C. II. DEULTUM *vocatur Veteranorum*; ob Coloniam nempe Veteranorum in eum locum à Vespasiano pro more deductam, & quomodo apud Ligorium inter nummos Tiberii *Salona Veteranorum* describitur, nempe COL. CLAUDIA AUGUSTA PIA VETER. SALONA. In MSS. Reginæ Christinæ. Ejusdem *Deulti* mentio in Actis Synodi Calchedonensis, *Jovianus Episcopus Deultanæ civitatis*, non ut ibi hodie legitur *Develtanæ*. Adde vel Ponti commemoratam paullo ante *Sinopen*, non *Juliam* solum vel *Augustam*, sed *Flaviam* etiam dictam in nummo Getæ, COL. I. FL. SINOPE, *Colonia Julia Flavia Sinope*; vel Hispaniæ, juxta In Cimel. Regin. Christ. nummum ipsius Vespasiani in Collectaneis Ligorianis, COLONIA FL. AMANDUS, aut FLAVIA BRICA AUGUSTA, de qua videndus est Plinius. Immo ex iisdem Nummorum monumentis constat, FLAVIAS dictas tot alias Urbes, quamquam sine Coloniæ cognomento; sicut Palæstinæ seu Samariæ *Neapolim* in singulari Titi nummo, quem vidi apud Cl. Seguinum, ΦΛΑΟΥΙ ΝΕΑΠΟΛΙ ΣΑΜΑΡΕΙΑΙ. Unde certe egregie illustratur præcipuum illius oppidi decus Justinus Martyr, eodem teste, τῆ ἀπὸ ΦΛΑΟΥΙΑΣ Apolog. II. ΝΕΑΣ ΠΟΛΕΟΣ τῆς Συρίας Παλαιστίνης, *Flavia Neapoli Syriæ Palæstinæ ortus*, non ut male expresserat interpres, *Flavia, (quæ nova civitas est Syriæ Palæstinæ) ortus*; qui ignorasse videtur *Neapolim* fuisse urbem ita dictam in eo tractu; quanquam cum aliunde notam, tum inter nobiliores Palæstinæ civitates juxta Cæsaream, Gazam, Ascalonem, ab Ammiano relatam; nec adtendit ad Lib. XIV. consuetum Græcorum morem, composita urbium nomina in primitiva resolvendi, ut Ἀθῶνας τεῖχος Ἀδριανῆς

ἡμέρας, de quibus locis supra, Πομπηΐα πόλις, Κωνσαντία πόλις, & frequenter in iis, quæ *Neapoles* vocabantur, Νέας τῆς πόλεως. Liquet etiam abunde ex eodem Nummo, cur idem Justinus Epiphanio vocetur Σαμαρείτης, neque frustra hanc *Neapolim* eandem cum veteri *Sichem* tradi à Benjamino Tudelensi, sicut jam olim ab Hieronymo Palæstinæ tot annos incola, *transivit* SICHEM, *non ut plerique errantes legunt, Sichar: quæ nunc* NEAPOLIS *appellatur.* Neque aliter rursus Epiphanius, occasione cujusdam Samaritanorum Proseuchæ, ἀλλὰ καὶ προσευχῆς τόπος ἐν ΣΙΚΙΜΟΙΣ ἐν τῇ νῦν καλουμένῃ ΝΕΑΠΟΛΕΙ. *sed & Proseuchæ locus ad* SICHEM, *quæ hodie* NEAPOLIS *dicitur.* Σίκιμα enim & *Sichem* de eodem Samariæ oppido dici vel ex Josepho notum. Quibus etiam consentanea de hujus *Neapoleos* situ apud Procopium legas; unam proinde è *filiabus* illis *Samariæ* de quibus Ezechiel Propheta. Stephanus quidem ipsam urbem *Samariam* in nomen hujus *Neapolis* transiisse statuit, sed inde, ut videtur, quod *Samariam* tantum de urbe, non de tractu etiam Palæstinæ accipiat, in quo urbs erat ejusdem nominis; sicut alibi *Noricum* Provinciam de urbe perperam explicat. Immo potius *Samariæ* regionis, in qua sita erat, nomen superaddidisse hanc *Neapolim* videas in superiori Nummo, & in altero insuper Domitiani à Goltzio jam & ab Occone descripto, ΦΛΑΟΥΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ ΣΑΜΑΡΕΙΩΝ. Ideo nempe quod plures essent alibi *Flaviæ* & *Neapoles*; & quomodo additum non semel Regionis nomen, ad discrimen urbium ὁμωνύμων in aliarum civitatum Nummis, de quibus infra. Citat quoque eundem illum Domitiani nummum in Eusebianis ὁ πάνυ, sed male ΣΑΜΑΡΕΙΩΝ in ΣΑΜΑΡΙΕΩΝ refingendo, ut vel arguit descriptus modo à nobis nummus Seguinianus; ac præterea unde minus vere

Epitaph. Paulæ.

Hæres. LXXX.

De Ædif. l. v. c. 7.

Cap. XVI. v. 46.

Anim. p. 319.

vere colligebat, hanc Neapolim *Flaviam Cæsaream* dictam; quod postremum nomen neque Nummi, neque Auctores illi largiuntur. Neque enim quæ *Flaviæ*, ideo quoque *Cæsareæ* appellatæ: neque etiam à Domitiano deducta illa Colonia, quæ in Titi nummo jam *Flavia* vocatur. Ipsa vero Urbs *Samaria* ea ætate *Sebaste* dicebatur; à temporibus nempe Herodis, ut diserte haud uno loco testatum reliquit auctor luculentus & Nummis illis σύγχρονος Josephus, & de qua etiam suo ævo Hieronymus, *Sebasten id est Samariam, quæ in honorem Augusti ab Herode Græco sermone Augusta est appellata.* Eandem alias *Neapolim* ab Herode conditam tradit Abul Pharagius à Cl. Pocockio editus; alibi autem sub Zenone Samaritanos Neapoli constituto Rege, Christianos trucidasse; quo respexisse videtur Procopius loco modo indicato, ubi Neapoli Garizim montem scribit imminere Samaritanis ereptum ob seditionem. FLAVIÆ vero dictæ itidem aliorum Nummorum fide, quos versare mihi licuit in illustribus Cimeliarchiis, Phœniciæ *Tripolis*, juxta nummum alibi descriptum; Syriæ *Chalcis* ΦΛ. ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ apud Erizzum & in Trajano Gazæ Cæsareæ; *Philadelphia* in nummo Mediceo, ΦΛ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ, *Samosata* juxta descriptos jam à Goltzio ac Tristano Nummos; Africæ *Cyrenæ* in Vespasiano Musei Patiniani jam Regii, ΦΛΑΥ. ΚΥΡΗΝΗ, Bithyniæ *Critia Flaviopolis*, seu ΚΡΙΤΙΕΩΝ ΦΛΑΟΥΙΟΠΟΛΙΤΩΝ, in Severo ejusdem Gazæ, in aliis ΚΡΙΤΙΑ ΦΛΑΟΥΙΟΠΟΛΙC, Phrygiæ *Eumenia* ΕΥΜΕΝΕΩΝ ΦΛΑΒΙΩΝ, apud eruditum Urbis antiquarium. Jam quot TRAJANÆ, ULPIÆ, ULPIANÆ, in selectis itidem nummis; quæ nempe unum TRAJANUM Conditorem vel Restauratorem prædicant? quales *Augusta Trajana*, cu-

Antiq. lib. XIII. c. 28.

Epitaph. Paulæ.

Dyn. VII. pag. 70.

Pag. 93.

jus insignis inter alios nummus in M. Aurelio apud illustrem Sevium, in quo tria Castra ΑΥΓΟΥCΤΗC ΤΡΑΙΑΝΗC ΗΓΕ ΤΟΥ Α. ΜΑΣΙΜΟΥ, *Præside Lucio Maximo*; & quam urbem non ad Ciliciam cum Antiquario Mediceo, neque ad Phrygiam cum Tristano, sed ad Thraciam omnino spectare crederem, qua de re alibi. Alias *Trajani Castrum* in Sardinia legas apud Procopium, cum quo proinde haud male quadrare videtur superioris Nummi effigies. Sic ULPIÆ in aliis nummis, tum ejusdem Thraciæ *Anchialus*, *Topirus*, *Pautalia*, *Nicopolis ad Nestum*; tum Daciæ *Serdica*; quæ omnia ignotis aliunde ejusdem Cæsaris actis adscribenda. Ut mittam insuper ab eodem, vel à Conjuge, aut à sorore denominatas Ciliciæ *Trajanopolim*, Coloniam & quidem juris Italici apud Ulpianum; Thraciæ *Plotinopolim*, Mœsiæ *Marcianopolim*, quarum Nummos etiam supra vidimus. Quod ÆLIÆ jam & HADRIANÆ Coloniæ & Municipia ab Ælio Hadriano nomen sortita, non solum Palæstinæ *Ælia Capitolina*, de qua pluribus ad Ulpianum; sed & in Hispania *Fanum*, *Cœliobriga*, de quibus explico nummos Ant. Augustino aliisque etiam intactos. Prior est Philippi Imp. cum navi & cornucop. [a] MUN. FANE. ÆL. h. e. *Municipium Faneſtre Ælium*, sicut Fanum Italica *Colonia Julia Faneſtris* [b] Vitruvio ac in [c] Lapidibus, & similiter *Faneſtris Colonia* [d] Melæ. Posterior ÆL. MUNICIP. COEL. in Treboniano Gallo Musei Patiniani jam Regii. A SEVERO quoque ac filiis deductas varias Colonias, vel ornatas Urbes, quo nomine eosdem laudat coætaneus & gravis alioquin Censor, *quantum Urbium aut produxit, aut auxit, aut reddidit præsentis imperii triplex virtus?* nonne fidem hodie faciunt plures Coloniæ SEPTIMIÆ, SEVERÆ vel SEVERIANÆ, à filio ANTONINIANÆ,

De Ædif. l. VI. c. 7.

L. I. §. 11. D. de Censib.

[a] In Cimel. Regin. Christ.
[b] L. V. c. 2.
[c] Thes. CCXVI. 8.
[d] L. II. c. 4.

Tertull. de Pallio.

NIANÆ, & à Julia conjuge JULIÆ etiam in earum Nummis dictæ? Adeo ut non *Tyrum* solum Coloniam *Septimiam* legamus in iisdem appellatam, & quales alio nonnunquam male transferunt viri docti; sed & productas ultra Euphratem ac ad Tigridis etiam fontes Colonias, propugnacula revera Romani imperii in ejus finibus futuras, *Nesibim*, *Rhesainam*, *Singaram*; quas nobiles nummi cum Græcis *Coloniæ Septimiæ* nominibus conservarunt. Duas posteriores inde jam tradiderunt ac illustrarunt duo insignes antiquarii Tristanus ac Seguinus, quos apud eos videat lector. Unum illud de *Rhesaina* ex Abul Pharagio superaddimus, eam Persis oppugnantibus, liberatam à Mauritio Tiberii imperatoris Duce. Eadem enim, quam Scriptor ille Arabs راس seu *Rasainum* vocat; & cujus oppidi civem Sergium illum Jacobitam alibi memorat, qui Græcorum disciplinas in Syriacam linguam vertit. Quo spectat etiam ille Antiochus *Rhesinatis in Mesopotamia Episcopus*, prout inscribitur hodie in Actis Concilii primi Antiocheni. *Singaræ* vero meminit non semel idem Pharagius in rebus Chalifarem, sub nomine سنجار *Senjara*. Prior autem juxta singularum Philippi nummum Mediceum, IOT. CEII. KOΛΩ. NECIBI MET. seu *Julia Colonia Nesibi Metropolis*; cui similem minus accurate à Goltzio traditum, inde male à Scaligero ad Eusebium tentatum videas, qui loco CEII. seu *Septimiæ* CEP. seu *Seriam* pro *Syria* hic legebat, ac de *Julia Soæmia* interpretabatur; pejus autem à Tristano, qui Goltzium fictæ ejusmodi Coloniæ, quæ nulla fuerit, & portentosæ lectionis accusat, ipse certe portentosa mutatione in *Rhesainam*, cui nullus hic locus, secure resingit. At hic & alibi observasset illud Talmudicorum scitum, לא ישנה אדם ממטבע שטבעו הכחמים *Ne mutet homo*

Trist. T. II. p. 590.

Dyn. VIII. p. 96.

Dyn. IX. p. 172.

Tom. IV. p. 590.

mo quicquam de Moneta, quam cuderunt Sapientes. Talem utique Coloniam, præter ſuperiorem Nummum, ac alium inſuper Alexandri Severi viſum mihi apud Cl. Seguinum C. CEΠT. KOΛO. NECIBI, Dio quoque
Lib. xxxv. diſerte agnoſcit, καὶ νῦν ἡμετέρα ἐστὶ καὶ ΑΠΟΙΚΟΣ ἡμῶν νομίζεται, *nunc vero noſtra eſt, &* COLONIA *noſtra cenſetur*; alibi autem magna dignitate à Severo ornatam
Lib. lxxv. refert, eandemque Equiti Romano creditam. Neque vero hoc agimus, aut ita ſumus adfecti, ut quidquam veris viri nobilis (de Triſtano nobis hic ſermo) ac inſigniter de his ſtudiis meriti laudibus detrahamus; quo nullus hac aut ſuperiori ætate pluribus iiſque ſelectis nummorum monumentis, hanc Romanæ hiſtoriæ ſupellectilem antiquariam locupletavit hactenus, aut congeſtis undique litterariis ſubſidiis, diligenter adeo ac operoſe, addam & feliciſſime frequenter illuſtravit. Mitto majorem aut nitorem dictionis vernaculæ, aut amœnitatem ingenii, aut lectionis delectum; quæ in eo deſiderant elegantiora, ſed nimis nonnunquam faſtidioſa ingenia. At in Græcis Nummis Hiſtoriæ Auguſtæ explicandis ſolus ferme regnaret hactenus ſine æmulo, ſi (quod in tyronum gratiam monemus, qui utiliſſimos ejus Commentarios terunt) in interpretandis & refingendis ad lubitum eorum numiſmatum, quæ non adſequebatur, inſcriptionibus, minus improvide aut licenter verſatus fuiſſet, & majorem quendam uſum habuiſſet interiorum litterarum, quæ per avia ſæpenumero vagantem domum continuo revocaſſent. Cæterum ut ad *Coloniam Neſibin* redeam, manſit eadem in Romanorum fide, donec à Joviano Perſis prodita, ut
Hiſt. Eccl. l. vii. c. 18. ex Ammiano & Agathia liquet; unde Perſicæ ditionis civitas Socrati vocatur. Alioquin de *Neſibis*, ſeu juxta
Bell. Perſ. l. ii. c. 18. Procopium alioſque *Neſibidis* nomine barbaro, quæ *Antiochia*

tiochia Mygdoniæ à Conditore & ſitu diceretur, ac de priori obſidione Neſibena, plura vide apud Julianum Auguſtum. Quamquam non à barbaris ſolum aut ab aliis ex eorum conſuetudine, ut innuit ibi Julianus, eam *Neſibin* appellari, ſed ab ipſis indigenis, luculenter evincant duo ſuperiores Nummi; ac præterea, ſi Orientis Scriptores, ut Abul Pharagium audiamus, non primum ab Antiocho, ſed pridem à Nimrod condita juxta Edeſſam eadem *Neſibis*, quæ *Chalya*, vel juxta alios Codices *Achad* olim diceretur. Unde quoque opportune in nummis Ant. Caracallæ occurrit illa ejuſdem ætatis ac in eodem tractu *Colonia Edeſſa* ſeu KOΛ. EΔECCA, juxta nummum Regiæ Gazæ alibi jam deſcriptum, ac alios inſuper vel Alexandri Severi apud illuſtriſſimum Colbertum, vel Gordiani Seguinianum, MHTP. KOΛ. EΔECCHNΩN, ut mittam præclarum rurſus illuſtris Sevii, MAP. AYP. ANTΩ. EΔECCA, cum omnibus nempe Caracallæ nominibus, ſub quo deducta illa Colonia & ſignatus Nummus. Memorabile autem, quod de hac Urbe refert Procopius, Chriſti ſervatoris ad Abgarum reſponſum pro munimento in portis Edeſſæ ſervari, additque, ita ſe cogitaſſe hoc reſponſum à Chriſto non eſſe ſcriptum, nec pati tamen, ut urbs capiatur, quia perſuaſerunt ſibi homines urbem eſſe in ejus tutela. Cæterum in aliis ejuſdem Antonini ac Matris Juliæ nummis, Coloniæ in vicina Phœnice ac Palæſtina, *Emiſa*; *Sepfyrus*; (non *Sepyra* Ciliciæ juxta Triſtanum, aut *Cephyra*, de qua Joſuas, ſed Galileæ caput Σέπφωρις, de qua jam ſupra) *Damaſcus*; *Heliopolis*, quam poſtremam de *Helvia Recina* in Italia male idem Triſtanus non ſemel interpretatur, ut plenius dicetur ad Ulpianum. Immo ſicut *Julia Septimia* dicta in ſuperiori nummo *Neſibi* à Severo & ejus conjuge,

Orat. 1. p. 12.

Dyn. 1. p. 72.

Bell. Perſ. l. 11. c. 12. p. 116. Ed. Reg.

Tom. 11. p. 136.

gè, ita *Julia Severiana* ab utroque dicta itidem Syriæ *Laodicea* in quodam Severi nummo IOYA. AAOΔI. CEOTH. METPOΠOA. *Julia Laodicea Severiana Metropolis*. Consueto nempe illis temporibus more, quem tangit alicubi Dio, ut sibi Urbes plurium id genus nominum seriem sponte imponerent; quod insuper *Tarsus* & *Amasia* in nummis Caracallæ alibi jam descriptis, *Hadrianæ*, *Severianæ*, *Antonivianæ* simul dictæ, luculenter ostendunt, ac notavit etiam Stephanus in *Alexandria Troade*; cui suffragantur quoque supestites ejusdem Alexandriæ nummi, COL. AUR. ANTONINIANA ALEX. vel COL. AUG. TRO. ALEXA. seu *Colonia Augusta Troas Alexandria*. E qua proinde male Strabonis interpres duas urbes facit, ubi Ἀλεξάνδρειαν ἡ Τροάδα vertit, *Alexandria ac Troia*, pro *Alexandria Troas*. Adeo ut non male verba Syri Interpretis de *Alexandria*, ubi Lucas Evangelium annuntiavit, de *Troade* explicet alicubi eruditissimus Sam. Petitus, & firmet Actorum loco, unde Troade cum Paulo hæsisse colligitur Lucas. Sub ELAGABALO autem & ALEXANDRO SEVERO deductas nobiles illas *Sidonem*, *Carras*, *Bostram*, probant AURELIÆ & ALEXANDRINÆ eædem COLONIÆ in selectis illorum aut sequentium Cæsarum nummis appellatæ; quarum postremam cum Philippopoli Arabica Philippi Colonia male confundunt iterum [a] viri docti, ex secus acceptis Zonaræ aut Cedreni locis. Eadem nempe *Bostra*, ut alia jam mittam, quam Esaiam Βόσορον nominasse, eandemque appellatam à Bosara Jobi matre observant Græci interpretes, & cum iis libellus Synodicus Anonymi in Collectionibus Canonum. Quamquam jam ante à Nerva Trajano ornata, sed sine Coloniæ jure & cognomento videatur eadem Arabum Bostra, juxta nummos

In Cimel. Regin. Christ.

Lib. LIV.

Lib. XIII.

Var. Lect. l. 1. c. 12.

[a] Scal. ad Euseb. p. 236. Trist. T. II. p. 426.

Tom. II. p. 1170.

nummos illius in Commodo N. TP. BOCTPA: Trajani autem Arabicas expeditiones luculenter arguant Nummi illius, in quibus *Arabia Augusti Provincia*, aut *Capta* vel *Adquisita* describitur. Inde etiam initium Æræ horum Bostrenorum sicut & Petræ, ab anno Trajani VIII. arcessunt Græca apud Scaligerum Collectanea. Pag. 209. Euseb. At COLONIA & quidem ALEXANDRINA primum dicta eadem BOSTRA in nummis Alexandri Severi, & matris Mamææ. Mitto deductam sub Gordiano in Mœsia *Viminiacum*, de qua jam multa opportune Tristanus; aut sub Philippo restauratam *Ptolemaida*, ut liquere videtur ex illius Cæsaris nummo, in quo Colonus cum Tauro & Vacca, deductæ Coloniæ symbolo, ac inscr. COL. PTOL. de qua haud liquidum an ad Libycam vel Ægyptiam, an vero ad Phœniciæ Ptolemaida referri debeat, jam ante à Claudio deductam juxta Plinium, & occurrentem in aliorum Cæsarum ante hunc Philippum nummis, de quibus ad Ulpianum. Sicut autem defecit paulatim cum aliis institutis priscus ille mos deducendarum Coloniarum, ut eruditis notum, inde etiam nulla ejus exempla suppeditant nummi Byzantinorum Cæsarum, aut illorum, qui proxime eos præcesserunt. Occurrit quidem inter nummos magni Constantini, quos jam descripsere viri docti, CONSTANTINIANA DAFNE, de nobili illo Antiochiæ suburbio; sicut credidit Ortelius & Goltzius, Occo. juxta eum in Variis Pancirollus, à quo Urbs ipsa non Syriæ solum, sed Romanarum urbium in Oriente princeps *Epidaphne* olim dicta. Immo unde colligere liceret, forte à Constantino extructum in eodem suburbio illud Cæsarum *Dafnense Palatium*, cujus meminit cum Itinerarium Burdegalense sub eodem Cæsare scriptum, tum Constitutio quædam Valentiniani in Co-

dice Theodosiano, occasione *Dafnensis Aquæductus*, qui eidem Palatio inserviebat. Sed opportunius videtur cum viro doctissimo ad Ammianum, eundem nummum referre ad *Dafnen*, Castrum in Mœsia ad ripam Danubii à Constantino exstructum, ut liquet ex Procopio; & à quo Balistarii *Dafnenses*, ac è militum etiam numero *Constantini Dafnenses* dicti, juxta Notitiam Imperii. Mansit nempe vel aucta potius illa mutua cum Urbium in adoptandis nominibus Imperatoriis, tum Imperatorum in iisdem imponendis ambitio. Prius arguit inter alia Constitutio Arcadii in eodem Codice Theodos. ubi ob similes nominum designationes, dicuntur *offerre patriam* suam Imperatori, sicut eandem legem corrigit & explicat diligentissimus Interpres; posterius, id quod de Justiniano notat Procopius, eum omnia immutasse, quo omnes urbes *Justinianæ* dicerentur; quem tamen alibi vel eo nomine ornaverat Orbis conditoris seu reparatoris elogio, ὁ τῆ οἰκουμένης οἰκιστὴς.

L. 11. de Aquæductu.

De Ædif. l. IV.

L. 42. de Oper. publ. C. Th. Arcan. Hist. c. XI.

Ædif. l. IV. c. 1.

De Urbibus & Templis SACRIS & ASYLIS *sub Cæsaribus.*

Sicut vero dignitatem COLONIÆ, ita ASYLORUM jura, de quibus silent ferme Auctores, haud minus cupide iisdem monumentis consignabant. Ac jus quidem & morem id genus Asylorum, quæ usquam erant, abolevisse Tiberium tradit Suetonius. At vero incaute id ab eo adsertum liquet fide veterum Nummorum, in quibus non obscura ejusdem juris mentio, cum sub eodem Cæsare, tum post Tiberiana tempora. Mitto enim antiquiores & præclaros aut *Apameæ* nummos, cum inscr. ΑΠΑΜΕΑΣ (in alio ΑΠΑΜΕΩΝ) ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ, aut *Nicomediæ* in nummo Augusti ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ, aut Tyri, ΤΥΡΟΥ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ, qui postremus satis arguit cur *Sacra Tyrus* vocetur eadem

In Cimel. Regin. Christ.

In Cimel. Mediceo.

dem aliquoties in Epigrammatibus ineditis, ut Meleagri, ὁ λιθίην νήσων ΙΕΡΑ ΤΥΡΟΣ; aut cur Maximinus in literis ad Tyri incolas apud Euſebium, eorum civitatem vocet, θεῶν ἀθανάτων ἵδρυμα καὶ οἰκητήριον, *Deorum immortalium ſedem & domicilium*; aut cur denique ΙΕΡΑ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΣ inſcribatur eadem Tyrus in antiquo lapide. At ſequentium Cæſarum nummos hic reputo, qui privilegium illud Sacri & Inviolati ſoli, non uni civitati ſub iiſdem adjudicant. Eadem certe ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ, ſeu *Sacræ & Inviolabilis* adtributa legas in variis Nummis *Seleuciæ*, *Damaſci*, *Heracleæ*, *Laodiceæ*, *Gabalorum*, *Samoſatorum*, aliarumque Græciæ Aſiæque civitatum, temporibus Claudii, Veſpaſiani, Domitiani, Trajani, M. Aurelii, Macrini, Elagabali, Decii. Talis itidem ſub Tito percuſſus *Parætoniorum* in Ægypto, ΠΑΡΑΙΤΩΝΙΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ, quem adtulit doctiſſimus Seldenus ad Marmora Arundelliana. Ejuſdem notæ inſignis *Dori* vel juxta Ptolemæum *Doræ*, Joſepho vero πολιχνίδος haud ſemel τῶν Δώρων in Phœnicia nummus Trajani, quem notavi in Regia Gaza, ΔΩΡ. ΙΕΡ. ΑΣΥΛ. ΑΥΤΟΝ. ΝΑΥΑΡ. h. e. *Doræ ſacræ*, *Inviolabilis*, *ſuis Legibus*, *Navarchidos*; ubi præterea obſervanda illa Ναυαρχίδος appellatio, quam Urbs maritima neque alias tantæ dignationis apud Auctores ſibi vindicat; potiori autem jure ejuſdem regionis Metropolis *Sidon* in Trajani itidem ac Hadriani nummis ΣΙΔΩΝΟΣ ΝΑΥΑΡΧΙΔΟΣ; quos ſatis explicant cum ſitus ejus ἐπὶ θαλάσσῃ apud Achillem Tatium; tum potentia maritima centum quondam Triremibus inſtructæ juxta Diodorum, immo quorum Sidoniorum inventum Triremim tradit Clemens Alexandrinus, & firmare videntur plures & antiqui Sidoniorum nummi cum

Hiſt. Eccl. l. IX. c. 7.

Theſ. M. C. 3.

In Cimel. Reg. Gall.

In Cimel. Reg. Gall. & Regin. Chriſt.

Lib. I.

Lib. XVI.

Stromat. l. X. p. 307.

Triremi. Hinc Sidoniarum Navium aut Triremium
Lib. VII. prærogativæ, & quod apud Herodotum legas, Xerxem contra Græcos profecturum in tanto navium numero, Sidoniam ex tota classe conscendisse. Quamquam præter Triremim, aut figuram in navigio, depicta nonnunquam in Sidoniorum nummis Europa Tauro vecta juxta sequentem iconem.

De Dea Syria. Unde ut obiter hoc addam, illustratur cum Lucianus, cui similes inspecti Sidoniorum nummi, & è quibus colligit eandem esse Europam cum Sidoniorum Astarte, quod jam è Seldeno hauserat Tristanus; tum
Lib. I. insuper Achilles Tatius, qui describit Tabulam pictam in Deorum templis Sidoniis cum Europæ fabula; insidentem nempe Tauro à lateribus virginem, junctis non divaricatis pedibus, sinistra Tauri cornua apprehendentem, peplo autem pro velo usam, quæ omnia non jam Sophistæ narratio, quamquam ad vivum, sed ipsius Sidoniæ picturæ adspectus hic ante oculos ponit. Cæterum an & ideo ΝΑΥΑΡΧΙΣ *Dorus* vel *Dora* in superiori Nummo, quod Sidoniorum esset Colonia sicut apud Scylaci nomine editum Scriptorem videas, Δῶρος πόλις Σιδονίων? Ex quibus etiam Nummorum & locorum Inscriptionibus cum illo *sacræ* seu ΙΕΡΑΣ adtributo, abunde liquet, quod alibi innuebamus, frequenter illud ab urbibus *Phœnices*, *Palæstinæ*, *Syriæ* ac *Mesopotamiæ* usurpatum, ac ita eodem ornari à Strabone *Edessam*, neque eam proinde cum Antiochia *Theo-*
De Lucern. l. IV. c. 44. *poli* dicta à Justiniano, confundi debuisse à vestrate

For-

Fortunio Liceto. Juxta urbes etiam modo enumeratas, dicta itidem ΙΕΡΑ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΣ alia urbs illius tractus seu *Cæsarea Philippi* in nummo Titi; haud minus nempe ac altera illa minoris Asiæ Hierocæsarea, quæ in contentione urbium de jure Asylorum apud Tacitum legitur. Immo *Sicyoniis* vivente Tiberio idem jus tribuit antiquus eorum Nummus apud Goltzium, hinc cum Tiberii effigie, illinc cum inscr. ΣΙΚΥΩΝΙΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ. Unde constat accuratius Tranquillo, & ex fide Historiæ pronuntiasse Tacitum, qui non jus omne Asylorum sublatum, sed modum præscriptum docet. Neque vero mirum, vel conjungi passim in præclaris iisdem Nummis *Sacræ & Inviolabilis* appellationem; vel utramque signari publicis illarum Civitatum monumentis. A Templorum enim *Sanctitate* quadam præcipua jus illud *Asyli* apud eos profectum, quo præter eadem Templa, modo pars Urbis, modo Urbs integra, modo etiam adjacentes agri subinde donabantur. Ita de Templo Ephesiorum observat Strabo, jus illud Asyli habuisse, cujus fines sæpe sint immutati; Urbis partem addidisse Antonium, quod sustulit Augustus. Quod comprobare videntur Ephesiorum, qui supersunt, Nummi, & quidem cum accurata *Primatus*, aliorumque etiam privilegiorum, ut *Sacræ* vel *Autonomi* enumeratione, sed sine illo ΑΣΥΛΟΥ, quantum hactenus quidem viderim, adtributo, nisi in nummo qui idem privilegium ad Ephesiæ Deæ Templum restringit, ΑΣΥΛΟΥ ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ ΕΦΕΣΙΩΝ. Neque aliter olim Romæ, uni sacello Divi Julii, neque vero alterius Dei excepto Romuli sed obsepto ut nemo intraret, eadem Asyli, ut auctor est Dio, concessa prærogativa. Alioquin non urbem solum integram, sed vicinum urbi solum, seu adjacentes agros,

In Cimel. Medicco.

Annal. III. 63.

L. XIV.

Lib. XLVII.

ob præcipuam Templi sanctitatem & religionem, eadem ΑΓΙΑΟΥ appellatione nonnunquam intelligi, vel ex Tacito colligas de Hierocæsarea; *Memorabantur Imperatorum nomina, qui non modo Templo, sed duobus millibus passuum eandem* SANCTITATEM *tribuunt.* Sic agri vicini addicti Dianæ apud Tifatenses cultæ juxta Velleium; & Milesiis, seu juxta Polybium Mylasensibus, *quem* SACRUM *appellant agrum* restituisse Romani leguntur apud Livium. Neque aliter Zelæ urbi Armeniæ adjacentem regionem *Sacram* fuisse observat Strabo. Adeo etiam ut non citra morem alibi receptum, *Sanctum* legamus solum circa Hierosolymas apud Matthæum, ἐν τόπῳ ἁγίῳ; idque ex concessione Syriæ Regum Alexandri & Demetrii, juxta Machabæorum scriptorem & Josephum in Originibus. *Sanctitas* nempe illa eadem cum Ἀσυλίᾳ frequenter apud auctores, cujus nempe fons erat & origo; sicut in adducto paullo ante Taciti loco, ac aperte de Delo Livius, SANCTITAS *Templi insulæque* INVIOLATOS *præstabat omnes.* Unde sicut conjunguntur in superioribus nummis ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ appellationes, ita alibi apud eundem Livium de Insula Samothracum, SACRAM *hanc Insulam, ac Augusti totam atque* INVIOLATI *soli esse*, h. e. ΙΕΡΑΝ ΚΑΙ ΑΓΙΑΟΝ; quomodo & apud Melam Hyperboreorum terra *augusta*, h. e. sacra dicitur. Quamquam ad solum Templum restrictum sæpe jus illud Asyli, ut supra de Epheso, & Romuli aut Divi Julii sacello in Urbe Æterna; quod innuunt etiam Pergæorum nummi, ΠΕΡΓΑΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΑΓΙΑΟΝ ΙΕΡΟΝ, aut juxta Tranquillinæ vel Philippi nummos Regiæ Gallorum Gazæ, ΠΕΡΓΑΙΑΣ ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ ΑΓΙΑΟΥ cum Templo. Et quomodo Templum Dianæ in monte Aventino

Annal. III. 62.

L. XXXVIII. c. 39.

Lib. XIII. 5.

Lib. XLIV. c. 29.

L. XLV. c. 5.

Lib. III. c. 5.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

no communi Latinorum sumptu extructum narrat Halicarnassensis, ut iisdem esset IEPON ACYLON. Cæterum ἱερὸν καὶ ἀπόρθητον, quod idem ac ἄσυλον, Elæorum regionem vocat Polybius; qui mox tradit eosdem à Græcis recepisse τὴν παλαιὰν καὶ πάτριον ΑΛΣΥΙΑΝ, ob agonem Olympicum pridem iis concessam, & quam in eo positam docet, ut expertes essent omnis damni, omnisque bellicæ expeditionis. Neque mirum proinde, jus adeo augustum & sæpenumero controversum aut imminutum, publico ære tot Græciæ Asiæque civitatum, ad perpetuam rei fidem ac memoriam signatum. Hinc etiam illi Asiæ populi, quorum relatione Consulum compertum adsertumque Tiberianis temporibus jus Asylorum, Senatusconsulto *jussi ipsis in Templis figere* ÆRA *sacrandam ad memoriam.* Lib. IV. Lib. III. Annal. III. 63.

Nec jus solum illud Asylorum, sed LIBERTATEM etiam variis Græciæ Asiæque civitatibus à Cæsaribus nonnunquam aut relictam aut concessam, celebrant etiam earundem Nummi. Ita *Amisus* urbs Galatiæ libertate donata ab Augusto, auctore Strabone; unde præter alios, Plinio juniori vocatur AMISENORUM *civitas* LIBERA *ac Fœderata.* Hinc eadem occurrit in nummo Caracallæ Mediceo, ΑΜΙCΟΥ ΕΛΕΥΘΕΡ. Sicut in alio Hadriani, prout eum descripserunt celebres antiquarii, AMICOY ΕΛΕΥΘΕΡΑC ΕΤΟΥC ΡΓΓ. quæ utique eo magis observanda, quod inde liquere videatur à parta libertate annos suos computasse Amisenos, quod jam vidit illustris Scaliger, & qua de re infra. Equidem ante Augustum jam olim ab Alexandro, & dein à Sylla eadem Urbs LIBERA relicta legitur apud Appianum, & à Lucullo apud Photium. Sic *Cæsarea Palæstinæ* non solum Coloniæ dignitate ornata sub Flaviis, ut ante vidimus, sed LIBERA etiam declara- *De* LIBERTATE *Urbibus.* Lib. XII. Lib. X. Ep. Golt. Thes. & Occo pag. 250. In Mithridat.

declarata; ſicut utroque illo cognomento inſignis occurrit in Titi nummis, COLONIA CÆSAREA LIBERA FLAVIA. Hinc etiam tributum *capitis* huic ſuæ PRIMÆ COLONIÆ, ſicut vocatur in aliis nummis, remiſiſſe Veſpaſianus, *ſoli* etiam Titus à Paulo JC. traditur. Sic *Laodicea* LIBERA etiam Plinio tradita, quomodo & Aſcalon aliæque. *Lacedæmonii* autem ob eandem prærogativam dicti jam olim ΕΛΕΥΘΕΡΟΛΑΚΩΝΕΣ; prout eoſdem vocant [a] Strabo ac [b] Pauſanias; unde T. Quintio apud [c] Livium, *Lacedæmon quoque vindicanda in antiquam* LIBERTATEM *traditur*. Haud aliter nempe ac *Rhodii*, qui ΕΛΕΥΘ. ΡΟΔΙΩΝ inſcribuntur in ſequenti Nummo Mediceo, illinc cum Sole, cui urbs ſacra, hinc cum Victoria.

L.8.§.7.D. de Cenſib.

[a] Lib.VIII.
[b] In Lacon.
[c] L. XXXIV. c. 52.

Ut pateat quo titulo *Rhodios* vindices non ſolum ſuæ, ſed reliquorum etiam Græcorum *libertatis* vocet Polybius. Alioquin eam *libertatem*, quam ſuperior Nummus illis tribuit, & quam Sylla iiſdem conceſſerat juxta [a] Appianum, ademiſſe poſtea Claudium refert [b] Dio, & Veſpaſianum quoque Suetonius ac Eutropius. [c] Tacitus, *Redditur* RHODIIS LIBERTAS *adempta ſæpe aut firmata, prout bellis externis meruerant, aut domi ſeditione deliquerant*. Ita juxta Laconas & Rhodios, ELEUTHEROCILICES quoque olim dicti, ut vel ex Tullii Epiſtolis ad Atticum notum; ac præterea ex Diodoro, qui Cilices liberos à Myrina Amazone relictos docet, ac

Exc. legat. LV.

[a] In Mithridat.
[b] Lib. LX.
[c] Annal. XII. 58.

Lib. III.

inde ad ſua uſque tempora ΕΛΕΥΘΕΡΟΚΙΛΙΚΑΣ dictos. Id vero de Ciliciæ parte explicat Stephanus Byzantius, cujus incolæ eo gauderent privilegio, & qui olim Eleutherocilices, ſua ætate vero ΕΛΕΥΘΕΡΙΤΑΙ vocabantur. Eodem nempe modo, quo Macedonia *in* LIBERAM *& non* LIBERAM *diſtincta* jam olim à Romanis, ut apud Cæſarem legas. Iis vero *Liberæ* Ciliciæ locis adſcribenda caput ejuſdem Provinciæ *Tarſus*, juxta inſignem Gordiani nummum, ΚΟΛ. ΕΛΕΥΘ. ΤΑΡC. qui inſuper Romanam Coloniam eandem extitiſſe arguit; unde eximie illuſtratur Actorum locus, ubi Tarſi æternum decus natum ſe civem Romanum profitetur. Quamquam enim diu poſt Paulina tempora cuſus ſit ille nummus, nihil obſtat tamen, quin ab antiquo deductæ in eam urbem aut urbis partem Coloniæ memoria ibi renovetur, qua de re ſileant auctores, ut paulo ante vidimus de aliis civitatum id genus Nummis. Illud autem privilegium ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ Tarſenſibus juxta ac Laodicenſibus ab Antonio conceſſam refert Appianus, ut liberi eſſent ac immunes, & ab Auguſto adſertum Dio Chryſoſt. optimus ſuperioris Nummi interpres; dum Tarſo Terræ, Legis, Honoris, Poteſtatis, Fluminis ac Maris indultum à Cæſare beneficium notat. Neque aliter LIBERAM ſe inſcribit inter alios titulos ejuſdem Ciliciæ *Mopſueſtia*, juxta antiquam loci illius inſcriptionem in honorem Antonini Pii, ΑΔΡΙΑΝΗΣ ΜΟΨΟΥΕΣΤΙΑΣ ΤΗΣ ΚΙΛΙΚΙΑΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ, & quæ alia commemorantur; unde idem oppidum *Hadrianum* etiam dictum, neque fruſtra Plinio *liberum* percipere licet. Eleutherocilices quoque *Seleucenſes ad Calycadnum*, ut liquet ex ſequenti nummo Philippi Senioris, quem

Bell. Civil. l. III. In Cimel. Reg. Gall. Act. XXII. 28.

Bell. Civil. l. V. Orat. XXXIV.

Theſ. CCLI. 4.

ex Musæo amplissimi Camerarii nostri deprompsimus.

Inscriptus ille, ut vides, in aversa parte CЄΛЄΥΚЄΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟC ΚΑ. ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ, h. e. *Seleucensium ad Calycadnum Liberæ*. Sic in alio nummo Treboniani Galli legisse memini, CЄΛЄΥΚЄΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟC ΚΑΛΥΚΑΔΝΩ, & in Gordiano ejusdem Musei Seguiniani CЄΛЄΥΚЄΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟC ΤΩ ΚΑΛΥΚΑΔΝΩ ЄΛЄΥΘЄΡΑC: ad discrimen nempe aliarum *Seleuciarum* addito opportune fluvii *Calycadni* nomine, qua de re infra. Inde autem liquet recte à Sigonio apud Livium ex Strabone & Appiano *Calycadnum* pro *Calycandro* restitutum, *Neve navigato citra* CALYCADNUM; ac legendum omnino apud Plinium, *Seleucia supra amnem Calycadnum*; aut male eundem fluvium *Calydnum* ab aliis dici, ut liquet ex Stephano Byzantio in voce Τελα, nempe Τελα κώμη πρὸς Ἰσαυρίαν (leg. Ἰσαυρίας) ΣΕΛΕΥΚΕΙΑΝ ἣ παραῤῥεῖ ὁ ΚΑΛΥΚΑΔΝΟΣ, ὃν Καλυδνὸν τινὲς καλοῦσιν. Isauriæ quoque eandem adscribunt Concilia & Scriptores coætanei, è quorum numero Socrates, εἰς Σελεύκειαν τὴν Ἰσαυρίας τὴν ἐπικαλουμένην Τραχεῖαν, *in urbe Isauriæ Seleucia, quæ Aspera cognominatur*. Quod de *Asperæ* cognomine scriptor ille post Ptolemæum tradit, inde profectum videtur, quod Ciliciæ Tracheæ seu Asperæ eadem urbs olim accenseretur, cujus Ciliciæ pars

L. xxxviii. c. 38.

Lib. v. c. 29.

L. ii. c. 39.

pars dein in nomen Isauriæ transiit, & unde *Trachiotis* Plinio dicta eadem Seleucia. De ea quoque ut urbe Isauriæ & Calycadno fluvio Ammianus; *quam* (Isauriam) *mediam navigabile flumen* CALYCADNUS *interscindit. Et hanc quidem præter oppida multa, duæ civitates exornant,* SELEUCIA *opus Seleuci Regis, & Claudiopolis.* Quam utramque etiam civitatem conjungit præclarus Claudii Gotthici nummus inde explicandus ΚΛΑΥΔΙΟ ϹΕΛΕΥΚΕΩΝ. Ex Ammiano autem liquet, cur non *Libera* solum, sed *Metropolis* etiam vocetur in aliis Nummis, ϹΕΛΕΥΚΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΝ ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ. Cæterum eandem quoque libertatis prærogativam *Smyrnæis* tribuunt antiqui aliquot Nummi; ut fidem facit ille ab Occone & Goltzio jam ante & supra etiam nobis descriptus, ϹΜΥΡΝΑΙΩΝ ΙΕΡΑ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ ΚΑΙ ΕΛΕΥΘΕΡΑ. Adeo ut non frustra Ioniæ urbes liberas & suis legibus à Judæis vocari videas apud Iosephum. Eodem quoque privilegio gaudent *Phryges* in Caii nummo à Goltzio itidem descripto, ΦΡΥΓΙΩΝ ΚΟΙΝΟΝ ΟΜΟΝΟΙΩΝ ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ· cujus lectionem vereor ut sit recte adsequutus. Illud enim ΟΜΟΝΟΙΩΝ plurium numero hic insolitum, pro quo ΟΜΟΝΟΙΑ passim legitur in similibus nummis. Per vocem ΦΡΥΓΙΩΝ etiam, si vera lectio, (expertus enim loquor, prout frequenter evincit hoc opus, quam non continuo fides habenda sit diligentibus alias antiquariis, ubi Græcorum nummorum inscriptiones tradunt) utraque Phrygia Major nempe & Minor videtur eodem nummo designari. Agnoscis nempe luculenter ex præclaris hisce & publicis monumentis τὸ φιλελεύθερον id genus locorum, ut Polybio aliquoties vocatur innatus ille iisdem libertatis amor. Immo inde Bacchus toties,

Lib. XIV.

In Cimel. Regin. Christ.

Origin. l. XVI. c. 4.

L. II. p. 40. & l. V. p. 444.

& Marsyas ejus minister nonnunquam, in civitatum id genus nummis depicti videntur, aut occurrunt hic passim in statuis antiquis; quorum ille *Libertatis Deus* Servio & Macrobio, ac Ἐλευθερίας πατὴρ Achilli Tatio; iste *per civitates in foro positus Libertatis indicium*, juxta commemoratos modo Grammaticos. Alioquin notus Juppiter ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΣ, in memoriam concessæ divinitus Libertatis à Syracusanis cultus; ut constat etiam ex veteri nummo illius urbis, in quo caput Jovis & inscr. ΖΕΥΣ ΕΛΕΥΘ. seu *Liberator* Romanis dictus, & cui novissimum liquorum libasse leguntur duo illi Stoicæ sectæ principes. Quin non unius solum urbis aut Gentis, sed PUBLICA etiam (quamquam vano & ad ostentationem comparato titulo) LIBERTAS jactata in aliquot Cæsarum nummis; puta Galbæ, Vespasiani, Nervæ, Hadriani; in aliis rursum ADSERTORI LIBERTATIS PUBLICÆ, aut LIBERTAS RESTITUTA, sicut in aureo Vitellii nummo Etrusci Mecœnatis, & altero Hadriani apud inclytam Reginam; aut sicut præfert nummus Pertinacis Seguinianus, LIBERATIS CIVIBUS; aut denique juxta Gallieni nummum, OB LIBERT. RECEPTAM. Immo dicta eadem LIBERITAS pro *Libertas* eodem Gallieni ævo, ut in sequenti Claudii Gotthici nummo invenusto quamquam & inconcinno, cum solito Libertatis typo,

Lib. III.

Satur. l. III. c. 12. ad Æn. IV.

In Cimel. Cardinal. Leopold.

In Cimel. Regin. Christ.

quomodo UBERITAS etiam, pro *Ubertas* legitur in Volusiani & Quintilli nummis.

Cum

Cum libertate vero AUTONOMIAM, seu suis legibus vivendi arbitrium variis Urbibus olim Romanos permisisse memorant non semel Auctores, & præ reliquis Polybius passim in Legationibus, qui simpliciter aliquando ἐν νόμοις eandem prærogativam vocat, ubi agit de Carthaginensibus, quibus à Romanis relictam narrat Ἐλευθερίαν καὶ ἐν νόμοις, h. e. interprete, ut sæpe alias, Livio, *Carthago libera cum suis legibus.* Utramque etiam Athenienſibus relictam meminit Strabo, ut alibi Spartanis, Rhodiis, Acarnanibus, in genere autem omnibus civitatibus Græcis tam in Europa quam in Asia Livius, ut LIBERTATEM *ac* SUAS LEGES *haberent.* Frequens alioquin antiquior ejusdem privilegii mentio apud Græcos Oratores ac Historicos, in rebus Græcorum & Macedonum, antequam hi cum Romanis congrederentur. De Græcis in genere Tullius: *Græci vero exultant, quod se* AUTONOMIAM *adeptos putant.* Unde utique adsequimur, cur eadem prærogativa, ut insigne aliquot beneficium, incisa sit non in vetustis solum Marmoribus, sed etiam in priscis variarum Græciæ Asiæque civitatum nummis, ut *Seleuciæ*, ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΩΝ. *Tripolis* Phœniciæ, ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Antiochiæ*, ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Halicarnassi* in alio nummo Mediceo sub Geta percusso, ΑΛΙΚΑΡΝΑΣΣΕΩΝ ΑΥΤΟΝΟΜΩΝ; ut mittam eodem titulo insignitos *Ephesios*, *Cæsarienses*, *Cyrenenses*, ac plures id genus Αὐτονομιάδες, ut loquitur Polybius, in variis nummis Cæsarianis. Immo inde petitæ etiam singulares Urbium id genus Epochæ; sicut de Damascenis, Antiochensibus, aliisque Syriæ, Palæstinæ, ac Phœniciæ locis, ex eorundem nummis colligit ὁ πάνυ in Canoni-

De Urbibus AUTONOMIS.

L. XXXVIII. c. 54.

L. XXXIII.

Lib. I. Ep. ad. Att. 6.

In Cimel. Mediceo.

In Museo P. Seguin.

In Cimel. Regin. Christ.

bus Isagogicis, qua de re suo loco. Equidem eo prærogativæ genere Urbs una altera nobilior censebatur. Hinc Argivos à Spartanis nobilitate superatos narrat idem Strabo, quod se Αὐτονόμους conservassent; & ἑλλιμενοταμίαι, seu præfecti communis Græcorum Ærarii in Insula Delo, electi ex sociis Αὐτονόμοις, juxta Thucydidem. Quod privilegium proinde Αὐτονομίας pretio frequenter redimebant, ut de Tyriis memorat alibi Geographus. Idem etiam de Antiochensibus tradit Porphyrius in Excerptis apud Scaligerum, ὁ δὲ λαβὼν παρ' ANTIOXEΩN χρήματα ATTONOMON δὲ τὴν πόλιν ἔασε, ille vero (Pompeius scil.) *accepta ab* ANTIOCHENSIBUS *pecunia, urbem eorum suis* LEGIBUS *reliquit*. Judæos quoque ideo δίδραχμον pendisse docet Dio, ut eodem beneficio gauderent *Autonomia*, seu ut de iisdem loquitur Nicolaus Damascenus, τοῖς αὐτοῖς ἔθεσι χρῆσθαι. Cujus monetæ mentio revocat mihi in memoriam præclarum ΡΟΔΙΩΝ ΔΙΔΡΑΧΜΟΝ signatum in nummo Nervæ insigni, ubi duæ figuræ stantes, quarum una solis radiata aut Imperatoris sub illius effigie mulieri dextram porrigit, Phœbi nempe sponsæ, ut Pindaro vocatur, Rhodo.

Lib. VIII.

Lib. I.

Strab. l. XVI. Pag. 62.

Lib. IX. Exc. p. 503.

Olymp. Od. VII.

In Cimel. Regin. Christ.

Alium horum Rhodiorum Nummum possidet Gaza Medicea, in quo Victoria alata cum tropæo & inscr. ΔΙ-

ΑΙΔΡΑΧΜΟΝ, cui ſimilem quoque Triſtanus ad Neronem refert, qua de re lis illi cum erudito ejus Cenſore. Certe in nummo Mediceo nulla Neronis mentio, verum inſcr. ΡΟΔΙΟΙ ΥΠΕΡΙΟΝΙΑΝ. i. e. *Rhodii Hyperioni dedicarunt.* Interim ex ſimilibus Nummis formam & magnitudinem ſimilis monetæ indubie colligas, ſicut alterius in qua vel ΑCCΑΡΙΑ ΤΡΙΑ vel ΟΒΟΛΟC inſcribuntur; puta in aliquot antiquis & ſelectis Chiorum Nummis Gazæ Mediceæ. Sed hoc alterius loci. Cæterum titulum illum ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, quem præferre tot Civitatum Nummos diximus, explicat alicubi Strabo κατ' ἰδίους πατρίους νόμους, ſeu facultatem vivendi juxta quaſdam patrias leges; alibi vero (ubi agit de ſimili jure Maſſilienſibus relicto) immunitatem à juriſdictione Romani præſidis interpretatur. Mirum vero id, quod de Cappadocibus ſuis narrat alicubi, jus illud ἀυτονομεῖσθαι eiſdem à Romanis conceſſum, quod tamen (nata quippe gens ad ſerviendum) non admiſerint.

Tom. 1. p. 225.

Lib. XVII.

Lib. IV.

Lib. XII.

Quis autem ex Scriptoribus Hiſtoriæ Auguſtæ CONCORDIAM illam & COMMUNIONEM memorat; quam variæ & nobiliores quidem urbes Romani Orbis inter ſe ſolemnibus pactis ſanciebant nonnunquam aut identidem renovabant? Diſſidia quidem inter vicinas urbes, & municipalis æmulationis exempla apud eoſdem Hiſtoricos nonnunquam legas; ut Lugdunenſium cum Viennenſibus, Puteolaneorum cum Capuanis apud Tacitum; Nicomedenſium cum Nicæenſibus, Laodicenſium cum Antiochenſibus, Tyriorum cum Berytiis apud [a] Herodianum; quemadmodum apud alios Auctores Cæſarianorum temporum, [b] Epheſiorum cum Smyrnæis, aut Pergamenis; [c] Apamenſium in Bithynia cum Pruſæenſibus? Sido-

De Urbium CONCORDIA.

[a] Lib. III.
[b] Dio Chryſ. orat. XXXIV. & Ariſt. orat. de Conc.
[c] Dio orat. XLI.

[a] Strab. l. xvi. [b] Dio Orat. xxxiv.

[a] Sidoniorum cum Tyriis; [b] Syrorum Apamensium cum Antiochensibus contentiones: puta de jure Metropoleos; Primatu Gentis, Templorum, Sacrorum; de antiquitate; aliisque id genus prærogativis: ne heri aut hodie natas de his rebus dissensiones reputemus, quarum nimis crebra etiam exempla suppeditant veteris Ecclesiæ Annales. Antiquiora vero Cæsarianis temporibus aliarum civitatum dissidia hic non attingo, ex eadem invidia & æmulatione profecta, quæ memorant nonnunquam prisci auctores. Ubi vero ΟΜΟΝΟΙΑΝ & ΚΟΙΝΩΝΙΑΝ earundem civitatum, quales modo enumerabam, videas; ubi depositis odiis & simultatibus junctas fœderis dextras; ubi communionem sacrorum inter disjunctas etiam multis terrarum spatiis urbes; ubi illud cognationis & fraternæ charitatis, qua nonnullæ erant inter se colligatæ, vinculum, nisi in iisdem præclaris ac residuis Nummorum monumentis legas? Duos quidem eloquentissimos, quos ætas Imperatorum tulit, Græcos Oratores, hortantes aliquot ex prædictis paullo ante Civitatibus ad *Concordiam* videas; rationes etiam ejusdem resarciendæ; incommoda, quæ ægra & discordantia, ut ille loquitur, municipia manerent, iisdem copiose & eleganter declarantes. Eosdem tamen *Ephesios* cum *Smyrnæis*, vel utrosque cum Pergamenis in gratiam identidem rediisse, & solemnibus pactis, frequenter neque subuno Cæsare sanxisse CONCORDIAM, nonne Dione oris aurei vel Aristide luculentius docent nos hodie vel Augusti nummi inscripti ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΚΑΙ ΕΦΕCΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Pergamenorum & Ephesiorum Concordia*; vel Domitiæ nummus Mediceus, ΟΜΟΝΟΙΑ ΣΜΥΡ. ΕΦΕ. *Concordia Smyrnæorum, Ephesiorum*; vel Antonini Pii CMYP. ΠΕΡΓ. ΕΦΕCΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *Smyrnæorum,*

Tacit. in Agricola.

næorum, *Pergamenorum & Ephesiorum Concordia?* Immo eandem *Concordiam* cum aliis Urbibus minoris Asiæ, signatam itidem legimus, ut *Ephesiorum* cum *Sardianis* in præclaro Commodi nummo Mediceo, CAPΔIANΩN EΦECIΩN Β. NEΩK. OMONOIA; *Ephesiorum* item cum *Laodicensibus* in nummo Otaciliæ; eorundem *Ephesiorum* cum *Hierapolitis* in nummo Commodi supra jam descripto; *Smyrnæorum* cum *Thyatirenis* in alio insigni nummo ejusdem Gazæ Mediceæ, OMONOIA ΘYAT. K. CMYP. Sic similem *Antiochensium* cum Syris *Laodicensibus Concordiam*, quamquam, ut ex Severi rebus apud Herodianum licet colligere, haud valde diuturnam, probat nummus Commodi, ANTIOXEΩN KAI ΛAOΔIKEΩN OMONOIA. Adde concordes *Sidetes* & *Pergæos* ejusdem Pamphyliæ incolas, juxta nummum Gazæ Palatinæ, CIΔHTΩN ΠEPΓAIΩN OMONOIA, sub Gordiano percussum. Ita *Sidonios* cum *Tyriis* de antiquitate, magnitudine ac jure Metropoleos, juxta Strabonem, certantes, convenisse interdum docet Otaciliæ nummus apud Goltzium ab utrisque conjunctim signatus, ΣIΔΩN KOΛ. TYPO. MHTPO. adeo ut *Sidon Coloniæ*, *Tyrus Metropoleos* cognomento insignis remaneret. Immo *Concordiam* illam publice quoque sancitam inter dissitas nonnunquam, neque unius Gentis aut Communitatis Civitates, arguunt eadem Nummorum monumenta, ut *Ephesiorum* cum *Alexandrinis*, OMONIA EΦECIΩN K. ΛΛEΞANΔPEΩN, aut EΦECIΩN ΛΛEΞANΔPEΩN OMONOIA in aliquot Gordiani nummis, in quibus Dianæ Ephesiæ ac Serapidis vel etiam Phari expressæ icones, ne liceat dubitare, de qua Alexandria, quales plures florebant eo nomine, iidem intelligi debeant. Neque dissimilis alioquin utriusque urbis nobilitas

Lib. III.

Lib. XVI.

In Cimel. Mediceo.

In Cimel. Regin. Christ.

Ep. CII. bilitas ac frequentia, ut vel ex Seneca colligas, *Primum, non humilem accipit patriam*, EPHESUM *aut* ALEXANDRIAM; *aut si quod est etiamnum frequentius incolis, latius tectis solum.* Sic rursus eorundem *Ephesiorum* cum *Cyzicenis Concordiam* in nummo Antonini Pii; aut cum *Pergamenis* simul ac *Perinthiis* in nummo Caracallæ; *Smyrnæorum* cum *Athenienſibus* in nummo Commodi Mediceo, aut cum *Lacedæmoniis*, in alio nummo ejuſdem Cæſaris Seguiniano; aut eorundem cum *Troadenſibus* apud Ligorium; item *Nicæenſium* cum *Byzantiis* in nummis Treboniani Galli & Valeriani; *Mytilenæorum* & *Pergamenorum* in nummo ejuſdem Valeriani, ut plures adhuc mittam cum ſimilis conventionis ſeu OMONOIAΣ memoria. Pacta nempe illa publicæ *Concordiæ* inter ejuſdem Communitatis Civitates, *Epheſios* puta, *Smyrnæos*, *Pergamenos*, renovata aut inducta in ſolemnibus Gentis conventibus; prout de iiſdem Ionibus tradit Halicarnaſſenſis, agens de annuo illorum conventu ad Templum Dianæ Epheſiæ, ubi de bello contra barbaros, præterea *& de mutua* CONCORDIA *communia conſilia capiunt*, καὶ περὶ τῆ πρὸς ἀλλήλους ὁμοφροσύνης κοινὰς ἐποιοῦντο βουλάς. Unde quoque in ſignum ejuſdem *Concordiæ* percuſſi nummi publico Communitatis earundem Urbium decreto, ΚΟΙΝΟΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΚΑΙ ΕΦΕCI. ut præfert nummus Commodi Mediceus. Inter eas autem Urbes, quæ extra ejuſdem Communitatis jura agebant, inducta quoque, ut vidimus, & publico ære ſignata ſtabilitæ *Concordiæ* memoria; quæ vel *Sacrorum* inter eaſdem communionem inferebat, quod vere alibi monuiſti; at clare arguunt præſides loci Dii iiſdem Nummis inſculpti; aut commune jus *Hoſpitii*, quo non privati ſolum, ſed plures olim Urbes inter ſe junctæ, ac præ reliquis Miletus.

In Cimel. Mediceo.

In Cimel. Regin. Chriſt.

In Cimel. Reg. Gall. & Mediceo.

Lib. IV.

tus & Sybaris, teste Herodoto, ac sicut de Thracia Virgilius, Lib. VI.

Hospitium antiquum Trojæ, sociique Penates. Æneid. III.

Et similiter Ædui Romanorum hospitio atque amicitia florentes apud Cæsarem; aut *jus Civitatis* utrisque commune, ut inter Rhodios ac Athenienses, auctore Livio, *civitasque Rhodiis data, quemadmodum Rhodii prius Athenienſibus dederant*, & quomodo Perinthios cum Byzantiis restitutos εἰς τὴν Βυζαντίων συμπολίτειαν Polybius refert. Alioquin Selinuntiis Siculis ab Ephesiis olim concessum narrat Xenophon, ut quando patriam illi amisissent, Ephesi jus civitatis haberent. Adde jus *Commercii*, ut inter Megarenses & Corinthios apud Aristotelem, & quod videtur superioribus Alexandrinorum & Ephesiorum pactis, ut decebat duo nobiliora tum Orbis Emporia, ansam quoque præbuisse. Adde mutua *Connubia*, de quibus tradit idem Philosophus, Connubium esse ex iis, quæ proprie civitatibus sunt communia, quod altera alteri civitas dans, non unam tamen efficit civitatem. Sic Connubia finitimis externisque modo concessa à Romanis, modo adempta; ut ex pluribus Livii locis constat. Tacitus autem de Cremona, *annexu connubiisque adjacentium adolevit floruitque*; sic enim legendum crederem eo loco, non ut hactenus, *annexu connubiisque gentium*, quod postremum nimis vagum ibi ac longe petitum. Incrementa nempe cepit Cremona ex annexu & connubiis vicinorum seu *adjacentium*, sicut utrumque fieri consuevit. Connubia certe Latinis *inter se* vulgo à Romanis permissa videas, immo sæpe extra unius populi aut regionis fines vetita; sicut clare Macedonibus in quatuor Regiones divisis pronuntiatum à Paullo, *Neque* CONNUBIUM, *neque commerciorum, agrorum, ædificiorumque* INTER

Lib. XXXI. c. 15.

Lib. XVII.

Hist. Græc. l. I.

Polit. l. III. c. 6.

Hist. III. 34.

Liv. l. VIII. & IX.

Id. lib. XLV. c. 29.

SE, *placere cuiquam* EXTRA FINES *regionis suæ esse.* Cæterum similis *Concordiæ* beneficio firmata quædam Fraternitatis ac necessitudinis, ut inter sorores, vincula; unde & *Sorores* etiam dictæ id genus Civitates, neque tam ob cognationem, ut de Utica & Carthagine Tertullianus, *in proximo* SOROR *Civitas*, aut alioquin Samaria & Hierosolyma apud Ezechielem; quam ob mutuam ac vere germanam inter se caritatem. Sic Aristides sermone de Epheso, Smyrna, Pergamo, quarum sancitam subinde publicis monumentis Concordiam vidimus, νυῦν χρὴ πάσας τὰς πόλεις ΑΔΕΛΦΑΣ ἀλλήλας ὑπολαμβάνειν, *nunc decet omnes urbes* SORORES *se invicem reputare.* Ita Syria *Tetrapolis* dicta à quatuor nempe Urbibus *Antiochia*, *Seleucia*, *Apamea* & *Laodicea*, quæ propter illam OMONOIAM, cujus fidem etiam faciunt descripti aliquot earum Nummi, SORORES, juxta Strabonem appellatæ. Ac ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑΝ quidem legas in aliis Civitatum id genus Nummis, puta *Perinthiorum* & *Nicæensium* sub Severo ac Geta percussis, sed quæ fraternam Antonini & Getæ, quamquam certe valde lubricam concordiam innuunt, quod jam monuit Tristanus, & firmant conjuncta insuper in simili nummo Juliæ Domnæ, utriusque fratris capita simul & nomina.

De Pallio. Cap. XVI.

Lib. XVI.

In Cimel. Regin. Christ.

DE MUNIFICENTIA *Cæsarum & Quadragesima Remissa.*

MUNIFICENTIAM vero vel gratuita beneficia Urbi aut Provinciis à Cæsaribus concessa, seu in Vectigalibus, Tributis, Reliquis aliisque oneribus remittendis; seu in sublevandis restituendisque collapsis Civitatibus, plures Tiberii, Caii, Neronis, Galbæ, & sequentium Cæsarum nummi abunde prædicant, de quibus altum sæpenumero apud Auctores illorum temporum silentium. Galbæ certe, ut alia mittam, pulcherrimum facinus *Quadragesimam Remissam*, non aliunde quam

ex præclaris ejuſdem Nummis hodie novimus. Tales duo occurrunt ejuſdem Galbæ, unus cum viro ferente ſpolia & inſcr. xxxx. REMISSA S. C. Alter rarior cum Arcu, quem aliquoties una inſpeximus in luculentis Cimeliarchiis Ill. Camilli Maſſimi & Abbatis Braceſii, cum inſcr. QUADRAGESUMA REMISSA. Geminum huic poſtremo vidit jam olim doctiſſimus Caſaubonus, quem adtulit ad Suetonium & pluribus commendat, *Galbam revocaſſe abolitionem Quadrageſimæ docemus nos invicto argumento Nummi veteris, qui ex S. C. ad tradendam poſteris ejus beneficii memoriam & in honorem Galbæ fuit percuſſus, eum Nummum infra ſubjecimus.* Principum nempe brevioris ævi facta negligentius ab Hiſtoricis tradita, ut recte ibi obſervat ὁ πάνυ, & plures hujus Galbæ ac ſucceſſorum nummi luculenter oſtendunt. Hinc omiſſa omni Galbæ mentione, male hujus Vectigalis abolitionem à Nerone repetit Tacitus; *Manet tamen Abolitio* QUADRAGESIMÆ *Quinquageſimæque, & quæ alia exactionibus illicitis nomina publicani invenerant*; quum Galbæ præcipuum hoc fuiſſe beneficium conſtet invicto hujus nummi argumento. Neque enim audiendus vir eruditiſſimus, qui hanc abolitionem Neronis de *Quadrageſima* ſummæ litium à Caio invecta haud ita pridem interpretabatur; & in qua ſententia fuiſſe dudum ante illum video duos clari nominis Juriſconſultos, magnum [a] Cujacium & [b] Pancirollum. Clare enim eo loco Tacitus de abolitione Vectigalium, quæ paullo ante *Portoria* illi dicebantur, & coërcitis ſub Nerone, qui eadem exigere conſueverant, publicanis; ut non alia ibi ſit *Quadrageſima*, quam ea de qua agit Quintilianus, *Præter inſtrumenta itineris, omnes res* QUADRAGESIMAM *publicano debeant*, aut Suetonius, qui *Publicum Quadrageſimæ in Aſia* memorat,

3 Annal. XIII. 51.

Th. Reineſius in Ep.

[a] Lib. VI. Obſ. c. 28.
[b] Var. l. III. c. 31.

Declam. CCCLIX.

morat, ut eadem loca opportune olim ad Tacitum notavit Lipsius; & quomodo nempe apud Eusebium legas, τὸ τῆς Ἀσίας δημόσιον ἀρχεῖον *publicum Asiæ Tabularium*, juxta nuperam & accuratam viri doctissimi versionem. Adeo ut omnino non debuerit ὁ πάνυ Cujacius adserere, non aliam fuisse *Quadragesimam*, quam illam summarum de quibus litigabatur, cæterarum vero rerum vectigal fuisse Centesimam aut Quinquagesimam. Quod præter adducta modo clarissima testimonia, refellit insuper vetus inscriptio, QUINCTIO AUG. TABULARIUS XXXX GALLIARUM, ut vere de *Tabulario Quadragesimæ* eandem interpretatur eruditissimus Reinesius, & priorem sententiam suam jure revocat de mutandis illis denariorum notis, quasi de *quatuor Galliis* ibi esset mentio. Egregie nempe hunc & lapidem & sensum illustrat prior ille Galbæ Nummus, in quo xxxx pro *Quadragesimæ* Portorio eadem ratione signatur. Cæterum vel ex iis numeris liquet, adposite *Tabularios* id genus, quorum officium erat publicas civitatum rationes tractare, *Numerarios* etiam appellatos; ut constat ex Notitia Imperii & utroque Codice. Hanc vero *Quadragesimam* à Galba *remissam*, Symmachi ævo iterum persolvi solitam, ex ejusdem Epistolis notarunt jam eruditi. Alioquin *Galli sibi* REMISSAM *à Galba quartam tributorum partem* jactasse apud Tacitum dicuntur. Immo Galbæ remittenti Quadragesimam præiverat jam olim, sed nondum furens, Caius; qui, auctore Suetonio, CENTESIMAM *actionum Italiæ remisit*, vel ut habet ejusdem Cæsaris nummus, quem descripsere diligentes antiquarii cum notis R. C C. seu *Remissa Ducentesima*; quam nempe pro Centesima minuendo oneri invexerat Tiberius. Sic de Vectigali *Vicesimæ*, quæ à Nerva & Trajano restricta

Hist. Eccl. l. v. c. 18.

Hist. I. 51.

Occo pag. 105.

ſtricta & aliis remiſſa conſulendus eſt Plinius in Panegyrico; qualis non una olim exſtitit, alia eorum qui *manumittebantur*; alia Viceſima *portorii*, ut Syracuſis, teſte Tullio, nonnunquam pro Viceſima parte *frumenti*, quam unuſquiſque poſſidebat, ſicut Hiſpanorum *Viceſimas* explicat apud Livium Marcellus Donatus; alia autem *Hæreditatum* ab Auguſto inducta, & de qua etiam leges latæ à M. Aurelio, juxta Capitolinum; quas Viceſimas nonnunquam confundunt viri docti. Ad priorem reſpexit Arrianus, εἰκοστὼ αὐτὸ δοῦναι ὀφείλει, *Viceſimam ejus dare opportet*, ſcilicet ſervi manumiſſi; alibi autem, δοκεῖ πῶς εἰκοστώνας ἐπιθυμεῖ δοῦναι ἀργύριον, *Eone putatis, quod pecuniam dare cupiat Viceſimæ redemptoribus*, non ut vertit prior interpres εἰκοστώνας *pro teſſeræ vendentibus*, quod unde hauſerit fateor me neſcire, errare autem certo ſcio, & ſcivit etiam alter interpres Volſius, ut poſtea animadverti, qui *publicanos* hic vertit. *Viceſimam* nempe ſicut alia Vectigalia conducebant certo pretio publicani; unde paſſim, ut vulgo notum, dicti *Vectigalium redemptores*, Viceſimæ puta aut Quadrageſimæ, &c. quales proinde εἰκοστώνας vocat ibi eleganter Arrianus, qui & illius εἰκοστῆς ſeu *Viceſimæ* jam ante meminerat. Immo ſimpliciter *Redemptores* etiam dicti, ſicut alicubi Tullio, & aliquoties, ut præterea obſervo, apud Veteres Juriſconſultos, *Curatores operum cum redemptoribus negotium habent*, ac alibi in lege de Cretæ Cotoriis. Mitto jam *viceſimam proventuum*, quam ab Athenienſibus exegiſſe triginta Tyrannos auctor eſt Thucydides. *Quadrageſimam* etiam in ea urbe viguiſſe, eandemque inductam ab Euripide, videre licet apud Ariſtophanem,

Τάλαντ' ἔτεθην πεντακόσια τῇ πόλει
Τῆς ΤΕΣΣΑΡΑΚΟΣΤΗΣ, ὦ ἐπέλασ' Εὐριπίδης.

In Verrem. II. Lib. XLIII. c. 2. Dio l. LV. Diſſ. l. II. c. 1. Id. lib. III. c. 26. Ulp. l. 2. D. de op. publ. L. 15. D. de Public. Lib. VI. In Concionatr.

Quin-

Quingenta mox Reipublicæ talenta fore
Ex QUADRAGESIMA, *quam excogitarat Euripides.*

De VEHICULATIONE *Remissa.*

Ad simile genus Munificentiæ à Galba profectæ plurima referri possunt in Nummis Cæsarianis consignata, quæ aliunde nescimus. Cujusmodi VEHICULATIO ITALIÆ REMISSA à Nerva, juxta præclarum ejusdem Nummum vulgo apud Antiquarios obvium, cum duobus Mulis pascentibus, & quem commemorarunt etiam ad Spartianum viri summi. Quamquam & majorem adhuc lucem mereatur, quam ei hactenus adlata est, & hic nobis aliquod spicilegium reliquerint viri longe doctissimi, parum alias inter se concordes, qui ad Historiam Augustam, vel nuper ad Codicem Theodosianum rem Romanorum Vehiculariam adtigere. Neque pigebit proinde Nummum ipsum etiamsi obvium hic subjicere.

VEHICULATIONE] Ac primo inde discimus, nec aliunde quod sciam, *Vehiculationem* Romanis dictam, quæ alias *Vehicularis Cursus*, *Vehicularium munus*, *res Vehicularia*, *Vehicula publica*, *Cursus* item & *Cursus publicus* dicebatur. Iis autem aliisque adhuc vocibus designabantur, ut nosti, disposita locis publicis per Italiam ac Pro-

Provincias animalia seu Vehicula in publicos & privatos etiam nonnunquam usus. Originem autem illius Vehiculationis vulgo ab Augusto repetunt viri summi; quæ tamen paullo altius arcessenda est. Magistratus olim Romani ad Exercitus & Provincias profecturi, Mulis, Tabernaculis, aliisque instrumentis itineris è publico instruebantur. Soli Legati, qui repente aliquo mittebantur, singula jumenta per oppida, qua iter faciendum erat, exigebant. Primus L. Postumius Consul Anno V. C. DLXXXI. iturus in Campaniam ad agrum publicum à privato terminandum, Prænestinis infensus, cum publicum sibi hospitium, tum jumenta parata, quum inde exiret, imperavit. Inde similis continuo & major etiam licentia usurpata à sequentibus Magistratibus. Livius, ubi superiora commemorasset, *jus velut probato exemplo Magistratibus fecit graviorum in dies talis generis imperiorum.* Ergo prima illa origo rei Vehiculariæ impensis sociorum ac privatorum; quamquam à principio tenues essent & extraordinariæ, occasione subitarum Legationum, dein sola libidine ac licentia Magistratuum niterentur: Ab Augusto postea, quo celerius nosceret statum Provinciarum, Vehicula per publicas vias dispositа; atque ita inductus Vehicularis Cursus, hinc inde ad Principem aut à Principe commeantium; quam eandem moris hujus causam & originem secus Trajano tribuit Victor. Manssit autem illa *Vehiculatio*, sub sequentibus Cæsaribus, sed variis subinde mutationibus obnoxia; dum eadem à privatis ad fiscum translata; aut ejus onere sublevatæ certæ tantum Provinciæ, aut plures leges identidem latæ, quibus ejusmodi Vehiculationis commodis & incommodis consultum; cautum de provisu, cura, alimentis Animalium publicorum; & restricta vel amLib. XLII. c. 1.

pliata iisdem utendi licentia. Insignis autem de Cursu Publico apud Procopium locus, quem præterierunt viri docti, ubi docet eum ab Imperatoribns institutum, cum ut hostium aut aliorum seditiones nuntiarent id genus Cursores, tum ut annua Vectigalia portarent. In via unius diei octo circiter Stabula, ad minimum quinque; in singulis Stabulis Equos quadraginta dispositos exstitisse, unde cursu diurno decem dierum viam metiri poterant Cursores; inde autem privatorum commoda ob promercales fructus, quos alendis Equis & Stabulariis vendebant Quæstoribus: sublatum autem passim illum Cursum à Justiniano, aut imminutum, ut in Ægypto & Oriente reliquo excepta in Persidem via, Stabulorum numerum; eumque insuper ab Equis ad Asinos redactum. Minus accurate autem ibi vir doctus δρόμον δημόσιον per *Veredarios* reddit, qui pars tantum erant publici Cursus à Romanis Imperatoribus antiquitus constituti, de quo agit ibi Procopius, quum constaret præterea ex *Quadrigis*, *Rhedis*, *Birotis*, *Clabulis*, aliisque animalibus præter Equos, *Mulis* puta, *Bobus*, *Asinis*, & de quibus omnibus proinde agitur in Cod. Theodosiano sub titulo de *Cursu Publico*. Quamquam sub Justiniano ac ætate Procopii ad Veredarios redactus mihi videatur idem Cursus, sublato publicorum aliorum Animalium ac Vehiculorum eam in rem usu, (quod etiam sub Juliano contigisse tradit Socrates, ut infra dicitur) ac omissus proinde videas à Treboniano superiorum Imperatorum Constitutiones, quibus de Quadrigis, Rhedis Mularibus, Birotis, Jumentorum numero quibus traherentur, aliisque id genus sub eodem titulo *Publici Cursus* agebatur. Unde etiam alibi idem Procopius meminit καταλυτηρίων τῶν βερεδαρίων *Diversorii Veredariorum*. Cæterum neque

Arcan. Hist. c. 30.

Ædif. l. v.

neque accedere possum alteri viro doctissimo, qui *Vehicularium Cursum* eatenus à *Cursu Publico* distinguit, ut priori dicta tantum proprie *Vehicula*, posteriori autem cum *Vehicula* tum *Veredos* designari existimet. De ultimo liquet: de altero eundem etiam vocis usum satis arguunt cum *Vehicula*, quæ Suetonio dicitur disposuisse Augustus, quo ipso tamen Publici Cursus ac proinde etiam Veredorum originem idem vir doctus alibi ad illum refert; tum *Vehicularis Cursus*, *Munus Vehiculare*, *Cursus Publicus* promiscue usurpata apud Historiæ Augustæ Scriptores; tum auctoritas Jurisconsulti, cui *Patrimonii sunt munera rei Vehicularia*, quo in genere onus publici Cursus designatur, prout ipsemet vir doctus immemor alterius notationis eadem verba alicubi interpretatur. Sic ὄχημα Græcis promiscue de Vehiculatione illa, seu Veredis seu Rhedis usurpetur. *Angarias* quidem à *Veredis* aperte distinguit Julianus peculiari lege, qua per Sardiniam Cursus publici rationem disponit. Quamquam & *Vehicula* etiam ac *Veredos* haud obscure sejungi videam à Valentiniano ea Constitutione, qua vetat *Veredos aptari Vehiculis*; restricta tum nempe ad vulgarem usum horum significatione; sicut alia lege rursus per *Vehicula*, solæ *Rhedæ Mulares* eidem designantur. Qua ratione etiam factum observo, ut *Publicus Cursus* ab *Angariis* & *Parangariis* distinguatur in Codice Justinianeo, & fere ibi ad Cursum Veredorum seu Equorum Cursualium restringatur. ITALIÆ] Inde intelligimus à Nerva sublevatos illo onere Italos, non autem Provinciales. Sæpe equidem potior præ reliquis Italiæ conditio. Hinc, ut alia mittam, *Jus Italicum* & urbes Juris Italici à censu soli & capitis (prout illud alicubi explicat commemoratus paullo ante Jurisconsultus ad Cod. Theodosianum)

Jac. Gothofr. ad C. Th. T. v. p. 200.

L. 1. D. de Mun. & Hon.

L. 200. T. v. C. Th.

L. 16. C. Th. de Curs. Publ.

L. 24. cod.

L. 17. cod.

immunes; hinc *Centesima* à Caio Italiæ remissa, non autem Provinciis, juxta Suetonium; hinc ALIMENTA ITALIÆ à Nervæ successore, juxta ejusdem Trajani nummum, distributa; hinc denique juxta alium Severi Nummum, mihi quoque visum apud illustrissimum Colbertum, INDULGENTIA IN ITALIAM. At postea receptum, ut *Italiæ* exemplo nonnullis Provinciis eadem *Vehiculatio* remitteretur, onere nempe illius ad fiscum traducto, ut liquet ex Constitutione Constantii; *In his duntaxat Provinciis, in quibus Cursus à Provincialibus exhibetur.* Ergo quædam Provinciæ, in quibus Cursus ille aliunde, è fisco nempe exhibebatur. Talis *Africa*, ut ex aliis legibus ejusdem Codicis haud male videtur colligere diligentissimus ejus interpres. Neque vero insolita ejusmodi in Africam beneficentia, sicut alioquin in ejus Metropolim Augustorum *Indulgentiam* prædicant rursus Italiæ exemplo antiqui Nummi, INDULGENTIA AUGG. IN CARTH. *Indulgentia Augustorum in Carthaginenses.* De Hadriano etiam Spartianus, *Multum beneficii Provinciis Africanis attribuit*; an forte Cursu fiscali ibi primum instituto, quod in genere illi tribuit idem Auctor? Sic varia sæpe nec eadem Provinciarum Romani orbis sub Cæsaribus conditio. Gallis jus Civitatis & tributorum immunitas, postrema etiam Batavis concessa; quum aliæ Provinciæ essent tributariæ. A Mesopotamiis impositum à Trajano tributum ab Hadriano non exactum. At vicissim certa quædam onera hujus aut illius Provinciæ, ut Bithyniorum onus & impendia pro legatione annua ad Principem, & ad Mœsiæ Rectorem, apud Plinium: sic Fiscus Judaicus; sic gravius onus Provinciarum, quæ parebant Proconsulibus, quam quæ Legatis Cæsaris, ut exemplo Achaiæ & Ma-

L. 5. C. Th. de Curios.

Tac. H. 1. 8. Id. H. III. 17.

Spart. in Hadr.

L. 2. Epist. 62.

& Macedoniæ Tacitus docet, & quod non debuit peritissimo alioquin Romanorum rituum Lipsio negotium facessere. Ratio enim meo judicio obvia, quod annua essent Imperia Proconsulum; inde sumptus Provincialium graviores in itinera, in adventum eorundem Magistratuum, quem Cicero non multum ab hostili expugnatione differre solitum alicubi testatur, & quam gravis esset Provinciis sæpe alibi inculcat: adde in plures Legatos, & majorem Comitatum Proconsulum, penes quos etiam sex fasces, quum Legatorum Cæsaris essent quinque, & diuturniora imperia, & minora proinde Provinciæ onera, adde denique, eidem Tacito illustrando insignem Tullii de eadem Macedonia *Consulari Imperio* vexata locum. REMISSA] An quod in Italia sublata fuerit omnino *Vehiculatio*, sub Nerva; an quod tantum remissum ejus onus, eodem à privatis ad fiscum translato? Prius suadere videntur Muli clitellis depositis pascentes; posterius autem publicæ utilitatis ratio, & singularis ejusmodi beneficentiæ exempla. Equidem apud Dionem lego, Macrinum sub Severo, *Vehiculis Principis, quæ dispositа erant via Flaminia ad cursum, præfectum,* πρὸς μὲν τοὺς ἐπὶ Σεβήρου ὀχήμασι τοῖς κατὰ τὴν Φλαμινίαν ὁδὸν ἀφῆξιν ἐπιβαλόντα. Qui locus inprimis notandus, quod *Vehicula Principis* eadem vocet, quia nempe ad fiscum spectarent, & ita in Italia à Nervæ temporibus mos obtinuisse videatur. *Remissa* vero ac sublevata latius eadem *Vehiculatio* sub Hadriano, Pio, ac Severo; quorum ille, *Cursum fiscalem instituit, ne Magistratus hoc onere gravarentur*; Pius *Vehicularium Cursum summa diligentia sublevavit*; Severus, *Rei Vehicularis munus à privatis ad Fiscum traduxit*, auctore Spartiano. Quæ loca valde exercuerunt viros doctos, cum Historiæ Augustæ,

Annal. l. 76.

Pro L. Manil.

De Provin. Consul.

L. LXXVIII.

Spart. in Hadr. Capitol. in Pio.

tum Concilii Theodosiani interpretes, quorum expositiones jam hic non ventilo. Ita autem capio Spartiani de Hadriano locum, de quo illi inter se potissimum digladiantur. Hadrianum nempe curam Vehiculationis, quam antea gerebant Rectores Provinciarum ac Magistratus Urbici, ut è Plutarcho liquet in Galba, ad Fiscum traduxisse, constitutis certis personis per singulas Provincias, qui in posterum nomine Principis sollicitudinem illam in se reciperent. Hinc instituti videntur in Provinciis illi *Præfecti Vehiculorum*, quorum mentionem sæpe videas in Inscriptionibus antiquis, eorumque aut *per Gallias*, aut *trium Provinciarum*. Inde etiam postea illud *Agentium in rebus* officium, quos legimus in Constitutionibus sequentium Imperatorum, & quidem modo unum, modo duos per singulas Provincias missos, qui curam publici Cursus gererent; ac unde *Cursus Publici Præpositi*, *Curiosi*, *Evocati*, & *Exploratores* dicti, sicut constat ex Codice Theodosiano. Ita Magistratus cum Pop. Rom. tum Civitatum gravi onere liberati ab Hadriano, quod iis, quamquam impensis Provincialium, in speciali provisu & cura illius Vehiculationis incumbebat. Eo modo res plana & sublatæ difficultates variæ, quibus laborant aliæ interpretationes. Neque obstat, quod Cursui Publico præfuisse legamus Præsides Provinciarum in Annalibus sequentium temporum, ut in Constitutione quadam Juliani; quatenus nempe generalis cura & administratio Provinciæ ad eos spectabat. Nihil quidem certius, quam per *Cursum Fiscalem* ab Hadriano institutum, intelligi Cursum ad Fiscum pertinuisse, seu *Fisco obnoxium* redditum, ut loquuntur alibi Imperatores; non autem quod communis Magistratibus esset factus, ut existimabant viri summi. Nihil præterea certius, quam ita

Thes. ccccxciii. 3. & ccccxl. 3.

L. 4. C. Th. de Curs. Publ.

L. 1. de Actuar. & Numera. C. Th.

Cur-

Cursum Fiscalem ab Hadriano institutum, ut tamen jam antea Magistratus Italiæ essent eo onere sublevati, & post eundem restarent adhuc onera & impensæ Provincialium. Prius è superiori Nummo liquidum; posterius ex iis, quæ de Pio Hadriani successore, ac Severo tradentes auctores vidimus. *Sublevari* autem potuit à Pio variis modis res Vehicularia, non Diplomata solum seu licentiam Publici Cursus usurpandi paucis concedendo; sed insuper vel Stabulorum, quod à Constantio etiam factum, aut Pabulorum, aut Animalium comparandorum onus pro locorum situ & opportunitate Provincialibus remittendo; vel familiam seu Muliones, Carpentarios, Veredarios, alioque id genus è fisco alendo; alios denique abusus in Vehiculatione usurpanda tollendo, minuendis oneribus, aut impensis Provincialium, neque tamen omni circa eam sumptu iisdem adhuc remisso, quod à Severo demum factum innuere videtur Spartianus. Neque tamen vel diuturna, vel certe universalis illa Severi beneficentia, rem Vehiculariam à privatis ad fiscum traducentis. Manfit utique aut renovatum hoc onus privatorum in certis Provinciis, ut jam diximus, & ad quas proinde restringenda lex supra adlata, *Patrimonii sunt munera rei Vehicularis.* Iterum vero ab aliquot Imperatoribus, ut à Valeriano scribente ad Præfectum Illyrici, ne aut *Vehiculis aut sumptibus Remp. gravent*, tum inprimis à Constantio & Juliano variis modis sublevata res Vehicularia, juxta leges de *Curiosis* & *Publico Cursu*, quæ leguntur in Codice Theodosiano, ac Libanii & Ammiani de Juliano testimonia. De Constantio vero eum in id intentum postremus refert, ut *Rei Vehiculariæ succideret nervos.* Adeo etiam ut mutatis rerum vicibus, non sublevatos solum provinciales omni onere

Treb. Poll. in Balista.

Lib. XXI.

re aut sumptu, sed rem inde largiter facientes luculenter doceat Procopius loco supra indicato, ob commeatus nempe alendis Equis & Stabulariis suppeditatos, qui continuo iisdem ex Ærario à Quæstoribus persolvebantur; ita quidem ut sublato eo Cursu à Justiniano gravi dispendio multarentur. At non proinde damno aliquo, aut vero levi etiam beneficio adfectam à Nerva *Italiam* quis putet, *Remisso* illo Cursu aut *Vehiculatione*, quæ ea ætate nondum ad fiscum traducta, varia secum privatorum onera importabat. Conquirenda iis erant & comparanda Animalia; Pabula subministranda; exstruenda stabula; de Vehiculorum Opificibus, Mulionibus, Mulomedicis, Carpentariis, Veredariis, Hippocomis providendum: Adde licentiam & abusum onerantium Vehicula; Jumenta iniquius tractantium; deducentium per Vias vetitas: Adde frequentiam eadem subministrandi; Evectionum contractus, aliaque incommoda plenius alicubi à Libanio enarrata, & signanter à Gregorio Theologo, ubi Sasimorum tanquam σῶμα seu unius è Mansionibus publici Cursus incommoda inde orta describit, quem locum jam notavit vir doctus ad Procopium. Quibus damnis aut incommodis subinde obviam ire voluerunt variis Constitutionibus sequentes Imperatores, queis non *Remissa* quidem sed *sublevata* illa *Vehiculatio*; dum modus & mensura illius præscribitur; numerus præterea Vehiculorum aut vehendorum in singulis; pondus oneris iisdem imponendi; Viarum definitio; Cautelæ in eadem Vehiculatione concedenda & usurpanda; Evectionum necessitas; constitutio denique, ut diximus, certarum personarum, quæ omnium horum curam gererent, lata; ut non immerito tam insignis beneficii à Nerva Italiæ concessi memoria publico ære signari

Orat. Fun. Jul. In Carminib.

signari decreto Senatus meruerit. Neque fruſtra etiam, ut vides, *Muli* paſcentes in eodem nummo expreſſi, quo *Remiſſa* ejuſmodi *Vehiculatio* indicaretur. Præcipuus enim in ea *Mulorum* uſus, à quibus *Rhedæ Curſuales* aut *Fiſcales* Sulpitio Severo dictæ, trahebantur, & quorum animalium poſtea præſcriptus alicubi octo numerus tempore æſtivo, hyemali decem, Birotis trina. Inde etiam *Vehiculum* pro ejuſmodi *Rheda mulari* à Valentiniano uſurpatum, quod ante diximus, ut *Rhedæ mulares* Columellæ; ac *Muliones*, quorum ſæpe mentio in Codice Theodoſiano, & *Mulomedici* in Conſtitutione Valentiniani, ac apud rei Veterinariæ ſcriptores, ut notavit ad eandem vir doctus. Hinc *Muli* inter alia itineris inſtrumenta data olim è fiſco Magiſtratibus, cum ad Exercitum tum ad Provinciarum regimen profecturis, ut liquet ex Livio, Suetonio, Lampridio, quibus adde Tullium de lege Agraria. Hinc Edictum Juſtiniani, quo *Mulas* ad Curſum Publicum antea adſignatas Præſidibus Provinciarum Pontici tractus, in poteſtatem illius Vicarii revocat. Hinc denique *Muli Angariales* Libanio, & quod de Juliano tradit Socrates, *Mulorum*, Boum, & Aſinorum Curſus ab eo ſublatus. Sed rectius idem Libanius, qui duntaxat modum præſcriptum & in meliorem formam circa eadem animalia redactam à Juliano Vehiculationem tradit; ſicut probant adhuc ejuſdem Cæſaris leges ea de re latæ. Mitto L. Veri Vehicula cum Mulabus & Mulionibus argenteis, & quæ jam alibi de Mulis, non jam in Curſu, ſed in pompa Muliebri aut Circenſi, è Nummis ac antiquis auctoribus notavimus. Cæterum præter *Mulos*, aliaque ſolita Vehiculationis aut Curſus publici animalia, *Equos* puta, *Boves*, *Aſinos*, (de quibus peculiares etiam leguntur Imperatorum Conſtitutiones in

L. 8. C. Th. de Curſ. Publ.

Ed. VIII. c. 3.

Orat. Fun. Jul.

Lib. III. c. 1.

Codice Theodosiano, & quorum postremos *Asinos* nempe in Ægypto & reliquo Oriente excepta in Persidem via, à Justiniano Equorum loco constitutos, tradentem diximus Procopium) *Cameli* quoque suo quodam jure recensendi veniunt. Certe ubi de Veredis egisset Procopius, mox insequentibus Camelos magno numero è publico ali solitos observat vehendis impedimentis militaribus, ne aut onus subire cogerentur coloni, aut necessariorum quidpiam militi deesset; hoc vero beneficium à Justiniano sublatum. Ad quem Camelorum usum respicere etiam videntur ea quæ de *Camelasia* & *Camelariis* ac *alimentis Camelorum* leguntur in una vel altera lege Digestorum, & illi Καμήλων φροντιστῶν, quorum alicubi meminit Eusebius. In eundem militarem usum recepta quoque apud alios gentes res Vehicularia, quod aliunde notum; sicut de Philippo contra Romanos bellum gesturo Livius narrat, Vehicula Macedonibus imperasse tormentis aliisque bellicis instrumentis vehendis. Sed hæc aliaque eo spectantia docebit nos brevi eruditissimus Scheffer-rus. Opportune enim superioribus jam scriptis, moneor ex ultimo Septentrione à clarissimi nominis & ingentium in litteras simul ac litteratos meritorum Nicolao Heinsio nostro, cum alia parata ad prœlum habere virum illum inter paucos hodie diligentia & eruditione præstantem, tum luculentum & accuratum de *Re Vehicularia* Commentarium. Ea solum hic adtigimus, quæ in veterum de rebus Nervæ silentio, & recentium dissidentibus aut incertis de hac *Vehiculatione* sententiis, ad pleniorem præclari ejusdem Nummi declarationem spectare videbantur. Neque etiam alienum ab hoc loco insigne ejusdem Nervæ facinus

L. 2. & 18. D. de Mun. & hon. De Marty. Palæs. CXII

Lib. XLII. c. 3.

xta nummum jam in superioribus adlatum, & quomodo decessor ejus Domitianus *fiscales Calumnias* repressisse dicitur Suetonio, aut Orosio Marcus *Fiscalium negotiorum Calumniosa monumenta* incendisse, Justino autem *Calumnias litium* dici videas. Ut mittam alias ejusdem Nervæ liberalitates cæteroquin ignotas, quas reperias iterum in ejus Nummis, de quibus paullo infra.

L. VII. c. 15. L. XXXVIII. c. 7.

Ad similem vero beneficentiam spectat quoque liberalitas illa Hadriani, juxta quam Remissa fisco Principis aut ærario Pop. Romani RELIQUA debita ab annis sedecim, syngraphis debitorum in foro incensis, sicut Dio & Spartianus in ejus vita tradidere. Hujus præclari facti memoriam ac imaginem transmisere ad posteras & nostram etiam ætatem præclari ejusdem Cæsaris Nummi, in quibus Hadrianus siniſtra Sceptrum tenet, dextra autem facem accensam, qua jacentem in terra fasciculum exurit, ante tres figuræ stantes, quarum una (aut juxta nummum Mediceum tres) sublata manu gaudium & acclamationes suas contestatur, Nummi autem inscriptio, RELIQUA VETERA HS. NOVIES MILL. ABOLITA.

De RELIQUIS *Remissis aut* ABOLITIS.

Viderat jam olim similem Nummum vir incomparabilis, sed quem male in Ausonianis lectionibus ad Tra-

janum non Hadrianum refert, deceptus, ut puto, lectione prioris partis ejusdem nummi, in quo iste TRAJANUS HADRIANUS vocatur; ut posterius nomen, quod sæpe accidit, vetustate exesum in nummo vix amplius comparuerit. Unde cadit omnis ejusdem Scaligeri sollicitudo, *mirum est quod & Ausonius & Numisma tribuunt Trajano*, quod Hadriano nempe imputant Scriptores Historiæ Augustæ. In Ausonio enim aut *Hadrianus* pro *Trajano* omnino reponendus, ubi hujus facti in Panegyrico ad Gratianum meminit, aut inter μνημονικὰ ἁμαρτήματα Ausonii referendum: Numisma autem index hujus facti sub Hadriano non Trajano percussum. Neque id insolitum, ut Hadriani acta Trajano adscribant auctores; errore forte itidem ex ea nominum communione profecto. Ita quum Hadrianus Cursum instituisset fiscalem, Victor Schotti, ut supra innui, id Trajano tribuit, ac de prima publici Cursus institutione perperam accepit, quæ Augustum auctorem habuerat. Eandem alias Hadriani munificentiam superiori Nummo expressam refert quoque Abul Pharagius, ut primum ac præcipuum Cæsarisillius factum. Per RELIQUA autem eodem Nummo designantur publica & fiscalia debita tam Civium Romanorum (quamquam eà distinguit in commemoratione hujus rei Spartianus) quam residua Provinciarum ex præteritis Vectigalibus aut Tributis; & quæ postrema vulgo *Reliqua*, *Reliqua publica*, *Reliqua tributaria*, *Reliqua ex fiscalibus titulis*, *Reliquationes* etiam passim vocantur in libris veterum Jurisconsultorum & Constitutionibus Cæsarum; sicut alias quoque Paulo J. C. *Reliquationes Vectigalium*. Unde Eusebius etiam ex versione Hieronymi, in mentione hujus facti, *Reliqua Tributorum Urbis relaxavit chartis publice incensis.*

Dyn. VII. p. 76.

L. 9. §. 2. D. de Publ. & Vect.

Græcis

Græcis vero eadem dicta similiter non λοιπάδες solum & λοιπογραφίαι, sed etiam λείψανα seu *Reliquiæ*, (contra quam censet doctissimus Casaubonus ad Spartianum) ut mox è Procopio audiemus. Neque vero ignoras quam frequentia essent *Reliqua* illa, ad quæ exigenda & compellendos ad solutionem debitores, præter ordinarios Judices ac Rationales, tot *Exactores*, *Executores*, *Compulsores* item & *Opinatores* extra ordinem missos, iidem libri Juris Romanorum nos docent. Inde *Tabularii* insuper seu *Numerarii* constituti, qui in rationes referrent ac Judicibus iisdem aut Exactoribus indicarent, à quo & quantum id genus *Reliquorum* deberetur, ut liquet ex Constitutione Valentiniani, quæ in utroque Codice legitur. Unde etiam explicanda & supplenda venit vetus Inscriptio, in qua scribitur Florus Augusti Libertus TABULARI. FISCI ALEXANDRINI RELIQUO... h. e. *Tabularius Fisci Alexandrini Reliquorum*, ac simul illustrantur aliæ Constitutiones Imperatorum, in quibus iidem *Tabularii Civitatum*, aut inter *officia fisco obnoxia* recensentur. VETERA autem dicuntur in Nummo eadem Reliqua, prout apud Tacitum, *Vetera* Provinciarum onera, & notantur apud Suetonium, *Tabulæ* VETERUM *ærarii debitorum*, h. e. præteriti temporis, sicut ea vocantur Jurisconsultis, ut *præteriti temporis Vectigal* à Papirio, & *præteriti temporis Reliquationes* in Novella Justiniani; ac nonnunquam *præterita*, ut de *præteritis condonatis* in eadem, alibi *Reliqua debita à præterito circulo Indictionis*. Ita *superiorum omnium temporum Reliqua* in alia Constitutione Theodosii. Et eatenus distinguitur Hadriani Indulgentia ab ea quorundam Cæsarum, qua non *Vetera* vel præterita, sed futura Tributa subinde remissa leguntur. Immo per eadem *Vetera* designata in Nummo

Thes. DCXI. 5.

L. 1. de Num. & Actuar. C. Th.

In Augusto.

L. 7. D. de Public.

Nov. CLXIII.

Nov. CXLVII. c. 1.

non promiscue omnium superiorum temporum Reliqua, sed præterita annorum sedecim, ut ex Dione scimus. Ita duplo major M. Aurelii Indulgentia, à quo Reliqua sex & quadraginta annorum remissa tradit alibi idem Dio. Inde vero, & arte haud sine fundamento, Indictionum exempla colligit in Eusebianis ὁ πάνυ, & ex Hadriani Indulgentia annorum XVI. seu XV. absolutis, Marci autem XLV. itidem absolutis, quatuor Indictiones completas efficit, per quas nempe ejusmodi fiscalium debitorum Remissiones fieri solitæ. Atque ita longe aute Constantini tempora quærenda esset origo earum Indictionum, de qua tamen nihil certi aut eodem Constantino antiquius docere nos potuit Petavius. Quamquam interdum aut citra limitationem temporis remissa in genere omnia præteriti temporis *Reliqua*, ut cum aliunde tum ex commemorata paullo ante Constitutione Theodosii manifestum; aut ad pauciores etiam annos, quam è quibus vulgo constabat Indictio. Ita *quinque annorum Reliqua* à Constantino Flavienſibus Æduis remissa, ut ex eorundem Panegyrico scimus. Athenis vero Tributorum indictiones quinto quoque anno fieri solitas observat alicubi Xenophon. Sicut ergo futura Tributa in triennium, quinquennium, aut simile annorum spatium subinde remissa apud Historicos leguntur; sic præterita etiam seu *Vetera* ad simile tempus nonnunquam condonata. Quin HS NOVIES MILL. summa eodem Nummo adscripta, ut & in veteri Lapide apud Gruterum, nisi quod huic summæ addantur ibi *Centena Millia*, sed descriptorum errore, quem merito ad Spartianum castigavit ὁ πάνυ, & cui suffragatur interiorum hodie litterarum decus & Pecuniæ Veteris optimus interpres Jo. Frid. Gronovius. Inde autem magnitudinem illius largi-

Lib. LXX.

De Athen. Rep.

Thes. X. 6.

largitionis, quam non referunt auctores, adhuc hodie scimus, & quam (prout Nummo expressa) ad ducenties vicies quinquies centena millia scutatorum Philippeorum, seu ut hodie loquuntur, viginti duos *milliones* cum dimidio reduxerunt jam ante nos viri docti. Digna utique, mi OCTAVI, munificentia Romano Principe seu Parente publico, & vel quo nomine LOCUPLETATOR ORBIS TERRARUM dici merito potuit Hadrianus, prout in antiquo Nummo vocatur. Certe in tantum laudanda beneficentia, in quantum culpanda Vitellii profusio, qui eandem summam NOVIES MILLIES SESTERTIUM *paucissimis mensibus intervertisse* creditur. ABOLITA autem dicuntur signanter eadem Reliqua, quod igni traditæ fuerint debitorum syngraphæ, sicut Deûm ædes *igni abolitas* dixit Tacitus, aut Poëta, *aboleri carmina flammis*, immo in simili facto Honorius juxta tres ea de re Constitutiones in [a] Cod. Theodos. *Chartis* ABOLITIS, *quibus debita publica continentur*; alibi, [b] *Atque ut ipsa memoria* RELIQUORUM *intercidat, Chartas omnes &c. undique in medium congregatas palam flammis jubemus* ABOLERI, item in Cod. Tit. *Chartis* ABOLITIS *debitorum*. Alioquin *Remissa* aut *Condonata* dicta vulgo ejusmodi Reliqua, ac sequiori ævo, ut observo, *Relaxata*, cum in Constitutione Honorii, *Privatæ quoque rei debita similiter relaxamus*, tum Eusebio in Chronico ex versione Hieronymi loco paullo ante adlegato, ac similiter Cassiodoro, *fiscalia tributa relaxasse*. Quæ liberalitates cæteroquin vulgo *Indulgentiæ*, ut notum, illa ætate dici solitæ, sicut *relevatio* de futuris, juxta Justiniani Novellam. Hinc etiam haud ignoti Tituli *de Indulgentiis Reliquorum*, aut *Indulgentia Tributariorum Reliquorum*, & quod eodem spectat, *de Reliquis publicis*

Tac. Hist. 2. 95.

Annal. 11. 49.

[a] L. 6. de Indulg. deb. C. Th.

[b] L. 3. Eod.

L. 14. Eod.

L. 6. supra.

Var. l. III. c. 32.

Nov. CLXIII.

non

non exigendis. Alias liquet, quo ſenſu ſumatur *abolitio* aut *abolitio publica* apud eoſdem Juriſconſultos, quæ nempe ad *Indulgentias Criminum*, de quibus Codex Theodoſianus, non autem *Reliquorum* ſpectant: quamquam & juxta Nummum, nec in diſpari beneficentia Tacitus, loco alibi excuſſo, *Manet tamen* ABOLITIO *Quadrageſimæ*; alibi autem, *Tributorum abolitio.* Similes vero cum temporarias tum perpetuas largitiones Cæſarum in condonandis reſiduis Tributorum aut Vectigalium, vel abolenda eorum parte commendant ſæpe Auctores, ut in Auguſto, Aurelio, M. Aureliano Dio, Ariſtides, Capitolinus, Vopiſcus; in Antonino Pio Faſti Siculi, in Juliano Ammianus & ipſemet in [a] Epiſtolis ac Miſopogone; in Valente idem [b] Ammianus, cui traditur *in adærandis* RELIQUORUM *debitis non moleſtus*; ac denique in Gratiano Auſonius. Immo ſi Procopium audimus, id non jam ab uno ſed à ſingulis Cæſaribus, neque ſemel ſed aliquoties fieri ſolitum, ut reliqua condonarent; qui locus præclarus index hujus moris meretur hic adſcribi; πρῶτα μὲν εἰθισμένον ἦν ἐκ παλαιοῦ ἕκαστον τῶν Ῥωμαίων δεχόμενον ἔχοντα ἐκ ἄπαξ μόνον, ἀλλὰ καὶ πολλάκις τῶν τῆ δημοσίων ὀφλημάτων ΛΕΙΨΑΝΟΙΣ οὖσιν κατηκόοις δωρεᾶσθαι πάντας· *primo quidem ſolitum erat ab antiquo, unumquemque è Romanis Cæſaribus, non ſemel ſed ſæpius publicorum debitorum* RELIQUA *omnibus, qui erant in ditione Pop. Rom. remittere*; & ratione addita, ne perpetuo in his anguſtiis verſarentur, aut Quæſtorum Reliqua exigentium moleſtiæ eſſent obnoxii: Juſtinianum vero ſpatio annorum duorum & triginta nulla ejuſmodi *Reliqua* remiſiſſe; quo factum ut miſeri ſubditi non novam ſed præteriti temporis gravem & iniquam exactionem veriti, fortunis omnibus exuerentur. Quam immerito autem hac labe one-

Annal. XII. — Lib. XXV. — [a] Ep. XLVII. — [b] Lib. XXXI. — In Panegy. — Arcan. Hiſt. c. 30.

oneretur Justinianus, & quam non inferior fuerit ea laude, quam ex *Indulgentiis Reliquorum* captaverant Decessores, abunde arguunt duæ ejusdem Novellæ anno imperii XXVIII & XXIX latæ, quibus XXIII annorum Reliqua omnia condonat. De Juliano alioquin observat Ammianus, caviſſe illum *ne per Indulgentias quas appellant Tributariæ rei concederet* RELIQUA; idque ob rationem quam addit haud absurdam, quod ejusmodi Indulgentiæ cederent tantum in commodum divitum, non vero pauperum, qui ad universam solutionem omnium id genus Reliquorum, sub exordia principatus compelli sine laxamento consueverant. Similem vero Indulgentiam Reliquorum ut Romanis Cæsaribus, ita jam olim in regni auspicio cum Laconum tum Persarum Regibus consuetam tradentem videas Herodotum, ἐν οἳ αὐ Πέρσῃσι ὁ καταστὰς Βασιλεὺς τὸ συγγραφόμενον φόρον μεθίει πάσῃσι τῇσι πόλισι, *apud Persas Rex creatus omnibus civitatibus Tributum quod debent remittit.* Neque disparem in aliis Regibus beneficentiam commendant nonnunquam auctores, ut in Alexandro Magno Arrianus, Solensibus L Talenta Reliqua remisisse; in Perseo Polybii Excerpta eum universis Macedonibus fiscalia debita condonasse; in Mithridate Justinus, *debita Civitatibus publica privataque remittit*; & in Theoderico Cassiodorus, eum Arelatensibus, ut modo audivimus, *fiscalia tributa relaxasse.* At Rhodiorum singulare facinus memorat Dio Chrysost. qui remissionem omnium debitorum sibi à Romanis factam admittere detrectarint. Neque insolitus etiam modus abolitionis superiori Nummo expressus, Imperatoris nempe face accensa Reliquariorum syngraphas comburentis; quo sublata vel præcipua calumniandi (ut aliunde scimus) materia, securitati eorundem perpe-

Lib. XVI.

Nov. CLXVII. & CLXVIII.

Lib. VI.

Lib. II. περ. ἀναβ. Pag. 125. L. XXXVIII.

c. 3.

Orat. XXXI.

tuæ consuleret. Hunc morem certe videtur ab Augusto hausisse Hadrianus, de quo simile factum referunt præter Suetonium Dio ac Appianus; & quem rursus post Hadrianum æmulatus cum Marcus juxta Dionem & Orosium, tum Aurelianus apud Vopiscum, *tabulas publicas ad privatorum securitatem exuri in foro Trajani semel jussit*; ac præterea juxta Ausonium Gratianus, & latis aliquot ea de re Constitutionibus, ut paullo ante vidimus, Honorius. Immo quod laudabile facinus Pio quoque adscribunt Fasti Siculi seu Ἐπτμὴ χρόνων à Scaligero edita; quamquam altum sit apud auctores in rebus Pii de eo facto silentium. Quum vero iidem Fasti nihil tale de Hadriano referant, quod tamen invicta Auctorum, Lapidum ac Nummorum simul fide constat, haud vane suspicari licet, illos id Pio secus tribuisse, quod ad Hadrianum Decessorem aut successorem Marcum referri debuit. Neque vero pauca id genus occurrunt in Fastis illis male ordinata, quæ intacta reliquit, aut è quibus in lubrico ædificat ὁ πάνυ.

Lib. LXX.

Lib. VIII. c. 15.

Pag. 207.

De LIBERALITATIBUS *&* CONGIARIIS *Cæsarum.*

Ejusdem vero aut Hadriani, aut Decessoris Trajani, aut aliorum priorum juxta ac sequentium Cæsarum LIBERALITATES, CONGIARIA DATA POP. ROMANO, vix aliunde rursus, quam ex præclaris eorundem Nummis scimus, in quibus repetita sæpius illarum largitionum memoria: adeo ut in Hadriani Numismatibus VI ejusdem LIBERALITATES, in Pio VIII, in Marco VI aut VII, in Severo VI, & Antonino Caracalla etiam VIIII diversis temporibus factæ reperiantur. Ita CONGIARIUM PRIMUM P. R. DAT. in præclaro Titi nummo apud illustrem Sevium, in aliquot Trajani nummis Mediceis, CONGIARIUM PRIMUM, SECUNDUM, TER-

TERTIUM; in Nerone CONG. II. DAT. POP. in M. Aurelio etiam CONG. AUG. III. & CONG. AUG. IIII. Quibus vero temporibus, aut qua occasione eædem largitiones factæ, docere possunt adscripti in iisdem Nummis Consulatuum aut Tribunitiæ Potestatis numeri; atque ita inde suppleri deficientes hic passim Romanæ Historiæ Annales, qui nonnunquam bis aut ter ad summum dati ab uno vel altero Cæsare *Congiarii*, aut *Liberalitatis* præstitæ meminere. Quis jam similem Nervæ beneficentiam memorat, præter præclarum ejus Nummum inscriptum CONGIAR P. R. S. C. aut geminum Gazæ Barberinæ, CONGIARIUM DA. P. R.? Quis Getæ, præter Antonini fratris nummos, in quibus illius LIBERALITAS V, hujus VI. signatur; cujus generis aureum vidi etiam in Gaza Regia Gallorum? Quis Maximi & Pupieni, præter insignem eorum Nummum, qualem æreum quoque suppeditavit mihi Museum Seguinianum, LIBERALITAS AUGUSTORUM? Quis vel Philippi aut Decii, præter inscriptum prioris Nummum, LIBERALITAS AUG. II. & alterius LIBERALITAS AUG. ut sexcentos id genus omittam sub singulis ferme Cæsaribus aut majori eorum parte signatos? Quid vero illustrius in Actis Pacis eorundem Cæsarum, quid ad eorum commendationem & ad aliorum simul exemplum magis opportunum? Unde præterea nisi ex eorundem Nummorum contemplatione discas omnem rationem hujus moris, qui non semel viris doctissimis imposuit, ac præ aliis τῷ πάνυ ad Historiam Augustam; dum in Amphitheatri gradibus omnes illas argenti & tesserarum largitiones & panum divisiones fieri existimat; ac de iis interpretatur inscriptionem antiquam, QUÆ DIVISÆ SUNT

POPULO PER GRADUS, & locutiones frequentes in Codice Theodosiano, *de Gradibus*, *in Gradibus*, & *Gradibus Panem distribuere?* At vero hanc ejus sententiam merito jam ante nos ab aliis impugnatam, præ cæteris Nummi veteres abunde refellunt; qui ob solemnitatem ejusmodi largitionum percussi, ostendunt erectum Tribunal seu suggestum, & Gradus ante quibus conscendebatur; sedentem in Curuli Imperatorem; stantes in eodem suggestu unam aut plures figuras, cum Congio aut Tessera, Frumentarias aut Nummarias Tesseras distribuentes singulis per illos gradus easdem recipientibus. Cujus generis en tibi duos nummos priorem cum Nervæ Congiario supra indicato, alterum Alexandri Severi è Museo Christinæ Augustæ.

H. Valesi ad Ammian. & Jac. Gothofr. ad C. Th.

Foro autem vicinum fuisse illum suggestum, & eandem simul harum divisionum rationem firmat illustris apud Josephum locus, male ab eodem viro summo acceptus, ubi inter alia de illo suggestu loquens, ὑψηλόν τε ἐστὶ τὸ στῶμα εἰς τὴν ἀγορὰν φέρον, *sublimis vero est ille suggestus ducens ad forum*, & quo respexit Prudentius loco haud ignoto,

Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis.

Origin. l. XIX. c. 1.

Quæ satis ante oculos ponunt, quid sibi velint locutiones illæ PER GRADUS, aut PANUM GRADILIUM

EIUM obviæ in inscriptione veteri, apud Cassiodorum, & in Codice Theodosiano; quæ non alio, quam ad Gradus erectos ante illum suggestum respiciunt, è quibus Tesseræ nummariæ aut frumentariæ, ac postea id genus Panes quoque dividebantur. Neque proinde tamen superiores aliique id genus Nummi, de *Panum* illorum *Gradilium* dispensatione seu *Annonis Civicis* cum clarissimo hujus ætatis Jurisconsulto explicandi veniunt. Illæ enim *Annonæ* seu *Panes Civiles* quotidie distribui soliti, unde ἄρτοι ἡμερήσιοι vocabantur, quod è Codino notavit jam ad Historiam Augustam ὁ πάνυ. At Nummi, de quibus agimus, ad extraordinarias Imperatorum largitiones spectant, quas nempe vel sub auspicia Imperii; vel die virilis togæ destinatis hæredibus datæ; vel adoptato aliunde successore, declarato Cæsare, Natalibus aut Quinquennalibus vel Decennalibus Principis; liberorum Nuptiis; solemnibus Victoriarum ac Triumphorum; adventu in Urbem; aliisque id genus publicis festivitatibus, Populo aut Militibus erogabant. Has enim ut plurimum video ejusmodi largitionum occasiones in antiquis monumentis. Quo spectant etiam extraordinariæ illæ Annonæ largitiones Urbi aut Italiæ pro temporum ratione concessæ; ut à Nerva, cujus facti rursus solus index ejus Nummus in quo Modius cum spicis & inscr. PLEBEI URBANÆ FRUMENTO CONSTITUTO. Quamquam id factum ad certam & stabilem frumenti divisionem spectare videatur; qualem menstruam Principum liberalitate Romæ constitutam nosti, & fidem inter alios facit Philo de Augusto ὃ μὴ μόνον ἀλλὰ καὶ ταῖς μηνιαίοις τοῦ πυροῦ δωρεαῖς, δεῦρο ἢ σίτου ἐν μέρει παντὸς ξ δήμῳ λαμβάνοντι, *Domi quoque quoties menstruas pecuniæ frumentive distributiones populus acciperet.* Adde *Alimenta*

Jac. Gothofr. ad C. Th. T. V. p. 240.

Legatio. ad Caium.

Italiæ sub Trajano decreta, juxta ejusdem Nummum ALIM. ITAL. S.P.Q.R.; unde postea etiam constituti Curatores Alimentorum Italiæ, qualis Didius Julianus Spartiano, *curam* ALIMENTORUM *in* ITALIA *meruit*; aut quomodo similiter à Marco Italiæ civitatibus in annonæ penuria ex Urbe subventum. Cæterum nonnunquam signata similis Cæsarum LIBERALITAS, per Mulierem stantem cum Cornucopia, è qua frumentum effundit, aut quæ utraque manu Cornucop. & Congium vel Tesseram tenet. Insignis etiam nummus Hadriani Mediceus, in quo pro more insidens tabulato Imperator, stans ante illum Mulier frumentum è copiæ cornu effundens in sinum alterius stantis, alia autem discedens cum sinu pleno frumenti recepti, ac inscr. LIBERALITAS COS. III. S.C. Quæ insuper satis arguunt, eosdem Nummos ad ea tempora respicere, quibus per Tesseras frumentarias Annona publica distribui viritim consueverat, nondum autem per Panes Gradiles loco frumenti, sive illa ordinaria, quæ menstrua olim erat, ut modo audiebamus, sive extraordinaria ob causas commemoratas. Interdum etiam designata per similes LIBERALITATES Donativa Militum, ut liquet ex iis Nummis, in quibus ante suggestum adstant Prætoriani milites, aut in quibus figura stans dextra Congium, sinistra Labarum tenet. Ut enim *Liberalitas*, sic *Congiarium* nonnunquam pro quovis munere; ut quum Seneca ad Urbes aut homines datos eandem vocem transfert, *ut tua Congiaria urbes sint*; alibi, *Sejanus patrem tuum clienti tuo Satrio Secundo Congiarium dedit*; in specie aliquando pro Donativo militum, ut apud Tullium de legionibus Macedonicis, *hæ Congiarium ab Antonio accipere noluerunt*, & apud Capitolinum in Pio; sicut

Capitol. in M. Aurel.

De Benef. l. II. c. 16.

Conf. ad Marciam c. 22.

L. XVI. Ep. ad Att. 8.

ſicut viciſſim Donativum pro Congiario apud Spartianum, *Donativum Populo ac militibus expendit. Largitiones* alioquin & *largitates* dictæ ſequiori ævo ejuſmodi Cæſarum Liberalitates; quomodo poſterior occurrit eo ſenſu in duabus Conſtitutionibus Theodoſii, in titulo de Annonis Civicis Codicis Theodoſiani, item apud Spartianum in Caracalla, *non tenax in largitate.* Prior autem, cum haud infrequens eidem Spartiano, tum apud Hieronymum, *quidquid & Imperatoris* LARGITIO *& honoris inſulæ dederant, in uſus pauperum conferebat.* Hinc ſimilis etiam LARGITIONIS mentio in ſequenti nummo Conſtantii, in quo ſedens Imperator cum Tiara inter duas figuras unam militis ſtantis, alteram cum Corona radiata dextram Conſtantio porrigentem, aut ab eo aliquid accipientem,

In Hadriano.

Tom. v. p. 252.

Ep. ad Salvin. T. 1. p. 74.

In Cimel. Regin. Chriſt.

Chifflетius noſter, qui haud vulgarem hujus antiquitatis amorem ac peritiam conjunxit, & cui hujus nummi iconem debeo, opportune eundem referebat ad illam Conſtantii liberalitatem, qua Arſacem Armeniæ Regem proſequutus dicitur apud Ammianum, *Conſtantius accitum Arſacem Armeniæ Regem* SUMMAQUE LIBERALITATE *ſuſceptum præmonebat & hortabatur, ut nobis amicus eſſe perſeveraret & fidus*; mox, MUNERA-

Lib. xx.

NERATUS *cum Comitibus quos duxerat, rediit ad regnum, nihil ausus temerare postea promissorum, obligatus gratiarum multiplici nexu Constantio.* Commode itaque de eodem Rege Armenio explicanda illa figura radiata, & signatus nummus in memoriam liberalitatis illius seu *largitionis*, quam in eum contulit Constantius; & cui lucem fœneratur insuper Spartianus in simili Hadriani munificentia, *Reges eorum* LARGITIONIBUS *prosequutus.* Hinc nota etiam illo ævo *Largitionis* pro Ærario significatio, *unde Comites sacrarum Largitionum*, qui ante Procuratores aut Præfecti sacri Ærarii vocabantur. Cæterum distributæ nonnunquam ejusmodi largitiones, quæ fiebant Populo Romano, Curatoribus Tribuum & Centurionibus plebis, qui nempe easdem postea viritim dividerent, sicut factum ab ejusdem Constantii conjuge Eusebia. Index mihi hujus moris ipse Cæsar Julianus, insigni loco ubi de Augustæ illius in Urbem adventu verba facit, ὅποσά τε ἔνειμε τῶν φυλῶν τοῖς ἡγεμόσι καὶ ἑκατοντάρχαις καὶ πλήθεσι ἀπαρίθμησαι θαμά· *quantum autem pecuniæ Tribuum Curatoribus & Centurionibus plebis numerari jussit.* Liberalitate scilicet in adventu Cæsarum haud insueta, quam & infra illa tempora in Theodosio scilicet seniore commemorat Idatius, & juxta eundem Marcellinus Comes, *Theodosius Imp. cum Honorio filio suo Romam mense Junio introivit*, CONGIARIUM *Romano populo tribuit.* Ne abolitum jam quis putet illa ætate *Congiariorum* usum aut nomen, quod vix tamen in Nummis, qui supersunt, illorum temporum videas. Mitto alia, quæ addi hic possent forte haud protrita, neque scitu injucunda, de varia & multiplici ratione ejusmodi Liberalitatum & Congiariorum; de ætate illorum, qui ad ea admittebantur; de Tesseris Frumentariis ac Nummariis, earumque varietate,

Orat. III. p. 241.

In Chronico.

tate, nec una appellatione; de multiplici numero summæ viritim datæ; de pondere & valore Nummorum, qui destinabantur nonnunquam ad similes largitiones: sed partim quibus non licet leviter defungi; partim quæ ab aliis jam dicta, aut vero dicentur uberius & accuratius à viro utriusque nostrum amicissimo ac insigni Lycei Pisani ornamento Valerio Chimentelli, luculento opere de Re Donatica veterum, ad cujus editionem se publice nuper obstrinxit. Nos vero hic ad alia, & quidem ad finem operis, ita urgente Typographo, properamus.

De Adventu Cæsarum aut Restitutis Provinciis.

Singularem quoque superiorum Cæsarum Beneficentiam ac Providentiam signant varii illorum Nummi, qui vel PROFECTIONIS ab Urbe, ac ADVENTUS eorundem in Provincias meminere; aut singularum RESTITUTORIS titulum iisdem Cæsaribus sæpenumero tribuunt. Ibi videmus utique Hadrianum aliquem, aut Marcum, aut Severum, Augusti exemplo, ac ut decuit *cunctarum Provinciarum parentes*, circumferentes terrarum orbi præsentia sua varia subinde ac insignia beneficia. In Mauretaniam Expeditionem suscepisse Hadrianum colligit alicubi ex Spartiano eruditissimus Reinesius. Certum vero id ex ejus Nummis, ubi ADVENTUS MAURETANIÆ legitur, quomodo & similem Trajani profectionem memorant itidem ejus Nummi, ADVENTUS AUG. MAURETANIÆ. Neque vero *Africam* solum, *Alexandriam*, *Asiam*, *Bithyniam*, *Hispaniam*, *Judæam*, *Italiam*, *Macedoniam*, *Thraciam* lustrasse Hadrianum docent similes ADVENTUS eorundem locorum, totidem Nummis inscripti, qui occurrunt in antiquariorum libris, sed *Ciliciam* quoque, ut liquet ex numismate parum obvio, quod nuper Cimeliar-

chio inclytæ Reginæ accessit ADVENTUI AUG. CILICIÆ. Ut pateat quam vere à Dione sit adsertum, neminem Principum tantum terrarum peragrasse; quo nomine HERCULEM etiam eundem appellatum existimavit doctissimus Casaubonus. Sic duplicem Severi in Thraciam profectionem arguit nummus ejusdem Mediceus, ΕΠΙΔΗΜΙΑ Β. CΕΤΗΡΟΥ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ· *Adventus* II. *Severi, Perinthiorum Neocoron*. Tacitum vero Augustum etiam extra Urbem profectum ac Romam reversum, vix aliunde quam ex præclaro ejusdem Nummo colligas, in quo Imperator equitans, præeunte victoria, à tergo vero miles, & signa Legionum cum inscr. ADVENTUS AUG. Frequenter vero plures figuras juxta Aram & cum Tauro videas, ad sacra nempe facienda paratas, quibus illum ADVENTUM AUGUSTI prosequuntur eæ, quas adibat Imperator, Provinciæ. Sacra nempe olim peracta in adventu aut reditu Principum; quomodo Clytemnestra apud Senecam nuntiato illi Conjugis adventu,

In Cimel. Mediceo.

Sacris colamus prosperum tandem diem;

In Agamem.

ne alios testes huc advocem in re haud obscura; aut alioquin Rhodiorum exemplum, qui juxta Hyginum, quoties à littore longius prodeunt classes, *prius sacrificant Phorbantis* ADVENTUI. Sicut sacris nempe Deorum loci præsidum, quod alibi diximus, præsentiam, ita iisdem salutarem Augustorum Epiphaniam celebrant Urbes & Provinciæ, ac felicitatem suam prædicant iis, quas interdum præferunt id genus Nummi, inscriptionibus, ADVENTUI AUG. FELICISSIMO; aut FELIX ADVENTUS AUG. NN. Hinc de Adventu Constantini ac filiorum, quem Roma sibi pollicebatur, Nazarius, *Unum modo quo fieri posset Roma*

Astron. l. II.

In Panegyr.

FE-

FELICIOR, *maximum quidem, sed tamen solum, ut Constantinum, ut Beatissimos Cæsares videat, & fruendi copiam pro desiderii modo capiat, ut vos* ALACRIS *excipiat, &c.* Certe ubi Hadrianus in Africam venit, *ad* ADVENTUM *ejus post quinquennium pluisse*, auctor est Spartianus, ac ideo ab Africanis dilectum. Inde etiam quum partim præsentia sua, ut Hadrianus, Marcus, Severus; partim etiam absentes, ut Pius, ac nonnulli id genus Cæsares, variis modis easdem Provincias sublevarent; jacentes erigerent; damna earum in gloriam Principis verterent; refovendo easdem aut instaurando; modo Tributa, Vectigalia, Reliqua, Vehiculationem remittendo aut abolendo; modo tertiam partem vel Vectigalium, vel fundorum civitatibus ad publicas necessitates aut reparanda mœnia deputando, quorum illud prisca institutione receptum docet Constitutio Theodosii, posterius ab Honorio demum & Arcadio inductum Codex Theodosianus; modo pecunia aliunde, ut à Pio factum narrat Capitolinus, easdem adjuvando; modo Præsides & Procuratores suos licentius in eo munere versantes coërcendo, sicut de Hadriano Spartianus; haud immerito idem RESTITUTOR ACHAIÆ; AFRICÆ; ARABIÆ; ASIÆ; BITHYNIÆ; CILICIÆ; GALLIÆ; HISPANIÆ; ITALIÆ; MAURETANIÆ; MACEDONIÆ; PHRYGIÆ; SICILIÆ, aliarumque adhuc regionum publico ære signatus. Ut proinde de illo Cæsare, jure optimo dixerit Aur. Victor, *cum oppida universa* RESTITUERET. Immo non BITHYNIÆ solum, sed in specie ejusdem Metropoleos Restitutor legitur in rarissimo nummo Abbatis Bracesii inscripto, RESTITUTORI NICOMEDIÆ; cujus nempe, ut aliorum id genus, solemnis typus, stans Imperator

L. 13. C. de Vectig.

L. 32. de oper. publ. C. Th.

ſupplicem poſito genu Urbem aut Provinciam dextra erigens.

Hinc de Hadriano in Chronico Euſebius, *Terræ motu facto* NICOMEDIA *ruit, & vicinæ urbes plurimæ everſæ ſunt. Ad quarum inſtaurationem Hadrianus de publico eſt largitus impenſas.* Ut liqueat quo titulo ac jure NICOMEDIÆ aut BITHYNIÆ RESTITUTOR dicatur in iiſdem Nummis. Sic collapſas terræ motu duodecim Aſiæ Urbes à Tiberio erectas ac reſtitutas præter Auctores, celebrat notus ejuſdem Nummus CIVITATIBUS ASIÆ RESTITUTIS. Quore-ſpexit Velleius, *Fortuita non Civium tantummodo, ſed Urbium damna Principis munificentia vindicat.* RESTITUTÆ URBES ASIÆ: qua de re conſulendus iti-
Lib. XII. & XIII. dem Strabo; & quod ſimile Marci beneficium prædicant Nummi à Communitate XIII. civitatum ſignati, quos alibi deſcripſimus. Ita eodém exemplo Galba REST. NUM. ſeu *Reſtitutor Numidiæ*, dictus in præclaro Nummo Seguiniano, & Poſtumus aut Gallienus RESTITUTOR GALLIARUM; quomodo Vopiſco etiam vocatur Aurelianus; ac nonnunquam auguſtiori titulo in aliis Nummis, RESTITUTOR GEN. HUMANI, ut Licinius Valerianus, aut RESTITUTOR ORBIS Valerianus ac Aurelianus, aliique;

liique; de quo Aureliano proinde Vopiscus, *per quem totus Romano nomini* ORBIS *est* RESTITUTUS; seu, ut in nummo insigni Hadriani, RESTITUTORI ORBIS TERRARUM. Mitto jam aut L. Vero signatos nummos ut RESTITUTORI PARTHIÆ; aut Marco SARMATIÆ; aut denique eodem spectantes titulos RESTITUTORIS URBIS; EXERCITUS; REIPUBLICÆ; ac etiam MONETÆ; quos Severo, Alexandro, Probo, Jovino, Valentiniano aliisque tribuunt itidem antiqui Nummi. *Respublica* nempe, juxta Athalarici decretum apud Cassiodorum, *non est unius civitatis cura, sed totius regni provisa custodia.*

In Cimel. Regin. Christ.

Var. l. IX. c. II.

Neque minora Munificentiæ & Majestatis eorundem Principum exempla præbent REGES ab iis frequenter exteris gentibus DATI. Præiverant Augustus, Tiberius, Claudius, Nero, à quibus Arsacidarum aut Armeniorum solio Reges subinde impositi leguntur; ut de Mauris, Judæis, aliisque nihil jam dicam. Inde plures iique haud vulgares Nummi, hinc cum Cæsarum effigie, illinc eorum Regum, quos vel datos à Romano Principe, vel in fidem acceptos liquet: cujusmodi, quos supra enumeravimus, qui hinc Augustum, Claudium, Flavios, Lucillam, Pium, Severum, Gordianum, illinc RHOEMETALCEM, AGRIPPAS, MANNOS, ABGAROS, SAUROMATEM, aliosque id genus signant aut recensent. Ut certe haud illustriori documento delati beneficii, aut obsequii debiti fidem contestari potuissent iidem Reges εὐεργέται, prout eos haud immerito vocat Strabo. Quibus adscribendus etiam venit Ponto ac Bosporo ab Augusto impositus juxta Dionem POLEMO; unde Nummus argenteus quantivis pretii, qui in priori area Augustum,

De REGIBUS DATIS *à Cæsaribus.*

Lib. VI.

Lib. LIII.

Annal. II. 56. gustum, in altera eundem Regem Ponticum, ut Tacito vocatur, & à quo dictus seu à filio *Pontus Polemoniacus*, exhibet, & quem Regiæ Gallorum Gazæ novissime insertum indicabat mihi vir plenus officii omnique laudum ac virtutum genere ornatissimus Henricus Justellus. Sub Trajano vero, ut propagati latius, quam sub Decessoribus imperii fines, sic ampliata quodammodo juris illius & majestatis prærogativa. Non jam Romæ; sed Ctesiphonte in ipsa Parthorum Regia Rex nomine PSAMATISSORIS iisdem Parthis à Romano Principe constitutus: quod factum præter Dionem ac Spartianum tangit quoque in Parthicis Arrianus apud Photium. Id vero, si aliunde non constaret, docerent nos hodie præclari hujus Cæsaris Nummi inscript. in aversa parte REX PARTHIS DATUS; & quo referendus itidem cum alter apud Occonem, REX PARTHICUS RESTITUTUS; tum alius parum obvius, REX PARTHUS. Armeniis etiam Regem nomine Parthamasium dedit, illato proinde Parthis & Armeniis bello, quod Rex Armeniorum non à se, sed à Parthorum Rege Diadema accepisset. Haud uni etiam genti barbaræ ad Pontum Euxinum, impositos ab eodem Trajano aut ejus successore Hadriano Reges commemorat in Periplo Arrianus. Inde constitutos illos per Orientem aut alios terrarum tractus Reges signat etiam memorandus ejusdem Trajani nummus aureus, cum inscr. REGNA ADSIGNATA; quem & alibi non semel visum Etrusci Mæcenatis Gaza nobis suppeditavit.

In Cimel. Regin. Christ.

In Peripl. Pont. Eux.

Vides

Vides in priori tam auguſtæ ſolemnitatis morem, curuli in ſuggeſtu inſidentem inter duos milites Imperatorem; poſito autem genu ſupplicem Arſacidam, quem Parthis Regem protenſa dextra conſtituit, juxta nempe Phraatis exemplum Horatio commemoratum,

——— *jus imperiumque Phraates* L. I. Ep. XII.
Cæſaris accepit genibus minor:

aut illud Claudiani, *poſitoque Tiaram ſubmiſere genu.* Poſterior vero non quinque, ut cælator male expreſſit, ſed ſex figuras exhibet, ſedentem itidem in ſubſtructione Imperatorem; ſtantes cum Tiaris aut Coronis Reges ab eo creatos; eundemque alteri figuræ ſtanti manum porrigentem. Ut proinde haud obſcurum, quænam deſignetur divino Revelationum Scriptori, ἔχουσι βασιλειαν ἅτινες τὸν βασιλέα τῆς γῆς, *imperium habens ſupra Reges Terræ.* Sic Trajani, aliorumque Deceſſorum exemplo, à Pio & L. Vero Reges rurſus Armeniis dati, juxta præclaros Nummos utriuſque Cæſaris, REX ARMENIIS DATUS, aut REX ARMENIÆ DATUS, quos deſcripſerunt diligentes antiquarii. Inde mos ille ad ſequiora tempora tranſmiſſus, cujus meminit Procopius, ut Armeniæ minoris ſatrapæ quinque conſtituerentur, qui inſignia à Rom. Imperatore Chlamydem, Tunicam, Calceamenta coloris VI. Conſ. Honor. Apoc. XVII. 18. Lib. III. de Ædif. c. 1.

ris punicei, quæ nemo nisi Imperator Romanorum & Rex Persarum possit gestare, obtinere consueverant. Immo non *Armeniis* solum sed QUADIS etiam REGEM à Pio DATUM, de quo silent Auctores, docuit me rarissimus ejusdem Cæsaris nummus, quem videre licuit in Museo Seguiniano.

Stantes hîc cernimus duas figuras, unam nudam Regis illius barbari; alteram Legati Cæsaris dextram illi porrigentem. Bella nempe aliasque id genus Expeditiones per Legatos ac Præsides obiisse Pium refert Capitolinus, qui extra agros aut Campaniam pedem non extulerit. Ita in altero Nummo modo indicato, REX ARMENIIS DATUS, non Imperator, sed Legatus nomine Cæsaris coronans Regem visitur. Haud aliter ac iisdem Armeniis olim à Caio nepote Augusti Ariobarzanes, & à Germanico Artaxias sub Augusto ac Tiberio imposiți. *Regis* autem illius *Quadis dati* nulla mentio aliunde in rebus Pii, nisi quod fide & auctoritate hujus Nummi *Quadis* pro *Ladis* apud Capitolinum videretur restituendum *Pacorum Regem Ladis dedit*, quæ de *Lazis* vulgo explicant viri docti, ac ita reponendum statuunt; alii *Lados* pro *Lazis* dictos exemplis tuentur: quibus consona *Diabolus* & *Zabolus*; *Diarryto* & *Zarryto*; *Diabas* & *Zabas* juxta Cl. Valesium ad Ammianum; apud Philostorgium similiter Ναδιανδὸν ἢ τ Ναζιανζὸν ἐξονομάζει, & quæ alia id genus addi possunt. Quibus etiam

Lib. VIII. c. 11.

etiam suffragari videtur, tum quod apud Procopium lego, credi Romanos sub Trajano Lazos usque & Sagidas pervasisse; tum qui fidem facit ea de re Arrianus, ubi Lazis Regem nomine Malassam ab Hadriano datum scribit: ut proinde nihil obstet ab Hadriani successore idem quoque factitatum. Accedit & *Pacori* illud nomen Armeniis, quibus finitimi Lazi, familiare. Alioquin, ut Lazorum frequens sequiori ævo ac ætate Justiniani apud Procopium & Agathiam mentio, quorum postremus insignia Regia Lazorum Regi à Justiniano pro more missa commemorat; ita obscura in rebus Romanorum anteriorum ætatum. *Quadorum* autem non frequens solum memoria in rebus Marci, qui Pium excepit; sed iidem jam ante Romanis pridem noti, ac similibus imperiis adsueti leguntur; unde etiam sub Tiberio barbaris *dato Rege Vannio gentis Quadorum*. Immo, quod huc potissimum facit, Marcomannis & Quadis Reges quidem fuisse, *sed vis & potentia* REGIBUS *in auctoritate Romana*. Id vero clarius explicat in Marco Capitolinus, QUADI *autem amisso* REGE *suo, non prius se confirmaturos eum, qui erat creatus, dicebant, quam id nostris placuisset Imperatoribus*. Aderat nempe præter antiquam consuetudinem, recens illud Pii exemplum, à quo (quicumque tandem fuerit) Regem Quadis datum, testis idoneus superior Nummus. Quæ de Quadis autem iste loco modo adlegato, eadem de Mauris tradit Procopius; prisco more apud eos receptum, ut nemo etiam Romanorum hostis, Regem se declaret, nisi Regia insignia ab Imperatore habuisset; unde quum & ii à Vandalis accepissent, male fundatum imperium credebant: Alioquin non *datum*, sed sublatum Quadis Regem, nomine Gabinium, insigni Romanorum perfidia inter sacra hospitalis mensæ Va-

Lib. IV. Bell. Gotth. c. 2.

In Peripl. Pont. Euxi.

Lib. III. p. 90. ed. Reg.

Tac. Annal. II. 63.

De German. c. 42.

Bell. Vandal. l. II. c. 25.

Lib. xxix. lentiniani temporibus trucidatum, apud Ammianum legas.

De expeditionibus & victoriis Cæsarum.

Mitto jam eorundem Cæsarum EXPEDITIONES bellicas; subjugatas PROVINCIAS; VICTORIAS; TRIUMPHOS; devictarum Gentium spolia, Tropæa; quibus plena omnis hæc memoria, plenietiam doctorum virorum, qui in ea tradenda hactenus aut explicanda, laborarunt libri. Describit prima Philippica Gregorius Theologus, solemnes Imperatorum Statuas ac Imagines, quibus modo Urbes dona offerentes; modo Victoriæ eosdem coronantes, modo jacentes ad eorum pedes & prostrati Barbari; modo multiplices Venationes insculptæ visebantur. Nonne vero eodem adhuc spectaculo nos oblectant cælatæ id genus imagines in antiquis iisque copiosis Imperatorum Nummis? Quam insuper nobiles adjunctæ id genus symbolis Inscriptiones, æterna propagati à Trajano ultra Euphratem ac metas Romanæ potentiæ præscriptas imperii monumenta, ASSYRIA IN POTESTATEM P. R. REDACTA; vel ASSYRIA ET PALÆSTINA IN POTESTATEM P. R. REDAC. aut ARMENIA ET MESOPOTAMIA IN POTESTATEM P. R. REDACTÆ: aut BABYLONIA, vel EUPHRATES, vel TIGRIS; aut ADIAB seu *Adiabene*, unde dicti *Adiabenici* Imperatores? Ita dilatatum sub eodem Trajano trans Istrum imperium prædicat cum DANUBIUS, tum DAC. CAP. seu *Dacia capta*, & clarius DACIA AUG. PROVINCIA, ac ideo quidem *Augusti*, quod post divisionem Provinciarum Cæsaris ac Populi, Cæsaribus non Populo accederent novæ Provinciæ, ut alibi jam è Dione vidimus, & quæ proinde non à Proconsulibus, sed Legatis Augusti regebantur. Vetus lapis Pio Imperatori

Orat. 1. in Julian.

positus

positus, CUJUS NUTU ET AUSPICIIS PROVINCIA DACIA GUBERNATUR. Ita in aliis nummis Trajani, non solum ARABIA ADQUIS. aut ARABIA CAPTA, sed similiter ARABIA AUGUST. PROVINCIA. Iisdem accensendæ veniunt cum eædem *Arabiæ Captæ* aut *Adquisitæ* inscriptiones in nummis L. Veri ac Severi, tum in eodem Vero PARTHIA CAPTA; sicut obvia in Vespasiano JUDÆA CAPTA; aut GERMANIA CAPTA vel SUBACTA, in Domitiano & M. Aurelio, vel DEVICTA in Alex. Severo; aut frequens similiter ARMENIA CAPTA, vel DEVICTA, vel RECEPTA, in M. Antonio, Augusto, Vero, & cujus *Armeniæ Captæ*, inclinatæ nempe & lugentis Mulieris, Pharetra & Arcu depositis, iconem, quæ forte erat ad manus, hic subjecimus. Thes. CCLIX. 7.

Unde appositè juxta ejusmodi iconem Hieronymus, *deposuit pharetras Armenius*. At mentio devictæ Germaniæ non solum obvia in adlegatis nummis Domitiani, Marci, aliisque; sed in altero etiam Maximi, in quo figura Equestris sternens hostem præcedente Victoria, cum inscr. VICTORIA GERMANICA. Singularis quoque raritatis Nummus æreus è maximorum itidem genere ejusdem Cimeliarchii, qui hinc Philippum & Otaciliam Conjuges, illinc duas Victorias exhibet cum Epist. ad Lætam. In Cimel. Regin. Christ.

Clypeo & inscr. VICTORIÆ CARPICIÆ. *Carpi* nempe sub Maximo & Baltino, quod Capitolinus tradit in eorum vita, contra Mœsos pugnantes, Scythico bello principium dedere; qui à Gordiano dein repulsi, dum in Persas tendit, à Philippo tandem successore profligati fuere; cujus postremi successus unicus index nobis superior Nummus. Deleti postea iidem denuo insurgentes ab Aureliano; unde illi *Carpici* cognomen à Senatu delatum, quamquam repulso eodem cognomine, ut è Vopisco scimus. Sub Diocletiano vero gens universa in Romanorum ditionem ac fidem transiit, sicut observo apud Idatium in Fastis; apud Ammianum vero eosdem antiquis excitos sedibus, in Pannoniam ab illo principe translatos. VICTORIÆ quoque SARMATICÆ mentio cum in nummis Maximiani & Constantii Junioris, quos jam descripsere viri docti, tum in aliis Diocletiani & Constantii Chlori, quos habet Gaza Barberina. Occurrit itidem VICTORIA GOTHICA in nummo Constantini, eoque majoris, ut vocant, moduli, quem recondit illustre Cimeliarchium Cardinalis Buoncompagni. Neque vero iisdem explicandis immoramur, quum notæ sint abunde ex Annalibus illorum temporum reportatæ de Sarmatis aut de Gotthis victoriæ, & natæ inde GOTTHICI & SARMATICI appellationes supra jam commemoratæ. De Quadis etiam Carum & Numerianum triumphasse, devictis nempe bello Sarmatico, quod à Caro confectum memorat Vopiscus, clare arguit insignis Nummus, in quo uterque triumphans depictus, cum inscr. TRIUNFU. QUADOR. At augustiores adhuc ii tituli, juxta quos non unius aut alterius Gentis, sed UBIQUE vel UNDIQUE VICTORES prædicantur in aliis nummis idem Nume-

Lib. XXVIII.

In Cimel. Regin. Christ.

Numerianus aut Constantius junior, & postremus etiam in nummo argenteo illustrissimi Colberti, VICTOR OMNIUM GENTIUM. Quid referam debellatum ab eodem Constantio Magnentium, ac in ejus rei memoriam coronatum à Victoria eundem Cæsarem Labarum tenentem, in quo Crucis effigies & monumentum historiæ, quæ de eodem haud minus ac Parente circumfertur, consentaneum, HOC SIGNO VICTOR ERIS; cujusmodi Nummum ab Occone descriptum noveram, & nuper etiam apud Patinum nostrum videre licuit? Immo quid inde passim *Vexilla militum*, ut verbis utar Hieronymi, *Crucis insignia* reddita; aut ejus picturam *ardentes Diadematum gemmas* condecorantem, cujusmodi ab ævo Constantinianæo plena omnis hæc memoria: ritu, ut fieri solet, qui majora paulatim & alia etiam dein cepit incrementa. Quid sæculo proinde septimo susceptam ab Heraclio contra Cosroëm Regum Regem expeditionem recenseam, cum ut alias ulciscereturinjurias, tum ut Crucis signum ab eo Hierosolymis avectum repeteret; prout colligas è Zonara, Cedreno, aliis, & certe arguit singularis ejus Nummus, cujus ectypum damus è Museo Leonardi Agostini celebris Urbis Antiquarii. In eo nempe depictus Eraclius cum filio Eraclio Constantino, seu ERACLIUS ET ERA. CONST. PP. AUG. in altera parte Crux supra globum & basim erecta, cum memorabili inscr. DEUS ADJUTA ROMANIS.

Socrates, Sozomenus, Philostorgius, &c.

Epist. ad Lætam.

Quamquam nec de Germanis solum, Quadis, Gothis,

this, Sarmatis, Britannis, Parthis, Armeniis, Judæis, Arabibus, Dacis; Persis, aliisque hostibus Populi Romani erecta in Cæsarianis Nummis Tropæa videas, aut actos Triumphos, sed de deleta etiam scilicet ac triumphata Christianorum gente, sub symbolo Herculis Hydram perimentis in nummo Maximiani supra jam à nobis illustrato. Ad geminos sed infaustos Diocletiani Collegæ Triumphos refero quoque nummum aureum eximiæ raritatis, qui laudatum sæpius Cimeliarchium magni litterarum Mæcenatis Medicei Cardinalis exornat. Exhibet ille hinc Diocletianum, IMP. C. VAL. DIOCLETIANUS AUG. illinc tres Mulieres stantes cum cornucop. & inscr. FATIS VICTRICIBUS S. C.

Mythol. l. 1. Vides hic TRIA FATA, ut *Parcas* vocat Fulgentius, ac passim Græcorum more Romani auctores; certe juxta Artemidori regulam, cui tres Mulieres vestitæ Parcas, nudæ Horas aut Gratias signant. Quamquam & Furias, tres Mulieres vestitæ, sed facibus insuper ac flagellis armatæ adumbrent in præclaro Philippi nummo, & præterea *Parcas* ac *Fata* distinguit Ausonius,

Oneir. l. 11. c. 42.

In Select. Numis. Seguini.

Eidyll. xi.

tres ordine Parcæ,
Tres Charites, TRIA FATA.

Equidem Templum olim in Urbe Parcis dicatum, sub nomine TRIUM FATORUM, cujus meminit aliquoties Anastasius, & de quo audiendus, qui illum explicat, Procopius; ἔχει δὲ τὸ νεὼν ἐν τῇ ἀγορᾷ περὶ ᾧ δὴ λιθοπλὶξ ὀλίγον ὑστερόβαπτα τὰ TPIA ΦΑΤΑ· ἔτω γὰρ Ρωμαῖοι

Bell. Gotth. l. 1. c. 25. p. 375. ed. Reg.

μαῖοι τὰς Μοῖρας νενομίκασι καλεῖν· *Ædem vero habet* (Janus) *in foro pro Curia, paullo ſuper* TRIA FATA; *ſic Romani Parcas vocare conſueverunt.* Unde non male liceret colligere, ſub Diocletiano erectum Romæ Templum illo nomine. Certe nondum exſtabat illud ætate Tertulliani, qui Romanos ſugillat, quod non tantum honoris Fatis decreverint, à quibus tradita illis erat invita Junone Carthago, quam lupæ Larentinæ. Quamquam Zozimus Parcas quoque recenſeat inter ea numina, quibus in Ludis ſæcularibus ſacra fiebant in Campo Martio. *Parcæ* autem vel eædem cum *Fatis* in Theologia Gentilium, juxta ſexcenta auctorum loca; vel *Fati dominæ*, ut Ovidio appellantur; In Apolog. Lib. II.

An dominæ FATI *quidquid cecinere ſorores,* Triſt. l. v. El. 3.

& quibus Parcis proinde ab Horatio invocatis additum inter alia,

BONA *jam peractis jungite* FATA.

Neque vero ſolum Romæ Parcarum Ædes aut Cultus, ſed & earum etiam ſacra apud Phæacenſes, juxta Apollonium Rhodium. VICTRICIA vero vocantur eadem FATA in ſuperiori Nummo, cum juxta conſuetam apud Gentiles Deorum Dearumque appellationem, ut DIANÆ VICTRICI; VENERI VICTRICI; & ſexcenta id genus; tum juxta propriam & peculiarem vim ac poteſtatem horum Fatorum, quibus ſtat Juppiter ipſe, quæ orbem regere paſſim tradita; quorum occurrentes ubique de cupiditatibus hominum VICTORIAS prædicat Libanius, κατὰ τὴν ΝΙΚΗΝ παντάχοῦ τῶν ΜΟΙΡΩΝ; & quæ denique eodem etiam juxta Nummum epitheto à Claudiano ornata, Lib. IV. Argon. De Servitut. p. 644.

In proprium ſed ducta larem, VICTRICIA *reddit* FATA *ſolo.* In II. Conſ. Stil.

Alioquin ut VICTRICIA hoc loco, ſic *Victa*, *Superata*

perata nonnunquam legas, eadem FATA, ut apud Senecam,

Hercul. Fur. *Et* FATA VICI, *morte contempta redii*;

& Maronem,

Æn. XI. *Contra ego vivendo*, VICI *mea* FATA *superstes*;

& ab OEdipo ejusdem Senecæ, FATA *superavi impia*. His enim titulis nonnunquam, ob præcipitata funera, ornantur in antiquis Elogiis; quæ *Sinistra*, *Dira*, *Impia*, *Invida* frequenter eadem vocant.

De ADLOCUTIONIBUS *Cæsarum*, EXERCITIBUS, *&c.* Neque alienæ ab hoc loco ADLOCUTIONES, seu Conciones illæ militares, quarum memoriam & ritum tot præclari Cæsarum Nummi conservarunt. Hinc nempe Suggestus seu Tribunal juxta Plinium, viridi cespite extructum; stans in eodem Imperator stipatus prætorianorum Præfecto, infra milites cum Aquilis & Signis, ac Inscriptiones, ADLOCUTIO vel ADLOCUTIO COH. seu *Cohortis*; ADLOCUTIO MILITUM; ADLOCUTIO AUGUSTI vel AUGUSTORUM; tot enim modis designantur, & cujus generis duo hic habes ectypa è Cimeliarchio inclytæ Reginæ deprompta.

Agnoscis ubique *circumdatum Aquilis signisque Tribunal*, ut de eo Tacitus aliique loquuntur, & quem ritum sæpius præ aliis tangit Ammianus, *Constantius Sarmaticus dictus*

Lib. XVII.

dictus Tribunal insistens signisque ambitus & Aquilis, & agmine multiplicium potestatum, his Exercitum ADLOCUTUS *est*; qui & alibi docet signo per lituos dato, vocatos ad ejusmodi Concionem milites. Inde dictus Lib. XXIII. quoque aliis auctoribus, ut Tacito aut Scriptori belli Africani, Imperator pro *suggestu* aut de *suggestu* vel simpliciter *suggestu* locutus, aut *aggere assistens*, ut eidem Ammiano, & quo adlusit Poëta, Lib. XXIII.

celso medius stans aggere fatur;

ac luculentus etiam superiorum Nummorum interpres Claudianus,

Dictis ante tamen Princeps confirmat ituros De Bell. Gildon.
Aggere conspicuus, stat circumfusa juventus
Nixa hastis, pronasque ferox accommodat aures.

Neque vero frustra ADLOCUTIONES AUGUSTI dictas eadem in Nummis videas. Peculiaris enim illa *Augustorum* prærogativa, non autem inferiorum Potestatum, milites è suggestu illo aut aggere adloqui; sicut clare docet eximius ejusdem Ammiani locus, ubi Julianus Cæsar dicitur è Tribunali ADLOQUI milites noluisse, quia *vitabat gravioris invidiæ pondus, ne videretur id affectasse, quod sibi* SOLI *deberi* AUGUSTUS *existimabat*. Unde insuper Tacitus illustratur, qui de tumultuantibus Germanicis Legionibus verba faciens & imperium Galbæ exuentibus, addit; *Non tamen quisquam in modum Concionis, aut* SUGGESTU LOCUTUS; *neque enim erat ad huc, cui imputaretur*. Inde etiam eam Marco quamquam Collega & Augustus L. Verus reverentiam tribuit, ut ei soli milites pro ambobus adloquendi facultatem relinqueret, *obsequutus ut Legatus Proconsuli, ut Præses Imperatori, jam primum quum Marcus pro ambobus ad milites* EST LOCUTUS. Unde utique adsequimur, cur Metio Pompositano capitale sub Domitiano fuerit, Lib. XVI. Hist. I. 55. Capitol. in L. Vero. Sueton. in Domit.

fuerit, quod Conciones Regum ac Ducum ex T. Livio circumferret. Immo unde lucem quoque haud exiguam fœneratur Appianus, ubi inducit M. Antonium pace cum Parthis facta, in concionem præ pudore non prodiisse, Domitio vero Ahenobarbo id muneris demandasse, quo nomine pluribus indignationem quasi spretis eo facto conciliavit, Δομέπιον δ' Ἀηνόβαρβον ἐκέλευσε τοῦτο ποιῆσαι, καὶ πινὲς μὴ ἀγανάκτουν ὡς ὑπερορώμενοι. Quæ utique abunde ante oculos ponunt præclarum horum Auctorum cum superioribus Nummis consensum. Fiebant enim illæ *Adlocutiones* militares, cum ante prælium, tum post victoriam aut pacem; quo vel præmia aut laudes distribuerent, *laudatis*, ut ille inquit, *pro concione victoribus*; vel de pace inita, sicut ibi jussu M. Antonii, certiores eosdem redderent. Aliquando etiam cum parte tantum Exercitus aut cum una Legione de illo Suggestu concionati Imperatores; nonnunquam etiam convocatis tantum Legionum Tribunis ac Centurionibus; ut vel è Cæsare & Scriptore belli Africani constat. Quas etiam Adlocutiones numquam impune à Romanis Principibus omissas, cum aliunde, tum ex Tacito colligas, arguente inter alias improvidæ in Vitellio mentis notas, *non* ADLOQUIO (ita enim illi passim aliisque, quod constanter in Nummis ADLOCUTIO) *exercitioque militem firmare*. Quo loco etiam notandum, quod à Theophylacto Simocatta & P. Diacono traditur, indignatos milites, quod Priscus Orientalis militiæ dux à Mauritio Imp. creatus, in castra profectus, more veteri equo desiliens, ac in pedibus milites non salutasset. Alia enim hic ipsorum Augustorum ratio, aut earum Adlocutionum, quas in Suggestu sublimes habere consueverant. Quamquam & ab equitantibus nonnunquam factæ, ut recte observat erudi-

In Parthicis.

Tac. Annal. II. 22.

Com. Gall. l. VII.

ruditissimus Lipsius in Hocschelianis ad Photium notis, & clarissime arguunt alii Nummi, in quibus Imperator modo de Suggestu ut supra, modo in Equo milites compellat, cum inscriptione Exercitus, quem alloquitur. Tales præclari aliquot Nummi Hadriani, in quibus legitur EXERCITUS DACICUS, aut GERMANICUS, aut BRITANNICUS, aut SYRIACUS, & reliquis adhuc rarior CAPPADOCICUS, juxta sequentem iconem.

In Cimel. Ill. Cam. Massimi.

Illud nempe consuetum apud Romanos nemo nescit, ut à locis ac Regionibus, in quibus agebant Romanorum Legiones & Exercitus, vulgo iidem appellarentur; unde obvii apud Tacitum aliosque iidem modo è Nummis adlegati *Britannicus*, *Syriacus*, *Germanicus Exercitus*, & alicubi *Cappadociæ Legiones*. Hinc alius ejusdem Hadriani nummus, in quo RHETICUS EXERCITUS, quomodo *Rheticæ copiæ* Tacito; quamquam illæ non de Romanis Legionibus, sed de *Rhetorum juventute*, seu *Rheticis auxiliis*, *Rheticis aliis cohortibusque*, eidem designantur; ac unde liquet insuper vera hujus vocis scriptura, pro qua male *Rheticus* accuratæ eruditorum virorum editiones expressere. Alioquin & tertia legio in Rhetia à M. Antonio constituta juxta Dionem, sed sub nomine *Italicæ*. Ejusdem notæ occurrunt adhuc alii

Hist. II. 81.
Hist. I. 59.
Hist. I. 67. 68.
Lib. LVIII.

alii & rari quidem Nummi, quos videre insuper contigit, in quibus EXERCITUS MAURETANICUS, vel EXERCITUS NORICUS, ubi nempe secundam Legionem collocasse dicitur apud Dionem M. Antonius. Quamquam & *Norica juventus* de auxiliaribus Tacito; cujus generis trecentos equites à Rege Norico ad J. Cæsarem missos refert ipse summus auctorum Julius; ac vulgo *Norici* juxta Italos, Hispanos, Macedonas inter Cæsarum corporis Custodes apud Dionem. Inde etiam, ut obiter hoc addam, alii Hadriani Nummi, in quibus MET. NOR. seu *Metalli Norici* mentio, sicut in aliis METAL. DELM. seu *Metalli Delmatici*. Unde certe illustrare liceret ea quæ de *Norico ferro* ac *ære* ab iis primum elaborato Clemens, Eusebius, aliique tradidere, & in voce Νώρικον Stephanus, quamquam ibi male è Norico Provincia Urbem facit. Ita *Metalli Parthici* de quo supra, jam olim apud Plinium juniorem mentio. Ejusmodi autem Metallis, Noricis puta aut Delmaticis præpositi Procuratores Cæsaris, quod vel docebit [a] Galenus, Ὁ τῶν Μεταλλων Ἐπιτροπος Καισαρος. Ut vero à Metallis ad Castra redeam, occurrit rursus in alio Hadriani [b] numismo, EXER. HISPAN. h. e. *Exercitus Hispanicus* vel *Hispanienſis*, sicut [c] Suetonio ac [d] Tacito, *Exercitus Hispanienſis*; Velleio *Hispanienſis militia*, alias *Hispana legio* vel *Hispaniæ miles* eidem Tacito. Ita Hadrianus Spartiano *ab Hispanienſibus* ortus, ac similiter Vopisco Bonosus *Hispanienſis*; qui nempe nati in Hispania, aliunde autem originem ducerent; sicut innuunt iidem auctores. Haud insolitum nempe Romanis, unum ex alio Gentilitium formare. Sic Exercitus *Europenſes* apud [a] Vopiscum; *Romanenſis* Ecclesia apud [b] Tertullianum; Pistor *Romanienſis* in [c] Inscriptione veteri sub Trajano, quem-

Lib. LV.

Annal. III. 6.

Bell. Civ. l. 1.

Lib. LXXIV.

In Cimel. Reg. Gall. & Regin. Christ.

[a] Lib. 1. de Antid. pag. 424. ed. Gr. Bas.

[b] In Cimel. Regin. Christ.

[c] In Vespas.

[d] Annal. 1.

[a] In Probo

[b] De Præscr. Hæret.

[c] Thes. XL.

7.

quemadmodum Ρωμαικὴ ἀγορὰ de Foro Romano apud recentiores Græcos; & Exercitus non *Germanici* ſolum aut *Illyrici*, ſed *Germaniciani* etiam & *Illyriciani*, illi apud Suetonium, *Mœſiaci Exercitus, Hiſpanienſis, Germaniciani*; hi in Nummis Decii, EXERCITUS ILLYRICIANI; quomodo & apud Marcellinum Comitem legas *Illyriciani militis* & *Illyriciana militia*; alibi ut præter Acta Conciliorum, apud Victorem Tununenſem, *Illyricianos Epiſcopos* & *Illyriciana Synodus*; & apud Caſſiodorum, *Marcellinus Illyricianus*. Non audiendus vero Erizzo, qui Nummum ΕΛΑΙΤΩΝ ΕΠΙ ΣΤΡΑΤΗΓΟ ΙΛΥΡΙΟΥ explicat, *ſub Imperatore Illyriciani Exercitus*, aut *Tempore Illyriciani Exercitus*, quod reddi debuerat, *ſub Præſide Ilyrrio*, aut forte *Illyrico*, qui in antiquis Inſcriptionibus legitur. Occurrit quoque in nummis Poſtumi EXERCITUS VAC. ſeu *Vaccenſis*; à *Vacca* nempe Numidiæ oppido, ac foro ibi rerum venalium è Belli Jugurthini & Africani Scriptoribus ſatis noto. Niſi potius *Vaccæus* aut *Vaccenſis* dicendus ſit à *Vacca* ſita ad Pyrenæos montes; quod Poſtumi, qui in Gallia imperium tenuit, nec inde pedem extuliſſe traditur, mentio in eodem nummo ſuadere videtur. Hinc etiam *ab omni Exercitu & ab omnibus Galliis*, alibi *Exercitibus conſentientibus*, nempe qui in variis Galliarum partibus agebant, dicitur Imperator ſalutatus. Quamquam apud Triſtanum occurrat quoque inter nummos Poſtumi filii EXERCITUS ISC. ſeu *Iſcanicus* ab *Iſca* oppido magnæ Britanniæ, ac ſecundæ Legionis Auguſtæ, juxta Ptolemæum & Antonini Itinerarium, domicilio: unde luſtratam ab eodem Poſtumo vicinam Galliæ Inſulam haud male colligit idem Triſtanus. Mitto aliam amici noſtri conjecturam, qui priorem illam epigraphen, *Exercitum Vacantem* interpretabatur, ſeu *Exerci-*

Chron. Gr Euſeb. pag. 215.

In Veſpaſ.

In Chroniſco.

Inſt. cap. 1.

Trebell. Poll. in Poſtumo.

tum ex Vacantibus ſcriptum à Poſtumo, ſicut *Exercitum ex Cauſariis* dixit Livius, ac de Baliſta Valerianus apud Trebellium, *gaudens quod ejus conſilio nullum adſcriptitium id eſt Vacantem haberet*. Quibus addi etiam poſſent Tribuni illi *Vacantes*, quorum Ammianus non ſemel meminit. Cui conjecturæ, ut alia jam mittam, repugnat ille veterum ac ſimilium Nummorum conſenſus, in quibus conſueto more appellati à locis ac regionibus Exercitus, ubi caſtra illos habere placuerat. Immo ſimiles *Exercituum* appellationes ut in Nummis ſculptæ, ita videntur majoribus Vexillis cum nomine Imperatoris adſcriptæ, ac inde explicandus Dio, à quo traditur Vexillum magnum Veli inſtar litteris puniceis inſcriptum, ad notitiam dandam Imperatoris aut Exercitus. Equidem de Imperatore vel fidem facit Conſtantini Nummus, in quo Labarum cum littera C quam de *Conſtantino* recte interpretatur eruditus Areſchotanorum Numiſmatum interpres. Referendi huc quoque haud minus inſignes Nummi, in quibus commemorata non ſolum Exercitus, ſed etiam rei præclare ab eo geſtæ memoria, ut VIRTUS EXERCITUS ROMANORUM; aut VIRTUS EXERCITUS ROMANI; vel VIRTUS EXERCITUS GALL. item GLORIA EXERCITUS GALL. ſeu *Galliciani* aut *Gallicani*, quomodo apud Ammianum *miles Gallicanus*, ac denique VIRTUS ILLYRICI, in aureis Nummis Maximiani, Conſtantini ac filiorum, item Juliani deſertoris; in quibus nempe aut Eques ſupra navim, aut Miles cum Tropæo & Captivo; aut Miles gradiens inter duos Captivos, aut duæ Figuræ jacentes, tanquam totidem Virtutis illius ac Gloriæ bello partæ ſymbola conſpiciuntur. Alium quoque citat Savotus inter Severi Nummos, FIDEI EXERCITUS GALL.

Lib. XVIII. & XXXI.

Lib. XL.

Lib. XXV.

GALL. LUG. Diversus vero à superioribus Nummus Vitellii, in quo figura armata gradiens cum hasta & signo militari, ac inscr. CONSENSUS EXERCITUUM, à quibus nempe, ut supra Postumus *Exercitibus consentientibus*, Imperator renuntiatus, & cui similis inscriptio legitur in nummo aureo Vespasiani. Qui *Consensus Exercituum* signanter in Vitellianis nummis positus mihi videtur, ut opponeretur æmuli paullo ante Othonis jactationi, qua non quidem Exercituum, sed CONSENSUM *populi ac Senatus pro se attollens* apud Tacitum refertur; idque ea oratione, quæ in Urbe ab eodem pro concione habita, publice post ejus fata extabat, ut ex eodem Tacito videas. Alia jam mitto sexcenta, quæ ad *Militiæ* veteris illustrationem peti continuo ex iisdem Nummis possunt; quæ Armorum apud varias gentes forma; quod verum Parmæ, Clypei, Scuti, Peltæ ac Ancilis, quod Pili & Hastæ discrimen; quis Militum habitus; quale Paludamentum Imperatorium; quæ forma Castrorum; quæ Aquilæ & Vexillorum, ac in specie quæ Labari, aut Cantabri figura; quæ Manipulorum signa; quis Fidei aut juramenti militaris ritus; quæ Disciplinæ cura; sed quæ partim jam obvia in antiquariorum ac eruditorum libris, partim ex superioribus manifesta, partim etiam peculiaris tractationis argumentum & otium flagitant. Neque de *Militia Navali* inde quoque illustrata, facile quidquam desiderare patietur eruditissimi Schefferi de illa re opus, quod secunda fœtura brevi proditurum audio. Unum hic adferam, eumque novum ac singularem Licinii Nummum cum Vallo Romanorum, ac inscr. VIRTUS EXER. TSA. Hist. 1.

Nihil

Nihil autem certius, quam *Vallum* Romanum eodem nummo, quod viderunt insignes Urbis Antiquarii, designari. Locus etiam Varronis, quem cum transmissa superiori icone innuebat Chiffletius noster, rem extra dubium ponit; *Vallum vel quod ea varicare nemo potest, vel quod singula ibi extrema bacilla fulcri illata figuram habent litteræ* V. Id vero satis perspicue evincit superioris Nummi figura, cujus extrema quavis parte sumpta litteram V signant. De tota autem Valli ratione ac figura videndus est Livius, qui *leves & bifurcos plerosque & trium aut cum plurimum quatuor ramorum Vallos cædi* ostendit; alibi de Valli Romanorum à Græcis & Macedonibus discrimine agit. Exhibet idem Nummus in summo Vallo militem, qui *Vallares* coronas manu tenet, *Muralibus* nempe *Vallaribusque insignis Coronis* juxta Livium, & quo symbolo VIRTUS EXERCITUS ejusdem Licinii denotatur, quem militiæ custodem ad veterum instituta severissimum refert Aurelius Victor.

L. XXXIII. c. 5.

Lib. XXX. c. 28.

De PACE *sub Cæsaribus parta.*

Neque vero fortes solum Exercitus aut Victorias Æternas, sed & ORBEM QUIETUM, quod orabant olim pro Imperatoribus Christiani juxta Tertullianum in Apologetico, iisdem etiam vindicant aut gratulantur hæc monumenta. Hinc præter CLAUSUM JANI TEMPLUM PACE TERRA MARIQUE PARTA, toties in iis expressa PAX AUGUSTI vel PAX AU-

AUGUSTA, quam nempe Orbi terrarum præstabat Tiberius, Vespasianus, Hadrianus, aliique; unde jam olim Poëta,

Quæ minus AUGUSTA PACE *fruatur humum*, Ovi l. de Pont. l. II. El.

& quomodo aut *Pacem Deum* Livius ejusque exemplo Justinus, Symmachus, ac *Jovis Pacem* Plautus, aut Germanicus ad Tiberium, Amphy. v. 1.

PAX TUA, *tuque adsis nato, numenque secundes*,

ac Nero apud Senecam, *hinc tot millia gladiorum, quæ* PAX MEA *comprimit*. Scilicet quod Pax illius censeretur, penes quem erant auspicia; ac unde *Pacis* juxta *& Belli Domini* Dioni vocantur iidem Cæsares Πολέμου καὶ ΕΙΡΗΝΗΣ κύριοι, sicut alibi diximus. Quamquam & ad Deos quoque illud Pacis & Quietis bonum retulere iidem Augusti, juxta nummum Maxentii, PROVIDENTIA DEORUM QUIES AUGG. cui simile in Maximiano quoque videas. Eandem vero PACEM AUGUSTAM *diffusam*, juxta Velleium, *per omnes terrarum* ORBIS *angulos* celebrat itidem in nummo Othonis aureo, PAX ORBIS TERRARUM, aut in Vespasiano verius PACI ORBIS TERRARUM Aug. h. e. juxta Lucanum nostrum, PAX *missa* PER ORBEM, & quam laudem Hadriano tribuit haud vane Spartianus, *tenendæ per* ORBEM TERRARUM PACI *intendit*. Sicut in aliis Nummis paullo ante descripti UBIQUE VICTORES, ita rursus UBIQUE PAX in nummo Gallieni aureo, juxta Corbulonis de Nerone dictum, *Imperatori suo immotam* UBIQUE PACEM, aut Vopiscum in Probo, UBIQUE PAX, *ubique Romanæ leges*. Sic FUNDATOR PACIS in aliis Nummis tum Constantinus, tum pridem ante illum Severus, juxta simile Spartiani de eodem testimonium, *in æternum* PACE FUNDATA; & quomodo

Lib. I. de Clem. c. 1.

In Cimel. Regin. Christ.

In Cimel. Card. Medic.

Tacit. Annal. XV. 27.

do idem PACATOR ORBIS vel filius ejus Antoninus vocatur, prior in aureo, alter in æreo nummo Regiæ Gallorum Gazæ, qualem & in Postumo notat etiam Tristanus: scilicet juxta Poëtam,

Virgil. Ecl. IV. PACATUMQUE *reget patriis virtutibus* ORBEM.

Singularis vero Philippi Nummus PAX FUNDATA CUM PERSIS, haud aliter ac Justinus, *Parta Pace & securitate* FUNDATA. Neque vero diffusam solum aut fundatam, sed ÆTERNAM eandem ac PERPETUAM prædicant rursus illorum Cæsarum Nummi, Tiberii puta, Vespasiani, Hadriani, ac aliorum,

Lib. XLIII. c. 5.

Æn. IV. *Quin potius* PACEM ÆTERNAM *pactosque hymenæos*,

Inde etiam iis monumentis insculptæ aut ARA PACIS in Nerone; modo PAX EQUITUM, ut in Postumo; PACIS EVENTUM in Vespasiano; modo PAX PUBLICA; modo in Græcis nummis Pax ipsa spicis coronata, & inscr. ΕΙΡΗΝΗ; ad quas Pacis icones respexit Tibullus,

L. I. El. 10. *At nobis* PAX *alma veni*, SPICAMQUE *teneto*, *Perfluat & pomis candidus ante sinus.*

Et hæc quidem scripseram, quum opportune à te accipio ectypum præclari nummi, quale tua opera ad me curatum voluit vir summis quidem ornamentis generis, animi, fortunæ præditus, sed novo adhuc ostri fulgore brevi, ut augurari licet, futurus splendidior, Camillus Maximi. Exhibet autem ille Nummus hinc Vitellium laureatum cum solitis principatus titulis, A. VITELLIUS GERMANICUS IMP. AUG. P. M. TR. P. illinc tres figuras, unam Romæ sedentis, solito typo, cum Victoria præ manibus, quæ coronam offert Vitellio, ante duas stantes, unam togati ipsius Vitel-

Vitellii, alteram à tergo muliebrem, non quidem, ut ſtatuere quis poſſet, Germaniæ, ſed quod liquet mihi cum ex habitu, qui nihil habet barbari aut conſoni aliis Germaniæ typus, ſed juxta uſitata Dearum id genus apud Romanos ſimulacra, tum ex inſcriptione appoſita, Pacis ipſius effigiem. Epigraphe autem tota, PAX GER. ROMA, non *Pax Germaniæ Roma*, prout primo etiam intuitu augurabar, ſed *Pax Germanici*, appoſite ad typum, & amatum Vitellio cognomen, illaſque ſolemnes & indicatas paullo ante inſcriptiones, *Pax Auguſti*. Sed non decet ut lectori invideamus inſignis nummi, neque vulgo apud antiquarios obvii conſpectum.

Neque indiget ille ulteriori commentario: quum plana ſint omnia partim ex ſtudio illo paullo ante commerato Romanorum Principum, non à devictis ſolum, ſed à pacatis etiam Urbe ac Provinciis, gloriam ſuorum temporum, quamquam vana ſæpius, ut hic loci, prædicatione celebrandi: partim ex rebus Vitellii, opera & fide Germanici Exercitus, cui præfuerat, ad imperium promoti, & inde GERMANICI appellationem ſibi filioque adhuc infanti tribuentis. Quo ſpectat etiam matris ejuſdem Vitellii dictum, *non* GERMANICUN *à ſe ſed Vitellium genitum*. Ut mittam in priori Tacit. Hiſt. II.

priori Nummi area omissum *Cæsaris*, expressum vero *Augusti* cognomen; utrumque rursus ad Taciti fidem, *vocabulum* AUGUSTI *differret*, CÆSARIS *non reciperet*; mox, *abnuentique nomen* AUGUSTI *expressere ut adsumeret*; & quibus etiam consentanea alibi ex Suetonio retuli. Cæterum huc etiam referenda Pacis opera, ac inter ea LUDI SÆCULARES sub Domitiano, Severo & filiis Philippis, vario spectaculorum genere, sicut jam alibi vidimus, celebrati. Inde passim in iis SÆCULARIA SACRA, & sacrificantes Imperatores cum adstante tibicine aliisque figuris, aut juxta sequentem iconem, in qua plures figuræ, una ex iis jacens cum Cornucop. duæ nudæ stantes, aliæ duæ ante Aram, infra Aper cum alia figura.

Ibid.

Haud valde dissimilem videas inter Nummos Getæ Ducis Areschotani, de quo consulendus Rubenius brevis sed elegans eorum interpres, qui duas illas figuras nudas stantes de Hercule & Baccho, vere, si quid judico, interpretatur. Hic enim eorum habitus in aliis Severi nummis supra quoque traditis, cum inscr. DIS AUSPICIBUS; unde ambobus Templum ingens extruxisse legitur apud Dionem. At figura jacens cum Cornucop. eidem Rubenio Terra, sed cum aliis symbolis, spica nempe & Palma, mihi in superiori nummo Tiberis

Lib. LXXVI.

beris juxta ſolitum ejus typum. Aper vero in eodem, aut aliud nonnunquam animal in ſimilibus Nummis; prout nempe Diis aut Deabus hoc vel illud ſacrum; quibus in ſolemnibus illis ſæcularibus ſacra fieri ſolita per triduum in Campo Martio, Jovi nempe, Junoni, Apollini, Dianæ, Parcis, Lucinis, Cereri, Plutoni, Proſerpinæ Zozimus refert. Sub Philippis vero occurrit inter alios Lib. II. Nummos ſimilis celebritatis indices unus, in quo ſæcularia itidem Sacra, ſeptem nempe figuræ ante Aram ſacra facientes, cum inſcr. SÆCULUM NOVUM, quo Milliare nempe ſæculum ab Urbe Condita deſignatur, & quod νεοπαγὴς Αἰὼν vocarunt Græci, ut Euſebius, a- De vit. pud quem per *Sæculum Novum* eaſdem voces expreſſit Conſt. l. III. c. 1. Cl. Valeſius; Symmachus, NOVI SÆCULI *fatare-* Lib. 1. Ep 7. *citantur*. Unde ſimiliter Gratiani nummus, qualem vidi apud diligentiſſimum integerrimumque Gallici Ærarii Cuſtodem Ampliatoremque Colbertum, GLORIA NOVI SÆCULI. Ex ſuperioribus autem Philippi nummis cum ſolemnibus Gentilium ſacris ſatis liquere videtur fabulis adnumerandum, quod de hoc Imperatore ut Chriſtiano Euſebius, aliique dein tradidere, inter quos etiam Abul Pharagius. Quamquam Dyn. VII. videam virum rara eruditione ac inter præcipua hodie P. 80. litteratæ Galliæ ornamenta Danielem Huetium, eandem de Philippo Chriſtiano ſententiam in Origenianis tueri; eum nempe circa ipſa imperii initia Chriſti doctrinam ſub Papa Fabiano amplexum, idque occulte & clam Ethnicos; & qua de re conſulere poterit eum Lector, antequam huic vel alteri ſententiæ accedat. Neque enim id jam agimus; ſed ſola quæ è Philippi nummis erui poſſunt argumenta ſi non privati ſaltem publici Gentilium cultus obiter commemoramus. Sub Honorio quidem celebratos eoſdem ſæculares, ſed Sacris

cris sæcularibus omissis, solo Circensium aut Theatralium ludorum apparatu tradiderunt auctores. Constat vero id ex præclaris ejusdem Nummis, in quibus Quadrigæ & Victores cum Corona & Palma, ac inscr. SPECIOSUS DIGNUS EUGENIUS ACHILLIS SIDEREUS.

In Cimel. Regin. Christ.

De OPERIBUS *Cæsarum Publicis.*

OPERA varia non commemoro ab iisdem Cæsaribus erecta vel restaurata, quorum formam aut nomina prisca hæc Nummorum supellex præbet, & quæ nobis hodie pro diurnis Urbis Actis, quibus talia mandari solita Tacitus refert. Hujus generis tot ÆDES Deûm, puta JANI Quadrifrontis; JOVIS TONANTIS, SOSPITATORIS, CUSTODIS, ULTORIS, VICTORIS; MARTIS ULTORIS; VENERIS FELICIS, VICTRICIS; APOLLINIS PALATINI; SOLIS INVICTI; DEÆ SEGETIÆ; VOLKANI; ROMÆ ÆTERNÆ; aliæque, quæ cum Conditoribus suis aut Restauratoribus Augustis, Neronibus, Domitianis, Caracallis, Alexandris Severis, Valerianis, aliisque Cæsaribus sacratæ his monumentis conspiciuntur. Ita JOVIS OLYMPII Templum in nummo Augusti videas haud passim obvio, de quo jam ante; sicut JOVIS OPTIMI MAXIMI CAPITOLINI in sequenti Nummo Vitellii, cujus iconem laudatus aliquoties Chiffletius noster ad me haud ita pridem transmisit.

Annal. XIII. 51.

At notum ex Auctoribus illorum temporum Tacito, Sueto-

Suetonio, arsisse sub Vitellio Ædem Jovis Capitolini, sub Vespasiano postea restitutam. Sed quod dubium quasi & anceps foret, an incendium illud ab obsidentibus Vitellianis, an à Flavianis obsessis profectum, magna autem esset infamia illius facti, quo multi *finem imperii adesse* credebant, eam certe à se amoliri voluisse videtur Vitellius, hac suæ erga sedem Jovis Opt. Max. ac imperii pignus pietatis contestatione. Equidem quantum curæ ea res foret Vitellio, abunde ostendit absolutus ab eo Atticus Consul, quamquam è ducibus Flavianarum partium, *quod interrogantibus quis Capitolium incendisset, se reum Atticus obtulerat. Eaque Confessione, sive aptum tempori mendacium fuit, invidiam crimenque amovisse, & à partibus Vitellii amolitus videbatur.* Et certe crebrior fama, ut tradit in hoc facto idem Tacitus, obsessis Flavianis hoc incendium adscripsit, quo nitentes ac progressos Vitellianos depellerent. Quot vero alias Ædes insuper in his monumentis restitutas quasi & restauratas videas? Ita Templum JUNONIS MARTIALIS in Nummis Volusiani non solum sed etiam Philippi ac Triboniani Galli; SPEI PUBL. seu *Publicæ* in Tetrico juniore apud Tristanum; MEMORIÆ ÆTERNÆ in Divo Romulo; VICTORIÆ in Gordiano; DIANÆ PERG. *Pergææ* nempe, non *Pergamenæ*, ut censebat Tristanus in Nerone, ac juxta Nummos Græcos alibi in hoc opere descriptos, ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ ΠΕΡΓΑΙΑΣ· quamquam *Pergasiam* eandem dictam doceat Stephanus Byzantius, ni corrupta vox pro Περγαία, ut Nummi veteres constanter eam vocant. Ita sua consecratis Cæsaribus Templa, ut DIVO JULIO in Augusto; huic vero etiam à Pio restituto, juxta ejus Nummum; DIVI AUG. REST. TEMPL. aut etiam in Nummo Faustinæ Pii Conjugis,

Tacit. Hist. IV. 54.

Hist. III. 75.

Hist. III. 71.

In Cimel. Barberin.

gis, ÆDES AUG. Adde Templum Gentis FLAVIÆ; item ejusdem FAUSTINÆ, cujus alioquin supersunt adhuc in Urbe rudera; adde plura id genus cum duabus, aut quatuor, aut sex, aut octo, aut decem etiam Columnis; eademque modo cum una, modo cum pluribus statuis, quamquam citra illius Dei aut Deæ nomen, cui eadem erant dicata. Neque prætereundum hic nobile illud Vespasiani opus, PACIS Templum, cujus effigiem non solum adumbrant ejusdem Vespasiani aut Titi Nummi, sed Commodi insuper; ac proinde nondum incendio, quod mox sub eodem, teste Herodiano, contigit, dirutum. Certe ætate sua combustum illud docet una cum sua ἀποθήκη Galenus eo libro, quem scripsit Severo & Caracalla imperantibus, ὁπότε καὶ τὸ τῆς ΕΙΡΗΝΗΣ πέμπτον ἐκαύθη, *quando & Templum* PACIS *arsit*. Contigit vero illud incendium anno Commodi XII. seu Æræ Christianæ CXCII, ut notatur in Eusebii Chronico. ÆSCULAPII vero Insulam ac Templum ex præclaro Pii nummo alibi jam eruimus. Immo ipsius URBIS Templum ab Hadriano conditum anno, quo Natalem ejusdem celebravit, indicat Nummus descriptus pridem ab antiquariis, ac citatus quoque viro incomparabili in Eusebianis, & doctissimo Valesio ad Ammianum, DCCCLXIV. NAT. URBIS R. CIR. CON. S.C. *Natali Urbis Romæ Circenses Concessit Senatusconsulto*. Jam quot veteres ac insignes ARCUS in iisdem Nummis videas etiamnum erectos vel AUGUSTO ob Vias Munitas, & signa à Parthis recepta; vel DRUSO & CLAUDIO de Germanis ac Britannis devictis; vel GALBÆ ob Remissam Quadragesumam; vel NERONI, DOMITIANO, TRAJANO, SEVERO, POSTUMO, CONSTANTINO MAGNO, solita adulationis illorum temporum

Lib. 1. de Antid. pag. 433.

rum juxta ac Victoriarum monumenta? Quam insignis inter alios sequens Arcus TRAJANI, tertio ejus Consulatu erectus, juxta præclarum Nummum, quem è divite ac eleganti penu antiquaria laudati sæpius genere ac meritis splendidissimi Camilli Maximi, multa rei antiquariæ peritia insignis Petrus Bellorius noster suppeditavit.

Ex eodem vero Arcu diruto, eum qui in Urbe adhuc hodie visitur Arcum Constantini extructum, liquere continuo fide hujus Nummi. Neque proinde male id jam conjecerant superiori sæculo antiquarii, ut auctor est Martianus, unde etiam Nummi hujus præstantiam licet cuivis æstimare; *In hoc autem* (Arcu Constantini) *sunt quædam mira arte sculpta, quædam non satis probantur: ideo multi volunt illa ex* ARCU TRAJANI *destructo ad hujus ornatum translata, hæc ultro illis addita.* Pro *Arcu* vero *fornicem* dixisse Veteres vel ex Tullio videas, *ad ipsum fornicem Fabianum:* unde illa glossa ad hunc locum veteris Grammatici inediti & alibi jam mihi citati è Bibliotheca Vossiana, *Arcus Latinum non est.* At præter Suetonium, Tacitum, aliosque, à quibus jam hæc vox Latio donata, certe ætate Severi ac filiorum eadem ut *Latina* in Nummo Caracallæ publice signata, ARCUS AUGG. Quid commemorem tot alia Trajani Opera, quæ illum Pace non minus quam Bello clarum

Verrin. II.

In Cimel. Regin. Christ.

posteris prodidere, cujusmodi occurrunt in his monumentis CIRCUS, PORTUS, FORUM, BASILICA, VIA, AQUA, BIBLIOTHECA, singula ULPIÆ vel TRAJANI nominibus appellata? PONTES denique ejusdem supra *Euphratem*, *Tigrim*, *Danubium*, in iisdem Nummis adhuc conspicui; qui inscripti vel EUPHRATES; vel VIRTUS AUGUSTI TIGRIS; vel PONS TRAJANI DANUVIUS non-minus ac Araxes autem *pontem indignatus*, & de quo Ponte scribit Procopius, cum Istri adluvie ac temporis lapsu corruisse, operis vero architectum exstitisse Appollodorum Damascenum. Alios *Pontes* non commemoro, modo cum tribus aut pluribus fornicibus, quos exhibent interdum Nummi Augusti, Severi Valeriani, aut supra Naves positos cum trajectu militum, ut in M. Aurelio & Gordiano. Quot alia insuper Urbis Æternæ decora eædem Nummorum icones adumbrant, *Thermas*; *Theatra*; *Porticus*; *Vias*; *Macellum Neronis*; *Circum Maximum* cum *Obeliscis*, *Metis*, *Quadrigis*, *Euripo*; *Circum Caracallæ*; *Amphitheatrum* cum *Meta sudante*, ac parte *Domus Aureæ*; quæ vulgo, si rudera quædam excipias, non aliunde, quam ex his Nummorum monumentis, antiquæ Romæ enarratores tradere solent, ac in conspectu legentium ponere. Præter notam in hoc genere Onuphrii, Donati, aliorumque industriam, docuit id novissime Nardini ROMA ANTIQUA tuo beneficio in lucem feliciter adserta. Ita *Amphitheatri* à Gordiano restituti memoria non alibi, quam in præclaro ejusdem Nummo conservatur; unde illustratur Capitolinus, qui paulo ante in Senatu, h. e. tempore delati Balbieno & Papieno imperii, inter alia relatum refert à Consule, de *ædificatione Amphitheatri*. Sic in exorta nuper inter eruditos Urbis Antiquarios controversia,

Ædif. l. IV. c. 6.

In Cimel. Mediceo.

In Maxim. & Balbin.

versia, de Arcu *Portugalliæ* vulgo appellato, nosti me iis continuo accessisse, qui non Claudio cum Ligorio aut Domitiano, vel Philippo cum aliis, sed M. Aurelio eundem adjudicabant. Id enim mihi non minus ac optimo vindici Romanæ antiquitatis Benedicto Mellino nostro, fide veteris nummi comprobatum, in quo Faustina minor Victoriæ humeris in cœlum sublata cernitur; haud insolito consecrationis ritu, & cui gemina plane in illo Arcu figura ejusdem Augustæ spectatur. An vero illæ figuræ vel M. Aurelii & L. Veri & Faustinæ, aliunde in Arcum illum insertæ fuerint, isque sit revera longe Antoninorum temporibus recentior; quæ sententia est laudati paulo ante rerum antiquarum egregie periti P. Bellorii, illi aliisque expendendum relinquimus. Hoc unum addere liceat, eandem Victoriæ alatæ figuram in cœlum Augustam ferentis, in matris Faustinæ nummo mihi quoque observatam, quem Museo Augustæ Christinæ credo accessisse. Ut enim de Victoria potius, quam de Diana Lucifera, prout existimant nonnulli, easdem figuras alatas explicem, facit præter solemnem hunc Victoriæ typum, Elagabali, quod narrat Lampridius, somnium, *Pater eadem nocte in somnis vidit alis se* ROMANÆ VICTORIÆ, *quæ in Senatu* AD COELUM VEHI. Quin agmen hic claudat Sacrum illud Servatoris Sepulchrum seu Ædicula eidem superimposita, ac ANASTASIS etiam dicta, qualem exhibet singularis Nummus, de quo post Tristanum ac Sirmondum disseruit nuper ad Eusebium doctissimus Valesius. Ejusdem notæ Nummum vidisse haud ita pridem juvit apud clarum urbis Antiquarium Leonardum Agostini.

Specimen Utilitatis Nummorum in CHRONOLOGIA.

Sed opportunum jam foret ab Historia, ad duas ejus ancillas dicam an verius comites, CHRONOLO-

GIAM & GEOGRAPHIAM, ex eadem penu illustrandas ingenii aciem convertere. Amplus quidem ac patens industriæ campus, sed quem late nunc decurrere non sinit (quod certe ab initio operis constitutum fuit) hujus commentationis, jam plus justo longius productæ ratio. Ad CHRONOLOGIAM equidem seu notitiam temporum Romanæ Historiæ, quis non videt continuo quantum conferant tot Consulatuum, Tribunitiæ Potestatis, aut Imperii anni in Nummis id genus signati; ex quibus Fastos aut Annales veteres supplere licet ac emendare? Viam illam ingressi jam pridem clari scriptores, Goltzius, Onuphrius, Baronius, Pighius, Scaliger; sed in qua premenda penuria, aut minus accurato usu eorundem ducum, non semel à recto tramite aberrarunt. Neque immunis ab hac labe inclytus quidem multis palmis, sed immitior Scaligeri adversarius; dum collectis aliunde viribus ferocior incedit, his auxiliaribus copiis aut spretis aut non advocatis. Neque tamen alii certiores Canones occurrebant, unde colligas an L. Verus IX vel XI annos regnarit, qua de re jam olim dissensisse Auctores docet in Chronico Eusebius, neque rem definit, quot annos imperii complerint Antoninus vulgo Caracalla; Gordiani Africani; Philippus junior; Claudius Probus; Constantius Chlorus, aliique, de quibus certant adhuc hodie Chronologi, qui secant sæpe non solvunt nodos: aut vero quo anno imperium susceperint vel Philippi, vel Decius, vel Valerianus; aut unde hiatus temporum inter Gordianum & Valerianum apud Eusebium aliosque Veteres auctores obvius suppleri liquido debeat; ac post Decium series Licinianorum, Volusianorum, Hostilianorum, vulgo apud eosdem mutila aut confusa, melius & accuratius ordinari.

1. *Ad Fastos & Acta Cæsarum ordinanda.*

nari: aut Cari & filiorum tempora, quibus nil turbatum magis aut perplexum tradidit simul & expertus est illustris Scaliger, distingui & explicari; qui denique è Tyrannis, quibus feracia fuere sæculum tertium & quartum, in Augustorum ordinem inserendi veniant; qua de re etiam quædam supra jam adtigimus. Quamquam enim in Justini primum & Justiniani Nummis adscripti occurrant anni imperii, idem tamen, quoad priores eorum Decessores, beneficium præstant, cum plures Græci variarum civitatum nummi, qui eosdem imperii annos signant; tum potissimum illi, quos innuebam, Consulatuum & Tribunitiæ Potestatis numeri continua serie descripti; quibus tanquam notis & characteribus temporum, non solum initia principatus ac durationem; sed Acta præterea, de quibus modo agebamus, eorundem Cæsarum, Bella; Victorias; Triumphos; Liberalitates; res quasvis illustres domi ac foris gestas, licet continuo ad annos suos, quibus ea contigerunt, revocare. Inde itaque demum liquido adsequimur, quando aut Congiaria dederint Caius, Nero, Trajanus, Hadrianus, aliique; aut Profectiones susceperint in Provincias idem Hadrianus, Marcus præterea, Severus, & qui ejusdem laudis consortes; aut Colonias deduxerint Augustus, Vespasianus, similesque Conditores; aut Opera illa publica, quæ paullo ante enumeravimus, erexerint vel instaurarint Claudius, Trajanus, Antonini, Gordianus; immo quando à Trajano transmissus Euphrates ac Tigris, ac novis Provinciis auctum imperium; quando ab eodem aut Parthis Rex datus, aut à Pio Quadis, aut à L. Vero Armeniis; quando Reliqua remiserit Hadrianus; aut denique quando vel de Dacis ac Scythis triumpharit Trajanus, vel de Carpis Philippus, vel

In Dissert. VII.

de Quadis Carus ac Numerianus; vel de hostibus ubique debellatis cum Herculio collega Jovius. Quoties enim hic aut refingendi numeri Eusebiani Chronici, ut feliciter nonnunquam factum horum subsidiorum opera ab illustri ejus emendatore; aut emendator ipse ex similibus monumentis corrigendus venit; aut locupletandus inde luculenta accessione ille Thesaurus temporum; & certa haud minus quam facili via novi ac plenioris Chronici, quam hactenus factum, materia simul & probatio desumenda? Neque vero solum id intra fines Romanæ Historiæ. Ad illustrandos enim aut supplendos aliarum Gentium Annales haud inutilis quoque eadem memoria; quæ aut plerosque & præcipuos quidem Alexandri per Asiam, Syriam, Ægyptum, Thraciam & Macedoniam Successores accurate suis cognominibus distinctos refert; aut tot aliarum quoque Gentium Heroas, Reges, ac plures etiam obscuros ferme vel aliunde ignotos continet, cujusmodi aliquot alia parte hujus operis enumeravimus, unde laterculi Regum aut Ponti & Bospori, aut Thracum, Oesroënorum, aut Parthorum etiam augeri possunt ac illustrari. Ac de Seleucidis quidem & Ptolemæis, præter ea quæ supra quoque adtigimus, fidem facient quæ in illustris Peireskii vita referuntur, quo nemo hac ætate majori studio aut feliciori fato in has antiquitates incubuit; *Ejus scilicet generis* (h. e. Græca numismata) *coëgerat jam supra mille, quæ forent penitus intacta rei nummariæ auctoribus, & cum haberet cusa tam ante quam post Rom. imperium in civitatibus quibusque Græciæ Asiæque præcipuis, ex quibus contexuerat* SERIEM SELEUCIDARUM *Principum ab Alexandro ad Romanos usque eam ob rem Sirmondus hanc seriem desideravit cognoscere, ut illius instar seriem principum Ægypti tenere posset.* Quale insuper

2. *Ad Seriem & Annos Regum Exterorum.*

Dissert. 1. & v.

ſuper monetæ hujus beneficium illuſtri exemplo docet Arrianus, qui ex Nummis adhuc ſua ætate apud Indos Bavygazæos exſtantibus, aliquot Succeſſorum Alexandri in eo tractu nomina ac notitiam colligit; & quem proinde locum operæ pretium erit adponere demerendis antiquariis valde, ſi quid judico opportunum: ἀφ' οὗ μέχρι νῦν ἐν Βαρυγάζοις ΠΑΛΑΙΑΙ κεχωρῆσι, ΔΡΑΧΜΑΙ χράμμασιν ἑλληνικοῖς ἐγκεχαραγμέναι, ὑπόσημα τὸ μὴ Ἀλέξανδρον βεβασιλευκότων Ἀπολλοδότου καὶ Μενάνδρου· *à quo ad hæc uſque tempora Barygazis* VETERES *occurrunt* DRACHMÆ, *litteris Græcis inſcriptæ, ſignantes qui poſt Alexandrum ibi regnarunt, Apollodotum & Menandrum.* In Peripl. Mar. Rubr.

Immo ne quidem nuda ſolum *Nomina*, ſed regni etiam *Annos* in iiſdem peregrinis Nummis aut Drachmis ſignari nonnunquam videas; de quibus altum apud Chronologos ſilentium, aut male ſubductus eorum calculus. Prioris fidem faciunt duo inſignes nummi, quos forte inter alios penus quondam Peireskianæ, jam apud illuſtrem Harlæum notabam; duorum nempe Cappadociæ Regum *Arivathis* & *Ariobarzanis* cum adſcriptis annis regni, de quibus vulgo ſilent antiqui & recentiores Chronologicorum aut Hiſtoriarum conditores: unus ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΙΑΡΑΘΟΥ ΕΥΣΕΒΟΥΣ ΑΛ. ſeu *Regis Ariarathis Euſebis* vel *Pii* XXXI; alter, cui cætera ſimilem alia occaſione ſupra tradidimus, ΒΑΣΙΛΕΟΣ ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ ΚΔ. *Regis Ariobarzanis Philoromæi* XXIV. Poſterioris autem inſigne & memorandum exemplum præbent *Agrippæ* junioris ultimi Judæorum Regis Nummi, qui hinc Veſpaſiani aut filiorum Titi ac Domitiani vultus præferunt, illinc in averſa aut Figuram ſtantem cum Cornucop. & ſpicis, aut Triremim, aut Victoriam cum annis regni ejuſdem *Agrippæ* ΕΤΟΥ ΚΘ

ΒΑ.

ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ *Anno* XXIX *Regis Agrippæ*; ΕΤΟ Κϛ
ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ *Anno* XXVI *Regis Agrippæ*; .ΤΟ ΙΘ
ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑC *Anno* XIX *Regis Agrippæ*; ΤΟ ΚΔ
ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ *Anno* XXIIII *Regis Agrippæ*, cujusmodi suppeditavit mihi Musæum Seguinianum jam Christianissimi Gallorum Regis, ac priorem quidem cum Vespasiani effigie, duos sequentes cum Titi, postremum cum Domitiani iconibus.

Ejusdem notæ etiam aliquot videas in Gaza Medicea cum Victoria & Titi effigie percussos, ac annos regni Agrippæ Κϛ & ΚΘ seu XXVI & XXIX. Ex iis autem & superioribus indubie colligas, eosdem tum superstite adhuc Vespasiano signatos, quomodo plures occurrunt Titi ac Domitiani adhuc Cæsarum nummi, ac unde ΚΑΙΣΑΡΟΣ etiam nomen in adlato Domitiani nummo adscriptum, non autem Augusti; tum quam gravis sit geminus quidem error Eusebii in Chronico, & qui illum compilarunt Græculorum Scaligerianæ collectionis, (quod vere etiam auguratus est ὁ πάνυ) qui ab anno Clau-

Claudii IV regni hujus Agrippæ initium, finem autem Regni & vitæ ab excidio Templi ac anno Vespasiani III arcessebant. Ex quo etiam sua fides Photio adscritur, qui è Justo Tiberiade auctore Agrippa συγχρόνῳ, refert hunc Regem ad annum III Trajani vitam produxisse. Accedit præterea ad notas & characteres temporum ex eadem memoria declarandos, cum ratio annos notandi varia in pluribus Græcorum, Asiaticorum, aliorumque Barbarorum nummis obvia; tum Æræ singulares, qualis olim nobilissima *Seleucidarum* seu *Dhilkarnain*, quæ ab Alexandri successoribus duodecimo post ejus mortem anno inducta, in Arabum postea & Christianorum veterum Annalibus celebris remansit. Ejusdem vero vestigia observo in præclaris & antiquis aliquot Nummis eorundem Seleucidarum, ut ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΤΥΡΙΩΝ Imp. h. e. obvio in aliis nummis more ρμζ nempe ἔτει ἑβδόμῳ πεντηκοστῷ ἑκατοστῷ, seu Anno CXLVII, qui incidit in tempora Antiochi Epiphanis, & Acta ejus contra Judæos, quorum mentio Machabæorum primo, seu biennium ante ejus mortem, quæ nempe anno CXLIX. in eodem libro statuitur. Ejusdem notæ quoque sequens nummus ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΤΥΡΙΩΝ ΣΗΡ, seu potius ΕΗΝΡ, ut legendum videtur, h. e. ἔτει ὀγδόῳ πεντηκοστῷ ἑκατοστῷ, qui annus CLVIII. incidit in tempora Demetrii Soteris & Acta apud Josephum, quæ in Originibus leguntur. Hæc autem eo lubentius monuimus, quod ex similibus Nummorum notis, quas vulgo secure prætereunt antiquarii, liceat demum colligere, non solum ad quæ tempora referri debeant iidem Nummi sed insuper ad quem vel Antiochum, vel Demetrium, vel Ptolemæum spectent, in multiplici illorum, qui eadem nomina & cognomina etiam

3. *Ad Æras Seleucidarum, Antiochensium, &c.*

In Cimel. Mediceo.

1 Mach. III. & IV.

VI. 6.

L. XIII. c. 1.

gestarunt, numero. Neque minus hic observandæ peculiares *Æræ* nobilissimarum Urbium, *Antiochiæ* puta, *Tyri*, *Sidonis*, *Ascalonis*, *Gazæ*, *Gadarorum*, *Aradi*, *Cyrrhi*, *Amisi*, ac plurium id genus, quarum accurata notatione eadem Temporum Doctrina non parum juvari potest ac illustrari. Agnovit id pro solita sua solertia magnus Scaliger, qui & inde aliquot urbium id genus Epochas in Canonibus suis Isagogicis firmat ac demonstrat, sed nonnunquam lubrico fundamento, seu descriptis ex aliorum fide depravatis nummorum numeris. Ut vero feliciori fato plures id genus Nummos tractare nobis licuit, ita inde etiam diversas Æras illarum Urbium, (quamquam etiam unius gentis) neque ab ab uno capite arcessendas facile licuit observare. *Æræ* quidem *Antiochenæ*, ut celebrioris ob Urbis nobilitatem, ita præter Eusebium in Chronico, haud infrequens apud Euagrium, ac inde apud Scaligerum, Petavium, aliosque majorum gentium Chronologos mentio, qua utitur nonnunquam idem Euagrius in notatione temporum, & quam, ut supra diximus, à concessa eidem Urbi Autonomia petitam docet. Ejusdem quoque exempla suppeditant Nummi, qualis Gazæ Palatinæ cum urbis symbolo, capite nempe turrito & inscr. ANTIOXEΩN, in aversa autem parte Ara accensa, ET. ΔIP, cui consentaneam Epocham videas in alio Nummo cum Neronis effigie, ac Cestii tum Syriæ Præsidis mentione, ΕΠΙ ΚΕΣΤΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΤ. ΔΙΡ. *sub Cestio Antiochensium Anno* CXIV. ΔΙΡ nempe in utroque pro ριδ seu ἔτει πεμπτῳ δεκάτῳ ἑκατοστῷ, qui putati ab anno ante Christum XLVIII, quo initium habuit hæc Æra, incidunt in annum Neronis X, vel juxta numeros Eusebianos XI, quo tempore Syriæ præerat, ut ex Josepho constat, hic Cestius. Unde etiam liquet recte

L. II. c. 12. & lib. XLII. c. 9.

in

in Chronico Eusebii ex versione Hieronymi, adsignatum caput hujus Epochæ; male autem in Fastis Siculis sexennio serius adscribi, quum triennio tantum post superiorem numerum supervixerit Nero. Alius quoque Nummus horum Antiochensium Gazæ Palatinæ, in quo similiter caput turritum, in aversa Aries cum dimidia Luna, consuetum in hac memoria Antiochensium insigne, & inscr. ΕΠ. ΚΟΥΑΔΡΑΤΟΥ ΕΤ. ΕΡ. *sub Quadrato Anno* CV. Huic similem videas in additis Patinianiis ad Fulvium, nisi quod pro numeris ΕΤ. ΕΡ. sicut clarissime præfert Nummus Palatinus, adscriptus sit numerus ΕΤ. Δ. *Anno* IV. qui si ita legatur in Nummo, referri debet non ad superiorem Antiochensium Epocham, sed ad annum Neronis IV. Priores vero illi numeri CV Æræ Antiochenæ incidunt in annum Neronis III. aut itidem IV. juxta Eusebianos numeros, Rectore tum Syriæ T. Vinidio (vel ut quidam refingunt, *T. Numidio*) Quadrato, de quo multa Tacitus. Immo alius quoque Nummus Gazæ Palatinæ, cum superioribus capitis turriti & Aræ symbolis, ac in utraque facie ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΤ. ΑΚΡ. *Antiochensium Anno* CXXI. qui proinde referendus ad annum Vespasiani IV. Quin ejusdem Epochæ neque paulo vetustioris mentio fieri videtur in duobus Nummis Mediceis, ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΓΜ, altero ΔΜ, qui tamen anni XLIII. aut XLIV, hoc est, IV. aut V. annis ante Christum, juxta caput hujus Æræ supra adscriptum, in Saturnini & Volumnii Syriæ Præsidum tempora, ut è Josepho liquet, inciderent, non autem Cretici Silani, qui sub extremis Augusti & initiis Tiberii eidem Provinciæ, ut è Tacito notum, præfuit. Neque vero iidem numeri de annis XLIII aut XLIV imperii Augusti explicandi, quibus nondum iste Silanus sed Quin-

tilius Varus Syriam regebat. Unde de iisdem litteris eundum ulterius in consilium. Ex iis autem ac superioribus Nummis liquido insuper colligas, quod alioquin è Josepho constat, ut in aliis Provinciis, sic in Syria Præsidum Romanorum nomine annos signari solitos. *Laodicensium Æram* uno anno Antiochena recentiorem statuunt cum Græca Eusebii Collectanea, Pag. 196. seu potius Georgius Syncellus, tum Chronicon Eusebianum Hieronymi in Probo. Neque tamen illius Epochæ occurrit mihi hactenus vestigium in Laodicensium Nummis, sed alterius vulgaris cum annis imperii Elagabali, ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ Δ, & in aliis Gordiani cum Coloniæ mentione, quæ deducta sub Severo fuerat, unde etiam illi *Septimiæ* & *Severæ* seu *Severianæ* cognomina in antiquis aliquot Nummis. *Ascalonitarum Æræ* mentio itidem in Probo Chronici Eusebiani, & in Pag. 193. Græcis Collectaneis adsignatum ejus initium Mario II & Fimbria Coss. vel juxta Scaligerum anno sequenti, Mario III & L. Aurelio Oreste Coss. seu annis ante Æram Christianam CI. Inde vero opportune explicabam nuper nummum horum Ascalonitarum, quem occurrentem forte in Cimeliarchio laudatissimi Principis Durlacensis, celebris antiquarius ad Titum, ego ad superiora tempora referebam, ob adscriptam in aversa parte Epocham ΑΣΚΑΛΩΝΙΤ. ΔΠ. qui numerus LXXXIV ducto initio à superiori capite hujus Æræ, incidit in annum Augusti XXVI. Neque vero aliud nomen quam ΣΕΒΑΣΤΟΣ legebatur in anteriori parte, si quid aliud fuit additum, eo vetustate exeso; neque etiam ignotum, quam parum quadrent signatæ in vetustis civitatum id genus Nummis effigies, ut huic vel illi Cæsari facile possint adaptari. Quod si, ut primo quoque augurabar, addatur littera Ρ quæ nempe in exesa

exesa nummi extremitate, ut sæpe accidit, intercidisset, tum ΔΠΡ seu ρπδ vel CLXXXIV non inciderent in annos Titi, sed Domitiani III, ac proinde tribus vel quatuor annis vetustius hujus Epochæ initium esset statuendum, quo Tito idem Nummus adseratur. Videant proinde antiquarii, aut qui Nummos id genus possident, quanto cum dispendio vetustatis & certæ notationis in iisdem explicandis, ejusmodi notæ vulgo parum observentur. *Gazæorum* in Ascalonis vicinia *Æram* aliquantum recentiorem ac uno anno Philadelphensi minorem statuunt eadem Græca Collectanea, nempe Julio Silano & L. Muræna Coss. seu annis ante Christianorum Æram LXI. quo tempore Syriam & Palæstinam subegit ac ordinavit Pompeius. Unde etiam caussam petitæ illius Æræ licet mihi ex Josepho eruere, qui de Pompeii Actis illius temporis ac in ea terrarum parte verba faciens, ΓΑΖΑΝ τε πρὸς τῇ θαλάσσῃ καὶ Ἰόππην καὶ Δῶρα καὶ Στράτωνος τὸ πύργον &c. πάσας ὁ Πομπήιος ἀφῆκεν ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ καὶ προσένειμε τῇ ἐπαρχίᾳ; *Maritimas vero* GAZAM, *Ioppen*, *Dora*, *Stratonis Turrim &c. has omnes Pompeius* LIBERAS *esse jussus Provinciæ contribuit.* Eadem replicantem videas in libris Ἀλώσεως. A parta itaque illa aut recuperata Libertate deduxerunt Æram suam in posterum *Gazæi*, sicut ab Antiochensibus, Tyriis, Laodicenis, Amisenis, aliisque subinde factum constat, relictis liberis vel ἀυτονόμοις, quemadmodum de quibusdam id genus verissime monuit magnus Scaliger. Illustrat autem id egregie Nummus Hadriani apud illustrem Sevium, ΓΑΖΑ ΜΑΡΝΑ ΔΠΡ. h. e. ρπδ *Gaza Marna* CLXXXIV. De *Marnæ* apud Gazæos cultu alibi diximus, & audiendus adhuc obiter Hieronymus, *Jam & Ægyptius Serapis Christianus factus est, &* MARNAS GAZÆ *luget inclusus*,

Pag. 195.

Antiq. lib. XIV.

Lib. 1. c. 3.

Ep. ad Læram.

In Vita Hilarii. *cluſus, & everſionem Templi pertimeſcit.* alibi, *ſed & Italicus ejuſdem oppidi municeps Chriſtianus, adverſum* GAZENZEM *Duumvirum*, MARNÆ *idolo deditum.* Ii autem anni Nummo adſcripti retro putati ad prædictum caput illius Epochæ, incidunt in annum Hadriani VII. quo cuſus ſcilicet hic Nummus. At rurſus, ne quid diſſimulem, turbare hic videtur alius Fauſtinæ Matris Nummus, quem deſcriptum vidi ab eruditis Urbis antiquariis, ΓΑΖΑ ΘΚC. qui numerus CCXXIX antiquiorem eandem Epocham ſtatueret; quum tamen in Chronico Siculo ſeptennio adhuc recentior tradatur ſuperiori numero, ex male ordinatis Conſularibus Faſtis. Videndum proinde, annon litteræ illæ ΘK̇C alio referri poſſent, quam ad Epochæ alicujus notationem, aut an revera ita ſignatæ ſint in eo Nummo, quem jam poſſidet inclyta Regina. Quin ad eandem ex Joſepho, Græco Chronici Auctore, ac Nummo Hadriani adſertam modo horum *Gazæorum Æram*, referre inſuper aliam licet de qua ſilent Græca illa aliaque Chronica, urbis nempe ejuſdem tractus *Gadarenſis*, ſeu τῶν Γαδάρων, quam ſignant itidem antiqui Nummi, ut in Elagabalo inclytæ Reginæ ΑΔΑΡΕΩΝ ΑΠC. ſeu *Gadarenſium* CCLXXXI. Legendum enim in eodem ΓΑΔΑΡΕΩΝ, priori littera Γ vetuſtate, ut paſſim accidit, exeſa, præter alia liquet mihi ex Nummo Gordiani apud illuſtriſſimum Colbertum, cum eodem Triremis ſymbolo & inſcriptione integra ΓΑΔΑΡΕΩΝ. Iidem autem numeri retro putati ab Elagabali anno II incidunt in eandem Gazæorum Æram. Sic alius in L. Vero Mediceus ΓΑΔΑΡΕΩΝ SKE, ſeu verius CKE, h.e. CCXXVII. qui ducto ab eodem capite initio, incidunt in annum V Veri. Et hæc jam notaveram, quum opportune iis lucem ac robur fœnerantem Joſephum reperio, eodem de

de illis Pompeii Actis in Syria ac Palæstina loco, κὴ ΓΑΔΑΡΑ ὡὼ μικρὸν ἔμπροσθεν κατασκαφέσαν ΑΝΕΚΤΙΣΕ Δημητρίῳ χαριζόμενον τῷ Γαδαρεῖ. GADARA *deinde paulo ante diruta* INSTAURAVIT *in gratiam liberti sui Gadarensis Demetrii.* Inde itaque ab illa nova instauratione petita pro more nova *Gadarensium* Epocha. *Amisenorum* etiam *Æræ* haud infrequens mentio in Nummis Cæsarianis, & quorum aliquot ab Occone descriptos citat in Canonibus Isagogicis ὁ πάνυ. Unum hic habes è nummis Caracallæ, quem vidi apud illustrem Sevium ΑΜΙCΟΥ ΕΛΕΥΘΕΡΑC ΕΤ. CΜΕ. *Amisi Liberæ Anno* CCXLV. A Libertate ergo illius Urbis, quod innuunt quoque alii Nummi, sumendum caput illius Epochæ, quam sub Augusto ei adsertam & quidem post victoriam Actiacam tradit Strabo; ac proinde à Lib. XII. qua ducto initio, referenda superioris Nummi Epocha ad annum Caracallæ V vel IV juxta numeros Eusebianos. Quamquam juxta alium nummum L. Ælii, quem ex Occone describit Scaliger, ΑΜΙCΟΥ ΕΛΕΥΘΕΡΑC ΕΤΟΥC ΡΞΘ. *Amisi Liberæ Anno* CLXIX, anni retro putati inciderent in annum ante Christum XXXII seu biennium ante vulgarem Æram victoriæ Actiacæ. Unde de vera Nummi illius scriptura eundum ulterius in consilium. Idem dicendum quoque de alio Nummo, quem adfert itidem in Canonibus Isagogicis ὁ Ϛωμάσιος, unde diversas Æras horum Amisenorum, & quidem sub Cæsaribus unius ætatis colligit; unam eandem cum Philadelphensibus, XXX nempe annis vetustiorem; alteram, de qua agimus, ab Augusti temporibus, sub quo scilicet posterior hæc fuerit instaurata. Nihil certe hic commune Philadelphensibus & Amisenis. Illa urbs Syriæ, hæc Ponti. Illius Æra in Græcis Eusebianis à Ciceronis Consulatu, ac proinde

proinde anno ante vulgarem Christi æram LXII. deducta, quo tempore scilicet Romanorum jugum subiit Syria, ac à Pompeio ordinata, Libertate vel Autonomia variis ejusdem urbibus concessa; hæc à tempore partæ aut recuperatæ sub Augusto Libertatis, ut ante vidimus, & evincunt plures ejusdem loci Nummi. *Tyriorum* similiter & *Sidoniorum* Epochas signatas itidem videas in antiquis eorum Nummis. Horum aliquot ab Occone descriptos adtulit quoque Scaliger, unde eandem *Sidoniorum* cum *Ascalonitis* Æram colligebat. Neque hactenus alios illorum nummos videre mihi contigit, qui ab iis diversi abeant. Priorum seu *Tyriorum Æræ* mentio cum in Chronico Eusebii ad secundum Probi annum, tum in Actis Concilii Calchedonensis, qui anno retro putati caput illius Epochæ referunt ad annum ante Christum CXXIII ac initium regni Antiochi Grypi; forte quod tum *Autonomi* facti sint Tyrii, ac eo proinde respexerit Strabo, quum dicit eos cum à Regibus (Syriæ nempe) tum à Romanis exiguo pretio Autonomiam redemisse, & quod firmat etiam Inscriptio Puteolana, in qua eadem Tyrus ΙΕΡΑ ΑΣΥΛΟΣ ΑΥΤΟΝΟΜΟΣ vocatur; non autem quod circa ea tempora Coloniæ & quidem Consularis dignitate ornata ab iisdem Romanis fuerit, ut Scaligero innuere videbantur verba prædicti Concilii, de quibus paullo infra. Hujus autem Epochæ memoria in Nummis quoque servata videri posset, cujusmodi Mediceus cum capite turrito & Palma in anteriori parte in aversa cum Triremi, & præter contractum in unam litteram eleganti compendio Tyri nomen, ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΕΞΣ; qui nummi CCLXV aut si quis mallet CCLX priori littera E pro ἔτει usurpata, inciderent in annum Antonini Pii vel I vel V. At longe vetustior idem

Lib. XVI.

Num-

Nummus, ut ex multis indiciis liquet cum artis tum scripturæ; ac proinde citra Romani Cæsaris effigiem aut nomen; adeo ut alia eaque antiquior Æra in eodem quærenda veniat, cujusmodi *Seleucidarum* paullo ante vidimus in vetustis Tyriorum nummis expressam. Ita ejusdem notæ cum superiori Tyriorum nummo, alius Gazæ Palatinæ cum Corona quernea & Clava Herculis nempe Tyrii, & numerorum notis ΙΣ. seu CCX. Sed hæc majus otium, aut accuratius ejusmodi Nummorum, quorum aliqui jam nobis non sunt ad manus, examen flagitant. Viam hic aliis pandimus, quo ignota è suis loculis proferant, ac de his studiis omnique litterarum genere bene merendi laborem non refugiant. Utinam vero & hic magni Emendatoris Temporum, ac veri litterarum Heroïs vestigiis insisterent, quamquam subinde ab iisdem recedamus, ac ibi quoque, ubi frequentes illas in Græcis Cæsarum Nummis notas L. A. L. B. & similes de annis imperantis tum Cæsaris sumendas præfracte negat, sed de Indictionibus aut Lustris civitatum, quæ eos signarunt, aliis ex fontibus petitis. Neque id evincunt ea quæ adfert exempla, sed ex male iisdem acceptis; ut in Tito L. ΙΑ. seu IX, qui tamen tantum duos annos regnavit; aut Marco L. ΑΔ seu XXXIV; vel Pio etiam L. ΕΙΚΟCΤΟΥ ΤΕΤΑΡΤΟΥ, quorum ille XIX. hic non totos annos XXIII imperavit. At omnino fugit hic ratio virum incomparabilem, quamquam *ἰδιωτικὴν* & jocularem opinionem contrariam paullo confidentius vocet. Anni enim illi, quos modo audivimus, sunt Tribunitiæ Potestatis, à qua vulgo solent Græci ejusmodi Æras in nummis constituere; & quot etiam vel Titum, vel Pium, vel Marcum gessisse constat ex longa Romanorum numismatum serie, & veterum etiam lapidum

4. *Ad Æras Imperii vel Decennales.*

Anim. ad Euseb. pag. 224.

fide. Inde vero, ut notum, longe plures in iisdem aliisque id genus Cæsaribus illi Tribunitiæ Potestatis quam Principatus numeri; quod superstitibus adhuc Decessoribus & natura vel adoptione Parentibus, eam dignitatem, ut initium futuri fastigii, capesserent. Et certe ne quid hic reconditum proferre me quispiam in his antiquitatibus minus versatus putet, vel ex descriptis pridem à Goltzio & Occone Nummis abunde id colligere poterat ὁ πάνυ, unde penum suam subinde locupletabat, si eos attentis oculis legisset, ΑΥΤ. ΤΙΤ. ΚΑΙC. ΟΥΕCΠ. CEB. ΑΡΧ. ΜΕΓ. ΤΕΙΜΗΓ. ΔΗ. ΕΞ. ΙΑ. in aliis ΔΗ. ΕΞ L. ΙΑ. seu *Imperator Titus Cæsar Vespasianus Augustus Pontifex Maximus Censor Tribunitiæ Potestatis* XI. aut *Trib. Pot. Anno* XI, & quæ sexcenta id genus alibi occurrunt. Ita nihil frequentius in Nummis variarum Urbium, quam ut non alias Æras adponerent, nisi aut imperii aut Tribunitiæ Potestatis annos, qui sæpe iidem numerabantur. Sic passim in nummis Cæsareæ Cappadociæ Metropolis ΚΑΙCΑΡ. ΕΤ. Β. aut ΕΤ. Γ. ut in Severo & Caracalla, aut ΕΤΟΥC Δ in Tranquillina, ΕΤ. Η. CÆSAREÆ in Claudio & similibus, quorum haud exigua supereſt copia. Quandoque etiam addita ipsa nomina ordinalia ΕΤΟΥC ΤΡΙΤΟΥ, ΕΤΟΥC ΤΕΤΑΡΤΟΥ, aut L. ΔΕΚΑΤΟΥ L. ΤΡΙC Κ. ΔΕΚΑΤΟΥ, ΕΤΟΥC ΠΕΝΤΕΚ. ΔΕΚΑΤΟΥ & similia. Sic in nummo Alexandri Severi ΠΕΡΙΟΔΟC ΔΕΚΑΤΗ, pro Anno x quo regnabat, aut Tribunitiam potestatem gerebat Mamææ filius. Περίοδος nempe ibi sumpta non de longiore orbe, quam de annuo solis circuitu, quomodo & frequenter κύκλος ac *cyclus* & *circulus* Græcis juxta ac Latinis auctoribus, unde *terdeni annorum cycli* in Hymno Hilarii, Hieronymo autem, *Ecce jam centenus ætatis*

In Cimel. Reg. Gall.

Ad Paul. Concor.

tatis circulus volvitur, de Paulo Concordiensi centesimum ætatis annum agente. Alioquin περίοδος pro Decaëteride in Nummo, quem notabam rursus in Gaza Principis Majorum imaginibus propriisque decoribus inclyti Durlacensis Marchionis, ΠΕΡΙΟΔ. ΔΕΚΑΤ. ET. seu *Periodus Decimi Anni*, hoc est, juxta Romanos Cæsarum id genus Nummos, PRIMI DECENNALES. Neque aliter Eusebius in Proœmio Vitæ Constantini, Ἄρτι μὲν τῷ μεγάλῳ βασιλεῖ πεντεϊκῶν ΔΕΚΑΔΩΝ δισσῶν τε καὶ τριττῶν ΠΕΡΙΟΔΟΥΣ ἐν ἑορτῶν εὐωχίαις πᾶν γένος ἀνθρώπων ἐπανηγύρισεν· *nuper quidem magni Imperatoris redeuntium* DECENNALIUM *Secundorum & Tertiorum* PERIODOS *universum genus hominum festivitatibus & conviviis celebravit*. Ita de similibus Quinquennalibus ac Decennalibus Themistius, καὶ ἀσμφεῖς οἱ κύκλοι καὶ ΠΕΡΙΟΔΟΙ τῶν πανηγύρεων, *ac libenter Circuli &* PERIODI *ejusmodi solemnium*. Orat. XVII. Notum utique nova quasi imperii auspicia inde petita; eaque non Conviviorum solum, sed omni præterea Ludorum, Indulgentiarum & Laudationum solemnitate peracta. Unde nova etiam quasi Imperatorum Epocha seu *Periodus Quinquennalis*, aut juxta superiores Nummos *Decennalis*, & sicut alibi rursus Eusebius agens de annis imperii Constantini, Χρόνων μὲν βασιλείας τρισὶ ΔΕΚΑΔΩΝ ΠΕΡΙΟΔΟΙΣ πλείαις, *ac tempus quidem imperii ipsius tribus* DECEM *annorum* PERIODIS *absolutis*. Lib. I. de vit. Const. c. 18. Quomodo itidem in magno opere Diocletiani & Collegarum annos imperii per Δεκαετηρίδας & Εἰκοσαετηρίδας seu *Decennalia* & *Vicennalia* computat. Imo hinc in Nummis notatæ variæ illæ Periodi, sicut non PRIMI solum sed & SECUNDI DECENNALES, aut juxta Nummum Pii non argenteum duntaxat, sed & æreum insignem, SECUNDI DECEM-ANNALES; in aliis Hist. Eccl. l. VIII. c. 13.

autem ejusdem Pii, Marci, Commodi, Severi, &c. VOTA DECENNALIA, eaque modo SUSCEPTA, modo SOLUTA; sicuti & Tricennalia etiam in nummis magni Constantini, VOTIS XXX seu quæ soluta, ut modo audivimus Eusebium, tribus Decadum Periodis absolutis. Quamquam quod obiter notandum, in quibusdem locis anticipatæ sint nonnunquam ejusmodi Epochæ; ut de Vicennalibus ejusdem Constantini uno anno Nicomediæ factis, antequam Romæ ederentur, observat in Chronico Eusebius. Cæterum

5. *Ad Æras Coloniarum.*

interdum computatæ Æræ ab *Anno* deductæ *Coloniæ*, cujusmodi continuo ante oculos ponunt Nummi Coloniæ *Viminensis* supra memoratæ, quæ in Gordiano, sub quo deducta describitur, COL. VIM. ANN. I. II. &c. in Philippo AN. VII. AN. VIII. in Decio autem & Q. Herennio AN. XI, & AN. XII. Quod certe sollicitum non debuit habere sagacem alioquin Antiquarium Tristanum, quo nempe similes annorum numeros occurrentes in nummis hujus Coloniæ referret; neque enim spectare ad annos imperii, ac proinde eo tandem confugit, ut de *Annonis* explicet. At nihil erat proclivius, quam eosdem illos Nummos explicare de Annis deductæ illius sub Gordiano Coloniæ, qui reperientur totidem exstitisse sub Philippo aut Decio, quot in iisdem Nummis numerantur, ac pro more aliarum Coloniarum inde annos suos computandi. Neque felicior Sebastianus Erizzo, qui in simili hujus Coloniæ Nummo, pro AN. II legebat ANTI, & de *Antio* Colonia explicabat. Neque vero huc trahendum *Tyri* exemplum, cujus Æram similiter à deducta Colonia computari in Actis paullo ante memoratis Concilii Calchedonensis, existimabat illustris Scaliger. Verba Synodi, prout in ejusdem Actis Græcis

Tom. II. p. 558.

cis & Latinis leguntur, & quæ Nummi mire illustrant, ac aliqua indigent notatione, πρὸ πέντε Καλανδῶν Μαρτίων ἐν ΚΟΛΩΝΙΑ ΤΥΡΩ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙ ΥΠΑΤΙΚΗ ἔτους πεντακοσιοστοῦ πεντηκοστοῦ μηνὸς Περιτίου δεκάτη, *sub die quinto Kal. Martiarum in* COLONIA TYRO CLARISSIMA METROPOLI CONSULARI *anno quingentesimo quarto mensis Perithii die decima.* Adscripta ibi nempe vulgaris Tyri Æra cum solemnibus loci titulis ac prærogativis. Ac primo *Colonia* & simul *Metropolis* eadem dicta, juxta consueta ejusdem in nummis Cæsarianis elogia, COLONIA TYRO METR. aut METROPOL. ac in nummo Otaciliæ apud illustrem Sevium, COL. TY. METR. ERACL. h. e. juxta alium Caracallæ nummum supra adlatum, SEPT. TYRUS METRO. COLONIA ACTIA ERACLIA. Quomodo obviæ ac frequentes in aliarum Urbium Nummis inscriptiones, puta æmulæ *Sidonis*, *Damasci*, *Carrarum*, *Thessalonicæ*, ac similium, COL. AUR. PIA METR. SID. *Colonia Aurea Pia Metropolis Sidon*; COL. DAMA. METRO. *Colonia Damascus Metropolis*; ΜΕΤΡΟΠΟΛ. ΚΟΛ. ΚΑΡΡΗΝΩΝ, *Metropolis Colonia Carrenorum*; ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΗ ΜΗΤΡ. ΚΟ. *Thessalonica Metropolis Colonia*, & in sexcentis id genus. Hoc est juxta Aristidem de Smyrna, ἐν Ἀποίκου χήματι καὶ Μητροπόλεως, *Coloniæ habitu & Metropoleos*, & pro more alibi indicato, quo in Metropoles deductæ vulgo à Romanis Coloniæ. Dicta vero *Colonia* eadem Tyrus à Severi temporibus, sub quo primum deductæ, sicut præter Ulpianum nobilem ejusdem loci civem, evincunt etiamnum Nummi cum *Septimiæ* cognomento, COLON. SEPTIM. TYRO, & quale itidem videas in Caracallæ nummo modo adlato. Unde liquet insuper alius Scaligeri error, qui ab

Tom. IX. Consil. Act. IX. p. 17. ed. Reg.

In Politico.

L. 1 D. de Censib.

Elagabalo deductam demum credidit, quod in ejus Nummis *Colonia* vocaretur; more scilicet jam ante & sub Severo quidem recepto. *Metropolis* vero eadem Phœnices à Trajani temporibus in gratiam Pauli Tyrii Rhetoris juxta Suidam. Quamquam & jam olim cum Sidone certasse legatur apud Strabonem, quænam esset Metropolis, & in vetustis ejusdem Nummis ante Cæsarum tempora percussis, eadem appellatione ornetur, ΤΥΡΟΥ ΙΕΡΑΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. Ut non frustra Μητέρα Φοινίκων eandem vocarit Meleager in Epigrammate inedito, de quo supra; aut sicut *Phœnices* vulgo, & quidem *primæ Metropolis* in Actis Conciliorum, sic *Metropolis Chanaan* alicubi Basilio vocetur. Unde notæ etiam cum aliunde, tum ex iisdem Synodalibus Actis, ejusdem *Tyri* cum *Beryto* contentiones, quibus factum, ut non solum Tyrus *Metropolis Phœnices primæ*, Berytus autem *Phœnices secundæ* dicerentur, sed etiam ut à Theodosii junioris temporibus, juxta Notitiam Imperii, Tyrus *Metropolis Maritima*, altera vero *Libani* diceretur, vel si audis Hieronymum, *Phœniciæ Maritimæ Metropolis Tyrus, Mediterraneæ Damascus*; ut non frustra quoque eidem Damasco *Metropoleos* nomen imputent adlati paullo ante Nummi; aut juxta eos Eugesippus à Cl. Allatio editus, *Damascus caput Syriæ tenenda Metropolis.* Λαμπροτάτη insuper, h. e. *Clarissima* juxta eadem Acta, seu *Splendidissima* potius, dicta eadem Tyrus, quomodo signanter apud Ulpianum, *ut est in Syria Phœnice* SPLENDIDISSIMA TYRIORUM COLONIA; & qua ratione, ut alioquin observo, *Splendidissimæ* vulgo dictæ nobiliores Romani orbis Coloniæ & Metropoles, ut in *Splendidissima Rhetiæ Provinciâ Colonia* apud Tacitum, & *Splendidissima Colonia Carthaginensium* in Gestis Cæciliani, unde & *Splendidissimus*

Lib. XVI.

Homil. in Psalm. XLIV.

Quæst. x. in Genes.

L. 1. D. de Censib.

De Germ. c. 41.

dissimus Ordo eorundem Carthaginensium apud Apuleium; & similiter *Alexandria & Laodicea Metropoles* In Florid.
Splendidissimæ in God. Justinianeo, sicut jam ante Flo- L. III. c. 17.
ro, *Municipia Italiæ Splendidissima*. Unde etiam lux nummo *Sidæ* Pamphyliæ Metropolis sub Licinio Gallieno percusso, CIΔHTΩN ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗC ΕΝΔΟΞΟΥ, *Sidetum Splendidissimæ, Illustris*. Τυπυπὴ vero seu *Consularis* nuncupata in prædictis Actis eadem *Tyrus*, non ut existimabat magnus Scaliger, quod à Consulibus libera adhuc Republ. deducta fuerit, & inde petita ibi more haud insueto loci Epocha. Ut mittam altum de ea deductione apud Auctores silentium, & aliam ex Strabone indicatam paullo ante originem illius Epochæ, neque conjuncta ibi *Coloniæ Consularis* adtributa, adeo ut postremum hoc ultimo loco positum ad *Coloniam* referri debeat; neque iis temporibus, ad quæ refertur caput illius Epochæ, h. e. CXXIII ante Christi Æram, in Romanorum sed Syriæ Regum fide Tyrus, quæ cum Phœnice reliqua à Pompeio primum Romani juris facta; neque *Coloniæ* nomine in antiquioribus Nummis, Inscriptionibus, aliisve monumentis ante Severi & sequentium Cæsarum tempora, consueto alioquin more, ornata; neque à Romanis ante Severum, ut modo vidimus, deducta, à quo additum illi urbi *Coloniæ* & quidem *Septimiæ* cognomentum. Enumerantur nempe in prædictis Actis more haud insueto variæ *Tyri* prærogativæ, *Coloniæ Splendidissimæ, Metropoleos, Consularis*, quomodo in Inscriptione Puteolana supra adlata Ἱερᾶς, Ἀσύλου, Αὐτονόμου, *Sacra, Inviolabilis, suis Legibus* vocatur eadem Tyrus. *Consularis* autem dicta, quod Scaligerum fugit, quod tum à Consulari regeretur, seu sedes esset Phœnices Consularis; sicut pari elogio Carthago sedes Proconsularis Africæ

Pro-

Proconsularis vulgo appellata, ut liquet cum ex S. Rufo, *ipse ubi Carthago est Proconsularis*, & signanter ex Cod. Justinianeo, *Et quæ Proconsularis antea appellabatur Carthago.* Quemadmodum nempe, ut vulgo notum, *Consulares*, *Proconsulares*, *Prætoriæ*, *Præsidiales* Provinciæ passim dictæ, quæ à Consularibus, Prætoriis Præsidibus regebantur, ita etiam lapsu temporis eorum Metropoles, in quibus iidem habebant domicilium, sicut in specie de *Consularibus* notatum videas in Constitutione quadam Zenonis ejusdem Codicis, *sed per id tempus Præsides quidem &* CONSULARES *nec non Correctores in* METROPOLI. Haud aliter nempe ac Roma & Constantinopolis dictæ passim in utroque Codice & apud auctores legibus ibidem latis coævos, Βασιλίδες, Βασιλεύουσαι, *Regiæ*, *Regnantes*, *Augustissimæ*, quod nempe sedes essent Regnantium seu Augustorum, & quomodo Gangra Paphlagoniæ Straboni jam olim dicta Deiotari *Regia* seu Βασίλειον, vel Horatio, *Cræsi regia Sardeis.* Immo inde nonnunquam etiam, non Provinciæ sed Metropoleos Præsides inscripti, sicut *Præses Antiochiæ* dictus in Novella quadam Justiniani, qui alioquin *Præses Syriæ primæ*, cujus Metropolis Antiochia. Phœnicem autem, cujus *Tyrus*, ut audivimus, *Metropolis*, à Consulari administratam, luculenter arguunt cum Inscriptiones antiquæ & Notitia Imperii, tum Codex Theodosianus, in quo accepta Tyro lex data *ad Consularem Phœnices*, quod ex aliis etiam legibus ejusdem Codicis Beryti propositis manifestum. Inde itaque Τυριακὴ, ut observo, seu *Consularis Tyrus* in superioribus Actis. Æra autem ibidem adscripta, ducta à tempore concessæ Αὐτονομίας, ut ante vidimus, neque mendum in numeris quærendum cum viris eruditis, quod à vulgari Christianorum Æra diversi sint, quos firmat cum omnium

L. 2. C. de Off. Præf. Prætor. Afr.

L. 1. C. ut omn. Jud.

Lib. XII.

Nov. VIII.

L. 52. C. Th. de Decurion.

mnium Codicum Græcorum & Latinorum, ut fatentur iidem docti Conciliorum editores, consensus; tum illustrat abunde, quod consulere iidem potuissent, Chronicon Eusebianum. Et de hoc Concilii loco hactenus. Denique nonnunquam etiam signatæ peculiares Epochæ, ut in Nummis Græcis Flaviorum, ab *Anno* scilicet *Novi Templi* conditi aut restaurati, ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ, aut ΕΤΟΥ Ν. ΙΕΡΟΥ ΔΕΥΤΕΡΟΥ, *Anno novi Templi secundo*, & ita sequentibus, quales vel apud Occonem in Vespasiano, Tito, Domitiano & Nerva quoque digestos videas. Jocularis vero error Erizzi, ac eorum, qui cum eo ludos hic faciunt, dum annos illos scilicet computant de ædificatione Templi Salomonis. De *Æde Capitolina* enim iidem explicandi, ut verissime certe conjecit horum studiorum decus Seguinus; quæ Vitellianis temporibus, ut paulo ante vidimus, incensa, mox primo anno Vespasiani restaurata fuit, ut ex Tacito scimus. Rem etiam extra dubium ponit *Iovis Capitolini* cum *Aquila* obvia in iisdem Nummis effigies. Unus tamen turbare hic videtur Eusebius, qui in Chronico ad annum Vespasiani IV hanc novam Capitolinæ Ædis restaurationem refert, à quo ad mortem Vespasiani VI anni supersunt. Unde anno ejusdem VIII aut IX cudi non potuissent similes nummi, sicut eorum inscriptiones notant. Sed illum triennii metachronismum ex Tacito merito jam ad Eusebium castigavit ὁ πάνυ, quod invicto etiam argumento adstruunt commemorati modo Nummi. Cedrenum vero more solito hallucinantem mittimus, qui ad annum Vespasiani V. eandem ædificationem refert. Neque vero mirum cuipiam videbitur, inde petitam & signatam hanc Æram, qui vel ex Taciti lectione meminit, quæ consternatio Romæ

6. *Ad peculiares Epochas.*

Hist. IV. 54.

non solum, sed in Provinciis subierit incensa hac Jovis sede, quæ pignus imperii habebatur; & proinde qua deleta finem imperii adesse, & possessionem rerum humanarum Transalpinis gentibus portendi audacter canebant Druidæ. Ut idem hic sit provincialibus usurpatum, studio in res Romanas & erga Jovem suum pietati contestandæ, quod Judæis, aut inde Eusebio aliisque, à prima Templi ædificatione, aut à Salomone ad instaurationem Templi, aut ab Excidio Templi solemnes Epochas arcessere.

Specimen Utilitatis in GEOGRAPHIA.

Sed hæc aliaque id genus flagitant alterius operæ argumentum, ubi diffusa simul & singularis Numismatum veterum præstantia ad ornandam GEOGRAPHIAM veterem, non perfunctorie vel παρέργως aut appendicis vice tradatur. Paratam enim hujus rei copiam nobis præbet, cum ampla Nummorum *Siciliæ*, *Græciæ*, *Epiri*, *Thessaliæ*, *Thraciæ*, *Macedoniæ*, *Asiæ*, *Africæ* seges, qui ante Cæsarum tempora percussi; tum infinitus quidam numerus *Coloniarum* vel urbium alioquin Europæ, Africæ, Asiæque, & quidem remotissimarum etiam Provinciarum, Armeniæ, Mesopotamiæ, Arabiæ, quæ in Cæsarum nummis traduntur, & quorum id genus locorum indicem ad DC ac ultra etiam privatos in usus confecimus, collectum nobis ex ineditis plerisque veterum Cæsarianorum Numismatum monumentis; qualia passim etiam in hoc opere citantur. Horum vero aliorumque ante Cæsariana tempora percussorum fide ac beneficio singulari, ea quæ vel ad ἐξηγητικὴν, vel πραγματικὴν eorundem locorum notationem spectant; seu ad eorum περιήγησιν & ἱστορίαν, circa quas versabantur veteres Geographi; h. e. cum *Historiam* ac *Origines*, tum *Situm* & *Nomenclaturam* eorundem locorum petere licet ac illustrare. Prioris ab-

unde

I. *Ad Origines, Historiam & Privilegia locorum.*

unde fidem faciunt, quæ subinde indicavimus, retenta in Civitatum id genus Nummis insignia, unde *Origines* suas indicarent: sicut *Pegasus* in Nummis Syracusanorum; *Palma* Carthaginensium, & in Creta Lapethi, Hierapytnæ; *Minotaurus* Gelæ, Tauromenitarum; *Noctua* Megaræ, Athenarum in eadem Sicilia; *Quadrangularis Area*, Dyrrachiensium; *Diana* Massilienſium; *Lupa cum gemellis*, Alexandriæ Troadis, Neapolis, Germæ, aliarumque Coloniarum, indicant continuo Matres earundem Urbium, aut Corinthum; aut Tyrum reliquamve Phœniciam; aut Cretam; aut Athenas; aut Corcyram; aut Phocæam; aut urbem denique Æternam. Adposita etiam interdum ipsa *Conditorum* nomina, ut in nummo ϹΥΝΝΑΔΕΩΝ ΔΩΡΩΝΙΩΝΩΝ, unde à *Dorienſibus* juxta ac *Ionibus* deducta hæc Phrygiæ *Synnada* recte ad Eusebium notavit doctissimus Valesius. Haud aliter nempe ac Elidem ab Ætolis conditam ex Inscriptoribus antiquis colligit alicubi Strabo. Sic hujus vel illius Heroïs Conditoris non effigies solum, sed additum subinde nomen opportune; ut in [a] *Nicæensium* Nummis, ΤΟΝ ΚΤΙϹΤΗΝ ΝΙΚΑΙΕΙϹ, aut etiam ΔΙΟΝΥϹΟΝ ΚΤΙϹΤΗΝ; [b] *Perinthiorum* cum Hercule, ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΤΟΝ ΚΤΙϹΤΗΝ; [c] *Tomorum* Ponti, ΤΟΜΟϹ ΚΤΙϹΤΗϹ; [d] *Pergami* ΠΕΡΓΑΜΟϹ ΚΤΙϹΤΗϹ; [e] *Apolloniatarum* ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΚΤΙΣΤ. *Nicopolis* ΣΕΒΑΣΤΟΥ, vel ΣΕΒΑΣΤΩ, aut juxta nummum Regiæ Gallorum Gazæ ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΚΤΙΣΤ. vel etiam ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ ΚΤΙΣΤΗΣ; [f] *Romæ* denique ROMULO CONDITORI: unde, si aliunde lateret, à *Bacho*, *Hercule*, *Tomo*, *Pergamo*, *Alexandro*, *Augusto*, *Romulo*, easdem urbes conditas liqueret, certe eosdem ab indigenis pro Conditoribus ac Diis proinde habitos.

Lib. x.

[a] In Cimel. Ill. Sev. & Seguin.
[b] In Cimel. Regin.
[c] Christ.
[d] In Cimel. Medic.
[e] In Imag. Ursin.
[f] In Cimel. Regin. & Seguin. In Cimel. Regin.

Etenim antiquissima hæc & prima quidem, ut mihi videtur, caussa Apotheoseos vel τῶν Ἡρωϊκῶν τιμῶν; unde passim, ut alios mittam, Diodorus divinos aut heroïcos honores huic vel illi tributos docet ὡς κτίστῃ seu ut Herodotus, [a] Strabo, alii, ὡς οἰκιστῇ; [b] Justinus, *Jasoni totus ferme Oriens* UT CONDITORI *divinos honores*, &c. & aperte de Constantino Aurelius Victor, *hinc* PRO CONDITORE *seu* DEO *habitus*. Haud aliter nempe ac primus olim ejusdem urbis Conditor *Byzas*, aut *Battus*, aut *Docimus*, aut *Hercules*, aut *Seleucus* Heros, depicti olim in vetustis Nummis *Byzantii*, *Cyrenarum*, *Docimi*, *Heracleæ Ponticæ*, & *Antiochiæ*, quarum Κτίστης scilicet seu Patres traduntur: & signanter proinde, ut solet, Poëta, tanquam de cœlesti supremi Numinis beneficio,

O Regina, novam cui condere Jupiter urbem.

Sed de his alibi, ubi de veterum Apotheosi. Adde jam solemnia urbium id genus *Sacra*; *Ludos*; *Conventus*; *Pacta*; *Primatus*, *Coloniæ*, *Libertatis*, *Inviolabilis*, *Autonomiæ* Jura & Privilegia, aliaque vulgo parum nota, aut inter eruditos etiamnum controversa. Neque pauca certe hujus generis hac ipsa dissertatione aut alibi etiam adtigimus, quæ vel fidem dictis abunde adstruant. Ita non *Epheso* solum aut *Smyrnæ*, non *Nicomediæ* vel *Niceæ*, unum vel perpetuum Asiæ aut Bithyniæ *Primatum* adscribendum, de quo notæ vel ex Dione ac Aristide earum urbium contentiones, satis arguunt Nummi, in quibus ΕΦΕΣΙΩΝ sæpenumero, modo ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ, modo etiam ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ, tanquam ΠΡΩΤΩΝ ΑΣΙΑΣ seu *Primorum Asiæ* signata memoria. Sic modo ΝΕΙΚΑΙΕΙΣ ΠΡΩΤΟΙ ΤΗΣ ΕΠΑΡΧΙΑΣ, *Niceenses Primi Provinciæ*, in Domitiani nummo Regiæ Gallorum Gazæ inscripti; modo ΜΗΤΡΟ-

ΠΟΛΙΣ

L. XII. & XX. Lib. V.

[a] Lib. XII.

[b] Lib. XLII. c. 3.

ΠΟΛΙΣ ΚΑΙ ΠΡΩΤΗ ΒΕΙΘΥΝΙΑΣ ΝΙΚΟΜ. *Metropolis & Prima Bithyniæ Nicomedia* signata in duobus ejusdem Domitiani nummis, quos possidet eadem Gaza, ac similiter in nummo Antonini Pii Mediceo ΝΕΙΚΟΜΗΔΕΙΑΣ ΜΗΤ. ΚΑΙ ΠΡΩΤ. *Nicomediæ Metropolis & Primæ.* Adeo ut non frustra, aut citra recepti jam moris exempla, commune illius urbis ΠΡΩΤΩΝ seu *Primatus* titulum, vel Aristides vel Dio suasisse videantur. Immo inde videas, non abs re in postremo nummo *Metropoleos* ac *Primæ* nomina, quamquam de eadem urbe distingui; ut *Prima sedes* ac *Metropolis* aliquando in Antiquitatibus Ecclesiasticis, sicut in quodam Canone Concilii Africani, *ut Matricula & Archivus Numidiæ & apud* PRIMAM SEDEM *sit & in* METROPOLI, *id est Constantina.* Alioquin inscripta eadem *Nicomediæ* in aliis Nummis ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ ΠΡΩΤΗ; sicuti etiam *Amasiæ* ΜΗΤ. ΠΡ. ΠΟΝ. aliquando ΜΗ. Π. Π. nempe *Metropolis Prima Ponti*, in præclaris nummis Severi, Caracallæ, & Alexandri, quos recondit rursus Cimeliarchium Regis maximi, aut illustris etiam Sevii; ac unde etiam liquet cur vel *Amasia Pontica* dicatur in Chronico Eusebii, aut in Novella Justiniani, PONTICA AMASIAM & *Neocæsaream duas habuit* METROPOLES, & *primam* quidem, ut hic videmus, Amasiam. Quamquam & aliam ejusdem tractus *Metropolim* signent etiam alii Nummi, quos versavimus itidem, haud vulgares, sub Commodo, Crispina, Pertinace, Geta aut Gordiano percussi, nempe ΤΟΜΕΩC ΜΗΤΡΟ. ΠΟΝΤΟΥ, & præ quibus *Tomei* hunc *primatum*, quod vix aliunde constare arbitrer, sibi jam olim vindicasse videtur *Amasia* juxta superiores Nummos. πρώτη equidem seu *Primæ* vulgo Græcis dictæ, quæ Romanis *Metropoles* seu gentis capita,

Can. LXXXVI.

Nov. XXVIII. c. 2.

In Cimel. Regin. Christ. & Medic.

De Ædif. l. v. c. 4. pita, ut observat Procopius agens de Cæsarea Cappadociæ, ἐξ ἧς δὴ καὶ εἰς ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ἀξίωμα ἦλθεν αὐτῷ γὰρ πολιν τὴν ΠΡΩΤΗΝ ξ ἔθνες καλέσι Ῥωμαῖοι· *ex quo* METROPOLEOS *dignitatem adsecuta est, ita enim primam gentis urbem vocant Romani.* Hinc etiam eidem Procopio altera *Cæsarea* Mauretaniæ secundæ Metropolis, dicta alibi Μαυρετανίας πρώτη, & Eunapio *Tyrus* Phœnices Metropolis, πρώτη Φοινίκων; & in Actis Apostolicis *Philippi* πρώτη partis Macedoniæ, acsimiliter in præclaro Lesbi nummo Musei Seguiniani jam Regii, ΠΡΩΤΗ ΛΕCΒΟΥ ΜΥΤΙΛΗΝΗ. Hinc Romanis etiam non *Metropoles* solum, ac sicut Procopio, πρώτη ξ ἔθνες, sic Modestino *Metropoles gentium* dictæ, sed cum *primæ* etiam, tum *principes* & *principatum tenere*, ut sæpe in Cod. Theodos. & Novellis, *dummodo civitas quæ eligitur totius provinciæ teneat principatum:* unde in Epistola Leonis I. de Arelate, *principatum tenere in sæculo* pro jure Metropolitico, aut quomodo Nicomediam vocat alicubi Eusebius τὴν Βιθυνῶν ἀρχουσαν. At nonnunquam, quod notandum, sejunctæ eædem prærogativæ, ut nempe *Metropolis* caput gentis, *Prima* autem denotaret primatum in ludis & certamnibus sacris, qui per vices transibat ad plures, & de quo vulgo inter se dissidebant nobiliores ejusdem gentis urbes, ut aliunde liquet ex Dione Chrysost. & Aristide. Quo sensu etiam titulum illum ΠΡΩΤΗΣ aut ΠΡΩΤΩΝ videmus promiscue sumi in superioribus nummis, ab Asiæ Proconsularis urbibus non *Epheso* solum, sed præterea *Smyrna*, *Pergamo*; ac eundem sibi vindicantes in Bithynia *Nicomedienses* & *Nicæenses*, ita tamen ut utrisque commune evaderet illud ΠΡΩΤΗΣ adtributum, quod notat etiam Dio Prusæus, *Metropoleos* autem nomen ea ætate adhuc penes unam *Nicomediam* remaneret: quæ proinde

Bell. Vandal. l. i. c. 4.

l. 6. D. de Excusat.

Nov. Theod. l. 10.

De vit. Const. l. iii. c. 50.

proinde ut diversas etiam prærogativas, ambos ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ & ΠΡΩΤΗΣ titulos sibi tribuit in adlatis paullo ante nummis Regiis & Mediceis. Unde jam lucem mutuari possunt, quæ à viris longe doctissimis operose disputantur de *Primatibus* & *Metropolibus* Africæ, ac de discrimine *Primæ Sedis* & *Metropoleos*, quale ab iisdem in controversiam vocatur; aut denique cur πρῶτοι dicantur passim Metropolitani Primates in Collectionibus Canonum. Sed hoc obiter. Quam insignis vero Nummus ejusdem Asiæ Proconsularis, ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΕΒΔΟΜΗ ΤΗΣ ΑCΙΑC, *Magnetum Septima Asiæ*; quem nummum Cimeliarchii ante Patiniani jam Regii luculenta declaratione alibi illustramus, quum ea non liceat ita paucis ac aliud quasi agendo, defungi. Qua occasione insuper ea, quæ ad *Primatum* ac ordinem ejusmodi locorum spectant, ventilantur; & cur in aliis Nummis vel SIDON ASIÆ METROPOLIS; vel *Sardis Asiæ*, *Lydiæ*, *ac Græciæ Prima Metropolis* dicatur in nummo inclytæ Reginæ, item Christianissimi Regis, nempe CΑΡΔΙC ΑCΙΑC, ΛΥΔΙΑC, ΕΛΛΑΔΟC, Α ΜΕΤΡΟΠΟΛΙC, quæ alioquin in Actis Synod. Constantinopolitanæ habitæ sub Flaviano vocatur *Metropolis Provinciæ Lydiæ*, Σαρδιανῶν Μητροπόλεως τῆς ἐπαρχίας Λυδῶν. Quot etiam aliæ urbes *Metropoles* iisdem nummis inscriptæ, quod aliunde nesciremus, & quale nomen seu ἀξίωμα, non unam jam aut alteram, ut aliunde scimus factum, sed plures etiam unius Provinciæ civitates sibi vindicasse iidem arguunt. Quanta vero lux inde aut Ulpiano, eo loco quem minus adsecuti sunt interpretes, sicut alibi docebitur, ubi primam inter Metropoles *Ephesum* ab Asiæ Proconsule adtingendam tradit, aut vero subscriptioni, quam videas in Actis sextæ Synodi OEcumenicæ, *Theodorus* *l.4.§.5.D. de off.Proc.* Act. XVIII.

mise-

misericordia Dei Episcopus EPHESI METROPOLEOS PRIMÆ ASIANÆ *Diocæseos definiens subscripsi.* Immo haud obscura fax inde ad percipiendam originem Jurium aut πρεσβείων Ecclesiarum priscæ communitatis Christianorum, qui non extra solum, sed & intra muros Iliacos, natas iis de rebus, easque acerrimas & exitiales tandem contentiones scimus. Jam locorum *Situm* quam luculenter eum indicant & quasi in conspectu ponunt id genus Nummi? Meministi procul dubio, quod de Homero observat Geographus, eum singulis propria sua loca adsignare, aliam urbem saxosam; aliam in extremo sitam; aliam Columbis abundantem; aliam Mari vicinam vocare. Id vero videas vulgo præstare hos Nummos, in quibus non *Fluvii* solum, aut *Maris*, aut *Montis* adpicta vulgi symbola; sed ipsa etiam adscripta nonnunquam nomina, quo plures nempe urbes ejusdem appellationis opportune dignoscerentur. Hujus generis in superioribus commemorata Ciliciæ vel Isauriæ *Seleucia ad Calycadnum* fluvium in tradito Philippi nummo, ac in aliis Elagabali & Treboniani Galli, CEΛEYKEΩN KAΛYK. vel ΣEΛEYKEΩN TΩN ΠPOC KAΛYKAΔNΩ; quo nempe distingueretur aut à *Seleucia ad Tigrim*, aut à *Seleucia ad Orontem*, de qua agitur lege unica de Classicis Codicis Theodosiani, & quæ alioquin *Selecucia Syriæ Pieriæ* seu ΣEΛEYKEΩN ΠIEPIAΣ inscribitur in variis nummis Trajani, Marci, Antonini Caracallæ. Sic ad *Mæandrum* fluvium *Tripolim*, *Antiochiam*, *Apameam* sitas tradunt alii Nummi, ut TPIΠOΛEITΩN MAIANΔP. apud Cl. Seguinum; ANTIOXEΩN MEANΔPOC in Trajano Decio Farnesii Principis; & ΑΠΑΜΕΙΑΣ ΠΡΟC MAIANΔPON in Tiberio Reginæ Christinæ. Plures nempe, ut notum, *Antiochiæ*, *Apameæ*,

3. *Ad Situm locorum.*

Strab. l. 1.

pameæ, *Tripoles*, quo modo apud Livium, *ad Antiochiam* L. XXXVIII. c. 13. *ſuper Mæandrum amnem*, aut apud Euſebium, ἐν Ἀπα- Hiſt Eccl. μείᾳ τῇ πρὸς Μαιάνδρῳ; aut ad earum exemplum *Magne-* l. v. c. 16. *ſia* in inſcriptione Epiſtolæ, quæ Ignatio tribuitur, Μαγνησίᾳ τῇ πρὸς Μαιάνδρῳ, apud Livium, *Magneſia quæ* L. XXXVII. c. 45. *ſuper Mæandrum eſt*, (ſicut Plinio ut jam vidimus, *Seleucia ſupra amnem Calycadnum*) immo inde Phlegonti juxta Stephanum dicta Μαιανδρόπολις. Quin Regio ipſa adjacens huic fluvio ab eodem denominata, ut *Mæandri Campus*, apud Arrianum; haud aliter ac *Hermi Campus*, Lib. v. περ. *Cayſtri Campus*, aut nota inter duos amnes Regio ſimi- ἀναβ. liter Polybio in Excerptis, τῷ καλῷ πεδίῳ καλουμένῳ μέσην Pag. 28. Εὐφράτης καὶ Τίγριδα. Alioquin præter *Mæandrum* aut *Calycadnum*, cum idem *Euphrates* ac *Iſter*, tum *Neſtus*, *Hypius*, *Rhyndacus*, *Marſyas*, *Sagaris*, *Glaucus*, Thraciæ, Bithyniæ, Mœſiæ, Phrygiæ, Achaiæ fluvii cum adjacentibus locis commemorati: ut ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΠΡΟC ΕΥΦΡΑΤΗΝ in nummo Severi apud Triſta- Tom. II. num; ΝΙΚΟΠΟΛΕΩC ΠΡΟC ΙCΤΡΟΝ aut ΠΡΟC P. 91. ΙCΤΡΩ in Macrino, Elagabalo, Gordiano, Cimeliarchii Inclytæ Reginæ, Medicei, & Lomeniani; rurſus ΟΥΛΠ. ΝΙΚΟΠΟΛΕΟC ΠΡΟC ΝΕCΤΟ, ad *Neſtum* fluvium ſcilicet à Trajano conditæ ac *Ulpiæ* ab eo denominatæ; ΠΡΟΥCΙΕΩΝ ΠΡΟC ΤΠΙΩ in L. Vero Gazæ Mediceæ, aut Maximo & Gallieno Regiæ Gallorum Gazæ; ſicut occurrit etiam in Latinis Actis primi Concilii Nicæni, *Heſychius Pruſenſis juxta Hypium fluvium*, non *Hippium*, ut ibi hodie legitur, errore etiam, quod alibi jam monuimus, apud varios auctores obvio. Sic ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ ΡΥΝΔΑΚΟC & ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ ΠΡΟC ΡΥΝΔΑΚΩ in Marco & L. Vero Auguſtæ Reginæ, apud Strabonem vero Ἀπολλωνία ἡ πρὸς Ῥυνδάκῳ; aut denique in nummo Apamen- Lib. XII.

sium alibi jam à te descripto, ΑΠΑΜΕΩΝ ΜΑΡΣΥΑΣ ΚΙΒΟΤΟΣ, quod ad fluminis Marsyæ ostia esset sita hæc *Apamea* eadem cum superiori ad Mæandrum, ac ab eo situ *Cibotus* etiam dicta, juxta Strabonem, Plinium aliosque. In Tabula Peutingeri similiter *Apamea Ciboton*. Sic ejusdem Phrygiæ, vel juxta alios, Lydiæ fluvius *Sagaris* in nummo Juliæ Piæ, quem post Goltzium & Ortelium Occo descripsit, ΝΙΚΕΩΝ ΣΑΓΑΡΙΣ. *Glauci* quoque Achaiæ juxta Pausaniam Fluvii nomen ac typus, & simul *Eumeniæ* Urbis ad eum sitæ mentio in antiquo nummo quem nuper in Sicilia tractabam, ΕΥΜΕΝΕΩΝ ΓΛΑΥΚΟΣ. *Xanthi* itidem memoria ac typus in nummo Lomeniani Musei, ΚΥΜΑΙΩΝ ΞΑΝΘΟΣ. Quum autem eo nomine fluvius alius in Troade, alius in Epiro, alius in Lycia à Geographis collocetur; haud facile liquere videtur, cur *Cumæis* tribuatur, quos notum vulgo vel in Æolide vel in Campania sedes habuisse. Quærendas proinde alias *Cumas*, quo nomine urbs etiam in Pamphylia à Stephano ponitur, Κύμη πόλις Αἰολίδος, &c. καὶ Παμφυλίας. Eidem vero Pamphyliæ finitima Lycia, in qua fluvius *Xanthi* nomine Straboni, Ptolemæo, aliisque commemoratus; & ad quem proinde sitas easdem Lyciæ aut Pamphyliæ *Cumas* ex insigni illo Nummo, neque aliunde quod sciam, discimus. Signatus vero idem *Xanthus* opportune ad discrimen *Cumarum* cum in Æolide tum in Italia; quarum urbium plures exstant nummi in Gaza inclytæ Reginæ & Medicea, cum sola inscr. ΚΥΜΑΙΩΝ, si unum excipias Mediceum in Nerone, qui *Cæsarienſium* epitheton præfert, ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΚΥΜΑΙΩΝ, more per ea tempora haud infrequenti. Neque prætereundus *Smyrnæorum Meles*, non jam in nummis Amastrianorum ad indicandos Homeri

ri natales, sed cum Urbe quam præterfluebat, in Sabinæ nummo ejusdem Musei Lomeniani, ΜΕΛΗC CΜΥΡ. De quo *Melete* audiendus Himerius apud Photium; cui describitur ortus in suburbiis Smyrnæis, productus à multis fontibus haud procul scaturientibus, statim flumen profluens, cypresso & arundinibus vernans, quod mari postea miscetur. Accedant eidem vicinam Pergamum partim intermeantes, partim præterfluentes juxta Plinium fluvii, *Selinus* & *Ceteius*; ac proinde uterque opportune expressus in insigni Pergamenorum nummo, cui discussis quas ei offuderat nobilis antiquarius tenebris, aliquam in superioribus lucem adtulimus, CΕΛΕΙΝΟC ΚΗΤΕΙΟC ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. Ita in Hispania tradita jam supra DERTOSA HIBERA; & similiter apud Ant. Augustinum HIBERA SENTIA; quod nempe ad fluvium *Hiberum* essent sitæ, à quo ipsi Hispaniæ antiquum *Hiberiæ* nomen, ut præter Polybium auctor est [a] Charax apud Constantinum & [b] Ammianus; immo si [c] Philostorgium audias *Hiberiæ* rursus sua ætate pro Hispaniis dictæ, HIBERO *fluvio qui per eas fluit, priorem appellationem vincente*, διὰ τὸν ῥέοντα ΙΒΗΡΟΥ παρὰ τὴν πρότερον ἐπικρατοῦντα ὀνομασίαν. Alioquin Ammiano præter hanc *Hiberiam*, *Adiabena* insuper, *Ægyptus*, *India*, *Syria Euphratensis*, & *Bætica* à fluviis itidem dictæ regiones commemorantur; ut nihil dicam de sexcentis urbibus, quæ fluviis itidem ὁμώνυμοι, & unde *fluviatilem Agrigentum* vocat alicubi Pindarus, παμφύλαν τ' Ακραγαντα. Hinc Juliano etiam designata Constantinopolis per urbem ad Bosporum, ἐπὶ τῷ Βοσπόρῳ πόλις; sicut apud Arrianum de Chalcide, ἡ ἐπὶ τῷ Εὐξείνῳ. Etenim loca ad *Mare* sita innuunt quoque id genus Nummi, non solum adpositis *Neptuni*, *Tritonum* aut *Nereïdum*, *Tridentis*, *Trire-*

[a] De Adm. Imp. l. III. c. 24.
[b] L. XXIII.
[c] Lib. IX. c. 17.

Bibl. Cod. CCXLIII.

Pag. 485.

Od. VI. Pyth.

Orat. I. p. 14.

Lib. II. περιβ.

mium, *Proræ*, *Acroſtolii*, *Delphinorum*, aliorumque maritimorum Piſcium ſymbolis, ſed aperta quoque mentione, ut ΠΡΟΥCΙΕΩΝ ΠΡΟC ΘΑΛΑCCAN, ad diſcrimen ſuperioris *Pruſiadis* ad fluvium *Hypium*; & præterea in Nummo, quem notavi in Regia Gaza Pariſienſi, ſub Conſtantino Magno percuſſum, BONONIA OCEAN. ſeu *Oceanenſis*, qui ſcilicet eandem ſecernit à Bononia Galliæ Togatæ, aut altera quæ ad Dravum fluvium apud Geographos. Ut vero *Fluvii* & *Mare*, ita *Montes* quoque eadem de cauſa nonnunquam adſcripti; puta *Argæus*, *Taurus*, *Libanus*, *Olympus*, *Rhodope*, *Sipylus*, *Paneas*. Prior mons Cappadociæ, ad quem Cæſarea ejus Metropolis, expreſſus in nummo inſigni L. Veri ejuſdem Regiæ Gazæ, ΑΡΓΑΙΩ. ЄΤ. Β. ſeu *Argæo Anno* II. qui alioquin, quamquam ſuppreſſo nomine, frequenter depingitur in nummis ejuſdem Cæſareæ *ſub* ARGÆI *montis pedibus ſitæ*, juxta Lib. xx. Ammianum, ac præter Plinium aut Geographos, apud Sozomenum ἡ πρὸς τῷ ΑΡΓΑΙΩ Καισάρεια: ſicut Lib. v. c. 4. alibi apud eundem locus *Macellum* dictus, ſimiliter πρὸς τῷ Ἀργαίῳ ὄρει, non ut ibi legitur Ἀργέῳ. Index nempe ſuperior Nummus eique ſimiles, illius cultus, quo hunc montem *Argæum* vulgo proſequebantur Cappadoces, cujus argumentum quoque ſuppeditabat Gemma illa antiqui operis, eundem montem referens, cujus fit mentio in vita incomparabilis Peireskii. Non Lib. v. c. 2. audiendus vero Triſtanus, qui ſimiles Nummos hujus *Cæſareæ* cum eo Monte & inſcr. ΜΗΤΡΟ. ΚΑΙCΑ. ЄΤ. Tom. II. ΗΗ. ad *Cæſaream Philippi* refert, & montem *Panium* de p. 223. quo mox. Haud enim aliam, quam nobiliſſimam illam Cappadociæ Metropolim ſignant plures id genus Nummi cum Monte, Metropoleos, & ſimilis Æræ mentione. Geminus eidem error neque Triſtani ſolum,

lum, sed qui erranti præivere Sozomeni & Cassiodori; qui à Claudio pro Mazaca *Cæsaream* eandem dictam tradidere, & quod in postrema & luculenta Sozomeni editione aliquam viri doctissimi notationem merebatur. A Tiberio enim impositum id nomen, regno Archelai in Provinciam verso diserte tradit in Chronico Eusebius. Caussa illius erroris ex communi utrique Cæsari *Tiberii* nomine profecta mihi videtur, ut sæpe alias factum, & quod alibi quoque monuimus. At idem Chronici illius interpres Hieronymus, duobus tamen locis Commentariorum, à Cæsare Augusto ita denominatam tradit, cui præivisse videtur S. Rufus, Constantinus vero Porphyrogenneta etiam à J. Cæsare. Quum tamen de hac Cappadociæ Metropoli scriberet ipse Cappadox Geographus, ut hoc recte observat Tristanus, hoc est sub initiis Tiberii, *Mazaca* tantum aut etiam Εὐσέβεια vocabatur. Neque etiam S. Rufus signanter ab Augusto Cæsare, sed *in honorem Augusti Cæsaris* ita dictam hanc *Cæsaream* refert; quod alias à Tiberio factum scimus, & Augusti exemplo, à quo plures urbes & Coloniæ nomine Decessoris *Juliæ* cognominatæ. Quamquam ne quid dissimulem, Hieronymo, aut si vis etiam Rufo, suffragari videantur nummi sub Augusto cusi, cum Monte & ΜΗΤΡΟΠ. ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ mentione, & cujusmodi apud Tristanum videas cum Aquila in summitate Montis, & inscr. ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ. Neque enim illos ad *Cæsaream Palæstinæ* referas, aut cum eodem Tristano ad *Cæsaream Paneada*, ob ea quæ mox indicabuntur. Neque etiam novum aut insolitum, ut urbs illa Regni caput, à Rege Archelao reverentia Augusti *Cæsarea* nuncuparetur. Adeo ut inter dissidentes Auctorum relationes, unum obstare videatur Strabonis silentium, quominus ad

Lib. v. c. 2.

In Esa. c. LXVI. In Ezech. c. XXVII.

Tom. II. p. 223.

Augusti tempora eadem nomenclatio referatur. Cæterum præter *Argæum*, alios Montes paulo ante enumeratos tradunt similiter Nummi, aut ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΕΠΙ ΤΑΥΡΟΥ apud Goltzium; aut ΗΛΙΟΠΟΛΙϹ ΠΡΟϹ ΛΙΒΑΝΟΝ in Caracalla inclytæ Reginæ, sicut apud Sozomenum legas πλὴν πρὸς τῷ Λιβάνῳ Ηλιόπολιν, seu verius juxta constantem nummorum scripturam, ΗΛΙΟΠΟΛΙΤΩΝ, quomodo & ΗΛΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ ΕΝ ΛΙΒΑΝΩ Musei Lomeniani; aut ΑΔΡΙΑΝΩΝ ΠΡΟϹ ΟΛΥΜΠΟΝ in Severo ejusdem Reginæ; aut in Antonino Pio juxta præclarum Nummum Philippopolitarum Thracum Musei Seguiniani, cui geminum quoque notasse memini in Gaza Barberina ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛ. ΡΟΔΟΠΗ, cum muliere scilicet illi Monti cognomini insidente; aut ΜΑΓΝΗΤΩΝ; aut ΜΑΓΝΗΤΩΝ ϹΙΠΥΛΟΥ vel ΑΠΟ ϹΙΠΥΛΟΥ in nummis Juliæ Mamææ, Otaciliæ, Gordiani, Gallieni, aliisque, ad discrimen nempe commemoratæ paullo ante *Magnesiæ ad Mæandrum*. Unde etiam adscritur scriptura apud Livium, quam antiqui aliquot codices præferunt, *Magnesia ab Sipulo*, & quam non continuo improbandam cum viris doctissimis Livii sospitatoribus, descriptus postremo loco Nummus luculenter arguit. Varie enim nonnunquam ista efferebantur, πρὸς Σίπυλον, πρὸς Σίπυλον, ὑπὸ Σιπύλῳ, ἀπὸ Σιπύλου; quorum priora habet Strabo in commemoratione hujus *Magnesiæ*, posterius cum aliquot Nummi, quales videas etiam apud [a] Tristanum, tum [b] Tacitus, *Magnetes à Sipulo*, [c] Livius vero frequenter *ad Sipylum*, & loco modo indicato *ab Sipylo*. Sic quod egregie insuper postremum firmat aut illustrat, *Seleucia à Tigri* [d] Luciano, Διογένης ὁ Σελευκεὺς ἀπὸ ΤΙΓΡΙΟΣ. Quamquam distinguunt nonnunquam accurati auctores situm *in monte*,

Lib. v. c. 10.

Lib. xxxvii. c. 44.

Lib. xii. & xiii.

[a] Tom. ii. p. 429.
[b] Annal. iv. 47.
[c] L. xxxvii. c. 11. 37. 44.
[d] In Macrob.

te, ad montem & sub monte. Unde ut intra hujus *Sipyli* ambitum maneamus, Smyrna antiqua ἐν τῷ Σιπύλῳ dicta [a] Aristidi; altera vero ὑπὸ τῷ Σιπύλῳ, sicut apud [b] Mennonem πρόσω ὑπὸ τὸ Ὄλυμπον; tertia autem uno pede disjuncta: ex quo etiam adsequimur, cur Plinius Smyrnam vocet *Sipylum Tantalidem.* Ita Cæsarea Philippi in præclaro Marci Aurelii nummo Mediceo, ΚΑΙ C. CEB. ΙΕΡ. ΚΑΙ ΑCΥ. ΤΠ. ΠΑΝΕΙΩ. *Cæsarea Augusta Sacra Et Inviolabilis Sub Paneo*; ad discrimen nempe superioris *Cæsareæ sub Argæo*, aut alterius vicinioris in Palæstina. Hinc autem liquet cur eadem juxta alios nummos dicta sit CÆSAREA PANIAS, vel *Paneas*; non ob cultum *Panis* simulacrum, sicut tradentem videas Philostorgium; neque à vicino fonte *Paneade* juxta Plinium, & cui vulgo viri docti ac inter eos vir summus ad Solinum suffragantur, sed à Monte ipso sub quo jacebat dicto *Panio* juxta [a] Josephum, & Πανεάς ὄρει dicto apud [b] Eusebium, secundum superioris Nummi scripturam, & quidem postquam hanc Cæsaream Philippi à Phœnicibus *Paneada* vocari indicasset. Ab illo Monte itaque *Paneo* vel *Panio* cum fontes Jordanis, qui ad ejus pedes, ut tradit idem Eusebius, tum Urbs ipsa *Paneadis* denominationem accepere. At insignis hic rursus Tristani hallucinatio; qui nummum Augusti paullo ante adlegatum cum Aquila in summitate Montis, & inscr. ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ de hac ipsa *Paneade* interpretatur, & ei hoc *Cæsareæ* nomen inditum statuit à magno Herode, quod tamen à filio Philippo Tetrarcha demum nacta, ut disertissimis verbis neque uno loco tradit Josephus, ΦΙΛΙΠΠΟΣ δὲ τὴν ΠΑΝΕΑΔΑ τὴν πρὸς ταῖς πηγαῖς τοῦ Ἰορδάνου καλουσιν ὀνομάζει ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΝ, PHILIPPUS *vero* PANEADA *sitam ad Jordanis fontes ædificiis instructam,* CÆSAREAM *vocat;*

[a] Monod. de Smyr. [b] Phot. Bibl. C. cccxxiv. Lib. v. c. 39.

L. vii. c. 2.

[a] Bell. Jud. l. i. c. 16. [b] Hist. Eccl. l. vii. c. 17.

Tom. ii. p. 223.

Antiq. lib. xviii. c. 3.

vocat; (ne ſolum ab eo additum *Philippi* nomen putes) & quidem ſub initiis Tiberii, ut innuit idem alio loco; aut vero juxta Euſebii Chronicum, anno Tiberii XII. In hunc errorem induxiſſe videtur nobilem antiquarium, id quod alibi idem Joſephus refert de Templo ſcilicet, quod Cæſari ad Panium extruxit Herodes; ut nihil dicam de Cæſarea Palæſtinæ, quam revera ab eo conditam ac eo nomine appellatam conſtat. Sicut vero altera illa Philippi *Cæſarea* ὑπὸ Πανείῳ *ſub Paneo* juxta ſuperiorem Nummum, ita Ὑπαιπα urbs Lydiæ vel ex Ovidii *parvis Hypæpis* nota, dicta auctore Stephano, quod ſita eſſet ſub monte Æpo, ὑπὸ τὸ Αἶπος, & cujus oppidi nummos ΥΠΑΙΠΗΝΩΝ cum in Julia Severi & Elagabalo Gazæ Mediceæ, tum Gordiano Muſei Lomeniani videre contigit. Cæterum ut *Fluvii*, *Mare* aut *Montes*, ita adſcripta nonnunquam ipſa *Regionum* nomina, in quibus Urbes erant ſitæ; ſicut ſupra *Seleucia Pieriæ*; in aliis CYPIAC ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ, Socrati Λαοδικείας τῆς ἐν Συρίᾳ, *Magnæ* nempe *Syriæ*, ſicut Galeno alicubi vocatur *Cœle Syria*; quæ & nonnunquam exprimitur, ut in Hadriano Muſei Lomeniani, ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ ΚΟΙΛΗC CYP. ad diſcrimen alterius Philadelphiæ in Aſia minori, Socrati Φιλαδελφείας τῆς ἐν Λυδίᾳ, ad quam ſcripſit Divus Joannes. Ita videas quoque Nummos aut *Syriæ Commagenæ*, ut in numiſmatibus *Samoſatenſium* & *Carrenorum* alibi jam deſcriptis; aut denique *Syriæ Palæſtinæ*, Ammiano *Syriarum ultimæ*, ut in nummo Pii apud Triſtanum, & in aliis vel Marci Succeſſoris, Fauſtinæ, aut Caracallæ ΦΑΝΕΑC ΠΟΛΕΟC CYPIAC ΠΑΛΑΙCTINHC· quam urbem male de *Cæſarea Paneade* explicat Triſtanus, quæ in nummis eorundem temporum *Cæſarea ſub Paneo*, ut modo vidimus, inſcribitur; neque auguſtam illam appella-

Bell. Jud. l. II. c. 8.

Antiq. l. xv. c. 13.

L. II. c. 39.

Lib. I. de Antid.

L. II. c. 40.

Lib. XIV.

In Cimel. Regio. Chriſt. & Medic. Tom. I. p. 594.

pellationem omisisset, aut vulgo magni præmii loco concessam, aut in pœnæ etiam locum ademptam; sicut postremum Cæsareæ Cappadociæ sub Juliano contigisse observat Sozomenus. Adde quod in Actis Conciliorum, non Φανέας sed Πανεάδ & *Paneadis* eadem constanter inscribitur, & quidem ἐπαρχίας πρώτης τῆς Φοινίκης, *Provinciæ primæ Phœnices*, non vero *Palæstinæ*, cui superiores nummi illam Φανέαν vulgo adjudicant. Regiones vero similiter indicant, ad discrimen urbium ὁμωνύμων, Nummi, sicut supra ΦΑΑΟΥΙ ΝΕΑΠΟΛΙ ΣΑΜΑΡΕΙΑΙ vel ΦΑΑΟΥΙΟΠΟΛΙΤΩΝ ΣΑΜΑΡΕΙΩΝ, ita aut ΗΡΑΚΛΕΙΑΣ (vel juxta nummum Regii Cimeliarchii, ΗΡΑΚΛΗΑΣ ΕΝ ΠΟΝΤΩ, ne confunderetur cum tot *Heracleis*, quales vel XXIII enumerat Stephanus, & quomodo similiter Ἡράκλεια ἐν Θρᾴκῃ passim apud Scriptores Ecclesiasticos vocatur altera illa Thraciæ, quæ olim Perinthus; aut ΜΕΤΡΟΠΟΛΙΤΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΙΩΝΙΑ apud Erizzum & Tristanum, ut constaret ad quam *Metropolim* spectarent, cujus nominis decem oppida enumerat idem Stephanus; aut ΕΤΜΕΝΕΩΝ ΑΧΑΙΩΝ in Philippo illustris Sevii, ad discrimen aliarum ejusdem nominis in Phrygia aut Caria, de quibus Geographi; aut ΙΕΡΟΚΑΙCΑΡΕΩΝ ΚΟΜΑΝΩΝ in Severi nummo Seguiniano, unde alia forte *Hierocæsarea* investiganda, quam illa Lydiæ, cujus apud Tacitum & Pausaniam mentio, nisi, quod verius puto, duarum urbium communionem notet (cujusmodi exempla supra vidimus) *Hierocæsareæ* & *Comanæ* in Phrygia, utriusque in minori Asia; aut ΠΑΜΦΥΛΙΩΝ CΙΔΗΤΩΝ in Gallieno Regiæ Gallorum Gazæ, quum alias etiam *Sidas*, præter eam quæ erat in Pamphylia, referant Auctores; unde similiter apud Galenum, ἐν τῇ Σίδῃ τῆς Παμφυλίας.

Lib. v. c. 4. Act. III. Conc. Calch.

L. I. de Antid. p. 434.

Quot Oppida jam aut loca in his Nummis signantur aliunde parum nota, & quæ quod de ΠΟΛΑΙΓΙΩΝ Insula testatur ad Melam vir dubium ingenio an eruditione major If. Vossius, habitata nesciremus, nisi docuissent Nummi? Τημῶλός Ὄρων unus forte ex antiquis Auctoribus, ac ut ignobilis oppidi qui obiter meminerit, occurrit Pausanias. At nobile quondam & frequentatum idem Lydiæ oppidum luculenter arguunt Nummi aliquot insignes & magnitudine præcipui, aut Valeriani, aut Gallieni, cum *Sacri Senatus* mentione seu ΙΕΡΑ ϹΥΝΚΛΗΤΟϹ, ac inscr. ΤΗΜΕΝΟΘΥΡΕΤϹΙΝ; quales in Gaza Christianissimi Regis, & præterea apud Cl. Seguinum, tum alibi quoque notavimus. Quis *Asiba* Ponti recordatur, exceptis forte Ptolemæo aut Stephano, & nummis Gordiani ΑϹΙΒΑΙΩΝ? Quis *Gaba* in Palæstina præter sacros Scriptores aut Josephum, ac Nummum insuper Regiæ Gallorum Gazæ ΓΑΒΗΝΩΝ? Quis Phœniciæ aut ΣΑΜΦΑΙΩΝ, præter eundem Josephum ac Stephanum; aut ΒΑΣΗΡΕΩΝ, præter eundem Εθνικὸν ἀδέσποτον, ac Nummos præterea utriusque oppidi à Goltzio in Tito descriptos? Quis autem Arabiæ *Attam*, (de Græcis & Latinis loquor) aut Thraciæ *Thernam*; aut Hispaniæ *Biatiam* commemorat, præter unum forte aut Ptolemæum, aut Stephanum, ac Nummos eorundem locorum ΑΤΤΑΕΙΤΩΝ in Trajano inclytæ Reginæ ac Mediceo, & ΘΕΡΝΑΙΩΝ ac ΒΙΑΤΕΩΝ, juxta Nummos olim Peireskianos jam apud illustrem Harlæum? Immo ex antiquis Geographis vel Auctoribus qui supersunt quos, equidem viderim, quis meminit ΖΕΙΝΙΩΝ, ΛΟΓΓΟϹΤΑΛΗΤΩΝ, ΚΕΡΑΙΛΟΥ, ΣΙΤΑΛΙΑΙΩΝ, quæ notavi in nummis ejusdem Musei? nisi postremi forte intelligendi veniant de *Satalis* Armeniæ minoris oppido, cujus mentio apud antiquos

3. *Ad Notitiam locorum Obscurorum aut Ignotorum.*

tiquos auctores, & cujus nomen proinde è superiori nummo emendari debeat. Similem quoque urbem in Macedonia ponit Socrates, Ελπήδιον Σατύλων τῆς Μακεδονίας, quo loco *Armeniæ* vocem novissime reponit doctissimus interpres, quod in Macedonia nulla hujus nominis civitas memorata inveniatur: quæ ratio, ut ingenue fatear, dubito an contra omnium Codicum consensum prævalere debeat, adde & crebra vel ex hac Nummorum penu exempla dissimulatorum locorum in antiquis, quæ edacitatem & injurias temporum effugere, monumentis. Ita ubi ΑΔΙΚΗΝΕΩΝ mentio, nisi in Nummo Commodi Mediceo; aut ΦΑΝΕΑC Palæstinæ, præterquam in Nummis supra indicatis; aut ΑΚΡΑCΙΩΤΩΝ, excepto Severi nummo non Tristani solum sed insuper Musei Lomeniani; nisi quis ad Νάπραστον urbem Lydiæ apud Ptolemæum ex eodem nummo refingendam confugiat; aut ΚΟΡΘΩΣΙΕΩΝ, ut ad alia properem, vel ΧΥΑΙΝΑΙΩΝ, præterquam in Nummis à Goltzio descriptis; nisi quod in priori ΟΡΤΩΣΙΕΩΝ legendum omnino videatur juxta Numos Hadriani & Pii alibi indicatos, & quorum fide similiter emendanda Acta Concilii Calchedonensis, in quibus cujusdam ὀρθωσιέων Episcopi mentionem fieri videas. Neque hic vero ex eodem Goltzio inferendus nummus ΓΕΣΑΙΝΗΣΙΩΝ, unde tum Occoni, ut sæpe factum, tum Ortelio imposuit, qui fide scilicet hujus nummi, *Gesæneses*, qui nulli sunt, fingit. Nummi enim illius vera epigraphe ΡΗCΑΙΝΗCΙΩΝ, cujus generis adtulit Tristanus, & qualis etiam vidi in illustribus Cimeliarchiis inclytæ Reginæ, Mediceo, & Lomeniano. Neque vero dissimilem ejusmodi Ortelii, Tristani, ac aliorum errorem alibi notavimus, in comminiscenda *Dessa* quadam Æthiopica pro *Edessa*

L. II. c. 42.

In Gaza Regin. Christ. & Medice.

Mesopotamiæ in Nummis, aut altera Macedoniæ apud Aristidem. Adde jam præter *Historiam*, *Situm*, aut *Notitiam* ejusmodi locorum, veram quoque eorum *Orthographiam*; depravata vulgo apud Auctores, vel sexcenta Urbium ac Gentilium nomina, quibus non aliunde certior lux aut emendatio, quam ex incorrupta prisci æris scriptura accedit. Nullibi certe grassatam licentius librariorum imperitiam, quam in describendis Geographorum scriptis, aut tradendis Chorographicis, quæ alibi occurrunt, nominibus; nullibi exstare etiamnum frequentiores labes, fatentur & queruntur passim eruditi. Neque vero facile licet mendas illas eluere; aut inter varias vel interpolatas crebro, quas suppeditant antiqui libri, lectiones, genuinam ac sinceram continuo arripere. Haud enim levibus difficultatibus tota hæc res jacet implicita; dum non una jam olim, sed multiplex invaluit idem nomen proferendi ratio, quod vel è pluribus Stephani locis liquet; vel Latini in tradendis nominibus id genus sæpe à Græcis deflectunt; vel qui supersunt Geographi, Romano more Græca, aut Romana vel peregrina Græco sono efferunt; vel pro varietate Dialectorum, temporum, diversimode prolata, aut plane vero immutata Urbium ac locorum nomina; vel denique dum aut hic deficiunt Scriptores antiqui; aut discrepant à Græco textu Interpretes, quod Ptolemæo contigit; aut mutili ac fœde corrupti iidem Auctores ad nos pervenere. Adeo ut vix aliud hodie, nullum utique certius refugium sit relictum, quam in veteribus Nummis, domesticis & incorruptis testibus; nequidquam certe in restituenda aut illustranda Geographia antiqua laborent, ut à plerisque hactenus factum, qui ad has publicas tabulas, ad hæc solemnia & authentica gentis testimo-

4. *Ad Orthographiam locorum.*

ſtimonia non continuo provocant. Unde utique opportune in ſanando ac reſtituendo Stephano de Urbibus, aut verius ejus Epitomatore Hermolao, nuper in Urbe litteratæ Germaniæ decus Lucam Holſtenium, diligentem adhibuiſſe Nummorum veterum tractationem, & undique hæc ſubſidia ad hanc rem advocaſſe, nec ipſe ignoras, & publice etiam aliquando, quamquam nondum conſummati, ut audio, operis lectione conſtabit. Neque pauca ſunt certe aut levia, quæ primi in hoc genere notavimus; dum non eadem ſolum nobis quæ hic Holſtenio patuit, ſed & forte adhuc uberiori ac frequens etiam alibi contigit hujus penus Nummariæ contemplatio. Mitto inde adſertam ſubinde in hoc opere, aut obiter traditam veram & conſtantem ſcripturam in vocibus ΜΥΤΙΑΗΝΑΙΩΝ; ΚΑΛΧΑΔΟΝΙΩΝ; ΙΕΡΑΠΥΤΝΙΩΝ; ΛΑΠΠΑΙΩΝ; ΑΔΡΙΑΝΟΘΗΡΙΤΩΝ; ΤΕΡΜΗΣΣΕΩΝ; ΠΑΥΤΑΛΙΑΣ; ΣΕΡΔΙΚΗΣ; ΛΑΠΗΘΙΩΝ, unde etiam præter Polybium ſupra emendatum, corrigenda Acta Synodi Calchedonenſis, ubi Λαπίθε Epiſcopus legitur Didymus pro Λαπήθε. Sic ΕΔΕΣΣΗΣ, non Εδέσης, ut ſæpe apud auctores ac apud Socratem noviſſimæ etiam editionis, ἐν Μεσοποτεμίᾳ Εδέσης, & ſimiliter apud Philoſtorgium alioſque; ΣΙΔΗΤΩΝ Pamphyliæ, unde emendandi Σιδήτης apud Arrianum; STOBENSIUM, pro quibus *Stovenſes* apud Paulum J C. aut Στοίβων corrupte apud Stephanum, in Actis vero Conciliorum, ut Nicæni & Calchedonenſis recte *Stoborum* & Στόβων, non ut aliquando Στοβέων *Stobeorum* pro Στόβων & *Stoborum*, vel Στοβέων h. e. *Stobenſium* de Gentili juxta Nummos: ULIÆ Romanæ in Hiſpania Coloniæ, quam male apud Hirtium, Melam, Ptolemæum, Dionem, in Οὐλλίαν, Οὐΐαν, aut

Act. 1. Lib. II. c. 9. L. III. c. 22. Act. II. p. 402. & Reg.

Ullam mutarunt viri etiam in his litteris principes: ΚΡΙΤΙΑΣ *Flaviopolis* in Bithynia, quæ Geographis hactenus ignota sub voce Κρηπίας apud Ptolemæum latebat: ac Fluviorum denique ΤΠΙΟΥ, ΚΑΛΥΚΑΔΝΟΥ, ΣΑΓΑΡΙΣ, HIBERI, qui variè non semel in veterum libris traduntur. Ita (ut rem illam adhuc obiter illustremus) Πάτμου Ægæi Maris Insulam & unius Joannis Theologi exilio ac divinatione nobilem, in Πάθμου mutandam, cum apud divinum Exulem, tum Strabonem, Eusebium, Epiphanium; ac similiter apud Plinium *Pathmon*, juxta veteres libros, non *Patmon* legendum, arguit rarissimus Severi nummus, in quo miles cum spiculo & inscr. ΕΝ ΠΑΘΜΩ, qui nuper fuit Cimeliarchii Patiniani jam Regii. Πέλινna Stephano Urbs Thessaliæ in Phthiotide, Græcis Pindari interpretibus Πελιννεῶν, neque aliter Straboni. At Πέλινα vel Πελιναῖον, apud Stephanum, Strabonem, aliosque legendum arguit non solum *Pelinus* loci conditor eidem Stephano commemoratus, sed & antiqui Nummi cum Gentili, quod præteriit Stephanus, ΠΕΛΙΝΑΙΕΩΝ. *Odessus* Milesiorum Colonia in Ponto, Ὀδησσὸς Diodoro, Straboni, Arriano, Ammiano *Odissos* & *Odyssus*. Nummum illius visum à Tristano in penu Ducis Aurelianensis cum inscr. ΟΔΗCΙΩΤΩΝ refert vir doctissimus ad Ammianum. At vero lectio illius Nummi ac similium ΟΔΗCCΕΙΤΩΝ; qualis occurrit cum in Caracalla Musei Lomeniani, tum in Gordiano Gazæ Mediceæ, & de qua urbe Ovidius,

Inde Mesembriacos portus & ODESSON, & arces.

Ἐλεύθερας meminit Dio in rebus Cretensium & Πολυρρηνίων Strabo, pro quibus Nummi inclytæ Reginæ, ΕΛΕΥΘΕΡΝΑΙΩΝ & ΠΟΛΥΡΗΝΙΩΝ; unde auctores illi emendandi, ac juxta eos, quoad postremum nomen,

Apoc. 1. 9.
L. IV. c. 12.
Ad Od. x. Pyth.
Lib. 1. Trist. El. 9.
Lib. 11.
Lib. x.

men, Polybius, & sub Scylacis nomine vulgatus Periplus. ΑΔΡΑΜΝΩΝ præfert Nummus Lucillæ Musei Lomeniani jam Regii, pro qua voce Ἄδραμα corrupte apud Stephanum de urbe Syriæ Cavæ. Ἄδραμνα itaque ibi legendum, & quidem numero plurium, ut arguit superior nummus, sicut alia ejusdem aut vicini tractus loca, Ἱεροσόλυμα, Γάβαλα, Γάδαρα, Σίνγαρα, Σαμόσατα, Δῶρα Josepho, Βόστρα Zonaræ, aut in Ionia Σιώναδα. Ita etiam legendum postremum hoc nomen non Σιώαδα recte doctissimus Valesius è nummo Caracallæ à Tristano vulgato ΣΥΝΝΑΔΕΩΝ observat, & firmat alius Domitiani nummus Musei Lomeniani, & in Tabula Peutingeri *Synnada Arsamote* oppidum Armeniæ Euphrati proximum juxta [a] Plinium, [b] Tacito ac Ptolemæo, ut hodie præferunt eorum libri, *Arsamosata*. At transpositas vel superfluas in hac voce litteras docet insignis nummus Mediceus M. Aurelii inscriptus, ΑΡΜΟCΑΙΤΤΗΝΩΝ; cui suffragantur Polybii Excerpta Constantiniana, ubi Xerxis Reguli ejusdem *Armosatæ* mentio, ac eadem describitur Mesopotamiæ adjacens Ἀρμόσατα ἠπειπὴ πρὸς τῷ καλῷ πεδίῳ, &c. nisi quod pro Ἀρμόσατα, fide præclari hujus nummi Ἀρμόσατηα legendum ibi videatur. Neque vero infrequens Plinio aliisque ejusmodi transpositiones *Arsamotes* pro *Armosates*; quomodo inter Cypri urbes apud eundem *Cinyria*, quæ Ptolemæo Κεραύνια, & Scylaci vel qui nomen ejus circumfert Κερωύεια; quam & veram loci illius appellationem adserit ibi vir doctissimus. Sic *Cabyle* Eusebio in Chronico, ac Ptolemæo præterea, Eutropio, Ammiano; quæ Καλυβη Straboni & Stephano; & Ἀνάβαρζα Zonaræ, quæ aliis Ἀνάζαρβα aut rectius Ἀνάζαρβος, in nummis etiam Regiis & Mediceis ΑΝΑΖΑΡΒΟΥ, Ciliciæ nempe secundæ Metro-

[a] L. VI. c. 9.
[b] Annal. XV. 10.
Lib. IV.
Pag. 28.

Metropolis. Sic in Tabula Peutingeri *Diocenopolis* pro *Dionysopolis*, ut vel è Nummis liquet, ΔΙΟΝΥCΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, de quibus supra. Ac talium magna seges. Ita *Sagalassus* Pisidiæ non solum juxta probatos & Antiquos auctores, sed & fide nummorum CAΓAΛAΣCΕΩΝ, cujus generis haud unum in Alexandro Severo & Claudio Gothico videre licuit; unde transpositas in eadem voce litteras Σαλαγάσσος apud Arrianum emendandas liquet, sicut alioquin apud Lucianum Σαγαλασσέως pro Σαγαλασσεῶς reponendum. Quam varia autem & corrupta vulgo nomenclatio Urbis in Gallia Narbonensi hodieque haud incelebris, quæ Βιλτέρα vel Βλιτέρα, Βαιτέρα, Βαιτέρρα, *Bliteræ*, aut *Bilterræ*, ac *Buterræ*, denique apud Strabonem, Ptolemæum, Stephanum, Plinium, ac Sulpitium Severum legitur? At quam melior scriptura veterum librorum, quam inde ad Melam reduxit vir doctissimus, *Bæterra*, vel ut ad Sulpitium legebat Sigonius, *Biterræ*; ut liquet mihi invicto argumento præclari nummi, quem vidi apud illustrem Harlæum, in cujus anteriori parte caput muliebre, in aversa Leo cum inscr. BHTHPPATΩN, ac unde apud Stephanum aliosque Βητήρρα tandem legendum constat. Eidem Stephano vocatur urbs quædam Ερμιόνη, pro qua Ερμιώνη levi errore restituendum monent nummi ΕΡΜΙΩΝΕΩΝ in Severo ac Julia Conjuge, quales etiam descripsere diligentes antiquarii, & notasse quoque memini in Museo Patiniano. At contra recte Stephano Νακόλια Phrygiæ, quemadmodum & Zozomeno Νακόλειαν τῆ Φρυγίας, male apud Philostorgium cum ω Νακώλεια; & similiter in Actis Synodi Calchedon. Νακωλείας, sicut liquet ex nummo Trajani Mediceo ΝΑΚΟΛΕΩΝ; ad quam nempe *Nacoliam* profligatum à Valente Procopium docet Ammianus.

In Cimel. Reg. Gall. Regin. Christ. & Medic.

Lib. 1. περ. ἀναβ.

Quom. conscr. Hist.

Lib. xi. c. 8.

Lib. xxvi.

nus. Ejusdem Phrygiæ nummus in Caracalla ΜΙΔΑΕΩΝ, qualem videas in Gaza Medicea & Museo Lomeniano; unde emendandum Gentile hujus loci apud Stephanum Μιδαιδς pro Μιδαδς, & quam urbem vocat idem Grammaticus Μιδάειον, unde formatum nempe illud Gentile, sicut à Κοπάειον ejusdem Phrygiæ Κοπαδς, ac proinde in Nummis ΚΟΤΙΑΕΩΝ; apud Philostorgium autem minus recte, ut videtur, Μίδαιον πλιν φρυγίας, aut in Actis Synodi Calched. Μιδαίᾳ. In Tabula Peutingeri dicta eadem *Mideum*, & corrupte apud Ammianum *Mygdum*, ut ad eum observat doctissimus Valesius. Sic rursus urbs in Phrygia Pacatiana, cujus hactenus in solis Christianorum scriptis mentio, eidem [a] Philostorgio, qui aliquoties ejus meminit sub nomine Χαιρεπάπων & Χαιρεπόπων, vel juxta [b] Socratem & Acta Concilii Ephesini Χαιρεπάπων vel Χαιρεπάπᾳ. At corruptum hoc nomen in postrema etiam Socratis editione, quam viro doctissimo debemus, pro ΚΕΡΕΤΑΠΩΝ, docet invictum argumentum nummi Antonini Pii in Gaza inclytæ Reginæ, cum Bellonæ figura, & Gentili pro more expresso, ΚΕΡΕΤΑΠΕΩΝ; ad quam proinde scripturam propius accedunt ii Codices, in quibus idem nomen Κερεπάπων scribebatur. ΜΥΛΑΣΕΩΝ Cariæ Urbis nummum in Augusto recondit eadem Gaza, inscriptum ΣΕΒΑΣΤΩ ΜΥΛΑΣΕΩΝ; unde liquet recte Stephano per unum σ scriptum Μύλασι, & Gentile ejus revera Μυλασδς, quod dubitanter adferebat; emendandos autem præter Strabonem ac Ptolemæum, cum Arrianum, apud quem Μύλασα scribitur, tum Polybium in Excerptis Valesianis, Μυλασεῖς κὴ Ἀλαβανδεῖς, pro Μυλασεῖς. Sic præter Stephanum, aut antiquiores Geographos, quoties alibi etiam occurrit

[a] L. VII. c. 6. & VIII. c. 2. IX. c. 18.
[b] L. II. c. 40.
Lib. IV. c. 3.
Lib. XXVI.
Lib. I. περ. ἀναβ. Pag. 89.

Λαρίσσης seu *Larissæ* in Thessalia nomen? quum tamen ΛΑΡΙΣΑΙΩΝ per unum σ constanter præferant antiqui Nummi apud Goltzium, Palatini item, Medicei, aliique. At contra non *Cosura*, ut hodie apud Melam, sed COSSURA cum gemino *Sigma* legenda, juxta nummos illius Insulæ apud Parutam. ΑΙΟΣΕΡΙΤΩΝ oppidi Ioniæ circa Ephesum meminit nummus Getæ in Regia Gallorum Gaza; unde minus recte apud Stephanum è Phlegonte Διοσιερίτων, aut apud Plinium *Dioshieritæ*. Ita *Delmatæ*, non ut vulgo *Dalmatæ*, juxta Nummum supra traditum METAL. DELM. & cui continuo suffragatur vetus lapis, in quo DELMATIA; & in Sicilia *Henna*, non *Enna*, fide non solum antiquorum Codicum, sed Nummorum potissimum, qui eam adstruunt, MUN. HENNÆ; ut jam ad Claudianum monuit primum hodie Musarum Latinarum decus, & magnum patris an patriæ incrementum, Nicolaus Heinsius. Neque vero *Orthographiam* solum seu veram ac genuinam Urbium nomenclaturam, sed *Formationem* quoque τῶν ἐθνικῶν inde deductorum, copiose suppeditat eadem penus, quæ ut plurimum iis inscripta legitur. Norunt autem in Geographia veteri haud plane hospites, quam æstuet hic frequenter ὁ ἐθνικογράφος; quam diversa subinde tradat, & quædam ex ingenio formet (ut vere certe ad Melam observat vir undecunque doctissimus) & modo nullum in ea formatione canonem agnoscat, modo solemne suum *Analogiæ* ac *typi* discrimen obtrudat. Si haberemus vel ipsa Stephani, quæ operi præmiserat, ut ipse alicubi refert, περὶ τῶν ἐθνικῶν παρατεχνολογήματα, aut alia veterum ea de re τεχνικά, hæc res hodie minus forte haberet difficultatis. Etenim ut illam, quæ inter Nummos veteres ac eundem Stephanum frequenter occurrit,

Lib. v. c. 29.

5. *Ad Formationem Gentilium.*

rit, diversitatem obiter videas, Nummi ΓΥΘΑΙΩΝ, Steph. ΓΥΘΕΑΤΩΝ; Nummi [a] ΓΑΔΑΡΕΩΝ, Steph. ΓΑΔΑΡΗΝΩΝ; Nummi [b] ΑΚΜΟΝΕΩΝ, Steph. ΑΚΜΟΝΙΕΩΝ & ΑΚΜΟΝΙΩΝ; Nummi [c] ΑΡΙCΒΕΩΝ, Steph. ΑΡΙCΒΑΙΕΩΝ; Nummi [d] ΓΟΡΔΗΝΩΝ, Steph. ΓΟΡΔΙΕΩΝ; Nummi [e] ΦΑΛΕΙΩΝ, Steph. ΦΑΛΙΣΚΩΝ; Nummi [f] ΑΔΔΕΩΝ, Steph. ΑΔΔΑΙΩΝ; Nummi passim ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ & ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ, Steph. ΝΕΑΠΟΛΙΤΩΝ, ΣΥΡΑΚΟΤΣΙΩΝ; Nummi [g] ΦΟΙΝΙΚΟΝΤΩΝ, Steph. ΦΟΙΝΙΚΟΥΝΤΙΩΝ; Nummi [h] ΑΒΔΗΡΕΙΤΕΩΝ vel ΑΒΔΗΡΙΤΕΩΝ, Steph. ΑΒΔΗΡΙΤΩΝ, & quæ plura id genus, ac paullo ante nummi ΜΙΔΑΕΩΝ, Steph. ΜΙΔΑΙΕΩΝ. Quum vero frequens, ut jam ante innuebam, occurrat hic in Nummis varietas in tradendis nempe, seu *locis*, seu eorum *Gentilibus*, unde novæ continuo suboriuntur difficultates, proinde hos sequentes Canones, cum ad *Ortographiam* tum ad *Gentilium* rationem ex iisdem Nummis petendam opportunos tyronibus trademus, quo rem hanc habeant magis explicatam; nec ad eosdem cum viris etiam doctissimis scopulos in posterum adlidant. Primus, multas litteras, quod jam alibi diximus, ob soni vicinitatem, aut ex veteri consuetudine, vel loci dialecto promiscue usurpatas; unde duplex nonnunquam scriptura in Nummis eorundem locorum cernitur. Sic Ι & ΕΙ, ut ΤΟΠΙΡΟΥ & ΤΟΠΕΙΡΟΥ; ΑΔΡΙΑΝΟΘΗΡΙΤΩΝ & ΑΔΡΙΑΝΟΘΗΡΕΙΤΩΝ, ΝΕΙΚΟΜΗΔΕΩΝ & ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ac sexcenta talia; aut Ζ & Σ, ut supra ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ & ΖΜΥΡΝΑΙΩΝ; ΑΜΑΣΙΑΣ, & juxta Nummos ab illustri Busbequio indicatos ac repertos in loco, ΑΜΑΖΕΙΑΣ; ΑΙΖΑΝΙΤΩΝ & ΑΙΣΑΝΙΤΩΝ, quorum prius in Claudii nummo, posterius

[a] Regin. Christ. & Illust. Colb.
[b] Regin.
[c] Christ. Lomeni. & Seg.
[d] Regin.
[e] Regin. Christ.
[f] Regin. Chr. & Pat.
[g] Goltz. &c. Harl. Ligor. MS.
[h] Regin. Christ.

Sex Canones circa Nomina Urbium & Gentilium in Nummis. Primus Canon.

In Cimel. Regin. Christ. & Medic.

rius in Agrippina & Caio legitur: aut ΕΘΗ ΑΘΕΝΑΙΩΝ & ΑΘΗΝΑΙΩΝ; ΜΕΤΡΟΠΟΛΙΣ & ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ; aut ΙΤ ΒΙΖΥΗΝΩΝ & ΒΥΖΥΗΝΩΝ, de quo loco mox; aut ΟΩ ΟΡΘΟΣΙΕΩΝ & ΟΡΘΩΣΙΕΩΝ, sicut in aliis vocibus ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ & ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ ΝΕΟΚΟΡΩΝ & ΝΕΩΚΟΡΩΝ ac similibus; aut denique Ο & Α, pro dialectorum ratione, ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ & ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ; ΑΣΚΑΛΩΝΙΤΑΝ & frequenter in Siculis urbibus, Dorici utpote sermonis, ΘΕΡΜΙΤΑΝ, ΠΑΝΟΡΜΙΤΑΝ, ΤΑΥΡΟΜΕΝΙΤΑΝ, ΤΙΝΔΑΡΙΤΑΝ. In quibus proinde nulla statuenda est inter Nummos ac Auctores, Stephanum puta aliosque varietas; ut à quibusdam interdum fieri video, neque hi ex illis emendandi veniunt. Secundus Canon, Διπλογραφία plurimarum urbium, aliis ex fontibus profecta, juxta quam eadem loca varie jam olim efferri consuevere, ut sæpe monet Stephanus, ac pridem Strabo notaverat, & docet ille imprimis exemplo urbis Ἀδραμύττιον, cujus quatuor aut quinque diversas scribendi rationes tradit. Sic Νάσιβις, Νέσιβις, & Νίσιβις in veterum monumentis, ac postrema vulgo frequentius tradita. Cujus diversitatis rationem, ut alias jam mittam, petere licet ex Arriano, ubi docet exemplo oppidi Ἄψαρα priscis dicti Ἄψυρτα, ab adjacentibus barbaris corrupta sæpe locorum nomina, ἔπειτα διεφθαρμένα τὸ ὄνομα ὑπὸ τῶν περοίκων βαρβάρων καθάπερ καὶ ἄλλα πολλὰ διέφθαρται. In hac autem varietate Auctorum ea scriptura continuo præferenda, quæ domestica Nummorum auctoritate nititur, ut ΑΔΡΑΜΥΤΗΝΩΝ in nummo Caracallæ Mediceo, & ΝΕCIBI in traditis supra Nummis; & quam postremam proinde haud immerito, quamquam alia de caussa præferebat doctissimus

Secundus Canon.

Periol. Pont. Eux.

ctissimus Bochartus; quod nempe ad traditam illius vocis à Stephano originem propius accederet. Neque aliter certe Orientales ut Syri, Recutitorum Magistri ac Benjaminus in Itinerario נסיבין *Nesibin*; & similiter Arabes نصيبين ut sæpe Abul Pharagius. At nonnunquam servata in ipsis Nummis similis varietas, cujus illustre exemplum præbet eadem urbs Thraciæ paullo ante commemorata, quæ in Hadriani Nummis Regiis ac Mediceis ΒΙΖΥΗΝΩΝ, in aliis autem Philippi Nummis ΒΙΣΣΗΝΩΝ & ΒΥΖΥΗΝΩΝ inscribitur: unde nata illa auctorum diversitas, quibus vel *Byzia*, ut Solino, aliis *Bisa*, Stephano Βιζύη & Βιζυηνὸς, in Actis vero Conciliorum Βύζης & *Byziæ* traditur. Sic BRETTANIA, BRITTANICUS, & BRITANNIA occurrunt in antiquis Romanorum Nummis; priores in Commodo & Caracalla inclytæ Reginæ, posterior in Pio aliisque: quæ scripturæ in hoc nomine diversitas inde nata haud immerito videtur, quod longinqua esset neque adhuc satis nota Romanis Insula, quamquam eorum armis pridem penetrata. Tertius Canon, Urbium nomina sæpe olim dandi casu vel auferendi ac ut indeclinabilia prolata, cujus rei exempla suppeditant Codices antiqui, sicut observavit quoque vir summus ad Historiam Augustam in voce *Lepti* pro *Leptis*, & apud Frontonem *Durocortoro*; ac liquet insuper ex Cosmographis & Itinerariis vetustis ac Tabula Peutingerorum; ut non debuerint proinde Surita aliique Viri docti, eadem nomina casibus id genus subinde prolata temere & ad lubitum refingere. Ejus vero rei clarissima etiam exempla suppeditant descriptæ jam ante ex antiquis Nummis Urbes & Coloniæ, NECIBI, NEAΠOΛI, GERMENO, SERFYRO, TYRO; nec quærendum in iisdem ullum litterarum defec-

Tertius Canon.

Quartus Canon.

ctum. Quartus Canon, non unum sed plura quoque Gentilia ejusdem loci occurrere in iisdem Nummorum monumentis, sicut in Nummis Augusti, Commodi, Severi, ΕΔΕΣΣΑΙΩΝ; in aliis Alexandri Severi, Mediceis aut Gordiani in Regia Gallorum Gaza & apud Cl. Seguinum ΕΔΕΣΣΗΝΩΝ; ac rursus in Antonini Caracallæ nummo Mediceo, ac in Philippo Musei Seguiniani, ΕΔΕΣΣΕΩΝ. Solet quidem Stephanus distinguere inter Gentilia formata pro *typo loci*, quæ vocat κῆ τύπον, modo κῆ τὸ ἐπιχώριον, aut τῷ συνήθει χάρακτι, & κῆ συνήθειαν; alia vero ex *Analogia*, aut κῆ τέχνῃ; ac proinde de hac *Edessa* in specie notat, apud indigenas quidem Εδεσσηνὸς, apud veteres plerosque Εδεσσαίους dictos. At non constare semper hunc ejus Canonem, arguunt hujus ipsius *Edessæ* Nummi modo adlegati cum utroque Gentili, ac uno etiam, quod præteriit ὁ ΕΘΝΙΚΟΓΡΑΦΟΣ, ab ipsis indigenis promiscue percussi. Neque male tamen quod Εδεσσαίων antiquiorem appellationem statuat, quam vulgo præferunt etiam vetustiores illius urbis Nummi. *Philadelphiæ* cum illius quæ in Lydia, tum Syriæ urbis Gentile eidem Stephano Φιλαδελφεὺς; ex Analogia scilicet, loci autem seu τὸ ἐπιχώριον, ut idem è Josepho tradit, Φιλαδελφηνός. At primum illud vere ac proprie τὸ ἐπιχώριον exstitisse luculenter arguunt Nummi, neque unius ætatis, neque aliter inscripti (quos hactenus quidem viderim) quam ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ, qualis aut Hadriani paullo ante adlatus, aut præterea L. Veri Mediceus cum capite turrito, consueto in Syriæ urbium nummis symbolo, ac inscr. ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ; & alius insuper ejusdem Gazæ alibi quoque descriptus cum *Flaviæ* cognomento. Ad Lydiæ vero Philadelphiam referendi præclari nummi itidem inscripti ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ ΕΡΜΙΠΠΟΣ ΑΡΧΙΕ-

ΧΙΕΡΕΥC apud illust. Harlæum, aut in Antonino, quem descriptum hic vidi ab eruditis antiquariis, ΦΙ-ΛΑΔΕΛΦΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΕΠΙ Μ. ΑΥΡ. CITO-ΝΟC ΑΡΧ. Ut mirum proinde videri posset ex illorum Nummorum consensu, aut Syriacæ Gentile tradi apud Josephum φιλαδηλφηνὸς, ut vere observat Stephanus, aut alterius quæ in Lydia, Tacito ac Plinio *Philadelphenos* itidem dici, non *Philadelphenses*. An quod corrupti ibi Josephi codices, & quidem jam Stephani ætate, prout vetustissimis mendis eos abundare, vel ex Ruffino Interprete colligas; an potius quod promiscuus esset ejusmodi Gentilium usus, aut (quod Tacitum ac Plinium respicit) in iisdem Latine efferendis à Græco subinde recesserint Romani; unde *Alexandrini*, *Antiocheni*, *Apameni*, similiter iis dicti, qui *Alexandrenses*, *Antiochenses*, & *Apamenses*, dici tantum debuissent. Sic *Sami*, Ionicæ satis notæ Gentilia, eidem Stephano Σαμαῖος, Σάμιος, & Σαμιανός. At Nummi, quales occurrunt magno numero cum Cæsarianorum temporum, tum iis vetustiores, constanter ΣΑΜΙΩΝ inscripti, ac unus apud Goltzium, quod eodem redit, ΣΑΜΕΙΩΝ. Nisi statuamus hos omnes spectare ad illam Ionicam Icarii maris Insulam; ad alteram autem *Samum* Cephallenicam Gentile Σαμαῖος nempe ex Σάμη formatum, ut innuit etiam Strabo; ac proinde non Stephano, sed abbreviatori ejus Hermolao, confusæ & truncatæ notationis culpam adscribendam. Samæos certe eosdem vocat Livius, *Inserpsit pax Cephallenia adsulserat; quum repente una civitas, incertum quam ob caussam, Samæi defeiverunt.* A Phrygiæ oppido Δοκίμειον dicto, Gentile eidem Stephano ex Analogia quidem Δοκιμεὺς, at ex consuetudine Δοκιμηνὸς, quod discrimen abunde videtur refellere nummus Neronis Medi-

Bell. Jud. l. xx. c. 1.

Lib. x.

L. xxxviii. c. 28.

Mediceus cum Dea Phrygia & inscr. ΔΟΚΙΜΕΩΝ. Ei-
Lib. xxxvi. dem Stephano à Κάρραι seu *Carris* Mesopotamiæ Gentile cum Καρραῖος tum Καρρηνός. Prius etiam apud Dionem legas, Καρραῖοι Μακεδόνων ἄποικοι; at posterius in Nummis ΚΑΡΡΗΝΩΝ, ut istud τὸ ὄπιχώριον nefas sit dubitare. Alioquin cum utroque Gentili, quod à *Nicæa* deductum refert Stephanus, signati etiam Nummi, nempe ΝΙΚΑΕΩΝ, quamquam rarius, frequentissime autem ΝΙΚΑΙΕΩΝ. Sic Gentile Urbis Phœniciæ legas cum ΓΑΒΑΛΕΩΝ, ut in M. Aurelii nummo Lomeniano, & in Julia Aquilia inclytæ Reginæ; tum apud Occonem & Tristanum ΓΑΒΑΛΙΤΩΝ in Elagabalo; quorum utrumque tradidit etiam Stephanus. Sic ΠΤΟΛΕΜΑΙΕΩΝ & ΠΤΟΛΕΜΑΙΤΩΝ habent Nummi à Goltzio descripti, quæ ambo Gentilia ille quoque Gentilium Scriptor recte agnovit; nisi forte prius de *Phœnicia*; posterius de *Ægyptiaca Ptolemaide*, juxta τὸ ὄπιχώριον hujus regionis in ἴσης Stephano alibi sæpe indicatum, explicari debeat; & quem proinde mutilum rursus in hac voce *Ptolemaidis* exhibeat Hermolaus. Cui conjecturæ nostræ favere videtur Josephus, apud quem Πτολεμαεῖς perpetuo vocantur *Phœniciæ Ptolemaidis* incolæ; & ut alios mittam, apud Marcellinum Comitem, *Antiochus Ptolemensis*. At ΣΙΚΥΩΝΙΤΩΝ habent aliqui Nummi antiqui, alii autem ut Tiberii apud Goltzium, aut Plautillæ in Cimeliarchio inclytæ Reginæ ΣΙΚΥΩΝΙΩΝ, quod postremum Gentile solum tradit Stephanus. Quintus Canon, vulgo in antiquis Nummis non Urbis sed Gentis nomen exprimi, nonnunquam promiscue utrumque, ut ΗΛΙΟΠΟΛΙΣ & ΗΛΙΟΠΟΛΙΤΩΝ; ΔΑΜΑΣΚΟΥ & ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ; ΤΑΡΣΟΥ & ΤΑΡΣΕΩΝ; ΣΙΔΩΝΟΣ ac ΣΙΔΩΝΙΩΝ, &c. A Coloniis quidem

In Chronico.

Quintus Canon.

dem retentum frequenter videas ipsum Urbis nomen, ut ΚΟΛ. ΕΛΕCCA, ΚΟΛ. NECIBI, COL. TYRO, & plures id genus. Quamquam in quibusdam etiam Nummis solum Urbis nomen, omisso Gentili, occurrat, & vulgo, ut observo, in Nummis Urbium Ponti *Amasiæ*, *Heracleæ*, *Tomi*, *Amisi*. Sic in aliis ΑΡΓΙΛΟC urbs Thraciæ; ΒΟCΤΡΑ & ΠΕΤΡΑ Arabiæ; ΡΑΦΙΑ Syriæ; ΦΑΝΕΑC Palæstinæ, & similibus, quibus adde traditam supra epigraphen ΕΝ ΠΑΘΜΩ. Neque vero id frustra in nonnullis factum liquere potest ex eodem Stephano, qui alicubi observat, non quærendum esse in omnibus *Gentile*, sed aut nonnunquam adverbio utendum, ut in locis deductis ἀπὸ τ δήμων, & sic ἀ Βάτη Βατῆθεν; aut Genitivo cum præpositione; aut Analogia; aut τῷ σωκῆϊ τ χώρας. Ubi notandum præterea, Gentile passim in iisdem Nummis per Syllepsin numeri haud insuetam efferri, ΣΙΚΥΩΝΙΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ, aut ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ, aut ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, &c. Scilicet promiscue quoque sumpto apud Romanos auctores *Gentili* pro *Urbis* nomine, ut in adlato paulo ante de Samæis exemplo apud Livium, alibi, *Lanuvini etiam, quæ fidelissima urbs fuerat*, & quæ occurrunt id genus haud pauca; ac vicissim *Urbis* nomine pro *Gentili*, *Sutrium socios populi Romani*, item *Romani Veiique*, pro *Veientes*. Sextus & postremus Canon, Bilingues eorundem locorum Inscriptiones subinde occurrere Græcas & Latinas, quod fieri videas in Nummis Coloniarum, sicut alibi jam indicavimus, quæ cum vernaculam antiquam retinebant, tum linguam Latinam seu τὴν κρατοῦσαν, ut illam vocat alicubi Themistius, una cum novis Colonis admittebant. Unde Coloniis Romanis adscribendas continuo eas Urbes li-

In Βάτη.

L. VI. c. 21.

L. VI. c. 3.

L. V. c. 1.

Sextus Canon.

Orat. XVI. p. 391.

quet, quæ nonnunquam sine addita Coloniæ mentione Latine in Nummis efferuntur, quamquam in Græco solo aut vulgo Græci idiomatis; ut AEDERA in nummo Tiberii Regiæ Gallorum Gazæ, LAUDICEON seu LAODICEON in nummis Elagabali Mediceis; in aliis ANTIOCHIA; CÆSAREA PANIAS; SIDON, &c. Notum autem diversimode nonnunquam deductas Romanas Colonias; nempe modo ut integræ cederent novis Colonis; modo ut permiscerentur illi cum indigenis; modo ut in partem urbis & agri reciperentur, sicut postremum de Sinope & Pontica itidem Heraclea suo tempore deductis observat Strabo. Hinc illa varietas idiomatum ejusdem urbis quandoque, ut de Emporiis Hispaniæ oppido tradit idem Geographus, illud cum ab Hispanis indigenis, tum à Græcis seu Massilienſibus Colonis, divisis laribus ac lingua proinde, habitatum aliquamdiu. Immo inde factum, ut sola Romanorum dialectus in quibusdam id genus Coloniis invaluerit, omissa aut desueta loci vernacula; sicut de Turditanis ad Bœtim notat ille in eodem libro, eos evasisse Romanos sermone, moribus, propriæ linguæ oblitos. Quod potissimum in iis Coloniis locum habuit, ubi indigenis exstinctis, soli admissi aut relicti lapsu temporis Cives Romani, quemadmodum de Corintho sua ætate tradit Pausanias, nullos eam habuisse indigenas, omnes colonos Romanorum; unde non mirum quoque Latine passim efferri nummos *Corinthi* sub Cæsaribus à tempore deductæ Coloniæ percussos.

Lib. XII.

Lib. III.

In Corinthiacis.

Verum hæc alibi merentur expendi accuratius, & simul quæ ad Religionem Gentilium, Consecrationem, & Supellectilem veterum spectare videbuntur. Dum enim suscepto semel argumento lubenter hic inservio, lon-

Conclusio Operis.

longius me paullatim provectum video, quam ab initio instituti tecum sermonis constitueram, unde pedem etiam referre haud erit jam inconsultum. Neque difficulter missionem mihi largieris, OCTAVI jucundissime, qui voluntati tuæ obsequutus, minus jam illibenter conspectu Urbis ac Italiæ vestræ brevi mihi carendum intelligo. Habebit enim hæc opera levem quidem, sed dulcem tamen & mansuram etiam apud posteros necessitudinis tecum contractæ recordationem, quam Florentiæ bonis auspiciis cœptam, magna studiorum animorumque consensione hic voluisti coalescere. Ea quippe lubentius adficior hoc loco, quam vel Generis vel Ingenii alias tui, quamquam florentis utriusque cumulatissima laude, quam non in Urbe solum, sed apud exteros late jam diffudisti. Meminisse enim potes, me primam illius notitiam acceptam ferre fama nominis ac meritorum clarissimis & amicissimis viris Cappellano Heinsioque, qui de tua singulari virtute ac eruditione profectionem in Urbem suscipientem litteris suis certiorem continuo fecere. Verum illam singularem ingenii tui præstantiam; illud exaggeratum optimis artibus ac disciplinis pectus; illud subtile & elegans in litteris judicium, arguit abunde arguetque adhuc luculentius non jam ROMA ANTIQUA tuo beneficio resurgens, sed eidem Urbi decus ac lumen propriis doctrinæ tuæ monumentis quæsitum ac partum. Multa equidem, ut nosti, decora veterem me quodammodo nec plane incuriosum Urbis hospitem detinuerunt, Reginæ quondam Terrarum adspectus; Pater Tiberis; Colles septem Domini; Loci Genius; Cœli clementia; Incolarum comitas; Bibliothecarum copia; Vestigia denique clarorum hominum, ac memoria locorum nullibi gentium magis conspicua. Haud

ullæ tamen hic mihi, aut in aliis Italiæ oris potiores illecebræ; haud acrius aliud discessum parantis desiderium, quam usus & consuetudinis cum decoris ejusdem Cœli ingeniis, BONIS, MAXIMIS, OLIVIS ALLATIIS, GRATIANIS, FERRARIIS, GOTTIFREDIS, POLLINIS, SEPTALIS, DATIS, MAGALOTTIIS, FAVORITIS, REDIIS, GRADIIS, CHIMENTELLIS, MELLINIS, RICCIIS; & dulcibus mihi ante alios Parthenopes ac Floræ amoribus, ATURRE DUCE ac LUDOVICO STROZZA, minus clarissimæ prosapiæ, quam incredibili quadam ingenii elegantia, humanitate, virtute, rerum usu ac peritia florentibus. Quibus adnumerandus etiam venit, quamquam natus in alio solo, PETRUS VALERUS DIAZIUS, vir & amplissima dignitate, quam antea Valeriæ Provinciæ ac Bruttiis regendis præpositus, jam inter supremos Regni Neapolitani curatores adlectus fungitur, ita autem omnibus harum artium studiis liberalissimis doctrinisque versatus, ut se non adeo Ant. Augustini conterraneum, quam æmulum probet. Quid JOANNEM MOROSINUM taceam, dulce decus non meum solum, sed Patriæ invictæ, sed generis quod Reges Principesque ac tot claros Toga & Sago Heroas complectitur, sed artium omnium, quas vitæ elegantia ac splendore muneris longe lateque illustrat ac diffundit. Alios mitto in altiori adhuc fastigio positos, ne vel ostri, quod illos ambit, fulgor; vel summi Imperii in florentissimis Italiæ oris majestas, non autem grata beneficiorum recordatio mentis oculos in se convertisse videatur. Unum tamen amplissimi Ordinis præterire hic non possum SFORZAM PALLAVICINUM, qui cavet, ne hodie desint Italiæ Phœnices ingeniorum; aut

aut ne in erudita ejus consuetudine, quæ litteratæ Romæ compendium præbet, novus ego Tiberis accola veterem vel Tullii facundiam, vel Varronis scientiam desiderarim; sed aut eorum meritis, aut tuis in me beneficiis enarrandis non immoror hiculterius. Unum illud te rogo, mi OCTAVI, per conjunctionis nostræ necessitudinem, ut si amori in me tuo plusculum quam mereor indulsisti hactenus, aut largieris in posterum, non magis tamen, quam fides in te mea postulat, concessisse censeas. Ita nullo gratiori viatico procul à tuo & Urbis conspectu discedentem prosequeris.

FINIS.

Addenda aut emendanda.

PAg. 56. v. 27. *dele* ex priori, *usque ad verba* En vero ejus Coloniæ.

Pag. 75. v. 20. *post* aliis reperta, *adde*. Neque tamen ita omnes lapides & nummi, ut existimasse videtur Lipsius; quum certe major longe occurrat Nummorum copia, in quibus vox eadem per *sigma* effertur. Cæteroquin ejusdem scripturæ exempla, &c.

Ad Tacit. Annal. IV.

Pag. 77. v. 24. *post* Cossartio observatum, *adde*. Quam *Boryzam* Philostorgio *Borissum* vocatam videas, prout in editis hodie à Cl. Jacobo Gottifredo legitur, ἐν Βοεσσοῦ κώμῃ ἢ δὴ δὴ τότε ἦν Καππαδοκίας.

Lib. IX. c. 9.

Pag. 78. v. ult. *post* Sestiæ SEXTIUS, *adde*. Nisi potius referendus sit non ad gentem *Sestiam* patritiam sed ad *Sextiam* plebeiam, cujus mentionem itidem videas in nummo Musei Seguiniani, C. SEX. seu *Caius Sextius*: ut liqueat etiam vere inter utramque gentem *Sextiam* ac *Sestiam* discrimen à diligentissimo Sigonio contra Robortellum alicubi adsertum.

Pag. 85. v. 25. *post* Rascipolis præerat, *adde*. item Lucanum & *gelidæ dominum Rhesyporin oræ*, pro quo *Rhasipolim* habent hodie vulgares editiones, magnus autem Scaliger propius ad veri fidem *Rasciporin* in margine libri, quem beneficio Isaaci Vossi ἐκ πάνυ possideo, legendum notaverat.

Lib. V.

Pag. 274. v. 23. *post* medicinis idoneum, *adde*. Quare non continuo accedas illustri Scaligero, cui inprimis seu novissimis Scaligerianis, Balaustium juxta Plinium flos omnis Punici mali statuitur, vapulat autem Dioscorides, qui illud florem demum sylvestris adseruerit.

Pag. 25.

Pag. 323. v. 19. *post* Dactylorum de iisdem appellatio, *adde*. Quamquam alias voce adfini δακτυλὶς, non jam fructus sed annuli è palmæ ramo recenti mentionem alicubi videas apud Socratem, φόρεμα δακτυλὶς ἐκ Φοίνικος γεγονὸς φλοιοῦ θαλλοῦ.

Hist. Eccl. l. VII. c. 23.

Pag. 325. v. 28. *post* facile adsequamur, *adde*. Hinc Hiericho *Urbs Palmeti* non semel in sacro Fœdere; immo hinc Palma vulgo, &c.

Ibid. v. 30. *post* Romanorum nummis, *adde*. aliisque in ipsa Judæa jam olim cusis, cujusmodi plures in illustribus Cimeliarchiis vidisse memini. Quo spectat etiam Palma in Nummis Sepphoris Gali-

Galileæ Metropolis, cujuſmodi brevi ſuppeditabit tibi Muſeum Patinianum cum inſcr. C E Π Φ Ω P H N Ω N.

Pag. 358. ibi. *poſt* Κέρασι πίνειν, *adde.* Quem morem etiam κεράσινων ποτηρίων apud Arabas frequentem obſervat alicubi Xenophon, alibi ut Thracibus familiarem: de quibus ait κέρατα οἶνος πεδόπινον. Anab. lib. VII. Ibid. l. VII.

Pag. 362. v. 9. *poſt* Euphrati ſacrificaſſe, *adde.* Juxta ritum nempe, quem tangit alicubi Tullius, *noſtri quidem duces mare ingredientes, immolare hoſtiam fluctibus conſueverunt.* L. III. de Nat. Deor.

Pag. 429. v. 5. *poſt* ante egimus, *adde.* Mitra nempe ſolemne Arabum tegmen, unde *Mitrati Arabes* Plinio, Claudiano autem

Hinc mitra redimitus Arabs.

Ut non mirum ſit proinde eo ornamenti genere conſpicuum ſpectare in prædictis nummis Arabum, ſicut Tacito paullo ante vocari diximus, Regem Abgarum; quod ad Ammianum erudite etiam animadvertit doctiſſimus Valeſius.

Pag. 439. v. 10. *poſt* aliorum Græcorum, *adde.* Haud aliter rurſus ac Μισοπέρσαι εἶναι, ut præclarum in Græcis commendat alicubi Xenophon. De Ageſilao.

Pag. 446. v. 24. *poſt* etiam figura gibba, *adde.* Quam noſtram ſingularis hujus nummi explicationem eo firmiorem ſtatuo, quod in vernaculo & eleganti opere Caroli Bouterovii Senatoris Pariſienſis inciderit poſtea idem Nummus, cujus priorem partem de Σκιωπηγία itidem interpretantem adducit decus harum litterarum Samuelem Bochartum; cui cæteroquin miror pro ſolita & peculiari quadam ἀγχινοίᾳ, nihil ſuboleviſſe de geminis Azymorum aut Pentecoſtes feſtis per ſpicarum manipulum in altera nummi parte ſimiliter adumbratis.

Pag. 450. v. 12. *poſt* καὶ μισοχριστοῦ, *adde.* Immo inde paſſim Imperatores Φιλόχριστοι dicti in Actis Conciliorum, & Φιλόχριστος βασίλεια eorum imperium, quin & Φιλόχριστος etiam eorum ſedes Byzantium, ut in Actis Concilii Calchedonenſis, Φιλοχρίστῳ καὶ βασιλεύσῃ Κωνσταντίνου πόλεως. Act. 2.

Pag. 516. v. 31. *poſt* in gente Statia, *adde.* ac in alio inſuper Muſei Seguiniani. Ejuſdem *Murci* Syriacis legionibus præpoſiti, præter auctores Fulvio citatos, mentio in litteris Bruti ad Ciceronem; ex earum nempe numero, quæ in Germania repertæ primum ac editæ, *Caſſius noſter Syriam, legiones Syriacas habet ultro quidem à Murco & Marcio & ab exercitu ipſo acceſſitas.*

Pag.

Addenda aut emendanda.

Pag. 537. v. 30. *post* illis ſuum reddere, *adde.* Unde Clodium ſugillat alibi idem Tullius, *Litteras in concione recitaſti, quas tibi à C. Cæſare miſſas diceres, Cæſar P. Clodio, cum etiam es argumentatus amoris eſſe hoc ſignum, cum nominibus tantum uteretur, neque proconſuli aut tribuno pleb.*

Pro dom. ad Pont.

Pag. 548. v. 16. *dele* ſeu Megalenſium aliorumque id genus.

Pag. 638. v. ult. *poſt* Maximam, *adde.* ſeu juxta vulgus antiquariorum à parente Maximiano MAXIMIANAM.

lib. 11. Ep. 1.

Pag. 639. v. 3. Sic alteram Conſtantii Chlori uxorem THEODORAM Maximiani Herculii filiam ceu privignam FLAVIAM MAXIMAM aut MAXIMIANAM dictam.

Inſtit. Cyr. l. 1.

Pag. 667. v. 13. *poſt* ſeu principe) & ſignanter alibi ad Atticum, *Nunc vero cum equitatus ille, quem ego in clivo Capitolino te* SIGNIFERO *ac* PRINCIPE *collocaram.* Quod &c.

Reſp. Athen.

Pag. 795. v. 28. *poſt* fieri conſuevit, *adde.* Ita apud Xenophontem legas, conventum inter Chaldæos & Armenios, vicinas nempe gentes, ut connubia, cultus agrorum aliaque id genus utriſque communia eſſent.

Pag. 799. v. 29. *poſt* Thucydides, *adde.* aut centeſimam in Pyræo, cujus meminit Xenophon.

IN-

INDEX
AUCTORUM,

Qui in his Dissertationibus illustrantur, explicantur, aut emendantur.

Aben Esdras. 369
Abul Pharagius. 347. 771, 773. *ter.* 775, 812, 853, 909.
Achilles Tatius illustr. 129, 132, 245, 276, 316, 779, 780, *emend.* 86
Achmad ben Magad Astronomicum. 347
Acta Apostolorum ill. 57, 404, 424, 694, 785, 886
Acta Caciliani. 692, 878
Acta Conciliorum. 615, 643, 786, 845, 878, 909, *& in Adden.*
Acta Concilii Antiocheni. 773
Acta Concilii Calchedonensis ill. 769, 872, 877, 897, *& in Adden. em.* 656, 899, 901, 904, 905
Acta Concilii Constantinopolitani. 887
Acta Concilii Ephesini em. 905
Acta Concilii Nicæni. 454, *em.* 889
Acta Passionis S. Ceciliæ ill. 243
Acta Timothei Martyris. 125
Ælianus ill. 74, 125, 137, 138, 146, 157, 168, 189, 224, 249, 267, 276, 359, 397, 438, 471, 491, 657
Æschines. 448, 453
Æschylus. 228
Aëtius 360
Africani belli Scriptor. 552, 841, 842, 845
Agatharchides ill. 127, 168, 210, 213, 248
Agathias ill. 432, 439, 442, 684, 689, 748, 749, 751, 752, 774, 833, *em.* 91
Alciphron em. & ill. 273
Alcoranus. 347
Ammianus Marcellinus ill. 21, 86, 109, 114, 133, 186, 187, 189, 190, 212, 267, 279, 281, 290, 306, 362, 380, 429, 431, 432, 435, 517, 533, 554, 655, 661, 677, 679, 688, 698, 706. 707 *bis*, 723, 741, 748, 769, 774, 787, 816, 817, 822, 832, 834, 836, 840, 841, 846, 891, 892, 896, 903, 904, *em.* 91, 290, 463, 902
Anastasius. 627, 688, 706, 905
Anna Comnena. 722, 733
Anonymi liber Synodicus. 776
Anonymi Vita Pythagoræ. 677
Anonymus de Præfectis Urbis. 706
Anonymus MS. in Ciceronis Orationes. 706
Anthologia Epigr. Græc. ill. 160, 199, 200, 235, 236, 246, 396, 729
Antonini Itinerarium. 766, 845
Apocalypsis D. Johannis ill. 368, 415, 454, 831, *em.* 902
Apollodorus.
Apollonius Rhodius. 114, 228, 482, 638, 839
Appianus ill. 364, 375, 387, 393, 400, 416, 433, 437, 453, 460, 462, 468, 474, 493, 505, 515. 516, 530, 531, 539, 569, 583, 584, 632, 677, 713, 714, 783, 784, 785, 818, 842, *em.* 84, 86
Apuleius. 35, 84, 96, 263, 266, 403, 736, 879
Arabica versio Bibliorum. 369
Aristanetus. 383
Aristides ill. 44, 239, 281, 377, 413, 424, 438, 482, 483, 493, 656, 686, 797, 792, 796, 816, 877, 885, 886, 895, *em.* 86, 89, 478
Aristophanes. 724, 763, 799
Aristoteles. 104, 107, 108, 114, 129, 131, 135, *ill.* 146, 149, 159, 164, 171, 201, 202, 203, 204, 205, 208, 213, 254, 285, 795 *bis.*
Arnobius. 107, 178, 182, 275, *ill.* 277, 349, 351, 355, 402

Arrianus in Epictetum. 449, *ill.* 476, 569, 582, 664, 799 *bis.*
Arriani Expeditio Alex. M. 88, 149, 189, 190, 220, 257, 289, 375, 380, 421, 457, 512, 817, 891, *ill.* 902, *em.* 465, 478, 901, 904, 905
Arriani Periplus. 830, 833, 863, 908
Arriani Parthica. 830
Artemidorus ill. 20, 118, 266, 301, 373, 512, 838, *em.* 323
Aruch. 333
Asconius Pædianus. 516
Astrampsychus. 129
Athanasius. 741
Athenæus. 6, 17, 73, 127, 181, *ill.* 125, 128, 202, 203, 204, 205, 206, 208, 219, 220, 221, 254, 262, 270, 280, 285, 286, 291, 292, 295, 296, 298, 317, 323, 330, 331, 347, 355, 358, 369, 388, 397, 401, 404, 440, 451, 454, 617
Augustinus. 182
Avienus. 236
Aurelius Victor. 622, 592, 827, 848, 884
Aurelius Victor Schotti. 416, 592, 593, 779, *em.* 422, *not.* 661, 801, 822
Ausonius. 212, 235, 356, 359, 506, 536, 561, 816, 818, 838, *em.* 812
R. Azarias. 334
Balsamon. 389
Basilius. 878
Benjamini Itinerarium. 234, 770, 909
Boëthius. 227, 547
Callistratus. 18
Calpurnius. 130, 148, 153, 418
Canones Ecclesiæ Universalis. 76, 885
Canones Concilii Africani. 887
Capitolinus ill. 108, 115, 117, 121, 132, 138, 153, 236, 369, 562, 568, 610, 614, 623, 633, 658, 665, 666, 673, 674, 715, 719, 729, 740, 805, 816, 822, 827, 833, 836, 841, 858, *not at.* 91, 517, *em.* 832
Cassiodorus. 13, 16, 19, 414, 514, 392, 614, 686, 696, 723, 727, 752, 815, 817, 821, 829, 845, *not.* 893
Catullus ill. 123, 151, 227, 253, 364, 408
Cedrenus. 591, 837, *not.* 881
Chaldæus Paraphrastes. 369, 445
Chronicorum Sacrorum liber. 159
Chrysostomus. 37, 179, 200, 332, 423, 431, 513, 532, 580, 614, *ter.* 678, 679, 681, 683
Cicero. 2, 6, 7, 8, *&c. ill.* 37, 38, 42, 44, 103, 108, 121, 159, 168, 384, 387, 400, 410, 413, 437, 441, 454, 488, 520, 523, 537, 539, 541, 542, 545, 546, 552, 569, 664, 667, 671, 712, 715, 721, 737, 738, 739, 784, 789, 799, 805, 822, 857, *in Adden. em.* 84, 478, 504
Claudianus ill. 20, 109, 111, 112, 156, 173, 181, 191, 227, 243, 244, 358, 359, 387, 295, 414, 415, 544, 609, 611, 643, 667, 680, 686, 704, 706, 707, 751, 762, 831, 840, 941, *in Adden.*
Clemens Alexandrinus. 98, 179, 191, 212, 217, 218, 268, 276, 283, 297, 346, 397, 398, 652, 657, 764, *ill.* 149, 284, 779, 844, *em.* 400
Clemens Romanus. 243
Codex Justinianeus. 190, 604, 684, 708, 717, 740, 798, 813, 827, 879, 880 *bis*, *em.* 90
Codex Theodosianus. 112, 115, 116, 190, 435, 448, 546, 556, 581 *bis*, 582, 604, 643, 668 *bis*, 672, 692, 697, 707, 718, 723, 731, 778 *bis*, 798, 802, 803 *ter*, 804, 806 *ter*, 807, 809, 810, 813, 815 *quater*, 816, 820, 821, 822, 827, 880, 886, 887
Codinus. 809
Columella. 697
Concilium Illiberitanum.
Constantinus Porphyrogenneta. 90, 344, 462, 891, 893
Constitutiones Apostolorum. 389
Cornelius Nepos. 289, 511
Ctesias. 146, 234, 282
Curtius. 111, 135, 242, 351, 387, *ill.* 456, 457, 458, 586, 667

Cyprianus. 149
Cyrillus. 243
Damasius. 232, 626
Daniel Propheta ill. 362, 368
Demosthenes. 384, 436, 448, 572
Deuteronomiorum liber. 445
Dexippus. 462
Diaconus. 842
Digesta Juris Civilis. 11, 32, 386, 424, 517, 546, *ill.* 602, 603, 604 *bis*, 606, 633, 692, 713 *bis*, 732, 740, 754 *quater*, 755 *quater*, 784, 812, 813, 877, 886, 887, *em.* 78, 627, 767, 901
Dio Cassius. 6, 16, *&c. ill.* 20, 97, 98, 126, 212, 312, 411, 441, 455, 526, 531, 536, 538, 560, 566, 569, 571, 573, 580, 584, 585, 603, 612, 616, 617, 622, 626, 629, 630, 634, 652, 656, 661, 664, 665, *expl.* 670, 672, *ill.* 675, 677, 679, 685, 690, 691, 698, 700, 701, 702, 704, 705, 709, 712, 713, 715, 716, 719, 720, 722, 732 *bis.* 733, 736, 738, 739, 749, 760, 766, 774 *bis*, 776, 781, 784, 790, 799, 805, 814, 818, 829, 843, 844, 846, 849, 852, *em.* 87, 216, 412, 512, 528, 690, 901, 902 *bis.*
Dio Chrysostomus. 11, 16, 53, 124, 145, 180, 194, 197, 237, 246, 341, 343, 374, 383, 387, 390, 400, 401, 403, 418, 421, 450, 565, 785, 791 *bis*, 792, 817, 885, 886
Diodorus Siculus. 52, 69, 129, 136, 157, 210, 217, 227, 229, *ill.* 262, 278, 309, 383, 438, 440, 448, 451, 452, 456, 457, 458, 462, 464, 469 *bis*, 471, 472, 474, 526, 657, 677, 686, 694, 697, 698, 779, 784, 902, *em.* 84
Dionysius Halicarnassensis. 52, 228, 398, 452, 470, 503, 506, 507, 539, 540, 611, 653, 655, 738, 783, 794
Dionysius Periegetes. 289, 290, 306, 350
Dioscorides. 254, 257, 274, 310, 317, 328, 331, 337
Edictum Justiniani. 809
Epigrammata Graeca inedita. 195, 316, 532, 764, 779, 878
Epigrammata Antiqua Romana. 764
Epiphanius. 770, *em.* 902
Epistola ad Corinthios. 369
Epistola D. Petri. 388
Epitome Livii. 497, 518
Etymologicum Magnum. 400
Etymologicum ineditum. 358, 369
Euagrius. 666
Eugesippus. 878
Eunapius. 231, 387, 388, 886,
Eusebii Historia Ecclesiastica. 16, 20, 148, 381, 423, 604, 638, 677, 681, 684, 687, 688, 692, 710, 779, 798, 810, 853, 875, 889, 895, *em.* 902
Eusebii Chronicon. 389, 635, 768 *bis*, 812, 815, 828, 844, 845, 866, 867, 868, 871, 885, 893, *not.* 399, 864
Eusebii Prapar. Euang. 188, 244, 245
Eustathius in Dionys. Perieget. 305
Eustathius in Homerum. 202, 205, 206, 223, 230, 238, 278, 279, 358 *bis*, 360, 362, 392, 480, *not.* 281, 466
Eutropius. 594, 639, 646, 784, 903
Excerpta Constantini. 434
Excerpta Graeca Chronici Eusebiani. 399, 401, 410, 421, 777, 868, 870, 871, *not.* 864
Exodi liber. 369, 445
Ezechiel Propheta. 770, 796
Fasti Siculi. 816, 818
Firmicus. 730
Florus. 435, 677
Fronto. 909
Fulgentius. 224, 838
Galenus. 31, 32, 34, 189, 191, 214, 219, 240, 253, 265, 274, 279, 280, 310, 317, 323, 325, 659, 844, 856, 896, 897, *em.* 310
Gellius. 6, 300, 498, 519, 671
Geographus incertus. 317
Georgius Syncellus. 868
Germanicus. 849

Gieuhari Glossarium Arabicum. 347
Glossarium vetus defens. 88, 89
Gregorius Nazianzenus. 232, 243, 250, 251, 423, 434, 438, 450, 458, 493, 582, 688, 808, 834, *em.* 478
Heliodorus. 86, 132, 134, 259, 261, 382, 411
Heraclides. 278
Hero. 165
Herodianus. 366, 402, 421, 429, 435, 457, 663, 686, 687, 791, 793, 856
Herodotus. 51, 53, 129, 157, 163, 174, 229, 243, 245, 257, 270, 289, 303, 354, 365, 367, 368, 382, 388, 429, 438, 439, 458, 459, 465, 466, 512, 611, 657, 698, 717, 780, 795, 817
Hesiodus. 360
Hesychius. 128, 219, 249, 255, 270, 274, 278, 283, 309, 319, 432, *expl. & ill.* 149, 224, 230, 236, 254, 269, 300, 330, 355, 358, 360, *em.* 206, 283, 318, 321, 375
Hesychius Milesius. 194
Hierocles. 248, 435
Hieronymus. 61, 240, 297, 332, 346, 355, 372, 500, 553, 706, 707, 732, 751, 770, 771, 822, 834, 837, 869, 874, 878, 893, *em.* 313, *not.* 369, 415
Hilarius. 874
Himerius Sophista. 218, 223, 249, *ill.* 362, 479, 481, 728, 891
Hippolytus de Antichristo. 401
Hirtius. 134, *em.* 901
Horatius. 115, 301, 357, 416, 434, 435, 506, 517, 529, 831, 838, 880
Horus. 245
Hyginus. 236, 345, 354, 408, 826
Iamblichus. 93, *ill.* 258, 299, 370, *em.* 86
Idatius, 836
Jeremias Propheta ill. 336
Ignatii Epistolæ. 889
Inscriptiones veteres. 75, 78, 79, 80, 95, 237, 308, 381, 384, 390, 407, 415, 431, 448, 509, 510, 552, 562, 566, 569, 592, 608, 609, 620, 628, 632, 633, 635, 645, 654 *bis,* 657, 666, 667, *ter.* 668, 669, 671, 674, 681, 691, 692, 694, 695, 697, 700, 704, 709, 710, 715, 717, 719, 724, 725, 726, 727 *bis,* 736, 742 *bis,* 745, 753, 754, 756, 772, 779, 785, 798, 806, 835, 840, 844, 879, *em.* 627, 704, 813, 814
Inscriptiones inedita. 75, 83, 478, 521 *bis,* 611, 687, 696, 698
Iobus expl. & ill. 371
Johannes Antiochenus. 724
Jornandes. 592
Josephus. 6, 43, 129, 174, 191, 309, 325, 327, 341, 381, 391, 399, 404, 406, 421, 438, 526, 444, *ill.* 320, 382, 437, 445, 447, 449, 451, 452, 454, 457, 472, 503, 512, 539, 609, 910, 911, *expl.* 618, 619, *ill.* 693, 698, 770, 771, 779, 782, 787, 810. 865, 867, 869, 870, 871, 895, 896 *bis,* 898, *em.* 84, 85, 86, 516, 570, 649, 687
Isidorus not. 829
Isidorus Peluſiota. 346
Isocrates. 384, 421, 438
Itinerarium Burdegalense. 777
Julianus Apostata. 33, 231, 382, 384, 424, 491, 532, 539, 638, 652, 655, 657, 672, 685, 700, 708, 720, 731, 751, 816, 824, 891
Julius Cæsar. 154, 452, 454, 535, 643, 785, 795, 842, 844, *em.* 85
Justinus Martyr. 100, 414, 769
Justinus Trogi. 6, 392, 410, 420, 451, 455, 456, 457, 462, 470, 471, 811, 817, 849, 850, 854, *not.* 473
Justus Tiberiensis. 447, 865
Juvenalis. 106, 160, 327, 368, 414, 471, 665
Lactantius. 712, 718
Lampridius. 37, 132, 138, 402, 424, 448, 449, 602, 614, 626, 632, 658, 665, 669, 675, 699, 716, 720, 725, 731, 741, 745, 753, 775, 858, *em.* 422
Latinus Pacatus. 741

Libanius. 25, 168, 229, 231, 365, 367 *bis*, 677, 981, 684, 700, 708 *bis*, 807, 808, 809, 839, *not.* 374, 752
Livius. 12, 14, 60, 70, 119, *ill.* 181, 312, 342, 343, 388, 406, 413, 436, 440, 441, 442, 451, 470, 472, 476, 499, 509, 512, 518, 522, 526, 534, 535, 539, 543, 546 *bis*, 552, 554, 558, 573, 576, 586, 610, 613, 635, 664, 671, 672 *ter*, 673 *bis*, 674, 704, 734, 737, 742, 782, 784, 786, 789, 795, 799, 801, 810, 848 *bis*, 850, 889, 911, 913, *em.* 84, 478, 514, 515, 894
Lucanus. 126, 203, 392, 408, 437, 457, 557, 719. *em. in Add.*
Lucianus. 38, 47, 48, *ill.* 75, 173, 174, 175, 176, 177, 180, 190, 191, 197, 199, 223, 225, 281, 309, 311, 381, 382, 383, 386, 392, 394, 397, 398, 399, 418, 456, 457, 458, 461, 468, 469, 520, 529, 569, 657, 725, 780, 894, *em.* 86, 176, 469, 904,
Lucretius. 100, 101, 226, 240, 345
Lutatius. 364
Lycophron. 128, 239, 242
Machabæorum Scriptor ill. 134, 388, 451, 471, 782, 865
Macrobius. 175, 257, 392, 401, 435, 509, 523, 542, 563, 733, 783
R. Maimonides. 240, 251, 328, 331, 446
Manilius. 117, 126, 385, *ill.* 210, 241, 281, 414, *expl. & ill.* 642, 643, 657
Marcellinus Comes. 602, 632, 687, 824, 845, 912
Marius Victorinus. 73
Marmora Arundelliana. 53, 77, 221, 308, 398, 409, 593, 668
Martialis. 136, 137, 395, 420, 621, 664, 717, 733, 746, *expl.* 762, 763
Martianus Capella. 218, 299, 748
Matthæi Euangelium ill. 782
Maximi Scholia ad Dionys. vulgo Areop. 700
Mela. 156, 299, 462, 782, *em.* 901, 906
Menandri Excerpta. 401, 431
Memnon. 77, 246, 409, 433, 464, 490, 895, *em.* 410
Monumentum Adulitanum. 581, 405
Moschopulus. 325
Moschus Sidonius. 64
Nazarii Panegyricus. 826
Nicander. 173, 189
Nicephorus. 668
Nicephorus Bryennius. 77, 436, 447, 605, 680, 684, 685, 732
Nicetas. 373, 605
Nicolaus Damascenus. 31, 434, 472, 526, 750
Nonni Dionysiaca. 241, 351
Notitia Imperii. 778, 798
Novellæ Justiniani. 435, 604, 605, 677, 704, 728, 813, 815, 817, 880, 885, 886
Olympiodorus. 668
Oppianus. 160, 164, 166, 202, 423
Optatianus. 727
Oribazius. 274
Origenes. 175, 198, 230, 243, 299, 354, 655, 657
Orosius. 639, 686, 810, 818
Orpheus. 269, 297
Ovidius. 19, *ill.* 43, 96, 118, 181, 182, 187, 193, 213, 346, 390, 395, 459, 529, 607, 608, 610, 638, 717, 718, 726, 763, 838, 849, 896, 902, *defens.* 278, *em.* 84
Palæphatus. 212, 240
Panegyrici veteres. 390, 391, 747, 814
Pausanias. 6, 8, 10, 12, 14, 44, 68, 85, 154, 171, 172, 183, 194, 197, 366, 392, 408, 409, 532, *ill.* 200, 236, 237, 250, 271, 300, 351, 355, 647. 653 *bis*, 654, 674, 716, 743, 784, 890, 914, *em.* 478
Persius. 179
Petronius. 15
Petrus Chrysologus. 362
Philo. 240 *bis*, 384, 390, 402, 416, *ill.* 442 *bis*, 453, 519, 678, 716, 729, 732, 821

Philo Biblienſis. 18
Philoſtorgius. 195, 210, 601, 640, 668 *ter*, 680, 682, 832, 837, 891, *not.* 895, *em.* 901, 904, 905 *bis*, & *in Adden.*
Phlegon Trallianus. 217, 239, 411
Photius. 286, 309, 346, 698, 783
Pindarus. 386, 435, 466, 643, 744, 790, 891
Plato. 73, 100, 112, 179, 221, 232, 345, 439, 512, 513, 721
Plautus. 155, 452, 531, 849
Plinius. 10, 14, 31, 33, 34, 35, 36, 46, 60, *ill.* 131, 132, 135, 137, 138, 146, 148, 154, 157, 158, 161, 162, 168, 171, 173, 180, 181, 192, 193, 195, 201, 203, 211, 214, 216, 227, 243, 245, 246, 253, 272, 273, 279, 282, 283, 285, 291, 292, 301, 302, 303, 310, 312, 319, 320, 325, 328, 329, 331, 335 *bis*, 339, 395, 480, 485, 486, 535, 665, 728, 767, 777, 784, 889, 890, 895, *not.* 130, 157, 193, 315, 331, 768, 895, 911, *not. in Adden. em.* 105, 321, 487, 769, 902, 903, 904, 906
Plinius Jun. 33, 34, 37, 97, 196, *ill.* 99, 288, 426, 462, 463, 490, 541, 570, 606, 622, 623, 671, 672, 699, 722, 726, 732, 736, 739, 742, 767, 783, 799, 804
Plutarchus. 6, 31, 34, 52, 87, 122, 127, *ill.* 175, 183, 184, 189, 195, 213, 217, 239, 259, 260, 261, 287, 289, 300, 301, 304, 317, 329, 330, 338, 343, 348, 349, 354, 355, 362, 366, 379, 381, 384, 390, 395, 396, 397, 400, 401, 404, 427, 431, 433, 434, 438, 442, 448, 456, 459, 469, 472, 473, 474 *bis*, 504, 509, 510, 515, 520, 524, 526, 530, 531, 536, 538, 540, 550, 656, 737 *bis*, 806, *not.* 58, *em.* 84, 515
Polybius. 99, 304, 381, 386, 409, 413, 438, 440, 469, 572, 705, 782, *ill.* 312, 342, 348, 382, 388, 529, 539, 586, 598, 734, 762, 783, 784, 787, 788, 795, 889, *em.* 85 *bis*, 313, 478, 817, 903, 905
Pollux. 128, 239,
Polyænus em. 466
Pomponius Feſtus. 357
Porphyrius. 123, 151, 213, 224, 250, 299, 349, 381, 386, 399, 401, 593, 652, 790
Priſcus Rhetor. 423
Proclus. 213, 286
Procopius ill. 6, 10, 229, 423, 427, 452, 460, 583, 603, 627, 630, 672, 676, 677, 679, 684, 688, 700, 717, 718, 731 *bis*, 733, 751, 770, 771, 772, 774, 775, 778 *ter*, 802 *bis*, 810, 816, 831, 833 *bis*, 838, 858, 886 *bis*, *expl.* 21, *em.* 87, 91
Propertius. 184, 285, 351
Proſper. 415
Proverbiorum Sacrorum liber. 450
Prudentius. 25, 607, 656, 820
Pſalmi Davidis. 179, 243
Ptolemæus. 571, 767, 786, 845, 890, 898, *em.* 313, 901, 902, 903, 904, 905
Ptolemæus Hephæſtio. 236, 241, 290, 296, 365
Pulvis Aromaticus. 450
Quintilianus. 76, 78, 79, *ill.* 82, 93, 99, 115, 341, 518, 533, 563, 797
Remigius. 103
S. Ruſus. 880, 893
Rutilius. 416
Salluſtius. 38, 441, 453, 499, 845
Samaritieum Pentateuchum. 369
Sanchoniaten. 64
Scholiaſtes Apollonii Rhodii. 223, 346, 383 465, 482, 638
Scholiaſtes Arati. 220
Scholiaſtes Ariſtophanis. 254, 458,
Scholiaſtes Euripidis. 179, 218, 360, 382
Scholiaſtes Heſiodi. 219
Scholiaſtes Homeri em. 358
Scholiaſtes Horatii. 357
Scholiaſtes Juvenalis. 157
Scholiaſtes Pindari. 278, 280, 492, 745, 902
Scholiaſtes Theocriti. 317, 406, 407
Scylax. 313, 780, *em.* 903,
Seneca Philoſophus. 20, 426, 531, 673, 714, 794, 812, 849.

Seneca Tragicus. 111, 118, 434, 471, 617, 618, *ill.* 651, 826, 840
Septuaginta Interpretes. 369, 445, 776
Servius. 60, 119, 126, 144, 183, 187, 188, 192, 196, 223, 354, 394, 397, 401, 416, 509, 583, 655, 671, 695, 718, 788, *not.* 296, 368, 543, 563, 732
Sidonius Apollinaris. 184, 434, 435, 437, 601, 731, 736, 765
Silius Italicus. 84, 236, 304, 437, 532, 535, 650
Socrates Hist. Eccl. 561, 627, 657, 700, 731, 741, 686, 809, 837, 896 *bis*, 899, *ill. in Adden. em.* 901, 905
Solinus. 245, 311, 323, 909, *not.* 135
Sozomenus. 638, 837, 892, 894, 897, 904, *not.* 893
Spartianus. 144, 213, 551, 645, 699, 701, 702, 715, 743, 749, 754, 749, 754, 804 *bis*, 805, 812, 822, 824, 825, 827, 844, 849, *em.* 656, 663
Statius. 273, *ill.* 317, 488, 544, 578, 650, 686, 717, 729
Stephanus Byzantius. 77, 89, 194, 202, 225, 238, 270, 272, 279, 285, 286, 313, 408, 467, 889, 896, 897, 898, *ill.* 61, 217, 230, 236, 269, 279, 312, 465, 466, 480, 529, 744, 785, 890, 903, 910, 911, 913, *not.* 383, 770, 844, 910, 911, 912, *em.* 74, 149, 176, 269, 357, 465, 478, 615, 786, 855, 901, 902, 903, 904 *bis*, 905, 906 *bis*, 907
Strabo. 6, 22, 61, 62, 71, 87, 136, 149, 151, 345, 359, 368, 381, 382, 458, 526, 532, 561, *ill.* 127, 156, 162, 173, 189, 201, 202, 206, 212, 214, 217, 230, 237, 246, 253, 264, 268, 282, 314, 325, 327, 341, 375, 442, 443, 451, 460, 463, 464, 468, 478, 482, 488, 490, 528, 566, 611, 697, 766, 767, 780, 781, 782, 783, 784, 789, 790, 791 *ter*, 792, 793, 797, 828, 829, 871, 878, 879, 880, 883, 884, 887, 889, 890, 894, 903, *expl.* 479, 480, 908, 911, 914, *em.* 150, 207, 305, 351, 902 *bis*, 904, 905
Suetonius. 10, 20, 36, 97, 116, 126, 216, 396, 471, 508, 513, 517, 526, 533, 534, 577, 579, 608, *ill.* 126, 208, 426, 525, 609, 611, 612, 613, 620, 635, 650, 661, 671, 671, 672, 673, 678, 699, 701, 705, 715, 720, 722, 733, 738, 739, 761, 784, 798, 803, 811, 813, 841, 844, 855, 857, *not.* 778
Suidas. 56, 144, 171, 175, 176, 225, 254, 257, 334, 350, 878, *em.* 351
Sulpitius Severus. 638, 688, *not.* 683, *em.* 904
Symmachus. 11, 100, *ill.* 121 *bis*, 148, 420, 544, 550, 553, 578, 674, 714, 723, 726, 731, 732, 741, 798, 849, 853
Synesius. 258, 344, 423, 685
Syriaca Versio Bibl. 369, 776
Tabulæ Peutingeri. 890, 905, 909, *em.* 903, 904
Tabulæ Paschalis Bibl. Vaticanæ. 686
Tacitus. 17, 95, 97, 99, 102, 111, 118, 398, 416, 429, 497, 498, 510, 518, 519, 534, 538, 550, 610, 911, *ill.* 119, 120, 213, 230, 412, 422, 437, 449, 453, 515, 517, 526, 530, 559, 563, 564, 565 *bis*, 570, 577, 579, 604, 606, 610, 613, 629, 630, 645, 650, 661, 666, 668, 669, 671, 673, 674, 676, 686, 690, 691, 695, 699 *bis*, 701, 703 *bis*, 705, 709, 711, 713, 719, 723, 727, 733, 734, 738 *bis*, 739, 761, 781, 782, 783, 798, 804, 815, 816, 822, 833, 840, 841, 842, 143 *ter*, 844, 846, 847, 849, 851, 852, 854, 855, 857, 867, 878, 881, 894, *expl.* 805, *not.* 797, *em.* 168, 704, 795, 843, 903
Talmud. 136, 271, 301 *bis*, 324, 325, 327, 328, 329, 330, 331, 773
Terentianus. 290
Terentius ill. 531
Tertullianus. 10, 13, 16, 67, 243, 282, 283, 349, 402, 435, 458, 517, 556, 603, 610 *bis*, 614, 624, 643, 657, 686, 697,

697, 727, 731, 732, 740, 772, 796, 838, 844, 848, *em.* 283
Themistius. 133, *ill.* 442, 488, 680, 707, 717, 720, 748, 875, 913
Theocritus. 407
Theophrastus. 254, 257, 260 *bis*, 270, 301, 302, *bis.* 303, 304, 305, 308, 310, 311 *bis*, 320, *ill.* 275, 276, 280, 283, 291, 292, 296, 299, 312 *bis*, 319 *bis*, 333, 335, 337, 315, 316, *em.* 311, 321
Theophylactus Simocatta. 212, 213, 379, 383, 390, 411, 423, 432, 842
Thucydides. 96, 172, 217, 452, 512 *bis*, 790, 799, 814
Tibullus. 850
Trebellius Pollio. 595, 636, 737, 739, 807, 845, *not.* 596
Tzetzes. 254
Valerius Flaccus. 163
Valerius Maximus. 95, 96, 98, 181, 390, *ill.* 440, 498, 507, 509, 514, 521, 523, 536, 574, 734, 738, 742
Varro. 848
Vegetius. 672
Velleius Paterculus. 498, 504, 607, 609, 610, 643, 670, 673, 674, 699, 713, 782, 828, 849
Veterinæ rei Scriptores. 809
Victor Tununensis. 687, 845
Virgilius. 60, 118, 187, 228, 229, 285, 291, 292, 304, 359, 395, 398, 414, 437, *ill.* 338, 423, 476, 556, 610, 643, 654, 695, 732, 795, 840, 841, 850, 884
Vitruvius. 280, 282, 283, 772
Vopiscus. 148, 342, 597, 614, 699, 703, 741, 749, 751, 816, 818, 819, 836, 844, 849
Vulcatius. 113, 572
Xenophon. 285, *ill.* 312, 330, 333, 427, 456, 486, 493, 691, 795
Xiphilinus. 469, *em.* 86, *in Adden.*
Zozimus. 526, 591, 595, 680, 706, 838, 852, *em.* 92
Zonaras. 591, 632, 668, 685, 708, 712, 837, *em.* 86, 903

INDEX
CIMELIARCHIORUM,

E quibus Nummi antiqui inediti in his Dissertationibus citantur, explicantur aut illustrantur.

Achillis Harlæi. 287, 317, 378, 403, 408, 447, 563 bis, 898 sexies, 904, 907, 911
Barberini Cardinalis. 83, 177, 342, 364, 585, 594, 599, 664, 819, 836, 855, 894
Braceſii Abbatis Romani. 181, 582, 592, 612, 712, 797, 827
Buoncompagni Cardinalis. 181, 395, 601, 631, 747, 836
Camilli Maximi Cardinalis. 287, 405, 461, 527, 555, 600, 619, 621, 644, 722, 766, 797, 843, 850, 857
Caroli Patini. 90, 178, 186, 196, 201, 250, 376, 417, 467, 540, 590, 615, 620, 636, 746, 771 bis, 772, 777, 887, 889, 890, 891, 894, 896 bis, 899 bis, 902 bis, 903 bis, 904, 905, 907, 910, 912, & in Adden.
Chigii Farneſii Principis. 356, 425, 888
Chriſtinæ Reginæ. 43, 53, 54, 59, 61, 79, 81, 85, 107, 166, 167, 175, 176, 186, 199, 210, 222, 230, 238, 241, 246 bis, 249, 286, 295, 300, 312, 338, 339, 349, 366, 385, 393, 395, 414, 417, 444, 450, 464, 474, 476, 479, 483, 484, 491 ter, 512, 529, 561, 568, 591, 592, 597, 598, 599 bis, 601 bis, 615, 616, 619, 623, 624 bis, 625, 626, 629, 634, 636, 637, 639, 642, 649, 654, 656, 658, 664, 667, 693, 705, 743, 745, 747 bis, 753, 766, 767, 768 bis, 769, 772, 776, 778, 779, 787, 788 bis, 789, 790, 793, 794, 796, 820, 825, 126, 829, 830, 835, 836, 840 bis, 844 bis, 845, 848, 849, 854 bis, 857, 870, 879, 883 ter, 885, 887, 888, 889 ter, 890, 894 bis, 896, 898, 899 bis, 902 bis, 904, 905 bis, 907 quinquies, 909 bis, 912 bis.
Collegii Claromontani Pariſienſis. 69, 187, 247, 416, 475, 483, 617
Durlacenſis Marchionis. 181, 868, 875
Fabritii Peireski, *vid.* Achillis Harlæi.
Feliciæ Rondanini. 42, 584, 612
Franciſci Gottifredi Equitis Romani. 242, *vid.* Chriſtinæ Auguſtæ.
Gaddi Florentini Patritii. 425
Galliarum Regis. 69, 75, 183, 185, 186, 188, 221, 229, 262, 312, 338, 376, 383, 385, 412, 417, 491, 555, 570, bis 593, 601, 607, 615, 616, 618, 619, 620, 629, 640, 652, 653, 687, 693, 718, 724, 728, 746, 747, 750, 753, 766, bis 767, 768, 775, 779, bis 782, 785, 794, 819, 830, 844, 850, bis 864, quater. 874, 884, 885 ter, 887, 889 bis, 892 bis, 897 bis, 898 bis, 903, 904
Joachimi Camerarii. 56, 127, 244, 377, 786
Joh. Baptiſtæ Colberti. 80, 396, 418, 602, 618, 634, 646, 750, bis 837, 853, 870, 917
Leonardi Agoſtini. 185, 199, 591, 638, 837, 859
Leopoldi Cæſaris. 591 bis. 636, 640, 654, 705, 744
Leopoldi Medicei Cardinalis. 460, 551, 600, 612, 646, 649, 651, 700, 711, 721, 750, 756, 788, 830, 838, 849
Lomeniani, *vid.* Caroli Patini.
Medicei, ſeu Magni Ducis Etruriæ. 56, 57, 59, 75, 83, 85, 90, 120, 125, 127, 132, 145, 161, 167, 173, 175, 183, 185, 186, 188, 191, 196, 200 bis, 210, 213, 220, 224, 226, 229, 238 bis, 241, 245, 250, 261, 262, 267, 269, 270, 295, 300, 308, 309, 335, 336, 339, 364, 366, 376, 379, 395, 401, 402, 403, 407, 414, 425, 447, 454, 455, 467, 468, 473, 475, 477, 480, 486, 512, 561, 568, 572, 573, 591, 598, 599, 601, 607, 621, 622 bis, 623, 635, 641, 642, 644 bis, 646, 653, 658, 662, 692 bis, 693 ter, 695, 721, 727, 743, 746, 771, 773, 778, 783, 784, 789, 791 bis, 792, 793 ter, 794 bis, 811, 818, 822, 826 bis, 858, 864, 865, 867 bis, 870, 872, 576, 883, 885 bis, 889 bis, 890, 295, 896 bis, 898, 899 ter, 902, 903 bis, 904 bis, 905, 906, 908, 909, 910 bis, 912, 914
Mutinæ Ducis ſeu Eſtenſis. 646, 656
Palatini Electoris. 59, 72, 127, 144, 175, 219, 220, 222, 277, 308, 366, 382, 407, 409, 443, 477 bis, 600, 820, 641, 681, 711 bis, 730, 793, 866, 867 bis, 873, 906
Parmæ Ducis ſeu Farneſiani. 242, 401, 590, 601, 612, 623, 635, 844
Petri Seguini. 52, 53, 54, 55, 81, 82, 120, 124, 143, 144, 185, 198, 239, 241, 350, 355, 386, 402, 405, 425, 426, 462, 467, 492, 554, 562, 563, 592, 599, 600, 601, 609, 611, 615, 625, 635, 637 bis, 640, 641, 659, 684, 724, 743, 744, 766, 768, 769, 773, 774, 775, 786, 788, 789, 819, 828, 832, 823 bis, 886, 888, 897, 898
P. Sevii. 61, 75, 418, 634, 767, 772, 775, 818, 869, 871, 877, 883, 885, 897, 907, 910, & in Adden. bis.
Pyrrhi Ligorii. 190, 230, 286, 634, 727, 728, 766, 768, 769, 907
Thomæ Chiffletii. 488, 702

NOT. Cimeliarchii Lomeniani ſeu Caroli Patini, item P. Seguini deſcriptos Nummos jam exſtare in Gazâ Chriſtianiſſimi Galliarum Regis. Præter eos, qui aliunde ſeu ex libris Antiquariorum Phil. Parutæ, F. Urſini, Jo. Triſtani Sanctamantii &c. adducuntur paſſim aut enarrantur.

INDEX

Regum & Illustrium Græcorum & Barbarorum, quorum Nummi citantur aut illustrantur.

* *Indicat quorum Icones in hoc opere exhibentur.*

Abderas. Pag. 41
Abgarus. 86, 421, 422, 829
Agathocles. 396, 469
Agesilaus. 40
* Agrippa Junior. 444, 864
Alaricus. 41
Alcæus. 42
Alexander Epirota. 396
* Alexander Magnus. 143, 144, 344, 346
* Amastris. 464
Amilcar. 41
Amyntas. 344
Anacreon. 402
Antigonus Gonates. 402
* Antigonus Tutor. 366, 394
Antiochus Deus. 403
Antiochus Deus Nicephorus. 376, 403
Antiochus Dionysius. 397, 399, 401
Antiochus Deus Epiphanes. 387
Antiochus Epiphanes Magnus. 420
Antipater. 40, 367
Aratus. 528
Archelaus. 40
Archimedes. 42
Archytas. 42
* Aretas. 336, 583
Ariarathes. 442, 863
* Ariobarzanes Philoromæus. 439, 863
* Arsaces Euergetes Philellen. 425
* Arsaces Epiphanes Philellen. 425
Arsinoe. 404
Arsinoe Philadelphi. 409
Asander. 461, 462
Athalaricus. 40
Attalus Bianoris. 41
Attila. 184
Battus. 404
Berenice. 574
Bocchus. 41, 884
Byzas. 85, 473
* Cassander. 24, 370
Charondas. 528
* Chrysippus. 42
Cicero. 409
Cleopatra Antiochi Grypi mater. 385, 409, 433
Cleopatra M. Antonii. 467
Cotys. 41
Cuma. 41
Cyzicus. 41
Demetrius Deus Nicator. 85, 376, 378, 403
Demetrius Deus Philadelphus. 378, 403
Demetrius Deus Philopator. 378, 403
* Demetrius Philometor Callinicus. 377
* Demetrius Poliorcetes. 365, 379
* Demetrius Soter. 379
Dionysius. 276, 477
Docimus. 41, 884
Euclides. 42
Eurypylus. 479, 638
Gelon. 470
Hector. 41
Herodes Ethnarcha. 447
Herodes Philoclaudius. 443
Hidrieus. 40, 474
Hiero. 490
Hieronymus. 396
Hildericus. 40
Hippocrates. 42
* Homerus. 487, 491
Jotape. 41
Juba. 40, 641
Jugurtha. 474
Lycurgus. 42
Lysimachus. 348, 364, 467
Mannus. 442, 829
Mausolus. 40
Menander. 40
Mithridates Euergetes. 460
Mithridates Eupator. 460
Nemausus. 42
Nicomedes Epiphanes. 391
* Ovidius Naso. 43
Pergamus. 41, 883
Perseus. 40
Pexodarus. 40
Pharnaces. 40, 460
Phædra. 41
Philippus Euergetes Philadelphus. 378
Philippus Pater Alexandri. 344
Philippus penult. Maced. Rex. 344
Philetærus. 468
Philistis. 41
Phthia. 41
Pietacus. 42
Polemo. 829
Pollio. 43
Polydorus. 40
Prusias. 40

Prole-

Ptolemæus Auletes. 392
Ptolemæus Ceraunus. 392
Ptolemæus Hierax. 392
* Ptolemæus Philadelphus. 404
Ptolemæus Physcon. 392
* Ptolemæus Soter. 404
* Ptolemæus Cyrenarum Rex. 564
Pyrrhus. 396
Pythagoras. 491
Rhescyporis. 85, 467
Rhodope. 85
Rhœmetalces. 86, 467, 829
Sappho. 41
Sauromates. 462, 463, 829
Seleucus Callinicus. 477
Seleucus Epiphanes Nicator. 375
Seleucus Soter. 365, 392
Seuthys. 467
* Smyrna. 41, 492
Solymus. 41, 478
Sosander. 41
Taras. 41
* Tigranes. 391, 454
Tmolus. 41
Tomus. 41, 883
* Tryphon. 349, 450
Vologeses. 40, 86, 391, 425
Zaleucus. 42

Gentium seu Familiarum Romanarum.

* Acilia. 174, 535
Accoleia. 502, 525
Æbutia. 551
* Æmilia. 80, 336, 498, 505, 519, 520, 559, 574, 578, 582, 583
Afrania. 71
Alliena. 523
Antia. 535
Antistia. 504
Antonia. 505, 511, 522, 535, 540, 558, 559, 583
Apronia. 555
Aquillia. 524
Arria. 91, 522
Atia. 526
Atilia.
Axsia. 79
Betiliena. 91, 523
Bœbia. 80, 91
* Cæcilia. 237, 498, 507, 510, 519, 521, 556, 560, 574
Cæcina. 523
Cæsennia. 570
* Calpurnia. 503, 519, 522, 536, 546
* Camnia. 578
* Carisia. 167, 217, 522, 553, 559
* Cassia. 498, 521, 538, 577, 579, 583
Cestia. 574
* Claudia. 498, 503, 505, 515, 734, 568, 582
* Cestia. 567, 568, 574
Cocceia. 578
* Cœlia. 80, 541, 579
* Cominia. 563
* Confidia. 521, 577
Coponia. 522, 535
* Cornelia. 79, 91, 498, 505, 520, 526, 530, 541, 553, 558, 574
Cornuficia. 535
Cossutia. 223
Crepusia. 502
Curiatia. 522
Didia. 522, 588, 578
Domitia. 514, 517
Durmia. 502, 577
Egnatia. 79. 526
Egnatuleia. 502
Eppia. 574
* Fabia. 498. 514. 526
Fabrinia. 502
* Fannia. 548
Farsuleia. 502
Flaminia. 552
Fonteia. 160, 558
Furia. 498, 524
Gallia. 538
Gargilia. 578
Gellia. 503
Hostilia. 536
* Julia. 78, 498, 505, 535, 575, 584
* Junia. 498, 524, 528, 544, 551, 583
Labiena. 523, 526
* Licinia. 80, 345, 550, 575, 576
* Livineia. 535, 545
* Lollia. 545, 575, 578, 584
Lucia. 519
Lucretia. 524, 538
Mœcilia. 519
Mœvia. 502
Manilia. 536
* Manlia. 498, 525, 529, 543
Marcia. 46, 53, 80, 525, 536, 582
* Matia. 554
* Memmia. 536, 543, 575
Mescinia. 91
Mettia. 535
Mincia. 502
Minucia. 558
Mucia. 577
Munatia. 550
Mussidia. 502, 578
Nœvia. 521

Nasidia. 80
Norbana. 366, 523, 574
Numonia. 525, 558
Ogulnia. 55
* Papia. 354, 535, 578, 579
Papiria. 498, 567
Petillia. 529, 577
* Petronia. 222, 224, 534, 556, 557
Pinaria. 524
* Plancia. 548, 565
Plotia & Plautia. 80. 212, 538
Poblicia. 524, 560
* Pompeia. 228, 337, 527
Pomponia. 525, 536
* Porcia. 498, 579, 580
Procilia. 354, 535
Quinctia. 598
Renia. 502
Roscia. 354. 535
Scribonia. 578
Sempronia. 80, 505, 538
Sepulia. 502
Servilia. 80, 46, 507, 547, 575
Sexstia. 549
Sextia. 78. 502, 549
Sosia. 502
Statia. 516
Statilia. 556
* Sulpitia. 498, 503, 511, 515, 516, 578
* Tarquitia. 538, 564
Tituria. 534
Trebania. 502
Tullia. 502
* Valeria. 91, 126, 498, 542, 545, 557, 558
Ventidia. 502
Vettia. 534
Vibia. 535
Vinicia. 581
Vipsania. 519
Voconia. 525
Incerta. 337

Augustarum, Tyrannorum, aut cæteroquin ad Historiam Augustam spectantium, præter Imperatores.

A Chilleus. Pag. 599
Ælia Flaccilla. 640
Æliani. 599
Ælia Verina. 640
* M. Agrippa. 642
* Agrippina Germanici. 604, 612, 613
Agrippina Claudii. 510, 612, 615
Alexander Tyrannus. 380, 600
Alectus. 599
Alexander M. Antonii & Cleop. Fil. 641
Amandus. 599
Annia Faustina. 629
* Antinous. 652, 653, 654, 656
Antonia Avia Caii. 510, 604, 609
* Antonia Claudii Fil. 647
M. Antonius. 583
M. Antonius M. Anton. & Fulviæ Fil. 641
Britannicus. 647, 648, 649
Cænis Vespasiani Concubina. 620
* Cæsario juxta quosdam. 642
Cæsar Domitiani Fil. 650, 664
Caius & Lucius Augusti Nepotes. 640, 644, 663, 669
Caii tres Sorores. 612
P. Carvitius Marinus. 591, 592
Carausius. 599, 600
Claudii Liberi. 646
Cleopatra. 385
Clodius Macer. 590
Constantina. 92, 604, 640
Cornelia Paula. 629
Cornelia Supera. 636
Crispina. 610, 626
* Crispus. 681, 682
Delmatius. 91, 600, 601
Didia Clara. 604, 626
Domitia Longina. 510, 620
* Fl. Domitilla. 51, 619, 620
* Domitius Domitianus Tyran. 599
Drusus privignus Augusti. 644
Drusus Tiberii. 641, 646
Drusi gemelli. 646
Drusilla. 612
Eudoxia. 46
Euphemia. 640
* Faustina Mater. 510, 623, 624
* Faustina Filia. 510, 623, 625
Firmius. 599
Firmus. 599
* Flavia Fausta Maxima. 638, 639
Galerius Antoninus. 658
Galeria Valeria. 638
Galla Placidia. 640
Germanicus. 644
Glycerius. 602
Hadriani Parentes. 651
Hannibalianus. 601
Helena Constantini mater. 46, 604, 638
Herennia Etruscilla. 635
Herennianus. 597
* Herennius Etruscus. 522, 593
Honoria. 640
Hostilianus. 592
Julia Augusta seu Livia. 416, 510, 606
Julia Augusti F. 607
Julia Agrippina. 612

Julia Aquilia. 629
Julia Domna. 626
Julia Donata. 636
Julia Mœsa. 604
Julia Mamæa. 604
Julia Paulla. 629
Julia Procla. 637
Julia Soæmias. 92, 604, 629
Julia Titi. 604, 621
Juliani Tyranni. 593
C. Julius Valens Tyrannus. 600
Leontia. 640
Liberi Aug. de Commodi liberis. 659
Livia *vid.* Julia Augusta.
* Lucilla. 625
Magnia Urbica. 638
Manlia Scantilla. 626
* Manellus. 641
Mania Otacilia. 92, 510, 635, 721
Mania Amazonia Commodi. 626
Marcius Tyrannus. 591
Mariniana. 636
M. Martinianus. 600
Matidia. 92, 604, 622
* Messalina. 510, 616
Nepotianus. 601
* Nero & Drusus Germanici liberi. 645, 646
Octavia soror Augusti. 611, 612
* Octavia Neronis uxor. 617, 619
Odenathus. 91
Paulina. 632, 633
* Pescennius Niger. 590, 591
Plautilla. 629
Plotina. 510, 622
Sabina Hadriani. 510, 623
* Sabina Poppæa. 616, 617
Sabinia Tranquillina. 92, 510, 634
Salluſtia Barbia Orbiana. 631
Salluſtia Herennia Barbia Orbiana. 635
Saloninus Valerianus. 596, 659
Sebastianus Tyrannus. 601
Severina. 638
Severus Hostilianus. 591
Statilia Messalina. 619
Theodebertus. 602
* Fl. Theodora. 639, 721
Theodora Quotiniani. 641
Tiberius e xxx Tyrannis. 601
Timolaus. 597
Titiana Pertinacis. 626
* Trajanus Pater. 651
Valerianus Cæsar. 596
Valeriani Juniores. 659
Valens Hostilianus. 593
Verus Cæsar M. Aurelii F. 658
Vespasia Polla Vespasiani Mater. 620
Vespasiani Liberi. 650
Vettanio. 91, 601
Vhaballathus. 597, 598
Victoria. 636, 719
L. Vitellius Pater. 650, 736
* Vitellii Liberi. 649
* Zenobia. 636, 637

INDEX

Vocum Orientalium Hebr. Talmud. Syr. Chald. Arab. quæ in his Dissertationibus obiter illustrantur ac explicantur.

العرقة cibus è butyro & dactylis. p. 330
אצטרובלין Strobilus. 271
اشا Palma humilis. 302
בהמות Hippopotamus, Bocharto Elephas. 132
بلوشيطن Balaustium. 274
גמלא פיתא Camelus volans. 136
גריפו Gryphes. 234
غزال Gazella, dama Africana. 156
דקלא & דקל Palma. 324
دقل idem, *item* pars Arabiæ. 316, 324
ذوالقرنين Bicorniger Alexander. 347
הפוך gemma, stibium, nigredo oculorum. 371, 372
وقل Palma humilis. 302
חמר & המרא vinum. 331
חמר turbare, incalescere. *ibid.*
חן festum. 446
חצב Hedera, Palma. 327
חער עמרא Messis manipulorum. 445
טטר אמולין Tetramulis, quadrigæ mularum. 320
ירוד draco. 278
כר ovinum genus, כרים Aries bellicus. 354
كحل stibium, nigredo. 372
جلنار flos agrestis punicæ. 274
مقل palma pumila. 305
موخف cibus è butyro & dactylis. 330
نخل & تخل selegit. 330
נקלס *Nicolai* de palmulis seu placentis. 329
סוח natare, rigare. 320
סוס אדם ἱππάνθρωπος seu Centaurus. 240
סכה antrum, spelunca. 150
ספירת העומר numerus manipuli. 445
פטן & פיטין dives pecorum. 306
צנין palma humilis. 302
קרייטא Caryota, nucalis palmula. 329
קרייטי vinum. 331
קציר messis triticea. 445
קרן cornu, corona, splendor. 368, &c.
قروش circus demissus seu tortus. 368
קשב palma præstantissima. 333
ראם monoceros, Capra. 146, 147
רגלא & רגל festum majus. 446
راعل & رعل palma mas, dactyli viles. 303, 316
שבעית septimana, Pentecoste. 445
שוחא fossa. 319
שוח & שחה deprimere. *ibid.*
שיר canticum. 224
שכר sicera, vinum. 331
سكر ebrius fuit, inebriavit. 331
سقر rigare, *item* palmas colendas dare. 320
سقر nubes, palma. 320
שרר principatum tenere. 301
תכלא Tacla. 325
تمر dactyli sicci, tragema. 325

INDEX GEOGRAPHICUS

Regionum, Urbium, Montium, Fluminum, quæ præferunt Nummi antiqui in hoc Opere adducti aut illustrati.

Ἀβδηριτῶν *Abdera.* 907
* Ἀβωνοτειχέιτων *Abonoteichus.* 166, 176, 177
Ἀγκυρανοῖς & Ἀγκύρᾳ *Ancyra.* 77, 386, 652
Ἀγυρινέων *Agyrina.* 357
Ἀγχιαλέων *Anchialus.* 185, 777
Adiabene. 834
Ἀδικηνῶν. 898
Ἀδράμυνων *Adramyta.* 903
Ἀδραμυττηνῶν *Adramytus.* 908
* Ἀδριανοθηρειτῶν *Hadrianothiras.* 654, 656, 917
Ἀδριανοπολίτων *Hadrianopolis.* 186
Ἀδριανῶν πρὸς Ὄλυμπον *Hadrianum ad Olympum.* 894
Ægyptos. 215
Ἀθηναίων & Ἀθηναίων *Athena.* 72, 272, 384, 793, 908
Αἰζανέιτων *Æzana.* 54
Αἰζανίτων & Αἰσανίτων. 907
Ἀκαρνανῶν *Acarnanenses.* 359
* Ἀκμονίων *Acmone.* 615, 907
Ἀκραγάς *Agrigentum.* 84
Ἀκρασιωτῶν *Acrasus.* 898
Ἀκτίων *Actium.* 123
Ἀλαβανδέων *Alabanda.* 644, 647
Ἀλαΐων Κιλίκων *Alæ Cilicum.* 230
Alemannia. 750
Ἀλεξάνδρεια & Ἀλεξανδρέων *Alexandria.* 58, 793. *Alexandrea.* 79, 825
Ἁλικαρνασσέων *Halicarnassus.* 789
Ἀλινδέων *Alinda.*
Ἀλισαρνέων *Alisarna.* 196
Ἀμάσια *Amasia.* 201, 776, 885
Ἀμασίας & Ἀμαζείας. 907, 913
* Ἀμαστρις. 491. Ἀμαστριανῶν. 175, 466, 487, 621
Ἀμίσου *Amisus.* 81, 652, 783, 871, 915
Ἀμφιπολέιτων *Amphipolis.* 174, 416, 621
Ἀναζάρβου *Anazarbus.* 903
* Ἀνδρέων *Andrus.* 170
Ἀγκυρανῶν *Ancyra Phrygiæ.* 570, 571
Ἀντιοχέων *Antiochia ad Orontem.* 567, 590, 789, 793, 866, 867, 913
Ἀντιοχέων πρὸς Εὐφράτῃ *Antiochia ad Euphratem.* 889
Ἀντιοχέων Μιανδρῷ *Antiochia ad Mæandrum.* 888
Ἀντιοχέων ἐπὶ Ταύρῳ *Antiochia ad Taurum.* 894
Ἀπαμέως, Ἀπαμέων *Apamea Syriæ.* 385, 446, 476, 693, 778
Ἀπαμέων Μαρσυας Κίβωτος *Apamea Phrygiæ.* 890
Ἀπαμέως πρὸς Μαίανδρον *Apamea ad Mæandrum.* Eadem. 306, 888
Ἀπολλωνιάτων. 908
Ἀπολλωνιατῶν πρὸς Ῥυνδάκῳ *Apollonia ad Rhyndacum.* 889
Ἀπτέρων *Aptera.* 226
Arabia. 135, 335, 777, 827, 835
Ἀργαίου *Argæus mons.* 892
Ἀργιλ& *Argilus.* 913
Ἀρισβέων *Arisba.* 907
Ἀρκάδων *Arcades.* 653
* *Armenia.* 830, 831, 834, 835
Ἀρμοσατηνῶν *Armosatta.* 903
Ἀσίας *Asia.* 188, 825, 827, 828, 887
Ἀσιβαίων *Asiba.* 898
Ἀσκαλωνέιτων *Ascalon.* 868, 908
Assyria. 834

Ἀτη-

Ἀτταείτων Atta. 898
Αὐγυστῆς Τραιανῆς Augusta Traiana. 771, 772
Africa. 825,827
Ἀχαιῶν Achaia. 411,652,827
Babylonia. 834
Βασηρίων. 898
Βειθυνίων Bithynium. 652,653
Βειθυνίας Bithynia. 825,827,885
Βηρυτῆς Berytus. 444
Βιτερρήνων Biterra. 904
Βιαττῶν. 898
Βιζυηνῶν, Βυζυηνῶν & Βιστλωῶν Bizye. 561,909
Bononia Oceanensis. 892
Βορυζηνῶν Boryza. 77
Βόστρα Bostra. 777,913
Brettania, Britannicus & Britannia. 843, 909
Brundusium. 196
Βρυττίων Bruttium. 395
Βυβλίων Byblus. 76,306
Βυζαντίων Byzantium. 201,556,652,794
Γαβαλίων, Γαβαλίτων Gabala. 306,779, 912
Γαβηνῶν Gaba. 898
Γαδαρίων Gadara. 306,870,907
Γαδειρέων Gadara.
Γάζα, Γαζαίων, Αζίων Gaza. 61,869,870
Gallia. 827,846,847
Γέλας Gelas. 55,68
Germania. 272,835
Γερμανῶν Germe. 909
Γλαῦκος Glaucus fl. 890
Gothi. 831
Γορδηνῶν Gordium. 907
Γορτυνίων Gortyni. 484
Γυθαίων. 907
Dacia. 727,834
Δαλδιανῶν Daldiani. 693
* Δαμάσκου & Δαμασκηνῶν Damascus. 306,318,779,912
Danuvius fl. 78,834,858
Daphne Constantiniana. 777
Delmata. 905
Δελφῶν Delphi. 197
* Διονυσοπολείτων Dionysopolis. 186,904
Διοπολίτων Diopolis.
Διοσπολίτων. 906
Δοκιμίων Docimus. 912
Δουμαθηνῶν Doumatha. 190
Δυῤῥαχίων Dyrrhachium. 512
Δῶρος Dora. 779
Δώρων Dorienses. 883
Εδεσταίων, Εδεσσαίων, Εδεσσηνῶν Edessa. 58, 87,90,910
Ελευθερναίων Eleutherna. 902
Ελλάδος Graecia. 887
Εμεσηνῶν Emesa. 58
Εμπορείτων Emporium.
Εννα Henna. 156,238
Εντελλάνων Entella. 272
Επιδαυρίων Epidaurus. 183,477
Επείρου Epirus. 407
Ερμιονίων Hermione. 904
Ερυκείνων Eryce. 124
Εὐβοίων Euboea. 144,172
Εὐμενίων Eumenia. 771,890
Euphrates. 834,858
* Ἐφεσίων Ephesus. 69,570,575,618,621, 724,743,745,746,781,789,792,793, 794,886
Ζευγιτῶν. 278,898
Ζευγματίων Zeugma. 210
Ζιφυρίων. 210
Σμυρναίων Smyrna. 75
Hibernia Sentia. 891
Hiberus fl. 891,902
Ἡσμηρίων Hismene. 74
Hiſpania. 151,825,827
Ηλείων Elei. 75
Ηλιοπολειτῶν ἐν Λιβάνῳ Heliopolis ad Libanum. 58,794
Ηλιόπολις, Ηλιοπολίτων. 912
Ηρακλέας ἐν Πόντῳ Heraclea Pontica. 229
Ηρακλείτων Heraclea. 779
Ηψας vid. Υψας.
Θασίων Thaſus. 239,272,288,383
Θηβῶν Thebæ. 73
Θυατειρηνῶν Thyatira. 793

Θιε-

Θερμῖται Therma. 908
Θερμαίων Therma. 898
Ιεραπολίται Hierapolis. 307,745,793
Ιεραπυλίων Hierapytna. 305,307,901
Ιεροκαισαρέων Hierocaſarea. 897
Ιλιέων Ilium. 145,417
Ιμεραίων Himera. 68,73,74,158
Ιουλιῆς Julienſes. 570,571,652
Iſcanius. 845
Ιστρον Iſter fl. 889
Italia. 800,804,812,825,829
Judaa. 326,749,825,835
Ἰώνων, Ἰωνία Ionia. 883,897
Καδωσῶν Cadoëni. 621
Καισαρείας Caſarea Paleſtinæ. 56,306
Καισαρείας Ὑπ. Πανείῳ Caſarea Panias. 781,895
Καισαρείας Caſarea Cappadociæ. 892,893
* Καισαρείας Γερμανικῆς Caſarea Germanicia ad Euphratem. 590
* Καλύκαδν@· Calycadnus fl. 786,886, 902
Καλχηδονίων Calchedon. 76,652,901
* Καμάρας Camara. 307
Καμαρεαίων Camarina. 68,73
* Cappadocia. 428
Carpi. 836
Καρρῶν Carræ. 56,58,307,727,777, 912
Καρχηδόνων Carthaginenſium. 82,575. Karthago. 81,380,727. Carth. 804
Κατιναίων Catina. 166,271,370
Κωλωνιάται Caulonia. 68,336
Κεφάλαι. 898
Κερατάπιον Cerotapi. 905
Κήτει@· Ceteius fl. 485.891
Κιανων Ciani. 693
Κιλίκων Cilice. 230. Cilicia. 825,826,827
Κλαυδιοπολίται Claudiopolis.
Κνιδίων Cnidus. 629
Κνωσίων Cnoſſus. 475
Κοίλη Συρία Cœle Syria. 896
Κομανῶν Comani. 897
Κομμαγηνῶν Commagene. 339,420
Κοπῖται Coptus. 261
Κορκυραίων Corcyra. 238
Coſſura. 906
Κοτυαίων Cotya. 905
Κρηναίων. 188
Κρίπα Κριτίων Critia. 771,902
Κροτωνιάται Crotone. 75
Quadi. 832,836
Κυδωνίων Cydonia.
Κυζικηνῶν Cyzicum. 73,385.693,793
Κυμαίων Ξάνθ@· Cuma Pamphylia ad Xanthum. 890
Κυμαίων Cumæ Italicæ. 890
Κυπρίων Cyprus. 563
Κυρηνῆ Κυρηναίων Cyrena. 254,771,789
Κυρρήσων Cyrrhus.
Κυθρίων Cytorus. 123
Κωίων Coos. 182
Λαδίων. 907
Λακεδαιμονίων Lacedæmon. 793
Λαμψακηνῶν Lampſacus.
Λαοδικείων Laodicea. 200,562,692,743, 755,779,793.868,896
* Λαπηθίων Lapethus. 313,901
* Λαπίθαι Lapithæ. 382
Λαππαίων Lappa. 312,901
Λαρισαίων Lariſſa.
Λεβεδίων Lebedus. 239
Λεοντίνων Leontium. 73
Λέσβος Lesbos. 886
* Λημνίων Lemnus.
Λιβάνου Libanus Mons. 794
Λιλυβαίτων Lilybæum. 175
Λιπαραίων Lipara. 68,73
Λοκροπελήται. 898
* Λοπαδηνοσσῶν Lopadouſſa. 204
Λυδίας Lydia. 887
Lugdunum. 847
Μαγνήτων Magneſia Theſſaliæ. 242,307
Μαγνήτων Magneſia ad Mæandrum. 621, 887
Μαγνήτων Σιπύλε Magneſia ad Sipylum. 894
Μαιανδρ@·, Μαιανδρ@· Mæander fl. 888
Μαιόνων Maonia. 222
Μακεδόνων. 58,367. Macedonia. 825,827

Μαμερτίνων Mamertum. 268
Μαρκιανοπολειτῶν Marcianopolis. 156,772
Μάρσυας Marsyas fl. 890
Μαρωνίτων Maronea. 73,356,383
Μασσιλιωτῶν Massilia. 85
Mauretania. 825,827
* Μεγαρεὺς Ὕελας Megara. 356
* Μέλης Meles fl. 487,490,891
Μεσσαίων Messina.
Μητροπολειτῶν Metropolis. 72,636,897
Μητρόπολις. 908
Μιδαίων Midaum. 905,907
Μοτιαίων Motieum. 73
Μυλασέων Mylasa. 905
Μυνδίων Myndium.
Μυρινναίων Myrina.
Μυτιλωναίων Mytilene. 350,637,794,885, 901. Ulpia Mytilene. 185
Νακολίων Nacolia. 904
Νεάπολι, Νεαπολίτων Neapolis. 909
Νεάπολι Σαμαρείας Neapolis Samaria. 769, 897
* Νικαιῶν, Νικαίων. 145,241,246,247, 248,383,565,567,600,728,794,796, 883,884
Νικομηδέων, Νικομηδέων. 167,175,199, 300,564,567,647,652,778,885. Nicomedia. 827
Νίσσι. 773,908,909,913
Νέστ Nestus fl. 889
Νικαιῶν. 912
Νικηφόρων Nicatoris. 376
Νικοπόλεως πρὸς Ἴστρον Nicopolis ad Istrum. 75,185,883,889
Νικοπόλεως πρὸς Νέστον Nicopolis ad Nestum. 772,889
Nilus. 132
Νυσαίων Nysa. 82,143
Noricum. 844
Numidia. 828
Ξάγαρις Xagaris fl. 53,890,902
Ξάνθ Xanthus fl. 890
Ὀδησσιτῶν Odessus. 902
Ὀλυμπ Olympus mons. 894
Ὀρικος. 58
Ὀσσαίων. 75,899,908
Osca. 71
Πάθμος Pathmus. 902,913
Παλαιστίνη Palestina. 834,896
Παμφυλίων Pamphylia. 897
Παιονίου Paneos mons. 895
Πανορμειτῶν Panormus. 68,161,235,288, 302,358,429,908
Παραιωνίων Paretonus. 779
Parthia, Parthi. 830,835
Πατρέων Patrae. 56,58,564
Παυταλίων Pautalia. 145,184,772,901
Πάφιοι Paphus. 336
Πελινναίων Pelina. 902
Πεπαρηθίων Peparethus.
Περγαίων Perga. 782,793
* Περγαμηνῶν Pergamus. 295,479,485, 553,792,793,794,883,884
Περινθίων Perinthus. 229,793,796,826, 883
Πέτρα Petra. 913
Πιερίας Pieria. 888
Πισαυρέων Pisauri. 196,229
Πλωτινοπολειτῶν Plotinopolis. 572,772
Πολυρηνίων Polyrene. 902
* Πομπειοπολειτῶν Pompeiopolis. 527,529
Πόντ Pontus. 229
Ποσειδωνιατῶν Posidonia. 276
Πρασσίων Praesa. 308
Προυσέων Prusa. 78
Προυσίων πρὸς Θάλασσαν Prusienses ad Mare. 77
Προυσίων πρὸς Ὕπιν Prusienses ad Hypium fl. 77,889
Πτολεμαίων & Πτολεμαϊτῶν Ptolemais. 912
* Πυλίων Pilei. 353
Ravenna. 727
Ῥαφία Raphia. 913
* Rhenus fl. 360
Rheticus. 843
Ῥησαινησίων Rhesaina. 773,899
* Ῥοδίων Rhodus. 227,784,790,791
Ῥοδόπη Rhodope mons. 894
Roma. 380,414,417,727,729,851
Ῥύνδακ Rhyndacus fl. 889

Σαγα-

Σαγαλασσεῖς Sagalassus. 904
Σάγαρις vide Ξάγαρις.
Σαλωνίτης Salonita. 571
Σαμάρεια Samaria. 769,770,897
Σάμιος Samus. 491
Σαμοσατέων Samosata. 306,779
Σαμοθράικιος. 898
Σαρδιανῶν Sardes. 76,483,793,887
Sarmatia. 828,836
Σεγεσταίων Segesta. 68
Σέλεινος Selinus fl. 485,891
Σελευκίων. 913
Σελευκίων Πιερίας Seleucia Pieria. 306, 393,787,789
Σελευκίων πρὸς Κιλ. Seleucia Isauria. 786, 888
Σελινουντίων Selinus. 68,73,272,304
Σεπφυρηνῶν Sepfyrus. 58,775. in Adden.
Σερδικῆς Serdica. 185,772,901
Σεριφίων Seriphus. 229
Σιδήτων Side. 793,879,897
* Σιδῶν, Σιδωνίων Sidon. 65,306,379, 779,793,912
Sicilia. 827
Σικυωνίων, Σικυωνίτων Sicyon. 781,912,913
Σίνγαρα Singara. 773
Σινωπέων Sinope. 58,70
Σίπυλος Sipylus mons. 894
Σιφνιαίων. 898
* Σμυρναίων Smyrna. 412,487,492,568, 570,652,693 bis, 787,792,793,884
Στάσις Stasis. 286
Στυμφαλίων Stymphalus. 227,383
Συνναδέων Synnada. 883,903
* Συρακοσίων Syracusa. 73,238,268,385, 788,907
Συρίας Syria. 794. Πιερίας.
Ταναγραίων Tanagra. 591
Ταραντίνων Tarentum. 195,196
Τάρσου, Ταρσέων Tarsus. 209,229,295, 575,629,652,725,776
Ταυρομενίτης Tauromenium. 908
Ταῦρος mons. 894
Τερμησσέων Termessus. 477,478,901
Τεμενοθυρίτης Temenothurae. 898
Τημνιτῶν Temnus. 598
Τηνίων Tenus. 194
Τιανῶν. 591,652,653
Tiberis. 852
Tigris fl. 834,858
Τινδαρίτης. 908
Τόμεως Tomi. 186,883,885,913
Τοπείρα Topirus. 75,185,772,907
Τραλλιανῶν Tralles. 229
Τριπολίτης Tripolis Phœnicia. 69,789
Τριπολίτης Μαιάνδρου Tripolis ad Maeandrum. 888
Τροαδέων Troadenses. 794
Τροιζηνίων Trœzen. 76
Τυρανων Tyras. 191
Τύρος, Τυρίων. 65,306,379,778,793, 865,872,878
Vaccenſis. 845
Ὑπαιπηνῶν Hypaepa. 896
Ὑπίου Hypius fl. 77,889,902
Ὕψας Hypsas fl. 74
Φαλείων Falisci. 59,68,907
Φανέας Phaneas. 896,898,913
Φαιστίων Phaestus. 62
Φιλαδελφίων Philadelphia Lydiae. 896
Φιλαδελφίων Philadelphia Syriae. 771,896, 910
Φιλιππουπολίτων Philippopolis. 75,572
Φλαουιοπολίτων Flaviopolis. 70,771
Φοινικόντων.
* Francia. 750
Φρυγίων Phrygia. 787,827
Φωκαιέων Phocaenses.
Χαλκιδίων Chalcis. 771
Χίος Chius. 216,221,272,291
Χυλιανέων Chylana. 899
Ωξωτέων vide Οξωτέων.

Municipiorum & Coloniarum Romani Orbis.

Adera. 914
Ælia Capitolina. 58,306,772
Alexandria Troas. 58,767,776
Amandus. 769

Amanobrica. 766,769
Antiochea, Antiochenſis. 58,914
Auguſta Vindelicorum. 268
Berytus. 58,376,727
Boſtra. 58,776
Cæſarea Paleſtina. 69,768,784
Cæſarea Paneas. 914
Calpe. 766
Caracca. 766
Carra. 56,307,877
Carteia. 766
Caſſandria, Caſſandrenſes. 56,58,767
Cibaris.
Claudiopolis. 58
Cœliobriga. 772
Corinthus. 58,196,237,555,767,914
Damaſcus. 59,775,877
Dertoſa. 766,891
Deultum. 58,768,769
Dienſis. 767
Doberos. 768
Edeſſa. 58,90,775
Emerita. 395
Emeſa. 58
Faneſtris. 772
Germeno. 767,909
Heliopolis. 58,775
Henna. 156,906
Hibera Illergavonia, vide *Dertoſa.*
Iadera. 727,768
Italica. 555
Julia traducta. 768
Laodiceon & Laudiceon. 78
Leptis. 58
Neapolis. 767
* *Nemauſus.* 148
Neſibis. 58,773,774
Octaviola. 727
Oricus. 58
Papia. 58
Patræ. 58,647
Pella. 58,376,767
* *Philippi, Philippenſes.* 57,766
Ptolemais. 58,777
Rheſaina. 58,773
Romulenſis ſeu Hiſpalis. 766
Salona. 769
Scodra. 768
Sepphyrus. 58,775,909
Sidon. 776,877,887,914
Singara. 773
Sinope. 58,767,769
Stobenſium. 58,767,901
Tarraco. 417
Tarſus. 785
Theſſalonica. 58,877
Trajanopolis. 772
Tyrus. 58,907,913. *Septimia.* 300, 773,877. *Eraclia.* 300,877
Valentia. 766
Viminiacum. 777,876
Ulia. 766,901
Utica. 768

INDEX
Rerum & Verborum memorabilium.

A.

A Argivorum nota in nummis. Pag. 477
AX Achæorum nota in nummis *ibid.*
A longum geminatum in nummis Romanis. 79
Abgari Regis nummi & vera scriptura, 86. cur *Magnus* in iisdem dictus, 421, 422. ad Christum responsum in portis Edessæ pro munimento. 775
Abies Germaniæ insigne in nummis. 272
Abolitio Reliquorum seu Vectigalium, 815, 16. item criminum. 816
Aboni Murus vel Castrum, & renatus ibi Æsculapius. 276
Aceïus cum Æsculapio cultus Epidauri. 248
Achaia quando Populi quando Cæsaris Provincia. 563, 564
Acheloi fluvii effigies cum cornu Taurino. 359
Acta Cæsarum in nummis, 760. mutila in Historia Augusta, 761. ad suos annos revocanda. 860, 861
Actis & Legibus nomina simul imperantium vulgo præscripta. 685
Adfinitatum aut adfectus tituli in nummis & quales. 753, 756
Adimmayn Capræ Africanæ quales. 159
Adlocutiones Augustorum, Militum, Cohortum in nummis, 840. earum ratio & ritus de suggestu, 841. Augustorum prærogativa aut summorum Ducum, 841, 842. quando fieri solitæ, 842. non impune omissæ, *ibid.* ab equitantibus quandoque factæ. 842, 843
Admirandis præpositi qui olim. 10
Adoptati cognomen antiquum retinebant, 597. nomina adoptantium præmittebant. 594
Adventus Principum, 115. per figuras Equestres in nummis, 248. Adventus Mauretaniæ in nummo Hadriani, 815. item Africæ, Alexandriæ &c. *ibid.*
Adventui Aug. Ciliciæ, 826. typi ejusmodi Adventus & sacra peracta, *ibid.* Adventui Aug. Felicissimo, *ibid.* felicitas inde Provinciarum. 827
Ædes Vestæ, 577. Veneris Erycinæ, Jovis Capitolini, Honoris, Clementiæ, *ibid.* Jovis Cap. sub Vespasiano refecta. 881
Ædiles Curules curatores Urbis, annonæ, ludorum, quibus symbolis in nummis designati, 545, 546, 548. frumentum populo in modios dividentes. 547
Ædiles Plebis in nummis, 548. Ædiles Cereales de iisdem. *ibid.*
Ægyptiis familiaris terminatio in *u*, ut Σωτ, 150. idioma adfine Hebraico, *ibid.* Gentilia apud eos vulgo desinentia in ιτης. 912
Ægypti insigne in nummis Hippopotamus, Crocodilus, 151. Sphinx, 215. Palmis eadem ferax. 314
Ægyptiorum mos Deos per animalia effingendi, 354. in Templis & Columnis historia rerum gestarum. 943
Æneas Anchisem ferens in nummis. 338
Æneadæ dicti Romani in genere, tum gentiles Julii. 536
Æoles Bœotii. 63
Æra Alexandrina Arab. *Dalkarnaim*, 347. è nummis illustrata, 865. celebris apud Arabas & Christianos, *ibid.* Antiochenæ Æræ nobilitas & vestigia in nummis, 866, 867. Laodicensium, 868. Ascalonitarum, 868. Gazæorum & unde, 869. Gadarorum & unde, 870, 871. Amisenorum, eaque à victoria Actiaca, *ibid.* an duplex Æra eorundem, aut eadem cum Philadelphensibus. 871
Æra Tyriorum unde, eademque contra Scalig. è nummis asserta, 872. in Actis Concilii Calched. & unde. 877. *& seq.*
Æræ in nummis adscriptæ quam utiles & notandæ, 865. Æræ ab anno deductæ Coloniæ, & exempla è nummis, 876. Æra à Novo Templo Jovis Capitolini. 865
Ærarii cura penes Quæstores, 552. dein penes Comites Sacrarum Largitionum. 824
Æsculapius Epidaurius in nummo, 183. cum Insula Tiberina in alio, 181. Salutares ejus Epiphaniæ, 182. Σωτὴρ in nummis Coorum, *ibid.* Nicænsium. 248, 383
Æsculapius imberbis cum fructu sativæ Pinus, 271. curans equos simul & homines, 248. sub Glauconis nomine & effigie Draconis, 177, 180. cum Draconis aut Serpentis notis alibi 183
Æsculapii fana Romæ extra urbem, apud Græcos in sublimibus locis, 183. Pergami conditor, ac inde ibi cultus. 483, 485
Æterna Memoria in nummis. 116
Æthiopia monstris ferax. 234
Africæ symbolum in nummis Cornu Taurinum, 366. item Leones, Elephantes, Pegasi, 228, 239, 574. Terra Spicarum dicta, 366. Africæ & Siciliæ commercia, coloniæ, 558. Augustorum in Africam indulgentia. 804
Africanus Major unde dictus. 529
Agatharchides non Cretensis sed Cnidius. 399

Agathoclis nummi plerique sine diademate, 469. cum diademate recentiores, 469, 470. corona myrteâ usus & quare. 471
Ἀγαθὸς Δαίμων in nummo Ægyptio, 188. de bono seu propitio Genio, 654. Ἀγαθὸς Ἥρως Antinous in nummo & quare. 655
Ἀγγεῖα vasa cum Creticis plantis. 310
Agnomina & Cognomina an diversa. 522
Agrippæ cognomen vice gentilis, 523. unde dictum. 525
Agrippa gener Augusti in nummis cum quibus symbolis. 642
Agrippæ Judæorum Regis ultimi nummi cum annis regni, 863. iidem inde adserti. ibid.
At pro Æ. Diphthongo in antiquis nummis. 80
Alces in ludis Sæcularibus & nummis Philippi, 152. in ludis Cati, 154. dividiæ auctorum de figura earundem, 152, 153. recentioribus vulgo *Elend*, ibid. fera Hercyniæ sylvæ, 154. Capris consimiles sed majores, ibid. feminæ sine cornibus, ibid. figura è nummis adserta. 153, 154
Alemannici cognomen quando receptum, 749. à Germanico distinctum, 750. Alemannia qualis, 749. in nummo, 750. Alemanni truces olim. 752
Alexander M. studiosus antiquitatis, 10. nummi ejus cum variis symbolis indicibus locorum, ubi iidem cusi, 143. cum leonis exuviis tanquam ab Hercule, 344. corniger in nummis & quare, 346. inde *Dulkernajm* seu Bicorniger Arabibus dictus, 347, 348. non ob Orientis & Occidentis cornua juxta eosdem, ibid. Successores ejus *Bicornigeri* in Oriente adhuc dicti. 348
Alexandria frugibus ferax, 190. frumentum Alex. & Alexandr. status in Codice, ibid. Symbolum in nummis, mulier cum cornucop. & spicis. ibid. commeatus inde Constantinopolim delatus. ibid.
Alexandria Troas ubi Lucas Euangelium annuntiavit. 776
Alimenta Italiæ in nummo Trajani, 822. Alimentorum curatores. ibid.
Amasia dicta in nummis *Hadriana*, *Severiana*, *Alexandrina*. 301
Amastris Ponti Regina Darii neptis non soror eadem in nummo, 464, 465. Cratero dein Lysimacho desponsata, ibid. variæ ejus declinationes Ἀμάστριος, Ἀμαστριὰ Θ- & Ἀμαστρι Θ-, 466. postrema adserta, ibid. filius ejus & Lysimachi Alexander. ibid.
Amastris urbs Pontica ab eadem condita, 466. ex quibus oppidis, 490. sapientiæ & litterarum studiis clara, ibid. cur in ejus nummis Homerus & Meles fluvius, ibid. an colonia Smyrnæorum inde statuenda. ibid.
Amici Regum & Cæsarum qui, 448. iidem Adsessores & Consiliarii, ibid. conjuncti cum Comitibus Augustorum, ibid. Amici Cæsarum Reges, 449. Amicorum id genus variæ classes, ibid. amicus Dei quis. 450
Amissus quando libera, 783. ejus Æra à parta libertate. ibid.
Ammonis Libyci vera effigies è nummo, 349, 351. Græcorum Ammon qualis, 350. simulacrum apud Arcadas. 352
Ammonia Juno apud Elæos culta, 353. in nummo Pyliorum. ibid.
Amphidromia festum natalitium. 203
Amphitheatrum à Gordiano restauratum ex ejus nummo, 858. cum parte domus aureæ. ibid.
Ampliator Civium in nummis. 306
Ἀναγώγια festum Veneris abeuntis apud Erycinos. 125
Ἄναξ propriè σωτὴρ. 382
Anastasis sepulcrum servatoris seu ædicula eidem superimposita. 859
Anchusa inter pigmenta muliebria. 284
Ancyra alia Phrygiæ alia Galatiæ. 571
Angariæ & Parangariæ à Veredis distinctæ. 803
Animalia quibus Diis sacra è nummis, 123. variorum figuræ in iisdem, 129. item fabulosa, 208. item monstrosa. 245, 246
Animalia humana & belluina forma apud Ægyptios, Æthiopes, 213. Hieroglyphica in nummis Ægyptiis, 245, 246. in nummo Nicæensium singulare. 246
Animalia peregrina in ludis, 147. Symbola in nummis locorum & victoriarum. 228
Animal cum cornu Arietino & capreoli pelle. 163
Annonæ curandæ munus olim magnum, postea vile, 547. procuratio quibus credita, ibid. Annonæ Civicæ quales, 820. distributio menstrua Romæ. 821
Anni imperii primum in nummis Justini & Justiniani, 861. antea anni Consulatuum & Tribunitiæ Potestatis, ibid. ab his anni Cæsarum computati. 873, 874
Anni & series Regum exterorum è nummis, 862. Ariarathis, Ariobarzanis, Agrippæ juniotis. 863, 864
Anni in Syriâ Præsidum Romanorum nominibus signati. Exempla è nummis. 868
Anser Isidi sacer. 266
Antia gens Romana unde. 535
Antinous cum Pegaso in nummo, 239. Gryphi alis in cœlum vectus, ibid. loto coronatus in nummo, 262. quæ vulgo ejus symbola in nummis, 652. Ἥρως item Ἀγαθὸς Ἥρως quare in iis dictus, 652, 654, 655. item Θεὸς, 656. cur

cur instar Mercurii depictus, 653. à quibus nummi ejus percussi, 662. cur apud Arcadas cultus, 653. Templa ejus & Sacerdotes, 654. Confessor Deorum quo sensu dictus. 657
Antiochia à quo deducta contra Scaligerum, 755. princeps urbium in Oriente & Epidaphne dicta, 777. Antiochensium symbolum in nummis Aries cum stella. 567
Antiquæ supellectilis pretium apud veteres. 5, 6, &c.
Antiquarii hodierni quomodo olim dicti, 8.
quinam Augusto fastiditi. 10
Antonia gens ab Hercule, 535. M. Antonius cur Ἀρχηγὸς in nummo, 540. M. Antonii & Cleopatræ nummi Anagniæ percussi. 583
Antonini quot & quales Cæsares dicti, 753. Divus Antoninus quis in libris Juris. 754, 755
Apamea Cibotus unde dicta. 890
Aper marinus, 204. item in Acheloo amne, *ibid.* Plinio male *Caper*, *ibid.* apud Argivos frequens unde proverb. 205. an idem cum Phagro, *ibid.* Aper & fluviatilis Porcus distincti. 208
Apes sapientiæ & dignitatis symbola, 128.
Apium in nummis Selinontiorum, unde loco nomen. 272, 338
Apis Ægyptius quomodo & quare pictus in nummo Antinoi. 655
Apollinares ludi in nummis quomodo designati. 574
Apollo idem cum Æsculapio, 175. ἰατρὸς seu vaticinando peritiam inspirans, 180. Monetalis. 19
Aquæductus inter opera Principum, 581. Aqua Marcia in nummo, 582. Claudia in alio, *ibid.*
Aquila Jovi sacra, 123. Symbolum providentiæ, divinitatis, imperii in nummis, 128. duæ Aquilæ symbola Orientis & Occidentis, *ibid.* bibens è cyatho in nummo, 145. Draconem unguibus tenens insigne Spartanorum, 191. cum fulmine. 298
Aquila frequens in nummis Cretensium, 415. cum Serpente in nummis Nicomediæ, 191. signum Legionis quomodo in nummis. 558
Ara ad quam Romæ jurabant Judices. 578
Arabiæ symbolum in nummis Camelus. 151, 335
Arabia capta, Adquisita item Augusto Provincia in nummis. 835
Arbores ferentes flores sine fructu, 275. eædem alibi frugiferæ alibi steriles, 276, 316. pro soli ratione variant. 293
Arcades Bithynii origine, 653. hinc Mercurius in eorum nummis. *ibid.*
Arcus Scythici seu Parthici figura, 54, 290. arcus Herculis Scythicus, *ibid.* arcus & jaculum Persarum & Parthorum arma. 287
Arcus seu fornices in nummis Augusti, &c. 856. Trajani, 857. ejus rudera in Arcu Constantini, *ibid.* Romanis olim *fornix*, 857. Arcus Caracallæ, 857. *Portugalliæ* vulgo & quis olim. 859
Argæus mons à Cappadocibus cultus, 892. sub eo sita Cæsaria Metropolis. *ibid.*
Aries sylvestris apud Afros, 163. figura è nummis, *ibid.* cum capitis ornamento in nummo Ægyptio, 267. Antiochensium symbolum. 567
Arion Delphino insidens Corinthiorum insigne. 197
Armenia & Mesopotamia in Potestatem P. R. redactæ, in nummo, 834. Armenia Capta, Devicta, Recepta in aliis, 835. Armeniæ Captæ typus in iisdem, *ibid.* Armeniorum pharetræ. *ibid.*
Armeniæ Satrapæ insignia ab Impp. Romanis mutuantes, 831. Armeniis Reges Dati à Romanis in nummis. 830, 831, 832
Aroë dictæ Patræ. 647
Arsaces an dicti omnes Parthorum Reges. 430
Arsinoë urbs Crocodilorum. 197
Ἀρχιερεὺς de Pontif. Max. Romanor. 539. item Sacerdos Communis Asiæ in nummis, *ibid.* Sacerdos Provinciarum, 692, 693. Ἀλύβιος seu perpetuus, 696. Ἀρχιερεῖς Christiani Antistites, 700. Ἀρχιερωσύνη & Ἱερατικὸς discrimen, *ibid.* Ἀρχιερεῖα de Vestalium Maxima. *ibid.*
Ἀσιάρχης nomen commune Rectoribus Provinciarum Augusti & Populi. 571
Asandri nomen familiare Bosporanis Regibus. 462
Ascetarum indumenta ex arborum foliis aut exuviis animalium. 346
Ἀσέβεια de crimine Majestatis. 722
Asiæ Proconsules in nummis, 570. Sacerdotium, 692. Commune XIII. urbium è nummis. *ibid.*
Asiagenes Scipio non Asiagetes. 526
Asiarchæ & Ἀρχιερεῖς iidem in priscis monumentis, 692. Asiarchæ varii in nummis Smyrnæorum, 692, 693. eorum munus, numerus, sedes, &c. 694. dignitas non perpetua. 695
Asinorum usus in re vehicularia. 802, 810
Aspis in nummo cum Papavere & Spica, 189. varia ejus magnitudo, *ibid.* culta apud Ægyptios, *ibid.* cum ornamento capitis in nummo. 283
Ἀσυλία in nummis Cliotum. 221, 791
Assiduus pro perpetuo seu Ἀλύβιος. 704
Assyria & Palæstina in Potestatem P. R. Redacta in nummo Trajani. 854

Asy-

Asylum in nummo Lappæ Creticæ urbis, 312. item variarum urbium Asiæ, Græciæ ante & sub Cæsaribus, 778, 779. origo à Templorum sanctitate, 781, 782. Asyla modo Templa, modo pars urbis, modo urbs integra, modo agri vicini, 781. Sacellum Romuli, 781. in quo positum jus Asyli, 783. publico ære signatum. *ibid.*
Athenienſibus & Rhodiis jus civitatis commune. 795
Attici uſi paſſim antiquo Alphabeto. 73
Atys cum pileo Phrygio in nummo. 625
Aves Tiaræ inſculptæ. 458
Auguris ſymbolum Lituus in nummis, 540. titulus in nummis Cæſarum ſervatus, 541. dignitas, prærogativæ. *ibid.*
Auguſtarum quæ virtutes juxta nummos, 94, 95 honores quales & unde, 602, 603. privilegia, 604. quæ ita dictæ nec uxores ſolum ſed Matres, Aviæ, Filiæ, Neptes Auguſtorum, 604, *&c.* neque omnes tamen uxores eorundem, 605, 606. an Meſſalina in nummis, 616. Auguſtæ nomina mutantes. 630
Auguſtus ſtudioſus veterum nummorum, 11. circa imagines illuſtrium, 36. de ejus horoſcopo & natali diſſidia, 209. Rheticis vinis delectatus, 220. cum fulmine in nummis, 395. Deus in iiſdem. 416, 417
Auguſti appellatio unde Cæſaribus tributa, 677. cur ſola in variis nummis Cæſarianis, *ibid.* & 678. prima inter titulos ab Impp. aſſumptos. 679.
Αὐγοῦστι quando in Græcis nummis, 684. Αὐγούστε & Σεβαστῆ diſcrimen, *ibid.* Auguſti plures in nummis A A vel A A A & quare inſcripti. 685
Αὐτονομοῦσαι dictæ urbes metropoles. 687
Autonomia ſignata in variis nummis urbium Græciæ, Aſiæ, & unde, 789. inde petitæ Epochæ *ibid.* item prærogativæ urbium, 790. inde pretio redempta, *ibid.* in quo eadem poſita. 791

B.

B Pro II Macedonum dialecto, 77. apud Græcos ſæpe confuſa. *ibid.*
B & V apud Romanos permutant. 90
Babyloniæ palmæ Regiæ omnium optimæ. 333
Bacchus cultus apud Thracas, 144, 145, 185. Nicæenſes, quorum Φρατάρχης, 145, 247. cum Pantheriſco, in quem ſcyphum effundit, 165. *& ſeq.* Pantheræ ſuperincubans in nummo, 247. cur Taurina Cornua ei tributa, 357. hinc Ταῦρος & *Tauriformis* dictus, ac *Cyrici* cultus, 355. effigies è nummo, 356. cum uno cornu in alio, 357. Σωτὴρ in aliis nummis, 383. idem cum Sole, 401. Bacchi nomen & habitum qui Reges olim mutuati, 400, 401. item privati, 403. Libertatis Deus & pater. 788
Βάλανος palmæ fructus. 312, 319
Balauſtium flos mali Punici agreſtis, 273. contra Scaligerum *in Add.* uſus apud Rhodios ad tingendas lanas, unde βαλαυστιῶται dicti, 277. Roſam referens, 275, 284. an in nummis Rhodiorum. 273. *& ſeq.*
Baſilica Æmilia in nummo, 578. Statio dicta *Regia.* *ibid.*
Βασιλεῖς & Βασίλεια Græcis de Imperatoribus Romanis, 686. tam Auguſtis quam adhuc Cæſaribus. 687, 688
Baſiliſcus cum tribus eminentiis in capite. 265
Batti Silphium prov. 256. Battus in nummis Cyrenenſium. *ibid.* & 884
Berytus Metropolis Phœnices ſecundæ, 878. *Felix* in nummis. 727
Biſon Taurus jubatus ac ſetoſus, 170. Hercyniæ Sylvæ item Thraciæ, 170, 171. Biſontis caput Delphos miſſum, *ibid.* idem in nummo, 173. non item in nummis Andriorum juxta Chiſletium. 172. *& ſeq.*
Βίκτωρ *Rex* apud Perſas. 432
Bithynia Pop. Rom. Provincia, 168. è nummis adſertum, 564, 565. ſub Hadriano Provincia Cæſaris facta. 566
Bœotii uſi lingua Æolica. 63
Bona Juno, Bono Deo, &c. in monumentis antiquis, & quare. 654, 655
Bonaſus bos ferus cum jubâ equinâ. 171
Bos fertilitatis ſymbolum, 129. item pacis, 267. miſeriæ. 129
Boſtra Arab. à Trajano ornata è nummis, 776, 777. à Boſtra Jobi matre juxta LXX. Interp. dicta. 776
Botrus in nummis Chiorum, Eutellanorum, Thaſiorum, &c. 272
M. Brutus Cæſaris interfector an ab antiquo Junio Bruto, 536. Cœpio per adoptionem dictus. 523, 524
Byſſinæ veſtes purpureæ, 283. byſſus pro purpura in veteri Fœdere. *ibid.*
Byzantiorum inſigne Luna falcata cum ſtella in nummis, 556, 557. Byzantium Βασιλὶς *Regia*, *Augusta* apud auctores, 687. conditor ejus Byzas. 884

C.

C Pro Τ ἄμμα apud antiquos Græcos, 55. pro G apud Romanos itidem. *ibid.* & 74
Cæſarea Cappadociæ Metropolis olim Mazaca & Eυσε-

Ευσέβεια, 893. à quo dicta Cæsarea, ejus situs, æræ, ac typi in nummis, 892, 893. idem nomen ei in pœnam ademptum & quando. 897
Cæsarea Panias vel Paneas vel sub Paneo à monte Paneo, 895. à Philippo Tetrarcha Cæsarea dicta contra Tristanum, & quando. 895, 896
Cæsariſſæ quales & quando dictæ. 605
Cæsar prænomen in nummis Augustorum, cognomen in nummis candidatorum imperii, 661. quando his primo tributum, *ibid. & seq.* ab eo abstinuit Vitellius, 676. Cæsares vocati Persis Romani Impp. 676. inter Impp. titulos præcipuus. 677
Cæsares laurea redimiti. 681
Cæsennius Pætus Proconsul Asiæ in nummo. 570
Calamus odoratus Arabum in nummo. 335, 336
Calumnia Fisci Judaici sublata in nummo Nervæ, 810. calumniæ litium. 811
Καμήλεα vox parum Attica Photio. 309
Cameli in nummis tum ſaginarii tum dromades, 135. Arabici cum uno gibbo, *ibid.* eorum cum Bactrianis discrimen, *ibid.* Arabiæ insigne in nummis, 561. Camelorum usus in re Vehiculatia, 810. Camelæſia & Camelarii in Digestis. *ibid.*
Cammarus Græcis κάμμαρος aconiti species. 310
Campus Mæandri, Hermi, Caystri medius inter Euphratem & Tigrim, de regionibus fluviis adjacentibus. 889
Canis Dianæ sacer. 123
Capellæ post Camelos prov. Arabum. 160
Capra Jovi sacra in nummis, 123. Caper Baccho, *ibid.* Capratum varietas, 155. Capræ sessorem ferentes in Oriente & Africa, quales in nummis, 159. dictæ Mambrinæ & Adimmayn, *ibid.* Capratum vectura in tyrociniis Romanæ juventutis, 160. pernicitas, 160. Unicornes, Oryges, Rupicapræ, Arab. *Reem, Carcand, Charsan.* 155, 160
Capreæ, Ibices, Damæ, 155. Capræ ad Ovium figuram accedentes, 162. communia utrisque nomina apud Orientales, 163. Caprigenum genus de Capreis. 155
Capricornus abundantiæ & felicitatis symbolum, 128, 209. effigies in nummis Augusti & unde, 209. cum Gubernaculo, Orbe, Cornucop. *ibid.* in variis nummis Græciæ & Orientis, 210. cum Ægipane communio.
Capripes Satyrus Paulo Eremitæ visus juxta Hieronymum. 355
Κάπρος Aper non Caper, 204. Caper piscis Græcis τρίγλη. 208
Caracalla Deus aut Hercules cur dici noluit, 98. Caracalla Commodus in nummo. 755
Carpenta in nummis Augustarum, 613. in pompa Circensi traducta in earum memoriam, *ibid.* honos & prærogativæ vehiculi carpentarii, & quibus concessum. 613, 614
Carpi Scythici belli auctores, 836. à quibus Impp. repulsi & subacti, *ibid.* Carpici cognomen ab Aureliano rejectum. *ibid.*
Carthago *Proconsularis* dicta & quare, 880. *Felix* item & quare. 727
Carus Deus & Dominus dictus adhuc vivus in nummis contra Scaligerum, 418. post mortem Divus, 419. Cari & filiorum tempora confusa apud auctores. 861
Cassander cum & sine nomine *Regis* in nummis, ac unde. 472, 473
Καταγώγια festum Veneris redeuntis apud Erycinos, 125. Καταγώγιον aliud festum apud Ephesios. *ibid.*
Καταῤῥάκτης & Catarracta tam de fluviis, quam de obicibus in iisdem contra Salmasium, 88. fluvii eo nomine, *ibid.* Catarractæ in fluvio Tigri. *ibid.*
Catina in Sicilia Baccho & Cereri sacra, 271. nummi ejus cum iisdem. *ibid.*
Cebi, κῆβοι è Simiarum genere, 213. non una species, 214. κῆβος & κῆπος Græcis. *ibid.*
Censoris officium quid exigat, 106. an in nummis Consularibus expressum, 550. Censor Perpetuus in nummis Domitiani. *ibid. &* 736
Censores qui Cæsares dicti in monumentis antiquis, 735, 736. item L. Vitellius Censor II in nummo, 737. Censores alias nulli privati sub Cæsaribus, 741. Censores municipales. 742
Censura Cæsarum qualis & vis ejus, 733, 741. ab Augusto gesta, *ibid.* Censoria Potestas sub eo reperta, 734. Censura Cæsarum obscura in monumentis antiquis & unde, 734. Actio Censoria in nummo, 737. Censuræ dignitas, prærogativæ, 737, 738. Censoriæ domus nobilitas, 738. Censorii commentarii, *ibid.* Censorium tribunal quale, 738. in Censura Cæsarum quæ mutata, 739. à Cæsaribus intermissa, 741. sub Theodosio frustra revocata, *ibid.* eadem vulgo non iterata. 742
Centauri fabulosi, 240. an à monstruosis hominum & belluarum congressibus, *ibid.* ἀνυπόστατοι, Hebræis similiter *sur Adam*, *ibid.* eorum natales ex Pindaro, *ibid.* mater & femina

in nummis, 241. Baccho militantes, *ibid.* eidem & Apollini in nummis adscripti, *ibid.* sagittarii in nummis, *ibid.* ante Bigas, Quadrigas & cum Victoria in nummis, 242. Herculem fugientes Sitenum cantu interempti. *ibid.*
Centuio militem vite cædens in denario gentis Didiæ. 558
Cerasa à Cerasunte unde Romam adlata. 297
Ceraunus Ptolemæus unde. 392
Cerberus Plutoni sacer è nummo, 125. cum Hercule domitore in nummis Pisauri, Perinthi, Heracleæ Ponticæ, 229. cum Plutone in nummo Trallianorum. *ibid.*
Ceres Hennæ culta, 136. eadem in nummo Hennæ. *ibid.*
Ceruſſa planta à fuco diversa. 248, 371
Cerva cornuta in nummis, 163. quandoque reperta. 164
Cervus Soli & Dianæ sacer, 123. cum corona hederacea in nummo Mithridatis. 267
Cestius Syriæ Præses in nummis. 866
Ceteius fluvius Pergamum præterfluens, 480. inde Ceteii de Pergamenis apud Homerum. *ibid.*
X seu Ch pro K in nummis. 76
Charondas an in nummo Catinensium. 370
Chimæra cum Bellerophonte in nummis Corinthiorum & Seriphiorum, 229. calcans Crocodilum in gemma. 230
Chiorum potentia maritima, virtus, industria, 217. allegorica sapientia & unde, 218. Homeri natalibus inclyti, *ibid.* nummus cum Homeri effigie, *ibid.* eorum vina præstantia, 219. 220. Chios cur στραγγύλος in nummis. 224
Χρυσὸς ἄπυρος male Petavio de auro obryzo. 680
Chydæi palmulæ viles. 328
Cidaris eadem cum Tiara, 456. Diademate revincta, *ibid.* an per diadema intelligatur, *ibid.* & 457. utrumque ab Alexandro à Persis desumptum, 457. eadem insigne Sacerdotum Gentilium, 457. item Christianorum Antistitum. 458
Circus cum Obeliscis, Quadrigis, Euripo, Meta sudante in nummis. 858
Cittia mala an eadem cum Medicis, 293. cittia monstrosa. 294
Civitatibus Asiæ Restitutis in nummo Tiberii, 828. Civitatis jus commune variis urbibus. 795
Clarissimæ quæ mulieres dictæ. 605, 606
Clavus seu gubernaculum in nummis. 101
Clypei in Templis Gentilium ad memoriam rei gestæ. 344
Clementia in nummis, 122. causa J. Cæsaris consecrati. 113
Cnæi prænomen familiare Domitiis, 514, 517. damnatum in Pisonibus. 519
Codices qui antiquissimi hodie. 50
Cognominum apud Romanos origo in Tarquinio superbo, 506. iis distinctæ plures Familiæ ejusdem gentis, 520. eorum varietas in eadem Gente, *ibid.* sub iis occultata vulgo Nomina Gentilitia. *ibid.* & 523
Cognomina Familiarum ignota in nummis, 521. pluribus Gentibus communia, 521, 522. multiplicata & quando aut quare, 522. 533. è quibus fontibus petita, 524. origo in nummis indicata. *ibid.* & 525
Cognomina virilia cum feminina terminatione *Pictæ, Murænæ, Musæ*, &c. 532, 533. cognomina Familiæ à mulieribus quandoque retenta. 509
Cognomen nomini Gentili prælatum quandoque, 503, 504. ut proprium adscriptum sæpe in denariis. 506
Collectores antiqui Familiarum Romanarum, 499. recentiores. 501
Coloniæ & Metropoles vulgo eædem juxta nummos & quare, 57, 880. Coloniæ linguam matricem inferebant, *ibid.* & 156, 913. vernacula loci quando retenta, quando exstincta, 914. quando bilingues, 913. aut sola Romana usæ, 914. Coloniis Romanis adscribendæ quæ Latine inscribuntur, quæ aliàs in Græco aut peregrino solo. 913, 914
Coloniæ insignia antiquæ patriæ retinentes, exempla è nummis, 172, 229, 238, 305, 356, 768, 883. nominibus ejusdem appellatæ, 437. item sacris ejusdem usæ. 653
Coloniarum duces olim pro Heroibus, 556. symbolum Colonus cum Tauro & Vacca, 777. Coloniæ Romanæ diversimode deductæ, & quomodo, 914. deducendarum mos quando defecit, 777. Coloniæ Romanæ ultra Euphratem, 773. Corinthi & Carthaginis deductores, 556. Coloniæ *Beatæ* & *Felices* dictæ, 727, 765. item *Splendidissimæ*. 878
Coloniæ sub Augustis deductæ in nummis quot & quanta inde lux, 765. *& seq.* Juliæ & Augustæ quales, 766. Claudiæ, 768, 769. Flaviæ, 768, 769, 770, 771. Trajanæ, Ulpiæ, Ulpianæ, 771, 772. Æliæ, Hadrianæ, 772. Septimiæ, Severianæ, Antonianæ, 772, 773, 774, 775, 776. Aureliæ, Alexandrinæ, 776, 777. Constantiniana. 777
Columba Veneti sacra in nummis. 124
Coma in nummis Parthorum Regum, 426. origo à Medis. 427

Comitium instar navis in nummo. 578
Commagene herba in nummo. 339
Commercia inter urbes causa concordiæ. 795
Commodiana Colonia de Roma, Senatus Commodianus, Commodiana Herculea de classe. 746
Comparationes de fumentaria coëmptione. 546
Concha purpuræ Tyriæ in nummis. 273
Concordia variarum urbium inter se in nummis earundem signata, 792. & seq. tam ejusdem gentis, quam dissitarum, 793, 794. prior sancita in publicis conventibus, 794. quid notet eadem concordia. 794, 795
Conditorum & Restitutorum nomina pro iisdem, 109. illorum effigies & nomina in nummis, 883. iidem pro Diis habiti, 883, 884. unde origo apotheoseos seu heroici cultus. 884
Congiarium Primum, Secundum, &c. Datum P. R. in nummis Cæsarianis, 818, 819. ratio eorumdem inde eruta, 820. locus è suggestu foro vicino, 820. quando aut qua occasione eadem data, 821. pro quovis munere & donativo militum, 822. usus & nomen etiam sub Theodosio. 824
Connubia inter se aut vicinos modo concessa modo vetita. 795. & Adden.
Contegnare seu συμβασιλεύειν. 688
Consecrationis decernendæ honos penes Senatum. 633
Consensus Exercituum in nummo Vitellii & quare. 847
Constantius cum Constantino consulsus apud auctores, 639. Constantii victoria de Magnentio in signulari nummo. 837
Consulatus in nummis Familiarum Romanarum, 543. per Lictores, Fasces, Sellam Curulem, &c. 544
Consulatus Cæsarum unde, 703. quæ ejus prærogativæ, 705. non continuus, 703. perpetuus Vitellii in nummis & lapidibus, 704. idem dictus, assiduus, jugis, indefessus, ibid. Cæsares decorans, 707, 708. Consulum ordinariorum & suffectorum origo. 704
Consularis Potestas qualis, 569. Cæsarum perpetua, 705. Consulares Matronæ quales apud Romanos, 603. Uxores Consularium non Matres. 604, 605
Consularis Processus è nummis & auctoribus, 705, 706. Consulares pueri aut infantes quando & quales, 707. privati quando à Consulatu submoti. ibid.
Consulares de Legatis Augusti in provinciis, 568. Consulares Provinciæ quales, & quare ita dictæ, ibid. Consularis Tyrus unde in Concilio Calched. contra Scaligerum, 879, 880. Consularis Phœnices. 880
Cooptari de pluribus in eodem collegio, 666. de Sacerdotibus omnium collegiorum. 671
Coptus Urbs, à qua lingua Coptica de Ægypria, 261. nomen ejus unde. ibid.
Corinthus Veneri sacra, 237. hinc Κορινθιάζεσθαι idem quod ἑταιρεῖν, &c. 238. ejus Colonix Corcyra, Syracusæ, ibid. & 883. à Romanis deducta & quibus, 237. ævo Pausaniæ è meris colonis Romanis constans, 914. hinc nummi ejus Cæsariani vulgo cum Romana epigraphe. ibid.
Cornix sacra Apollini in nummis, 123. concordiæ symbolum, 129. cum Corvo confusa. 198
Cornua Orientis & Occidentis, 347. Arietina, Hircina & Taurina Deorum, Heroum, Fluviorum in nummis, 349. Arietina Jovis Ammonis, 349. Junonis Ammoniæ, 353. Alexandri, Lysimachi & quare. 348, 362
Cornua Hircina Panis, Satyrorum in Marmoribus, 354. in nummo Tryphonis, 366. Taurina Isidi, Baccho, Neptuno, Fluviis tributa, 355. cur Baccho, 357, 358. cur Fluviis aut Neptuno, 359, 360, 361. Neptunus πωγωνίας in antiquo marmore. 361
Cornua veteribus pro poculis, 358. & in Adden. de capillis & cincinnis, 368. Cornu Regium insigne, 368. pro Regno & Regibus in Sacto Fœdere, ibid. inter auguria imperii. 369
Cornu Amaltheæ frequens in nummis. 371
Cornua Mosis, vid. Moses.
Cornua unde aut quando in ludibrium maritorum. 373
Cornu Byzantinum per Cornu Cervinum designatum.
Coronarum varia genera in nummis. 267
Corvus sacer Apollini. 123, 198
Cretica urbium nomina è Phœnicum lingua, 306. Cretensium dialectus Dorica, 307. voces ἰδιόγλωσσαι apud Hesychium. ibid.
Creta ἰδιόφυτος & ferax peculiaribus plantis, 310. Botanici in ea ali soliti ab Impp. Romanis, ibid. vasa plena Creticis plantis Romam quotannis missa, ibid. Creticæ plantæ celebriores. 310, 311
Crocodilorum celebritas in ludis Romanis, 148, 150. iidem expressi sæpe in nummis, ibid. symbolum Ægypti, ibid. & 151. fluviatiles & terrestres, ibid. apud Diospolitas in antris educati, ibid. non communis sed topicus Deus quorundam Ægypti locorum. ibid.
Crocodilus δενδρίτης seu Palmæ adligatus in nummo, 149. Crocodili parvi educati prope Calchedonium mare. 150
Crucis signum in Vexillis militum, Diadematibus

tibus, 837. in nummo Heraclii & quare. *ibid.*
Cupido Hino insidens in nummo, 160. item Delphino cum flagello, 199, 200. Tigridi. 200
Curatores ad frumentum emendum in nummo, 546. denariorum flandorum in aliis. 553
Curopalatissæ quales. 605
Cursus Publicus, *vide* Vehiculatio. 803
Curulis Sella, curule ebur, curulis vita de Consulatu. 544
Cybeles symbolum in nummis caput turritum & muliebre, 305. Leone vecta, 624. ejus habitu Augustæ frequenter depictæ. 624, 625
Cyclus, κυκλος, & circulus de annuo solis circuitu. 874, 875
Cydonia seu Cotonea mala à Cydone urbe Cretæ, 297. diversa à Malis Hesperidum contra virum doctum. *Ibid.*
Cygnus sacer Apollini. 123
Cymbia in pompa Isidis prælata. 263
Cynocephalus in nummo. 249
Cyprus Provincia Populi juxta nummos, 563. cur Provincia *Prætoria* Straboni. 568
Cyrene διυδρια μέχρυσος & unde. 763

D.

DPro Z. ut Ladi pro Lazis, &c. 832
Dacia Aug. Provincia, 834. Dacia Capta in nummis, *ibid.* Dacia Felix in aliis, 727. Daci cognomen Trajano proprium. 710
Dactyli de Palmæ fructu recentioribus Græcis, 322. non antiquis, 323. à voce Orientis *Dakkel*, non à digiti figura, 324. hinc etiam Gallorum *Datte*. 325
Dafnense Palatium quale, 777. Dafnensis Aquæductus, *ibid.* Dafnenses milites. *ibid.*
Damæ Africanæ. 162
Damascus Metropolis in nummis, 317, 877. *Phœnices Mediterraneæ*, 878. Palmis ferax, 324. Sacra & Inviolabilis in iisdem. 779
Debellatori Gentt. Barbararum in nummis. 753
Dedicationes Templorum olim unius Consulis aut Imperatoris, 576. eædem in nummis illustrium Rom. 576, 777
Delphini an bene cum repando corpore vulgo in nummis & marmoribus, 192. figura qualis in iisdem, 195. frequentes in nummis Insularium, 192. depicti in iis tum salientes tum quieti, 193. curvi Ovidio. *ibid.*
Delphino insidens Neptunus in nummis, 195. puer frequenter, 195, 196. jacens sub arbore cum recubante puero, 196. amores Delphini & Hipponensis pueri, *Ibid.* cum sessore Citharœdo, aliis. 116
Delphinus Neptuno sacer, 123. Apollini, *ibid.* & 197. supra cortinam Apollinis & quare, 197. eidem inequitantes Nereides, 123. Delphini ad naves salientes, 200. Maritimarum urbium symbola in nummis. 151
Demosthenis imago. 41
Denotare Tertulliano pro notare de Censoribus. 741
Deorum appellationes ab hominibus petitæ, 397, 398. ad Reges translatæ, 397. à Diis denominati, à quibus honorem adepti, *ibid.* Deus è vivis solus Darius apud Ægyptios. 408
Deus Deorum quo sensu dictus, 435. Deus & Dominus Natus Aurelianus in nummo, 729. Deus & Dominus Carus in aliis. 730. Deus Adjuta Romanis in nummo Heraclii, 837. vide *Dii* mox.
Δέσποινα Augusta, 733. Δεσποτικαὶ & Δεσποτικαὶ Regiæ Domus Byzantii. 730
Δεσπότης seu *Domini* appellatio in nummo Alexii Comneni. 730
Dextræ junctæ Fidei & Concordiæ symbolum in nummis, 118, 119. item Amoris, Pietatis, Caritatis mutuæ, 120. Fidei à Physicis consecratæ, 119. tesseta militaris hospitii, *ibid.* dextræ in signis militaribus. *ibid.*
Diadema cum Tiara insigne Persarum & Armeniorum Regum, 456, 457. ab Alexandro utrumque adsumptum, 457. duplex Diadema quandoque, 460. Diadema à Persarum Satrapis usurpatum, 460. à Persis ad Macedonas translatum, hinc modo *Persicum* modo *Pellæum* & *Macedonicum*, dictum, *ibid.* à multis omissum ob fastum & novitatem. 472
Diademate abstinuisse Reges Romanorum, 470. Unde tamen in nummis Numæ, &c. 470. 471, 472. diu à Cæsaribus omissum, 472. insolitum adhuc sub Nerva, 622. insigne Deæ non Augustæ in nummo Nervæ, *ibid.* propriùm tandem Augusti fastigii, 679, 680, 683. idem aureum & gemmatum, 680, 681. à Constantino primum admissum ritu ordinario, 682, 683. Græca ejus nomina, 683. exteris Regibus donatum ab Impp. 684. Justinianeum diadema. *ibid.*
Διάδημα de Augusto fastigio, 680. Diadema Cæsarum seu secundi fastigii peculiare, 680, 681. Diadema vulgo in orbem sinuatum, 470. Diademate revincta Deorum capita in statuis & nummis. 471
Diana Ephesina alibi cultu quam Ephesi ex nummus, 434. cur *Magna* in Actis Apost. 424
Dictamnus in nummis Cretensium. 272
Digamma Æolicum in nummis ostensum, 59. 62. in

62. in Τάμμος sæpe conversum. 61
Dii dicti varii Alexandri successores è nummis, 402, 403. qui Reges exteri ac Reginæ, 410, 411. Dea Roma, Deus Senatus in aliis & quare, 411, 412. Diis indita virorum & mulierum cognomina. 398
Dii Custodes August. in nummis, 100. Auspices 103, 165. Patrii, Sospitatores, 103. Genitales, 117. Epiphanes seu Præsentes & Præsentissimi in monumentis antiquis & quare. 320
Dii Cœlestes gaudentes odoribus, Terrestres cibis. 299
Dikla Arabiæ tractus à voce cognomine quæ Palmam notat. 324
Διοικηταὶ de Procuratoribus Cæsaris in Provinciis & unde. 572
Dionysopolis urbs Scythiæ in Bacchi tutela. 186, 187
Dioscuri per geminos Pileos & stellas designati. 476
Diphthongi in veteri scriptura Rom. sæpe omissæ. 73
Dissidia urbium & unde. 791, 792
Divi parentes Cæsarum etiam privati, 651. Divis Parentibus in nummo Hadriani, 651. cur *Divus* Domitius Neronis parens apud Senecam. *ibid.*
Dominæ an mulieres Romanis per se, 627. conjuges & amasiæ, 732. hinc *dominus* pro conjuge, *ibid.* Domina Roma, Colles septem domini. 733
Domini quando Cæsares dicti in nummis, 729. proprium epitheton à Diocletiani ævo, 730, 731. à quibus Cæsaribus rejectum, 731. à Justiniano & Theodota ambitum, *ibid.* Domini dicti olim Cæsares à salutantibus, 732. etiam Augustus. *ibid.*
Domitiani Censura qualis. 106
Domitor Gentium Barbarorum in nummis. 114, 753
Domni & Domnæ frequens appellatio in Oriente, 626. Domnus de Ecclesiarum Antistitibus. 627
Donativum de Congiario. 883
Dorica dialectus eadem cum antiqua Æolica. 62
Dracones alati sacri Cereri, 123. ectypa è nummis, 174. alati & coronati in aliis, 175, 188. etiam barbati, *ibid.* volucres quandoque, non item alati, *ibid.* an fabulosi omnes alati, 174. mansueti lac infantum sugentes, 178. unus alterius caput lambens in nummo & quare. 176. *& seq.*
Dracones symbolum Felicitatis, Victoriæ, Salutis apud Ægyptios, 125. cum humano capite in nummis, 174. pro oraculis & Geniis locorum in iisdem, *ibid.* & 187. Auguria Arabum ex iis, 175. Apollini & Æsculapio sacri, 175, 183. Vaticiniorum & salutis symbola. 175
Dracones Heroïbus sacri, 175. item Minervæ, 184. divinitas iis tributa ab Ægyptiis, 188. cum caduceo, sistro, spica, &c. in nummis Ægyptiis, *ibid.* Ἀγαθοὶ δαίμονες iisdem è nummis, *ibid.* Heroglyphica & mixturæ in aliis. 251
Draconum figura è nummis petenda, 187. notæ peculiares, 183. cum multis spicis in variis nummis, 184, 186. in Æthiopia cum herba superne, 264. dracones ἐπταπέφαλοι. 232
Dracones in summitate vexillorum apud Romanos, 193. signum multitudinis apud Parthos. *ibid.*
Draco mysticus prostratus in nummis Christianorum Cæsarum. 192
Dromades Cameli graciliores in nummis, 135. eorum pernicitas, 136. temperantia, *ibid.* Camelus volans Talmudicis dictus. *ibid.*
Ducentesima Remissa in nummo Caii. 798
Duumviri Quinquennales in nummis, 551. Duumviri Coloniis deducendis, & eorum dignitas. 555, 556

E.

E Pidauriorum nota in nummis. 477
E pro Diphton. Æ. 74, 80
E longum geminatum in Romanis nummis. 79
E pro H Græcorum in nummis. 72, 73, 908
Edessa quando Romana Colonia, 775, Romani juris. 422
Ei pro I in nummis Græcis, 75, 507. Romanis, 80
Eidus Martiæ in nummis Bruti, Cassii, &c. 583
Εἰρήνη seu *Pax* in nummis. 850
Elagabali vera scriptura asserta. 92
Ἔλαφος femin. de Cervo. 164
Electrei nummi. 31
Elephas symbolum Æternitatis in nummis, 126. lychnum proboscide gestans in iisdem, *ibid.* & 127. industria illius animalis, 126. eo usi successores Alexandri, 127. Ἐλεφαντηγὸς Seleucus, *ibid.* Elephantum venatio, *ibid.* Elephantes bijuges & quadrijuges in triumphis, 133. phalerati & loricati. *ibid.*
Elephas pro Rhinocerote obtrusus, 137. Elephantis caput in nummis signum Africæ. 574
Ἐλεύθ. Ποδίων in nummis. 784
Eleutherocilices quales. 785
Elis ab Æolis condita juxta Inscriptiones. 883

Epaphroditus seu *Venustus* cognomen Sullæ, 530, 531. è nummis illustratum. *ibid.*
Ephesiorum nummi cum loci prærogativis, 781. unde eorum cum Alexandrinis Concordia, 793, 794, 795. symbolum eorum in nummis Cervus, 618. Ephesus Metropolis Prima Asianæ Diœceseos. 888
Epiphanes Dii in mysteriis Gentilium, 386. inde Epiphanes Antiochus, alii, 387. item Bithyniæ, Parthorum, Armeniorum Reges è nummis selectis. 391
Ἐπιφάνεια pro *efficacia*, 388. Ὑπεράνειε ὑμεῖς de Baptismo servatoris. 388
Ἐπιφανέστατοι Romanis *Nobilissimi*, 668. Ἐπιφανείων ἀξία *Nobilissimatus*. *ibid.*
Ἐπῳδαὶ auribus insinuatæ, 172. ἐπῳδοὶ Christus Clementi, aliis. 179
Equus Neptuno sacer, 123. Thessaliæ insigne in nummis, 179. Equi celeres dicti *Pegasi*, *Volucres*, *Aquilæ*, 136. item *Phœnices*, *Coraces*, *Ventosi*. 236
Equus monstri instar cum pede & brachio humano in nummo Nicæensium. 246. Equi Marini in nummis, 132. Equorum cura penes Æsculapium. 248
Ethnarcha Herodes M. in nummis & quare, 447. qui Ethnarchæ in ejus progenie, *ibid.* sub Impp. Constantinopol. Ethnarchæ. *ibid.*
Europa Tauro vecta in nummis Sidoniorum & quare. 780
Eurypylus Heros Homeri & in nummis, 479. Telephi filius, 482. cur signatus in nummo Pergamenorum, *ibid.* plures Eurypyli 481, 482
Εὐσέβεια & Φιλοσέβεια eadem, 731. Εὐσέβεια ludi Puteolani in honorem Fil. 724
Eusebes Catinenses fratres, 534. Syriæ Reges. 721
Eutyches cognomen. 530
Exactores, Executores, Compulsores, Opinatores ad exigenda fiscalia debita. 813
Ἐξουσία ὑπάτου Consularis Potestas in nummis. 568, 569
Expeditiones Cæsarum in nummis. 834
Extraordinarii milites & qui. 672
Exuperator Omnium Gentium in nummo. 753

F.

FPro Ph. in nummis Romanis. 81
Falcones Tiaræ insculpti. 458
Faliscorum conditor Halesus, 56. peculiaris sermo, 61. dicti in nummis Φαλεῖσι, 61. cur digammate usi. 62
Falisci & Falerii. 60
Familiæ Romanæ in nummmis, 497, 498. &c earum peculiares olim Commentarii, 498, 499. Familia pro tota Gente, 498. ab ea distincta, 499. Familiæ Rom. obscuræ aut ignotæ alias, in nummis, 502. aliæ Patritiæ, aliæ Plebeiæ in eadem Gente, 518. origo in nummis indicata. 528
Familiæ Rom. sine Cognominibus, 522. an semper in *ius* desinentes, 523. earum insignia in nummis, 524, 525. origo, 534, 535. unde eadem desumpta. 536
Familiæ antiquæ cum recentionibus confusæ, 500. veterum Famil. traduces labente imperio. *ibid.*
Fastorum libri in exilio ab Ovidio recensiti. 608
Fastis Victricibus in nummo Diocletiani, 838. Tria Fata de Parcis, *ibid.* à Parcis distinctæ quandoque, 838, 839. Templum eorum Romæ, 838, 839. quare Victricia, 839. Bona Fata, item Victa, Superata, Impia, &c. 839, 840
Fausta nomina & cognomina, 530. Faustus Sullæ cognomen è nummis ill. 530. Faustina, Faustilla, cognomina muliebria. *ibid.*
Fecunditas in nummis Augustarum, 203. per Pisces designata in nummo Neronis, 203. Templum ejus Romæ. *Ibid.*
Felicis Reip. effigies in nummis, 118. Felicitas per Triremim, Capricornum, &c. in iisdem, 210. sæculi, Temporum, 727. Orbis in iisdem. 725
Felix Sullæ cognomen, 530. *Felicitas*, *Felicissima*, *Felicula* cognomina muliebria, *ibid.* Felicis titulus in nummis Cæsarianis, 725. à Commodo primum receptus, *Ibid. Felicitates* quæ urbes dictæ, 728. Felices Coloniæ, &c. in nummis, 727, Corinthius cur Felix. 728
Feminina vocabula apud Græcos & Romanos de animalibus utriusque sexus. 164
Feroniæ Deæ simulacrum cur in denariis gentis Petroniæ. 535
Festum Tabernaculorum & Pentecostes in nummo Agrippæ, 444, 445. quomodo eadem Hebræis dicta. *ibid.*
Ficus Ruminalis cum pastore Faustulo in nummo, 337. male cum Ilice confusa à Tristano. 538
Fidei Exercitus Gall. Lugd. in nummo. 847
Figuræ obscenæ in nummis, 761. &c. Botryos, Philænidis, Veneris ἀγροδίτια σχήματα, 762, 763. in libris Elephantidis quot, 761, 763. adservatæ religiose. 764
Filius Castrorum, Exercituum, Senatus. 719
Fiscus Judaicus, 804. Calumnia ejus sublata, 810. Fiscalis cursus qualis, 806, 807. Fiscales Rhedæ, 809. Calumniæ. 811
Flacci cognomen à Caio damnatum. 519
Flamen Martialis in nummis, 541, 542. Quirinalis in aliis, 542. Flamines, Flaminæ, Flamini-

miniæ Claudiales, Flaviales, &c. 610, 611. Flamines Perpetui in monumentis antiquis, 697. Iudorum seu munerum editores. *ibid.*
Flandæ Monetæ munus penes quos. 552, 553
Flaviæ dictæ uxores Constantini. 638
Fluviis cognomina loca maxime apud Siculos, 480, 891. Fluviatilis Agrigentum, 891. Fluviorum situs & nomina in nummis expressa. 885. *& seq.*
Formosi utriusque sexus quinam Diis adscripti. 657, 658
Fortuna Redux, Manens, Obsequens in nummis, 102. Pop. Rom. in nummo, 575. Ephesiorum, Tarsi, Carthaginis in aliis, *ibid.* Augusti. *ibid.*
Francia in nummo Constantini, 75. item apud alios auctores, 751. quis ejus situs olim. 751, 752. *Francici* cognomentum quando cœptum, 749. 751. Franci unde dicti contra Libanium, 752. civiles præ Alemannis. *ibid.*
Francorum Regibus concessum à Justiniano nummos aureos cudere. 21
Frumentatia coëmptio qualis. 546
Fucus muliebris ex quibus, 371, 372. Fucus, Anchusa, Cerussa, diversæ plantæ, 284. Fucus Cretensis, e quo oprimæ tinctura. 283
Fulmen Seleuciæ consecratum in nummis, 293. Providentiæ symbolum, 394. Imperii, 396. quibus præter Jovem tributum, 394. Palladi, *ibid.* Herculi, *ibid.* & 593. Cæsaribus in nummis. 395, 396
Fulminator Juppiter. 392. Fulgerator. 394
Fundator Pacis & Quietis in nummis. 114

G.

Γ Pro Κάππα Græcis. 77
Γ & N apud Græcos confusa, & unde. Exempla è nummis. 77
Galatia Provincia Cæsaris. 571
Galeæ militares cum cornubus. 367
Galerus muliebris in nummo. 624
Gallus cognomen Mindiorum. 649
Gallieni & Valerianorum tempora confusa. 596
Gaza urbs alias Aza, 60. Æta ejus unde petita. 869
Gazellæ Arabum, 156. in Africa frequentes. 158
Gemma Augusti in Cimeliarchio Regis Galliæ, 216. Tiberiana in eodem. 239
Genius Tutelaris Augusti in nummo, 574. Genii locorum, *vid.* dracones.
Gentis & Familiæ discrimen, 499. gentium Romanarum nomina, origo, *vid.* Familia.
Gentilia locorum nomina aliter ab incolis aliter ab exteris prolata, 60, 61. alia typi, alia analogiæ juxta Stephanum, 906. discrimen illud expensum è nummis, 910 formatio eorum inde illustrata, 906. gentilia plura ejusdem loci, 910. exempla è nummis, *ibid.* promiscuus eorum usus. 911
Gentile non in omnibus quærendum, 913. omissum quandoque, exempla è nummis, 913. per syllepsin numeri prolatum, exempla ex iisdem, 913. Gentile pro Urbis nomine promiscue, & vicissim. *ibid.*
Gentilitia una ex aliis formata, *Hispanus, Hispaniensis*, &c. 844. 845
Geographica nomina varie prolata jam olim, 900. vulgo passim corrupta, 92. 900. causæ ejus rei, 900. è nummis emendanda, *ibid.* duplex eorum scriptura in nummis & unde, 907, 908. corrupta à barbaris, 908. varietas eorum in nummis, 909. à Græcis deflectum sæpe Romani in iisdem tradendis. 911
Germania Capta, Devicta, Subacta in nummis. 835
Gesta illustrium Romanorum in nummis vulgo Consulatibus. 573
Glaucon de facto Æsculapio, ejus nommi, 176. *& seq.*
Gloria Exercitus Gall. in nummo, 846. Novi sæculi in alio. 853
Gothicæ litteræ in nummis, 70. 71. in Hispania unde. 72
Græcorum studium circa antiquas memorias, 7. Græci dicti Græcorum in Asia, Europa, &c. coloni. 437
Græca Orientalium nomina paullo immutata. 87
Granata urbs Hispaniæ, an à Malo punico vulgo granato. 285
Gryphi sacri Apollini, 123, 235. fabulosi, 234. veri juxta Cretiam, *ibid.* magnæ Aquilæ Hebræis, *ibid.* frequentes in nummis Syracusanorum, 235. Panormitanorum, *ibid.* marini in nummis. 234

H.

H Græcorum adspiratis vocalibus præpositum in nummis & quare. 59, 74
H adspirans sublata in antiqua Romanorum scriptura, ut *Graecus, Philippus* è nummis. 80
H pro E in nummis Græcis. 75
H pro F in veteri Romanorum scriptura. 60
H in signis militaribus pro *hastatis*, ex nummis. 558
Hadrianus Olympius, Soter in nummis. 384
Hadriani acta Trajano male & unde adscripta. 812

Hale-

Halesus Falisc orum conditor. 60
Harpocrates Loto insidens in nummo. 258
Hebræorum scriptura antiqua qualis, 66, 67. voces è Græca & Latina lingua formatæ. 330
Hedera Apollini tributa, 194. variis Regibus in nummis. 402
Helena mater Constantini dicta *Flavia Julia* item *Augusta* in nummis. 635
Helenium herba apud Rhodios frequens. 280
Hercules Deusonicnsis in nummis, 84. cum Scypho in aliis, 145. cum Cerbero, 229. cum custode Hesperidum dracone, 294. hydram perimens, 233. item in nummo Maximiani, 838. Soter in aliis nummis, 383, 746. cum fulmine. 395, 593
Hercules Gaditanus, 745. Hadrianus, *ibid.* Romanus, Commodus, 745, 746. Hercules Romanorum Commodus in nummo Græco, 746. Herculi Rom. Conditori, Herculi Commodiano, *ibid.* Herculeus mensis de Septembri, *ibid.* Herculi Debellatori, Defensori, Victori in nummis, 746, 747. Hercules Maximianus, item Herculius, 747. Herculea & Jovia cohors. 747
Herculis successio in nummis signata. 345
Hercules & Bacchus in nummis. 166, 852
Heroës urbium aut imperiorum conditores, 381, 884. Ἥρως, Ἡρῶϊνα, Romanis *Divus*, *Diva*, 652. Ἡρωΐδες. Ἡρωΐνα, & Ἡρῶσσα, Græcis, *Heroina* & *Heroides* Romanis, 638. Ἥρωες Πρεσβύτεροι quales. 655
Heroës alii patrii alii communes, 652. Herois & Dei nomina sæpe confusa, 656. Ἥρωες in nummis dicti Eurypylus, Antinous, & quare, 652, 597, 658. item Homerus à Juliano. 491
Hesperidum Mala aurea in nummis, 295. tria juxta poëtas, *ibid.* eorum custos draco Κνωδάκης, *ibid.* unde orta illa fabula, 296. fructus aurei coloris in Africa & ad Atlantem, 296, 297. an cum Citriis vel Aurantiis eadem, 296. an cum Cydoneis, 297. in mysteriis Bacchi & quare adhibita, 297, 298. odorifera sed non edulia, 298. apud Lacedæmonios talia. *ibid.*
Ἡγεμόνες Strabonis de Legatis Cæsaris in Provinciis, 572. etiam de Proconsulibus juxta nummos. 573
Hidrieus Caribus præfectus Regis nomine abstinens. 474
Hierapytnæ in Creta nomen è voce Græca & Phœnicia derivatum. 306
Hierichuntis palmetum celebre, 325, 327. Hiericho *urbs Palmeti* in Sacro Fœdere. *in Addend.*
Hippelaphus figura Equi & Cervi. 157
Hippopotamus cur aliis Equus, aliis Porcus marinus, 129. Divisæ ejus ungulæ non bisidæ, *ibid.* & 130. quæ cum Equo communia, *ibid.* cur Bobus adscriptus, 131. Nili symbolum in nummis, 132. Niloticus Elephas, *ibid.* idem cum Hebr. *Behemoth* juxta Bochartum, *ibid.* in spectaculis Rom. diu ante & post Philippum visus, 132, 133. non Ammiani ætate. 133
Hircocervus, *vide* Tragelaphus.
Hispaniæ antiquum & recentius nomen Hiberia ab Hibero fluvio, 891. insigne in nummis cuniculi, 151. inde ejus nomen juxta Boch. *ibid. cuniculosa* Catullo, *ibid.* Hispania Lusitanica & Terraconensis à Legatis Augusti, Bætica à Populi Magistratu administrata. 561
Hispanicæ litteræ antiquæ in nummis, 70. Hispanicnsis militia, legio & unde. 844
Historiæ Augustæ defectus ac unde supplendus. 760, 761
Historici antiqui mutili plerique, 341. inter se dissidentes, *ibid.* incerta aut falsa tradentes, 342. omissa ab iis supplenda è lapidibus & nummis, 342. obscure aut obiter dicta inde elucidanda. 342
Hoc Signo Victor Eris in nummo Constantii. 837
Homerus in nummis Chiorum, Smyrnæorum & Amastrianorum, 487, 488. item Ægiensium, 491. *Homericum* monetæ genus apud Smyrnæos in nummo, 488. Homeri Templum, Porticus, &c. *ibid.* Apotheosis in antiquo Marmore, 489. illius antiquitas, *ibid.* ut Deus & Heros olim cultus. 491
Honores Augustorum aut Cæsarum maxime extraordinarii à Senatu collati, 673, 675. quando per intervalla, quando simul collati. 675, 676
Hospitii jus inter urbes dissitas. 794
Hyæna in nummis Philippi, 147. ignota Europæ juxta Jul. Scaligerum, *ibid.* communio ejus cum porco, unde nomen, 151. vis in magicis, *ibid.* calliditas. *ibid.*
Hybridæ voces in Oriente. 320
Hydra monstrum septiceps in nummis, 230. cum novem capitibus apud auctores, 232. Signum debellatorum Christianorum in nummo Maximiani, 231. origo fabulæ de Hydra ab Hercule debellata. 232
Hypoglossius & laurus Alexandrina, an eadem, 336. an in nummo juxta Tristanum, 337. qualis ejus fructus. *ibid.*

I.

I Pro EI dipht. in nummis. 73, 907
I geminatum in nummis Romanis. 79
I Pro Y in nummis Græcis. 73
Ἱερὰ καὶ Ἀσυλία in nummis variarum urbium, 778, 779. maxime Palæstinæ, Phœnices, Syriæ.

nix. 306, 780
Ἰσιδὸς ἀϳὸ χλωρὸς, 698. ἀϳὸ βίου seu perpetuus. 697
Ilex cum fœta Sue Lanuvina in nummo. 338
Illyriciana Militia, Synodus; Illyriciani Episcopi, Exercitus. 845
Imago optimi Principis in nummis. 117
Imagines Illustrium in nummis, 35. Majorum quam studiose servatæ, *ibid.* item Magistrorum &c. *ibid.* vis ad excitandos posteros. 38, 759
Imaginum jus quorum proprium apud Romanos, 37. Imaginum gentium Romanarum falsi tituli quandoque. 573
Imperator Juppiter in nummis, 100, 396. Imperatores duplici ratione dicti Cæsares, 685. aliud nomen iis vice prænominis, aliud cognominis, *ibid.* tam Augusti quam Cæsares, 687, 688. item Francorum Reges auctoritate Cæsarum, 688. à quibus Cæsaribus titulus ille neglectus, 688, 689. omissus à Constantinopolitanis Cæsaribus, 689. pro Cognomine quando in nummis, 689. unde partum & quoties, 690, 691. semel de uno bello, 691. Augustus quoties Imperator eo sensu dictus, 690. item Claudius. 691
Imperatores Rom. Pacis & Belli Domini, 649. Græcis Βασιλεῖς & Reges Poëtis dicti, 686, 687. compellati vocibus *Numina*, *Æternitatis*, *Oraculi* & simil. 420
Imperatorum ambitio urbes suis nominibus appellandi. 778
Imperii & Sacerdotii concordia in nummis. 104
Impietas in Principem. 722
Incantationes Zamolxidis ad animæ curationem. 179
Indictionum origo & exempla ante Constantinum. 814
Indulgentia Augusti Moneta Impetrata in nummo. 554
Indulgentia de editione ludorum, 121. remissione tributorum reliquorum, 815, 817. criminum. 816
Indulgentia in Italiam in nummis, 804. Indulgentia Augustor. in Carthaginenses, in alios. *ibid.*
Inscriptiones bilingues in nummis, 58, 913. cum litteris à dextra ad sinistram, 68. Græcorum nummorum corruptæ vulgo in libris antiquariorum. 481
Inscriptionum veterum lapidum præstantia & utilitas qualis, 757, 758. cum nummis comparata, *ibid.* quæ antiquissima in Thesauro Gruterjano. 758
Insula Tiberina cum Æsculapio adveniente in nummo, 182. carcer reorum capitalium sub Christianis Impp. 184
Invenustus pro infortunato. 531
Invicti in nummis de filiis Cæsarum, 379. Invicta Roma in aliis. 380
Josephus in Neronem propensior & unde, 618, 619. codices ejus jam ævo Russini corrupti. 981
Jovi Juveni Triumphatori in nummo. 81
Jovius Diocletianus in monumentis antiquis, 747. Jovii qui Cæsares dicti, 747, 748. Jovianus, Jovialis sententia. 748
Iphigeniæ gladius in duobus locis ostensus. 6
Iliacus sacrorum minister. 265
Isis cum Oro infante in nummo, 259. Isidis caput Hydriæ impositum in alio, *ibid.* perserpentem expressa, 265. Comigera in nummis & Hieroglyphis. 355
Isis Faria in nummo. 81
Judææ symbolum in nummis Palma, 326. & 10 *Adden.* Judæa Capta, Devicta, in nummis, 749, 835. Judaici cognomen cur à Vespasiano omissum, 749. Judæi didrachmum pendentes, ut obtinerent Autonomiam. 790
Jugurtha vinctus in nummo Sullæ. 574
Juliæ cognomen quæ & quot Augustæ usurparunt, 630, 632, 638. Juliæ leges, & suppressum illud attributum. 980
Juno Monetalis, 19. Ammonia in nummo, 353. Junoni Sispitæ in alio, 83. eadem τελεσφόρος, 354. cur depicta in aliquot nummis gentium Romanarum. 535
Juno de Livia apud auctores & in nummis, 607. an de Sabina Poppæa. 617
Juppiter non Jupiter, 84. Bœotiis Καρμάνωρ & unde, 353, 354. Ammon Libycus, κεραϊκέρως, &c. *vid.* Ammon, & Cornua.
Juppiter Κραταιγενὴς in nummo, 475. Imperator, 100. Θεὸς ὕπατος, 798. Olympius, 744. Jovis Casii simulacrum cum Malo Punico. 276
Jus simulacrum cum bovinis cornibus. 790
Justinus Martyr Neapoli in Samaria oriundus. 762

K.

K Pro C in veteri scriptura Romanorum, 74. promiscue in nummis. 81
K litteta in nummo Græco quid notet. 477
KH pro littera Χ in antiquo Marmore indicium vetustatis. 489
Καππα geminum Dorica dialecto mutatum in Κτ. 325
K in X ab Ionibus conversa. 76
Callinici qui è successoribus Alexandri in nummis, 377. ab Hercule Callinico. *ibid.*
Καρυωτὸς Palmæ fructus in nummis, 326. *Nucatis* Isidoro, 327. ratiores Caryotæ apud Judæos, *ibid.* vetitæ gentibus vendi apud eosdem, *ibid.* Caryotæ è succo commendatæ, 331. ex iis optima vina, *ibid.* Καρυωτὸς unde contra Plinium, *ib.* aliud καρυάτειος aliud καρυώτης. 332
Caryotæ unde vinum vetitæ gentibus vendi apud He-

Hebræos, 312. Caryotis ferax Judæa, Thebais, Babylonia, Canaria. 333
Catarractæ & καλυβάκται tam de fluviis quam de obicibus in iisdem contra Salmasium. 88, 89
Κέρας pro poculis & unde, 358, & in Addend. pro coma & cincinnis, 368. pro gloria & splendore. 369, 372
Keren Happuc unde dicta una è filiabus Jobi, 371, 372
Κεραυνὸς & Κεραύνιος Juppiter, unde Ceraunus Ptolemæus. 393
Κρωβύλοι, κυρβασίαι, Tiaræ in arctum desinentes. 459
Κύρμα seu Augustæ sequiori ævo. 327
Κῶνος de Nuce Pinea. 270

L.

Labaro Imperatorum nomina adscripta. 846
Labienus unde Parthicus dictus. 526
Labyrinthus in nummis Cnossiorum. 475
Lampsacus πιτύεσσα à Pinuum copia. 272
Lanæ manipulus in nummo Hierapolitarum. 274
Lances ad designandos Prætores in nummis. 545
Lapidum, in quibus elogia veterum, duratio cum nummis comparata. 17
Lapithæ à Lapitho Apollinis filio è nummo. 383
Largitio in nummo Constantii, 107, 825. largitiones & largitates de liberalitatibus Cæsarum, & quando ita dictæ, 825. largitio pro Ærario, & Comes Sacrarum Largitionum. 824
Larices in nummo gentis Accoleiæ. 272
Lascivа numismata quo sensu Martiali. 762, 763
Lazorum Regi missa insignia à Justiniano, 833. Lazis Rex datus ab Hadriano, ibid. frequens eorum mentio ætate Justiniani. ibid.
Legati Prætore quales contra Ant. Augustinum, 559, 560, 561. dicti iidem Legati Augusti, exempla è nummis, 561. item conjunctim Legati Augusti Prætore in iisdem, 561. an iidem dicti Proconsules. ibid.
Legiones signatæ in denariis gentis Antoniæ. 558. quot numero, 583. Antiqua, Classica, Libyca, Quinta in iisdem, ibid. Legio Italica in Rhætia. 843
Legum tituli in nummis, 579. Tabellariæ, Perduellionis, de suffragiis, Provocationis, Papiæ. ibid. & 580
Leges latæ inter acta maxime illustria, 580, 581. nominibus legumlatorum appellatæ, ibid. male ab Historicis vulgo omissæ. 581
Legumlatores divinis honoribus culti. 376
Λείψανα reliqua tributaria contra Casaubonum. 813, 816
Leonis exuviæ cum Pharetra & Clava indices successionis ab Hercule in nummis Regum Macedoniæ. 344
Leo Sacer Soli & Cybele, 123. radiatus in nummis tanquam Solis symbolum, 267. Fulmen ore gestans. 396
M. Lepidi adolescentis factum in nummo expressum. 574
Liberalium, in honorem Bacchi symbola in nummis Panthera, Thyrsus, Larva. 166
Liberalitates Augustorum quoties repetitæ in nummis Cæsarum, 818, 819. aliunde ignotæ, ibid. varii earum typi, 822. qua occasione datæ, 821. Curatoribus Tribuum & Centurionibus plebis quandoque distributæ. 824
Liberator Juppiter sive Ζεὺς Ἐλευθέριος in nummis. 788
Liberæ urbes quales in nummis inscriptæ. 783, &c.
Libertas Publica, Restituta, Recepta, Liberatis Civibus, in nummis, 788. Libertas pro libertas in nummo, ibid. Libertas cum pugionibus in nummis Bruti, Cassii, &c. 583
Linguarum confusio unde sæpius nata, 57. lingua Græca Syro-Macedonibus usitata, 323. exempla è nummis. ibid.
Litterarum Græcarum forma non semper eadem contra Salmasium, 51, 52. vetustæ quæ, 52. Romanæ cum Græcis permixtæ in lapidibus & nummis. 55
Litteræ Phœniciæ antiquæ, 64. Phœniciarum & Punicarum discrimen, ibid. Samaritanarum & Hebraicarum quæ vetustiores. 66
Litteræ in nummis serio expendendæ, 69. aversæ in iisdem, 68. earum compendia in nummis. 81
Litteræ confusæ olim & permixtæ, & quibus ex fontibus. 72, 73. ex scripturæ veteris vestigiis, 72. ex recentioris additamentis, 75. ex pronuntiatione litterarum similium aut affinium, 76. Exempla singulorum e nummis. ibid.
Litteræ geminatæ in Romanorum scriptura olim simplices, unde Sisena, Sula in nummis pro Sisenna, Sulla. 79
Lituus & Simpulum in nummis signa Sacerdotiorum. 669
Livia Augusta dicta etiam post mortem Augusti, 608, 609. eadem aliis Julia vivente adhuc Augusto. 609
Locorum etymologiæ ineptæ apud Grammaticos, 278. loca à Floribus, Plantis, Fructibus dicta, 279. loca obscura aut ignota aliunde, in nummis. 598
Locupletator Orbis Terrarum in nummo Hadriani. 815
Lotus Ægyptia lilio similis, 257. an eadem cum Nym-

Nymphæa alba, *ibid.* & 258. cum flore expanso, *ibid.* cum Harpocrate insidente in nummo, 258. Loti caulis cum Oro in alio, 259. è Loto capitis insigne apud Ægyptios, 261. Regum & Reginarum, 262. item præconum, 261. fructus loti instar papaveris, 260. corona è loto Osiridi familiaris. 261

Ludorum primi instauratores in nummis & apud auctores celebrati, 576. Ludi Diis sacri, 585. Ludorum Apollinarium, Liberalium, Cerealium, Floralium symbola in nummis. 575

Ludi seculares, & eorum sacra ac typi in nummis, 852, 853. sub Honorio etiam celebrati sacris omissis. 853. 854

Ludorum Romanorum celebritas ex peregrinis animalibus, 141, 148. Ludorum varia nomina in nummis, Actia, Pythia, Chrysantina, &c. 299

Lugduni Præsidum prærogativa monetam auream & argenteam cudendi. 22

Luni Dei effigies in nummis, 143. cultus ejus apud Syros, Ægyptios, Græcos. 144

Lupa cum gemellis insigne aliquot Coloniarum & quare. 767, 883

Lychnuchi pro facibus, 127. lychnuchus ligneolus Ciceronis qualis. 128

Lynces Baccho sacræ. 164

M.

MFinalis sublata in antiqua Romanorum scriptura, è nummis. 80

M finale pro N apud Græcos, 77. pro N in antiquis libris corrupte. 514

Macedonum Reges Herculis traduces è nummis. 344

Macellum Neronis in nummo. 858

Magistratus distincti in Græcorum nummis, 476. Romani in eorum nummis indicati, 537. additi vulgo gentilibus aut cognominibus. *ibid. & in Addend.*

Magistratus extraordinarii missi ad regendas provincias aut urbes socias, & quales. 567

Magnesia eadem ad Sipylum, sub Sipylo, à Sipylo, 894. postrema adserta & illustrata. *ibid.*

Magnatum Septima Asiæ in nummo Græco. 887

Magni appellatio tributa Antiocho, 420. Persarum & Parthorum Regibus, 421. Abgaro in nummis & quare, *ibid.* Dynastis Persarum, 423. Cæsaribus, 423, 424. Diis & Deabus, *ibid.* Cæsarum Palatinis. 424

Μέγας, Μέγα, *Magnus* de Pompeio, 526, 529 inde cognomen gentis. *ibid.*

Malleus in nummis Lemniorum, 557. an in denariis gentis Valeriæ. *ibid.*

Malum Punicum in nummis, 276. mysticus fructus apud veteres, *ibid.* ab ejus esu vetitæ mulieres in sacris Cereris & quare, *ibid.* Mali Punici granum Proserpinæ datum à Plutone, 276. Pretiosum opus tuum instar Mali Punici, proverb. Rabbin. 275. Mala Punica apud Persas in armis. 276

Malus Medica inter eximias arbores, 291. in sola Perside & Media proveniens, *ibid.* nobilitas ejusdem & celebritas, *ibid.* usus Mali Medici contra graveolentiam, 292. fructus Mali Medicæ figura, *ibid.* an idem cum Citro, *ibid. &* 293. sero in Græciam delatus, 292. odore excellens & edulis, 299. idem in nummo Parthico seu Persico. 272, 289

Mambrinæ Capræ cum longis & demissis auribus, effigies è nummis prolata. 159

Mamers Oscorum lingua Mars, 268. hinc in nummis Mamertinorum caput Martis. *ibid.*

Manii prænomen familiare Aquilliis, 514. item Aciliis, 515. quomodo expressum olim. *ibid.*

Manlii alii patritii, alii plebeii. 518

Manna cum Urna in nummis Hebræorum, 61, 333

Marci prænomen familiare Antoniis, 512. damnatum in iisdem, 519. item in Manliis patritiis. 518

Marcianopolis à Marciana Trajani sorore. 186

Maritimus locorum situs quomodo in nummis signatus. 891, 892

Marnas Juppiter Gazæ cultus, 61, 869, 870. in nummis Gazæorum. *ibid.*

Marsyæ statua in foro libertatis indicium. 788

Matres pro Patria passim apud Græcos & Romanos, 643. Matres Patriæ, Senatus, Castrorum in monumentis antiquis & quales. 719

Matronis apud Romanos Senatoria & Consularia ornamenta, 602. maritalia earum decoramenta, 603. Matronæ sequiori ævo pro conjugibus. 732

Mauris regia insignia à Rom. Impp data. 833

Maximianus cum Maximino sæpe confusus apud auctores. 639

Maximus cognomen gentis Fabiæ, 529. Maximi Cæsares dicti in nummis. 424

Medicei primi Numismatum antiquorum collectores. 31

Meletii Antiocheni imagines pictæ aut cælatæ in annulis, poculis, parietibus, &c. 37

Meles Smyrnæorum fluvius qualis. 891. cur in nummis Amastrianorum expressus. 490

Memoria Æterna in nummis, 116. eadem merces bonorum Principum, *ibid.* memoria abolita pœna malorum. *ibid.*

Menandri Parrhasii studium circa imagines illustrium. 42

Mercurius cur in nummis Bithynienſium cum Antinoo. 653

Messis manipulorum Hebræis de tempore à secundo Azymorum ad festum Pentecostes.

ſtes. 445
Metallum Parthicum, 288, 844. gleba ejus ad Trajanum miſſa, 288. Metallum Noricum item Delmaticum in nummis, 844. Metallis præpoſiti Procuratores Cæſaris è Galeno. *ibid.*
Metropoles ſedes Præſidum ſeu Conſularium in Provinciis. 880
Metropolis & *Prima* diſtinctæ prærogativæ in nummis, 885, 886, 887. *Metropoles Prima* in iiſdem, *ibid.* Metropolis Prima Bithyniæ, Ponti, &c. 885. *Metropoles gentium* Modeſtino J. C. 886. Aſiæ, Lydiæ, Græciæ, quales in nummis, 887. Metropoles plures quandoque in eadem provincia, *ibid. Metropoles Coloniæ* paſſim in nummis, 57, 877. Phœnices variæ Metropoles. 878
Miles pro *Officiali*, 643. *Miles Agrippæ* quo ſenſu Manilio. 642, 643
Miletus Colonia Athenienſium, 270. Πετρόσυκα à Pinuum copia. *ibid.*
Mindius Achaiæ Proconſul ſub Claudio è nummo. 648
Minerva per Noctuam depicta apud Ægyptios. 124. Taurobolus ab Andriis culta & quare. 171
Minotaurus in nummis, 239, 883. & quare, *ibid.* an fabuloſus. 340
Μισθοφόρος Julianus, 450. Μισθόφορνα Annibal, 439. Μισθοφόροις. *in Addend.*
Mithridatis Romana ſcriptura non improbanda, 85. Μιθραδάτης Græcis è nummis. *ibid.*
Mithræ ſimulacrum. 364
Mitra in nummis Abgari, 429. Arabum tegmen, *mitrati Arabes* Plinio. *in Addend.*
Mneves Ægyptiorum idem cum Moſe. 369
Modius frumenti in nummis ſymbolum Ædilitatis Curulis. 545, 546
Monarchia de Cæſarum imperio. 686
Moneta in nummis, 552. ſignandæ cuta penes quos, *ibid.* quibus ſymbolis deſignata in nummis, 553. ſignandæ facultas permiſſu Cæſarum conceſſa certis urbibus, 554, 555. eadem in nummis expreſſa. *ibid.*
Moneta Salutaris in nummis, 217. ſacra, divina, 18. eadem ejus effigies quæ Æquitatis. 19
Monoceros cum cantharo in nummo juxta Aldrovandum, 138. an nulla ejus mentio apud Ariſtotelem, 146. eædem deſcriptiones cum Aſino Indico apud auctores, *ibid.* mugitus ejus Aſininus juxta Ariſtot. *ibid.* mentio apud LXX. Interpretes, *ibid.* Joſuæ ſymbolum, *ibid.* cum Rhinocerote confuſus, 147. bicorne animal & pro Capra in S. Scriptura, juxta Bochartum, *ibid.* an veteribus ignotus. 146, 147
Montium ſitus & nomina in nummis, 894, 895
Moſes cur cum cornibus vulgo depictus, 369. quo ſenſu cornuta ejus facies Interpretibus. *ibid.*
Mulieres honore maritorum coruſcantes. 604
Mulorum carpentum in luxu muliebri. 614
Muli albi præ cæteris ex Chryſoſt. *ibid.*
Muli Gallici apud Tertullianum. 615
Muli in Vehiculario curſu, 809. paſcentes in nummo Nervæ & quare, 800, 809. Mulares Rhedæ, 809. muli angariales. *ibid.*
Mulomedici, muliones quales in Cod. Theod. 809
Munificentia in nummis pro editione ludorum, 121. per Elephantem expreſſa. *ibid.*
Munificentia Cæſarum in Vectigalibus, Tributis, &c. remittendis, in nummis. 796, 797
Munire & munitio viarum in monumentis antiquis, 581, 582. inter opera Principum, *ibid.*
Murorum inſtructio inter opera Principum, 556, 581. pro ſingulari laude. 556
Muſmones Atlantes in Sardinia cum pilo caprino loco Janæ. 162
Myſtagogi qui apud Tullium. 8
Mytilene Prima Lesbi in nummo Græco. 810, 886

N.

NPro Τάμια exempla è nummis. 77
Natalibus Cæſarum feræ inſolitæ ad ſpectacula. 148
Ναυαρχὶς Sidon & Dora in nummis. 779, 780
Neapolis Samariæ eadem cum veteri Sichem, 770. an *Flavia Cæſarea* dicta. 771
Neapoles urbes plures. 770
Neptunus cum cornibus Taurinis & quare, 360, 361. *vid.* Ταῦρος, &c.
Nereidos figura in nummis. 225
Nero cognomen Claudiorum unde. 514
Neſibis quando Colonia Romanorum, 774. à Nimrod condita juxta Arabas, & antiqua ejus nomina, 775. *Antiochia Mygdonia* Græcis dicta, 775. Perſis à Joviano prodita. 774
Nicææ in Bithynia conditores Hercules, Bacchus, Nicæa &c. 247. cum Nicomedia contentiones de Primatu, 791, 884. *Primi Provincia* in nummis. 864
Nicolai palmæ fructus unde, 317. patria, *ibid.* iidem cum Caryotis, 329. item placentæ ex iiſdem, 330. mentio in Talmude, 329. ab Iſidoro *Nicolai* & *nucales* male ut diverſæ palmulæ. *ibid.*
Nicomedia præſtantior ſtudiis, Nicæa ſpectaculis, 167. Aquila & Serpens in ejus nummis, 191. Triremis in aliis, 648. *Metropolis* vulgo in iiſdem, 648, 885, 887. item *Metropolis Prima*, aut *Metropolis & Prima*. 885, 887
Nigredo inter formæ munera, 372. oculorum ſtibio

stibio procurata. *ibid.*
Νακαπὶς Persarum Satrapa. 379
Nilus in nummis cum Hippopotamo, 132. cum pueris circumstantibus, *ibid.* dicti iidem πάϊδες Νείλου, *ibid.* incrementa ejus per Sphingen ex Leone & Virgine, 212. animalia ejus cum humana & bellua forma, *ibid.* idem cum ornamento capitis è Loto. 261
Nimbi de nummis theatralibus. 762
Nobiles apud Romanos, penes quos jus imaginum. 37
Noctua Minervæ sacra, 123. sapientiæ symbolum in nummis, 124. in nummis Megaræ urbis Siculæ, & quare. 356
Nomina Urbium, Conditorum, & Gentilia quandoque eadem. 467
Nominum Romanorum commixtio deficiente imperio, 449. transpositæ sæpe sedes apud scriptores Græcos & Romanos, 503. Nomina tria gestare soliti nobiliores, neque omnes tamen. 506
Nomen Proprium apud Romanos quale, 504. quando Gentile, quando Cognomen, quando Prænomen, 505, 506. non semper Prænomen sub Republ. 507. quando Cognomen, quando Prænomen, 507, 508. neque semper Cognomen, 508. quando Gentile. 506
Nomina Mulierum cum Mariti Cognomine apud Romanos. 508. duo nomina frequentia, 510. Augustarum vulgo sine Prænominibus. *ibid.*
Nomina Patrum in Filiis rara apud Græcos, 512. exempla in auctoribus & nummis, *ibid.* Filiorum paullo aliter inflexa, *ibid.* ab Avis petita apud Athenienses, exempla è Platone, 513. mos improbatus Chrysostomo, *ibid.* Christianorum è Sacro Fœdere, aut nominibus Martyrum. *ibid.*
Nomina Romana Græcis retenta, ubi in propria transierant, sicut Πόπλιος, Μάρκος &c. 725. Nomen in eadem Gente modo Prænomen modo Cognomen. 519
Nominum mutationes ex testamento fieri solitæ, 606. ominosorum mutationes, & quando, 630. nomina fausta. *ibid.*
Nomina Impp. defunctorum sæpe postposita superstitibus, in Rescriptis Jurisconsl. Exempla. 754, 755
Nomina urbium composita à Græcis vulgo resoluta, ut Νέα πόλις, Λεόντειχος &c. 769
Norica juventus, 844. Norici inter custodes corporis Cæsarianos, *ibid.* Noricum ferrum, æs, metallum, *ibid.* Noricum male à Stephano de urbe. 770, 844
Numa in denariis gentis Calpurniæ & Pompeiæ, 536. cur cum diademate in iisdem, 470
Numerarii tractantes rationes publicas civitatum, 798. ad exigenda reliqua tributaria, 812
Numerii prænomen peculiare Fabiis. 513
Nummi, varia de iis judicia, 3. antiquitas, 4, 11. duratio, 12, 13. comparatio cum aliis monumentis, *ibid.* nobilitas, veneratio & unde, 14, 19. aurei soli cusi ab Impp. Rom. & dein Francorum Regibus, 22. dignitas, 22, *& seq.* voluptas, 30. qui præ cæteris elegantes, 35. è Romanis Impp. ab Augusto ad Severum. *ibid.*
Nummi vulgo Crotoniati, 44. alii falsi & adulterini. 44, 45
Nummorum varia argumenta, 47. utilitas multiplex, 49. autographa, 50, 900. vetustas ex vestigiis antiquæ scripturæ, 74. totidem symbola ad vitæ usum, 93. regnandi artes & Principum officia in iis. 94, *& seq.*
Nummorum utilitas ad notationem & origines locorum. 239, 882, *& seq.*
Nummi, quam multa in iis ænigmatica & ignota, 247. difficultas in iis tractandis & explicandis. 587, 588
Nummus Parthicus aut Persicus. 287
Nummorum studium olim celebratum, postea neglectum, 495. eorum restituendorum mos antiquus ac unde, 644. Nummi signati in inaugurationibus Cæsarum. 662, 663
Nummorum præstantia & utilitas cum inscriptionibus lapidum comparata, 757. antiquitate potior, item varietate, facilitate transportandi, elegantia, 758, 759. inde cognitio statuarum, locorum, Siciliæ in specie, 759. in Historia Augusta potior. 760
Nummorum utilitas ad Militiam veterum, 847. item navalem, *ibid.* Successorum Alexandri apud Indos nomina è nummis erута juxta Arrianum. 863
Nummorum Europæ, Asiæ, Africæ tum antetum sub Impp. Romanis cusorum quanta adhuc copia, 882. quot locorum index ab auctore confectus cum Cæsarianis nummis. *ibid.*
Nummorum utilitas in sanando aut illustrando Stephano de Urbibus, aut restituendis Urbium ac Gentilium nominibus, 900, 901. varietas in iisdem tradendis, & ex quibus fontibus. 907, *& seq.*
Nummi Græcarum & Asiaticarum urbium cum Romanis inscriptionibus & quare. 914
Nux Pinea in nummis, 268. insigne Augustæ Vindelicorum, *ibid.* in nummis Mamertinorum, Syracusanorum, *ibid.* Myrinæ Æolidis, 269. Catinæ, & quare, 271. frequens in Bacchi mysteriis, 269. Thyrsorum fastigio imposita, *ibid.* Græcis κώνωψ, 576. Φιλῶν, 269, 270. Cereris simulacro apposita & quare, 269. vetita gentibus vendi ju-

xta Talmudem. 271
Nymphæa alba in nummis. 338
Nysæ urbes plures. 142

O.

O & A promiscue in nummis Dorici sermonis. 908
O littera pro Dipht. Ov in nummis Græcis, 73. apud Ionas frequens. 76
O & Av promiscue in nummis, ut Fostulus pro *Faustulus*. 80, 81
O pro Ae Dipht. in iisdem. 80
O pro V in iisdem. *ibid.*
O pro Ω in nummis Græcis. 706, 908
Ὀβολὸς in nummis Chiorum. 221, 791
Obconis errores frequentes in citandis nummis Græcis. 90, 598
Oceanus Ταυρόμορφος dictus & quare. 360
Oi pro Oe Dipht. in nummis Romanis. 80
Olea in nummis Athenienſium. 272
Olympius Hadrianus in nummis & quare, 743. Hercules, Caius, Juppiter in iisdem, 744. Commodus. 745
Olympia ludi Hadrianales unde contra Scaligerum. 744, 745
Olympium locus in Delo & unde. 744
Opera ſubtilia & exigua commendata. 33
Orus in Iſidis gremio in nummo. 259
u compend. pro ov in nummis. 82
Ophiuſa ſeu Ὀφιοῦσα Rhodus, Cyprus, aliæ urbes & Inſulæ contra Bochartum. 278, 279
Origini Aug. in nummo. 768
Origines urbium per inſignia nummorum indicatæ. 831
Orthographia è nummis & lapidibus petenda, 82, *& ſeq.* in Græcis nominibus ex nummis aſſerta, 84, *& ſeq.* in Romanis. 91, 92
Orthographia locorum e nummis aſſerta. 900, *& ſeq.*

P.

P pro B in nummis Romanis. 79
P in ſigno militari h. e. *Principum*. 558
Π. Π. h. e. Πατὴρ Πατρίδος in nummis, non Πεῖς Παρθικὸς juxta Triſtanum. 725
Palma in nummis Tyri, Damaſci, Judææ, Alexandriæ, Siciliæ, Africæ, Coloniarum Phœniciarum in Hiſpania, 272. in nummis Carthaginenſium & quare. 304, 883
Palmæ Siculæ, Africanæ, &c. humiles, majores, ſteriles, frugiferæ, &c. è nummis illuſtratæ, 301, *& ſeq.* humiles quomodo Arabibus dictæ. 302
Palmæ ſteriles in nummis Siculis, 301. Babyloniæ, è quibus lecti & vaſa, *ibid.* aliæ ex iis dictæ Regiæ, 302. Siculæ immaturæ, 302, 303. item in Hiſpania, 303. Palmæ feminæ ſolæ dactylos ferentes flore maſculæ ſecundatæ. 303
Palmarum gradiles trunci ad ſcandendum, 311. modus ſcandendi apud Arabas & Ægyptios. *ibid.*
Palmæ diverſæ fructu, magnitudine, figura, 311. genera apud Plinium undequinquaginta, 311. apud Arabas plura ceu LXX. 311, 316. quædam in quinos truncos diviſæ. *ibid.*
Palmæ irriguis aquis gaudentes, 320. inde Phœnicibus Σῶγυ & Σκοδάλαιοι, Joſepho *irrigua*, 318, 320. pluvia juxta & aqua ſcaturiente gaudentes contra Theophraſtum. 320
Palmæ in nummis Panormitanorum, 302. Selinuntiorum, 304. Hierapytnæ Creticæ, 305. triſida in nummo Camaræ, 307. Cypriæ in nummo Lapethi & quare, 312, 883. Ægyptiæ, 313. Alexandrinæ, 314. Ægyptiæ non omnino ſteriles, optime Thebaicæ. 314, 315
Palmæ Phœniciæ, 316. in nummis Tyri, Aradi, &c. *ibid.* Syriacæ in nummis Damaſci, 317. Judaicæ, Judææ ſymbolum in nummis, 326, 327. *in addend.* in nummis Sephori in Galilæa, *in addend.* in Convallibus Judææ optimæ, 325. Palmariæ Syriæ & Judææ Convalles. 319
Palmarum fructus Græcis βάλανοι, φοινικοβάλανοι, 318, 323. Syris & Phœnicibus Tragemata. Σῶγυ &c. 318. item *Nicolai*, *Caryota*, vid. *ſupra*. in Perſide præſtantiſſimæ & quomodo dictæ. 333
Palma duplex Caryota & Communis, 325. Palmæ in ſacris gentilium, 328, 329. hinc à Judæis vetitæ gentibus vendi, 327. quæ viles & plebeiæ palmulæ, 315. quomodo eædem Arabibus dictæ, 316. quæ ſervari ſolitæ. 315
Palmarum rami præmia victorum unde vaſis inſerti in nummis, 299. iidem Lacombus Σωρὸς & quare, 300. Principum liberi per Palmæ ramos deſignati. 301
Panormus Colonia & Regia Carthaginenſium in Sicilia, 304. vetus inſigne Aquila. 235
Panum Gradilium diſtributio ubi & qualis, 820, 821. iidem ſeu Panes Civiles quotidie diſtribui ſoliti. 821
Panthera Baccho ſacra, in nummis, 123. geminæ currum cum Baccho & Ariadne trahentes, 242. Bacchi ſymbolum Philoſtrato, 123. ideo quod vino dedita, *ibid.* ebria capi ſolita juxta Oppianum & Arabas, 165. ob maculas Heb. *namer*, Rom. *varia*, 168. familiares in Caria & Lycia, *ibid.* celebritas ejus in ludis Romanorum. *ibid.*
Pantheræ, Tigres, Leopardi confuſi vulgo in monumentis antiquis. 169

Pantheriſcus Bacchi ſimulacris adpoſitus, 165. exempla è nummis. *ibid.*
Parcæ in Theologia gentilium modo eædem cum Fatis, modo Fati dominæ, 838, 839. earum ſacra in ludis ſæcularibus, 839. item apud Thræcenſes, *ibid.* earum typus qualis. 838
Παρδάλεις eadem cum Panthera. 169
Πάρεδρος ſeu *Adſeſſor* Deorum à *Conſeſſore* diverſus. 651
Parere de urbibus tanquam matribus. 643
Παρουσία pro efficacia numinis. 388
Parthenope Siren in nummo, 224. alia quam vulgo traditur. 225
Parthicus unde dictus Labienus. 526
Parthorum mos ſagittandi genu flexo, 228, ἀγκυλοτόξοι, *ibid.* Parthorum vulgus pileatum. 429
Pater Senatus in nummis Commodi, 106. Patris Patriæ titulus à Tiberio recuſatus. 97
Patres Patriæ unde & quando Cæſares dicti, 714, quando J. Cæſar, Auguſtus &c. 715. quando dilata appellatio. 715
Pater Hominum Cyrus unde dictus, 716. Jovis exemplo. 717
Patres Urbis, Coloniæ, Auſonii, Latii, Orbis, in monumentis antiquis, 717. item Caſtrorum, Exercituum, Legionum, Senatus, 718, 719. eadem Auguſti faſtigii vocabula, 719. Patres Senatus unde & qui Cæſares dicti. *ibid.*
Patres dicti in nummis conſecrati Cæſares, ut *Divus Trajanus* aut *Divus Pertinax Pater*, item *Patri*, & unde, 718. item ab eorum ſucceſſoribus etiam alienis in Cod. Theod. *ibid.* item Sacrorum Antiſtites Gentiles & Chriſtiani.
Patientia in nummo Hadriani. 120
Patritiatus Procopio περὶ ἀνδριῶν. 677
Pautatiæ urbis Thracum varia inſignia in nummis. 185
Pax Auguſti in nummis, & quare, 848, 849. item Orbis Terrarum, 849. Pace Fundata, Fundator Pacis, Ubique Pax, *ibid.* Pacator Orbis, Pax Fundata cum Perſis, 850. Pax Æterna, Perpetua, *ibid.* Item, Equitum, Publica, Pacis Eventum, *ibid.* Pacis typus, 851. Pax Germanici ſeu Vitellii in nummo. 851
Pecuniæ ſignatæ origo an infra Palamedem. 12
Pegaſi fabuloſi, 234. in Æthiopia quales juxta Plinium, *ibid.* ita dicti veloces equi apud Romanos, 225. iidem Africæ ſymbolum & quare, 239. frequentes in nummis Corinthiorum cum Bellerophonte & Chimæra, 236, 237. item Coreyræorum, Syracuſanorum, & quare. *ibid.* & 238, 883
Pegaſus in Corinthiorum moneta πῶλος dictus, 238. Antiboi, Comæ, Berenices, Auroræ, Heſperi victor, juxta nummos & poëtas. 239
Πεῖος Græcis pro *Pio*. 724, 725
Pelamides in nummis Byzantinorum, 201. piſcatio ibi copioſa, *ibid.* ſoboles Euxini maris. 202
Pelles olim Heroum indumenta, item Philoſophorum &c. 345, 346. Aſcetarum inter Chriſtianos. 346
Pentecoſte per Spicarum Manipulum in nummo, 445. dicta feſtum Septimanarum, item Meſſis, *ibid.* Judæis tempus illud dictum *Numerus Manipuli*. *ibid.*
Pergamenorum Reges, 468. Pergameni per Cereios deſignati apud Homerum, & quare. 480, 482
Pergami conditores Telephus, Æſculapius, 482. poſtremus in ea cultus, 485. Fluvii eam præfluentes aut intermeantes. 485, 891
Periodi Decennales in nummis, 874, 875. περίοδος de annuo circuitu, item decaeteride. 874, 875. inde novæ Epochæ, feſtivitates. 875
Permiſſu Imperatoris aut Procoſ. ſignata moneta, juxta inſcr. nummorum. 555
Perſarum Reges uſi capite arietino pro Diademate, 362. Fratres Solis & Lunæ item Dei dicti, 411. & Reges ſimpliciter, 430. non ævo Chryſoſtomi, 431. item *Saanſaan* ſeu Reges Regum. 432
Perſea Ægyptia Iſidi conſecrata, 260. eum vulgari *Perſea* confuſa, *ibid.* fructus oblongus & Amygdalæ inſtar, *ibid.* & 265. inſtar Dactyli, unde Arabum vox quædam.
Perſea arbor in Ægypto frugifera, apud Rhodios ſterilis. 276
Πέτρα Theophraſti de Pinu. 270
Phaëton cum Quadrigis annulo inſculptus. 34
Phagrus Niloticus, 206. ab Apro diverſus. *ibid.*
Phidiæ ſimulacra ſubtilia. 33
Philadelphens flos in Parthia familiaris. 291
Philæmis Leucadia & Samia diverſæ, 764. poſterioris epitaphium. *ibid.*
Philaterus an cum Regis titulo in nummis, 468. an cum diademate. *ibid.*
Φιλαλέξανδροι quales. 448
Philelleues dicti Arſacidæ in nummis & unde, 436. item qui alii Reges exteri. 438
Philippus Imp. an Chriſtianus? Contrarium è nummis. 875
Philoclaudius Herodes in nummo & qualis. 444
Philoromæi qui Reges dicti in nummis, 439. quanta in eo nomine dignitas, 441. qui eo titulo appellati. 442
Φιλόχριστοι qui, 450. Impp. in Actis Conciliorum, & *Addem.* Φιλόχριστος de eorum imperio, item ſede Byzantio, *ibid.* Cæſares Φιλοχρίστονες. 450

Phile-

Phœniciæ litteræ an eædem cum Punicis, 64, 65. an cum Samaritanicis, *ibid.* an Hebraicis seu Chaldaicis magis adfines. *ibid.*
Phœnix an fabulosus, 243. figura ejus in nummis, 241 origo fabulæ an ex Palma in Syagris renascente, *ibid.* symbolum Resurrectionis apud Christianos, 243. inde in Cœnotaphiis Martyrum depictus, *ibid.* symbolum Æternitatis in nummis Cæsarum, 244. hinc *æterna avis* Claudiano, *ibid.* Solis imago, & Soli sacer, unde cum corona radiata in nummis. 245
Phrygia pars Asiæ Proconsularis. 571
Pictorum, cælatorum, aut sculptorum licentia, 233, 240. mos ad sua tempora respiciendi in exprimendis antiquioribus Heroibus. 470
Picturarum duratio, 14. fragmenta veterum picturarum, 15. prima rudimenta quam inconcinna. 249
Pietas cognomen L. Antonii in nummo, 532. Provinciæ, 533. in nummis Augustarum qualis, 721. Pietas Romana in nummis, 723. Pietati Senatus in aliis, 722, 723. Pietas Mutua, 723. Pietas inter epitheta Impp. Constantio. 723. de Pontica Diœcesi. 723
Pinus ramus infra lectum Cereris & quare, 267. in nummo Catinæ. 270. Pinus statis diebus in Cybeles sanctuarium intromissa, 272. Pinus celebritas. *ibid.*
Pisces Polypus, Sepia, Cammarus, Pompilus in nummo & quare. 202
Pius unde dictus Antoninus, 724. Pii in nummis Metellus, Scipio, Catinenses fratres, 532, 533, 721. Pii cognomen quando & à quibus Cæsaribus usurpatum, 720. à Syriæ Regibus, 721. duplex ejus ratio in nummis Cæsarianis. 721, 722
Placentæ è Dactylis & Caryotis in Oriente frequentes, 330. *Nicolai* eædem dictæ, *vid.* N. col.
Plancia & Plautia gentes diversæ apud Romanos. 168
Plancius Varus Bithyniæ Proconsul in nummis. 167
Plantæ à natali solo denominatæ, 339. insignia locorum in nummis Græcorum & Barbarorum. 272, 291
Plebei Urbanæ Frumento Constituto, in nummo Nervæ. 821
Plinii Junioris imperium in Ponto quale, 566, 567. Pollio Proconsul Asiæ sub Hadriano & Antonino. 43, 483
Pompeiopolis duplex, 527. alterius in Cilicia nummi cum Pompeio, item cum Arato & Chrysippo, *ibid.* Gentile Luciano Πομπηιοπολίτης. 529
Pons à Lepido refectus in nummo, 582. Pontium institutio inter opera Principum, 581. Pons Trajani Danuvius in nummo, 858. alii pontes. *ibid.*
Ponti Metropolis Prima Amasia in nummis & quare. 885
Pontifices Maximi Rom. quomodo Græcis dicti, 538, 539, 540. quandoque Romanis *Pontifices* simpliciter, 539. Pontifices Max. quamdiu dicti Impp. Rom. 691. dignitas ea perpetua, 696. item velut hæreditaria, 698. appellatio penes seniorem Augustum, 699. munia ejus quæ, & à quibus Impp. gesta, 679, 700. retenta appellatio in nummis aliquot Constantini, 700, 711. quid eadem dignitas exigat ab Impp. 104
Pontifices in nummis candidati imperii. 699
Poppæa Neronis cur *pia* Josepho dicta. 618
Porciæ gentis commentarii. 498
Porcus Cereri sacer. 123
Præconum capita Niloa loto redimita. 259
Præfecti extra ordinem missi ad ordinandas liberas civitates Asiæ, Achaiæ, 569, 570. quomodo iidem Græcis dicti. 569
Præfecti Fabrum an in denariis Romanis designati juxta Urſinum, 557. Præfecti Classis & Oræ Maritimæ in nummis. 558
Præfecti Urbis quomodo in nummis designati, 549, 550. an jus sellæ Curulis habuerint. *ib.*
Prænomina propria nomina singulorum cujusque Familiæ, 505. Prænomen commune & appellativum quandoque. 506
Prænominum usus parcior olim, primo unius tantum, 511. multiplicatus sub Cæsaribus, *ibid.* duplex etiam in denariis ante Cæsarum tempora contra Reinesium. *ibid.*
Prænomina quædam uni genti peculiaria, 513, 514. Appii & Servii Claudiis & Sulpiciis, 515. quædam prohibita quandoque ut infausta. 518, 519
Prænominibus solis designati sæpe à Græcis Romani, 516. quandoque etiam à Romanis, 517. delicatioribus gratum, *ibid.* Prænomina Parentum in filiis & Nepotibus frequentata. 511, 512
Prænomina Mulierum olim usitata, 509. post desueta, tandem repetita. 509, 510
Præsens Juppiter, 390. Præsentes & Præsentissimi Dii in Inscriptionibus seu Ἐπιφανεῖς θεοί. 390, 391
Præsides de Legatis Augusti & à Proconsulibus distincti, 572. etiam ab utrisque diversi. *ib.*
Præsides Consulari Potestate in nummis & lapidibus, 568, 569. Præsides quandoque non Provinciæ, sed Metropoleos, inscripti, ut *Præses Antiochiæ.* 880
Prætorium in nummo. 578
Primus pro cognomine, 522. Primi Flamines. 55
Primi Asiæ qui in nummis, 584. Primi Provinciæ Nicæenses in aliis, *ibid.* Ἡγεμὼν seu Pri-

Primæ, Romanis Metropoles, 885. Prima seu πρώτη quatenus à Metropoli diversa, 886. quatenus eadem, *ibid.* Primæ sedis & Metropoleos discrimen, 885, 887. Primæ plures urbes in eadem provincia dictæ. 886
Primi Decennales in nummis. 875
Principis artes & officia in nummis expressa, 94. 98. *& seq.* vocatio à Diis & ad quid, 99, 100. Providentia, *ibid.* Tutela orbis, 102. Religio, 103. Pietas & cura sacrorum, 104. item Justitiæ, Annonæ Indulgentiæ, Lætitiæ publicæ, 105. Consensus & Concordiæ studium cum aliis ordinibus, 105, 106. Morum regimen, 106. Liberalitas, 107. Profectiones ad sublevandas Provincias, 108. Liberorum cura, 109, 110. Belli artes, 110. Pacis, 111. Munificentia. Reges dati, 111, 112. Tranquillitas, Constantia, Libertas sub eodem, 112, 113. finis principalis Salus & Felicitas publica, 114, 115. merces ejusdem, Æterna Memoria, fides divinitatis, cultus posterorum. 116, 117
Principum Juventutis officia, 110. quomodo iidem in nummis designati, 551. ita appellati candidati imperii in nummis. & quales, 664. iidem principes Equitum dicti & quare, 665. designati per figuras Equestres, *ibid.* iidem seviri Turmis Equitum, 666. item signiferi, 667. quando primum Principes Juventutis, post Cæsares renuntiati. *ibid.*
Privati omnes extra Imperatorem etiam Consules. 739
Privilegia & Prærogativæ locorum in nummis, ut Primates, Metropoleos, &c. 884, 885.
Proconsulum Proprætorum & Procuratorum nomina confusa sæpe apud Interpretes. 571
Proconsulum mentio in nummis, 562. de Populi Magistratu in iisdem. 562, 563
Proconsulatus Cæsarum in nummis quare vulgo omissus, 709. quando titulus à Cæsaribus adsumptus, *ibid.* à Nerva seu Trajano obvius in monumentis antiquis, 710. unde ad Cæsares translatus, *ibid.* in quibus nummis occurrat, 711. tributus vulgò candidatis imperii, 712. vis ejusdem dignitatis, *ibid. &* 713. eadem quæ *majus imperium* in Digestis, 712, 713. prærogativa illius dignitatis. 713
Proculeius cognomen Cominiæ gentis. 563
Procuratores Cæsaris ἐπίτροποι Καίσαρος. 572
Profectio Aug. in nummis. 825
Proprætorum appellatio unde orta, 559. ad militarium provinciarum Rectores translata. 560
Proquæstores in nummis & marmoribus. 552
Protonobilissimi, protosebasti, protopatritii, protocancellarii in aulâ Byzantinâ. 668
Protriumviri Monetales. 554
Providentia Deorum in nummis, 99. inde adserta, *ibid.* quæ ejus symbola, *ibid.* Providentiæ Principis symbolum in iisdem gubernaculum & quare. 100
Providentia Deorum Quies Augg. in nummis. 849
Provinciarum præfecturis variæ temporibus gestæ conjunctæ sæpe in monumentis antiquis, 562. Provinciæ aliæ Consulares, aliæ Proconsulares, 568. Provinciarum Cæsaris & Populi crebra permutatio. *ibid.*
Provinciarum Romanarum varia conditio, 804. quare Populi seu Proconsularium gravior, quam quæ erant Augusti. 805
Pruna Damascena in nummo, 318. Græcis κοκκύμηλα. *ibid.*
Prusenses alii Maritimi, alii ad fluvium Hypium ex nummis, 77. Prusa ad montem Olympum. 78
Prytanes in nummo Smyrnæorum, 492. alibi in Græciæ & Asiæ urbibus quàm Athenis, 493. Rhodiorum summus Magistratus ex Appiano, *ibid.* inde πρυτανεύειν moderari. *ibid.*
Ptolemæus Dionysus quis aut qualis, 400. Gallus idem dictus. *ibid.*
Pudicitia in nummis Augustarum, 94. sacerdotes ejus in monumentis antiquis, 95. Patritia, Plebeia, Augusta. 96
Puellæ Faustinianæ quales in nummo, 623. pueri alimentarii. *ibid.*
Punicæ litteræ interpolatæ, 65. ab antiquis Phœniciis diversæ. 64, 65
Purpura tum è conchâ, tum è Florum aut Herbarum succo, 282, 283. Rhodiaca, 282. purpureus color eximiè rubens. *ibid.* Cythæra πορφύρα dicta à purpurarum copia, 285. Puteal Libonis Ara non Tribunal. 578
Pygargi animalis nomen unde, 157. è Caprearum & Damarum genere, *ibid.* in Africa iidem obvii. *ibid.*
Pyrrhus Ligorius judicium de ejus Collectionibus antiquariis ineditis, 139. argumenta earundem. 140
Πῶλος Corinthiorum moneta cum Pegaso, 238. item meretrix. *ibid.*

Q.

QUadi frequentes in rebus Marci Imp. & ante, 833. Reges eorum confirmati ab Impp. *ibid.* Rex à Pio iis datus in nummo. 832.
Quadragesima Remissa in nummo Galbæ, 797. an de summa litium, an de portorio, 797, 798. Quadragesimæ vectigal publicum in Tabularium, 798. Quadragesima Atheniensium. 799
Quæstores in denariis, 551. Quæstores ab ærario, aut ad ærarium. 552
Quatuorviri monetales in nummis. 552, 553
Quindecemviratus sacerdotium in nummis

per Sibyllam & Tripodem cum corvo designatum, 543. Apollini sacrum. *ibid.*
Quinquennales, & Quinquennales Iterum & quales in monumentis antiquis, 645. Duumviri Quinquennales, Quinquennales Perpetui, *ibid.* Quinquennales de ludis in nummo Postumi. 646
Quirini nomen in denario & quare, 542. effigies in alio. 543

R.

REctor Orbis in nummis, ejus officium. 100, 101
Redemptores de publicanis. 799
Reges dati exteris gentibus à Rom. Impp. 111. 829. Rex Parthis Datus in nummis, 830. Armeniis, 831. Quadis, 82. Ponto Euxino, 830. mos servatus in dandis Regibus. 831
Reges, Reginæ, Regna, de Impp. Rom. utriusque sexus, & eorum dominatione. 686
Reges Ægypti de utroque conjuge. 406
Reginarum Ægypti nomina cum Maritis in publicis actis. 406
Regionum nomina in nummis urbium adscripta. 896
Relaxare de præteritis tributis remissis. 815
Relevatio de futuris tributis remissis. 815
Religio in nummis. 103
Reliqua Vetera Abolita in nummo Hadriani, 811. Reliqua de fiscalibus debitis, seu Reliqua tributaria, publica, Reliquationes, 812. Græcis λείψανα, λοιπάδες, λοιπογραφίαι, 813. à quibus exacta, *ibid.* dicta Vetera & præterita, 813, 814. per Indictiones remissa, 814. à quibus Impp. 816. immo à singulis juxta Procopium, 817. item à Regibus Persarum & Lacedæmoniorum, aliis, 817. mos in iis abolendis. 817, 818
Reliquiarum apud Gentiles studium & exempla, 5. 6. multiplicatæ interdum apud eosdem. *ibid.*
Requies Optimorum Meritorum in nummis. 116
Restitutor Achaiæ, Africæ, &c. in nummis Hadriani, 827. item Nicomediæ in singulari nummo, *ibid.* Numidiæ in alio, 828. Generis Humani, Urbis, Orbis, Reipubl. Monetæ, in nummis. 828, 829.
Rex de Persarum Rege, 430. non ævo Chrysostomi. 431
Rex Regum Persis *Saanschaan*, 432. in nummis Arsacidarum, 425. à Persis profectus titulus, 430. qui ita olim dicti, 433. etiam Impp. Romani, 434. titulus quid notet. *ibid.*
Rhenus bicornis in nummis Postumi & quare. 360
Rheticæ copiæ, alæ, cohortes. 843
Rhinoceros visus Romæ ludis sæcularibus Domitiani, 136. cum uno cornu non duobus, *ibid.* & 137. sæpe Romæ in spectaculis, 138. cum Elephante in nummo, *ibid.* male cum Hebr. *Reem* confusus. 147
Rhodus an à Rosa, 278. unde nata illa derivatio, 280. aliæ etymologiæ, 278. Ὄφιουσσα dicta à serpentum copia, *ibid.* quæ Rhodi eximia nascebantur, 280. Rhodia radix, uvæ passæ, caricæ, &c. *ibid.*
Rhodii Ἐλεύθ. seu *liberi* in nummo, 784. libertates eorum variæ periodi, *ibid.* Rhodiorum διδραγμον, 790. Rhodii sacrificantes Phœbantis adventui. 826
Roma sacra, sacratissima, item Dea in nummis, 414. inde nomen blasphemiæ in Apocal. 415. Urbs Æterna quando dici cœpta, *ibid.* item βασιλὶς, βασιλίδων, Regia, Regnans Augustissima juxta Constantinopolim. 687, 880
Romanensis Ecclesia, Pistor in monumentis antiquis, 844. Ῥωμαϊκὴ ἀγορὰ de foro. 845
Romanorum studiorum circa res antiquas, 61. consilium in cudendis nummis Cæsarianis. 94
Romulus in denariis gentis Mummiæ, 536. Romulus Augustus, Pius & Commodus in nummis dicti. 746
Rosa an in nummis Rhodiorum expressa, 273. celebriores Rosæ Præneſtinæ, Campanæ, &c. 280. Punicæ. 285
Rostra Vetera & Nova in nummis. 578

S.

SVice R in antiqua Romanorum scriptura, exempla. 60
S & X à librariis confusa, 79. S post X in nummis. 79
S finalis sublata in variis nummis Romanis. 80
Σίγμα quæ antiqua forma apud Græcos, 54. Σ non C, *ibid.* pro Ζῆτα in antiquis nummis, 75. Σδ pro Z Dorum seu Æolum proprium, exemplum è nummo. 75
Saa *Rex*, *Dominus* Persis, 432. hinc *Saanschaan* Rex Regum. *ibid.*
Sacerdos Divi Augusti Livia & Antonia in monumentis antiquis, 609, 610. Sacerdotia Viduarum aut Virginum apud gentiles, 610. Sacerdotia Divorum à propinquis adsumpta, *ibid.* Sacerdotia apud Romanos, Ægyptios nulla olim mulierum, at apud Græcos. 610, 611
Sacerdotes renunciati candidati imperii & quare, 669. dicti *capi*, *creari*, *nominari*, *cooptari*, & quomodo, 671. Sacerdos Cooptatus In Omnia Conlegia Supra Numerum in nummo Neronis, 671. Sacerdotes supra numerum quales. *ibid.*
Sacerdotiis pluribus unus ornatus apud Romanos. 671, 673

Sacer-

Sacerdotii signa in nummis, 673, 674. raro quondam collatum in adolescente, 673. Sacerdotes pueri apud Græcos, 674. Sacerdotia nobilium propria apud Romanos. *ibid.*
Sacerdotia peregrina quandoque ab Impp. adsumpta. 540
Sacerdotii & principatus jura conjuncta, 691, 695. cujusmodi Impp. Romanorum, 695. Sacerdotes Duumvirales, 692. Sacerdotum nomina nummis aliisque monumentis publicis præscripta, 642, 643. anni iisdem signati, 694. primi Sacerdotes seu Ἀρχιερεῖς in monumentis antiquis. 694, 695. per *præfectum* & *præfecturas* designati ab Ulpiano, 695. Sacerdotales præsides. 697
Sacerdotes perpetui seu διὰ βίου, 697. hæreditarii seu διὰ γένους. 698
Sacrorum communio inter urbes dissitas, 794. eadem nummis expressa. 793, 794.
Sæcularia sacra in nummis, 852. item sæculum Novum de milliari. 853
Sagittarius de nummo Persico aut Parthico. 287
Salutis symbolum in nummis mulier escam serpenti porrigens. 174
Samacles seu Satanas serpenti inequitans juxta Hebræos. 251
Samaria dicta *Sebaste* à temporibus Herodis. 771
Samaritanorum nummi, 67. litteræ an primigeniæ Hebraïcæ. *ibid.*
Sanctum solum circa Hierosolymas, 782. sanctitas pro Asylo apud Tacitum, 782. ejus origo, *ibid.* sanctitas pro pudicitia. 96
Σανδαλιώτης Sardinia à figura sandalii, 236. Sapientia Principis Providentissimi in nummo Constantini. 224
Sardium purpura eximia, 283. Sardis Asiæ, Lydiæ ac Græciæ prima Metropolis in nummo. 887
Satyrus è simiarum genere, 214. Satyrus & panthera currum trahentes. 242
Sauromates, familiare nomen Bosporanis aut vicinis Regibus. 464
Scorpiones Libyci, volucres non alati. 173
Scriptura nummorum aut lapidum non temere solicitanda. 62
Scylla in nummis, 228, 219. à copia σκυλάκων seu canum piscium. *ibid.*
Sebastiani Erizæi frequentes errores in explicandis Græcis nummis. 307. 743, 845, 881
Σεβασμιος Græcis pro consecratione, 677. pro Augusti fastigio, 678. Σεβαστικοὶ religiosæ cotemplationi addicti. *ibid.*
Sebasti titulus inter honores Aulæ Byzantinæ. 684
Σεβαζιδῆ Augustum vel Augustam renuntiari. 685
Seleucia ad Calycadnum cur *Aspera* & *Trachiotis*, 786, 787. Libera & Metropolis in nummis. *ibid.*
Seleucia à Tigri. 894
Seleucus cum Taurinis cornibus & quare. 364, 365
Sella Curulis in nummis insigne Consulum, 544. Prætorum, Ædilium, Præfectorum Urbis, 544, 545. cum Corona una aut pluribus & quare, 584, 585. Diis, ac dein Regibus, Cæsaribus absentibus aut mortuis posita. *ibid.*
Sella Curulis quare in nummo Ariobarzanis, 440. vulgo inter dona ad Reges amicos missa. *ibid.*
Sellæ Ephoreæ apud Lacedæm. 545
Sellenus fluvius seu Σιμόεις præterfluens Templum Dianæ Ephesinæ, 486. lapsus Tristani inde. *ibid.*
Senatus Romanus *sacer* vel *sanctus* dictus, item *Deus* in nummis, 411, 412. item *Augustus*, 413. effigies ejus, 412. veneratio apud gentes & unde, 413. sacer ordo. 414
Septa cum Cancellis, Diribitorio, Ponte, Cista in nummo. 578
Septemvir Epulonum in nummis, 541. dignitas illius sacerdotii. *ibid.*
Serapidis varia symbola conjuncta in nummis, 194. imago in gemma Scipionis & quare. 535
Sergius Jacobita patria Rhesainensis. 773
Seriphii ab Athenien sibus deducti, an & à Corinthiis. 231. Seriphi conditores, *ibid.* Perseï in eam adventus. *ibid.*
Serpentes sacri Æsculapio, 123. symbolum Felicitatis, victoriæ, salutis, 125. pro bonis Geniis, *ibid.* Isidem & Osiridem adumbrantes. 265
Serpentes duo, *vid.* dracones. incantationibus obnoxii, 179. Serpens loto coronatus in nummo, 263. cum cymbio aut caruncula, 263, 264. cum capite imberbi in nummo Nicomedensium, 181. Tridenti implicatus, 194. Equi dorso impositus in nummo Domitillæ. 250
Sestiæ & Sextiæ gentes Roman. diversæ in nummis, 549. *& in Addenda.*
Severus dictus *Pertinax* in nummis, 754. item *Marci Fil.* 755
Seviri turmis Equitum quales apud Romanos, 666. seniores & junfores. 667
Sibylla in nummis Gergithiorum, item gentis Carisiæ, 217. Phrygia & Erythræa, *ibid.* symbolum Quindecimviratus in nummis. 543
Sicera de potione è palmulis inebriante apud Orientales. 331, 332.
Siciliæ symbolum tria crura. 144
Sicli Judæorum cum Manna & Virga Aaronis. 334

Siculorum nummorum antiquitas. 12, copia & præstantia. 73
Sida herba Nilotica à similitudine cum malo punico, 275. *Sida* & *Σίδη* loca dicta ab eodem. 285
Sidon Asiæ Metropolis, 887. situs ejus & potentia maritima, Triremes, 779, 780. cum Tyro contentiones, 792, 793. Colonia in nummis & quando. 776, 793
Signa militaria hastatorum & principum quomodo expressa in denariis Romanis. 558
Signiferi juventutis seu principes. 667. & *in Addenda*.
Σίκιμα & *Sichem* de eodem oppido. 770
Silenus cornutus in nummis, 370. de Charonda male explicatus. *ibid.*
Silphii Cyrenaici figura solum in nummis obvia, 258. illius nobilitas, pretium, 253, 256. Galeni ævo adhuc Romæ servatum, *ibid.* quando defecit, *ibid.* Batto à Cyrenensibus oblatum in nummis, 255. sollicitudo circa ejus custodiam. 257
Sinopensis Colonia à quibus deducta. 767
Sipylus Tantalis de Smyrna & quare. 895
Siren non in piscem ut vulgo, sed in avem desinens, 223, 226. an fabulosa, *ibid.* cum gallinaceis pedibus, 224. à voce Hebr. *Sir* seu Cantico, vel à *Σείρα* Græc. de avicula, *ibid.* cantus communis cum Musis, *ibid.* certamen cum iisdem, 225. sedes ubi. 226
Sirenes cur dictæ Centauricidæ. 242
Silpita Juno pro Sospita. 84
Situs locorum in nummis passim indicatus & quomodo, 888. & *seq.* Situs in monte, ad montem, & sub monte. 895
Smyrna inter liberas civitates Asiæ Proconsul. 569. libera in nummo, 789. ejusdem princeps juxta Ephesum, *ibid.* Smyrnæi socii Romanorum, *ibid.* Concordia cum Ephesiis & Pergamenis in nummis, 792. quando inducta, 793. cum Athenienſibus, *ibid.* *Primi Asiæ* in nummis & quare, 884, 886. Homeri apud eos natales, Templum, porticus, moneta, 488. cum fluvio Melete, 891. Smyrna *in Sipylo* & sub *Sipylo* monte. 895
Solis imago in nummis Rhodiorum & quare, 281. Sol *ἀγχιγένης* Rhodiorum. *ibid.*
Solymus Thermessensium Heros in monumentis antiquis. 478
Sorores dictæ variæ urbes ob concordiam aut eandem originem. 796
Soteris seu *Servatoris* cognomen in variis nummis, 380. cur Ptolemæi Lagi, *ibid.* Æsculapii & Salutis, 381. Juppiter Soter, *ibid.* item Neptunus, Apollo, Æsculapius, Bacchus, Hercules, Castores, 382. item Reges consecrati, *ibid.* Medici, 383. Athenienses, 384. Augusti & Præsides Romani. *ibid.*
Σῦκαι & *Συκοδάκνοι* de palmis irriguis, 318, 319. quare & unde 319, 320. Josepho similiter *Φοίνικες ἐπιχώριοι*. 320
Σῦριξ Crocodilorum species, 150. unde dicta. *ibid.*
Σώτηρ in casu recto & semin. item *Σώτειρα* non *Σώτηρα* contra Tristanum, 385. quæ Reginæ ita dictæ, 385. item Deæ Ceres Apameæ, Diana Syracusis, Proserpina Cyzici. 385, 386
Σωτήρεια de Indis, in nummis. *ibid.*
Speciosus Dignus Eugenius Achilleus Sidereus in nummo Honorii. 854
Spectacula ludorum usitata in Metropolibus. 169
Spes in nummis per lilium. 118
Sphinx non omnis fabulosa, 211, 212. è Simiarum genere, *ibid.* unde fabula de Sphinge Oedipi, *ibid.* Ægyptiorum Sphinges sine alis, 212. è Leone & Virgine ad denotanda Nili incrementa, *ibid.* Sphinges Ægyptiæ ad muliebrem formam accedentes, Cebi ad virilem. 215
Sphinx Thebana de vate aut Sibylla, 218. unde dicta, 219. cur in Chiorum nummis expressa contra Tristanum, 216, 217, 218. in signaculis Augusti. 216
Spicarum Manipulus symbolum Pentecostes in nummo, 445. item Azymorum, *ibid.* alias Fertilitatis aut Concordiæ, 446. Spicæ insigne Italiæ, Siciliæ, Ægypti, Africæ, in nummis. 272
Spintriæ Tiberiani an in nummis expressi, 761, 762. quales iidem, *ibid.* & 763. quot numero occurrant in Cimeliarchiis. 763
Splendidissimæ dictæ vulgo Coloniæ & Metropoles in monumentis antiquis. 878, 879
Statuæ insignes, 15. earum copia, 16. duratio, *ibid.* Statuæ Jovis Olympii præstantia, 32. è Nummis dignoscendæ. 759
Στεφανηφόρος Χίων unde in nummis. 221, 222
Stibium fucus muliebris ad nigredinem oculorum, 371, 372. inde nomen uni è filiabus Jobi. *ibid.*
Strobilus, *vide* Nux Pinea.
Stymphalis Arcadiæ volucris galeata & spiculis armata in nummo, 226. ab Hercule fugata, 227. pro Sirene male accepta, 226. aut pro Harpyia, 228. cur in denario gentis Valeriæ. *ibid.*
Sub armis apud Manilium quid notet. 643
Successorum Alexandri in titulis vanitas, 374. in Alexandro referendo studium. 348
Successio ab Hercule, Calidone &c. Leonis aut Apri exuviis expressa. 345
Sula pro *Sulla* in nummis. 79
Sultanes Turcis Rex Regum, 336
Σωθερίχος, *Σωθήκης*, *Σωκράτης*, Confessor Deo-

Deorum, quo sensu. 657
Supra numerum seu supernumerarii sacerdotes, Legati, Milites &c. 671. 672
Surdini cognomen in gente Navia, Ræsia. 521
Sus fœta Lanuvina in nummis, 337. cum variis symbolis Æneæ Anchisem ferentis, aut ardentis Ilii, 333. Sus in porta Æliæ urbis, & quare. 568
Symbolis cur usi Græci & Ægyptii, 93. cur Romani in nummis Cæsarianis. 94, 97. & seq.
Syngraphæ debitorum sæpe combustæ, 817, 818. exempla in nummo Hadriani. 811
Syria Provincia Cæsaris, 567. ejus Præsides in nummis Cestius, Quadratus, Silanus, & quando. ibid. & 861, 867
Syria Cœle, Commagene, Pieria, Palæstina in nummis. 896
Syromacedonum publica monumenta Græca lingua expressa. 323

T.

T In Θ ab Ionibus conversum. 76
T Orientalium in K Græcorum. 325
Tabularii iidem & Numerarii quales, 778. Tabularii fisci & civitatum. 813
Taciti Imp. profectio è nummis eruta. 826
Tamar apud Arabas & Ægyptios de siccatis palmulis. 195
Taras Delphino insidens in nummis Tarantinorum. 195
Tarsus *Hadriana*, *Severiana*, *Alexandrina*, *Antonina* à totidem Augustis in nummis, 201. dicta à fracto Pegasi, aliis Bellerophontis calcaneo. 236
Tarsensium nummus cum pede aut crepida, *ibid.* Tarsus *Colonia Libera* in nummo. 785
Tatius Sabinorum Rex cur in gente Vettia. 535
Tauri caput symbolum Eubœæ in nummis, 143. Tauri Mari & Fluviis olim immolati & quare. 362. Ταύρος Ταύρεος Neptunus, Ταύρεια festum ejusdem, 360. Ταῦροι pincernæ in Neptuni sacris apud Ephesios. 358. Ταῦροι & Ταυροκίθοι de Baccho, 355. Ταυροκτόλια festum Bacchi, *ibid.* Taurina tympana Bacchantium. *ibid.*
Τεῖχος pro Castro. 176
Telephus Eurypyli pater, 482. sedes ejus. *ibid.* Pergami primus conditor. *ibid.*
Templum à Smyrnæis Tiberio ac Senatui dicatum, 412. Senatui ac Romæ, 215. Romæ & Augusto. *ibid.*
Templa pro Asylis, 781, 782. Dianæ Ephesinæ, 381. item Dianæ Pergææ. 782, 855
Templa Deorum & Dearum in nummis, 854. Jovis Capitolini, *ibid.* quando refectum, 855. Divi Julii, Augusti Restitut. à Pio & Faustina. 855. Gentis Flaviæ, Faustinæ, Pacis, 856. quando istud combustum, *ibid.* Æsculapii, Urbis. *ibid.*
Templum Veneris Paphiæ in nummis. 481
Temporum Felicitas in nummis & quare, 726. beatitudo, 727. infamia. *ibid.*
Theatra non diuturna. 14
Θεολόγος appellatio de Glucone, item Seleuco. 593
Θεὸς Λυτηκράτης in nummo Caii, 453. Θεῶν Ἀδελφῶν in nummo Philadelphi & Arsinoës, 404. Θεὰν Σωτῆρα in nummo Cleopatræ. 385
Θεοφάνεια & Θεοφάνια de Magorum adparitione, Christi Baptismo. 389
Thermæ in nummis. 858
Thracia Cæsaris provincia, 561. Thracum numina Cybele, Bacchus, 185. Thraciæ Reges aliquot in nummis. 467
Thus arbor ignota Romanis, 335. Ramus Thuris in duobus nummis, 335, 336. insigne Arabiæ in iisdem. 272
Thyrsus symbolum Liberalium in nummis. 545
Tiara val Cidaris promiscua, 429, 455. insigne Persarum Regum, 427. Parthorum, 428. in nummo Tigranis cum Stella & Diademate, *ibid.* Tiara cum Diademate insigne regium Persarum & Armeniorum, 457. Tiara etiam propinquorum Regis, 460. Sacerdotis Metropolitani, 458. Tiara cum falconibus, *ibid.* Persica Tiara cum alis Pavonis, *ibid.* cum Stella, 458, 459. Tiaræ diversæ, 459. aliæ acutæ, aliæ rectæ, aliæ Regum, aliæ Procerum, *ibid.* etiam promiscuum Persarum gestamen. *ibid.*
Tiberis in nummo. 852
Tigris Baccho sacra. 123, 164
Tituli devictarum gentium in nummis Cæsarianis quales, 748. apud Persas à victoris filio demum adsumpti, *ibid.* ambitio Augustorum in iis adoptandis. 748
Tomi Metropolis Ponti in nummo. 885
Tragelaphus non solum apud Phasim amnem, sed & in Syria & Arabia, 157. an fabulosus, 158. descriptio ejus à Bellonio tradita. 161
Trajani opera in nummis Circus, Portus, Forum, Basilica, Via, Aqua, Bibliotheca, Pontes. 858
Trajectus per Truremin in nummis. 101
Tranquillitas in nummis. 112
Transpositiones inscriptionum frequentes in Thesauro Gruteriano. 725, 726, 735
Tribunitia potestas cur in aliquot denariis gentium Romanarum cum effigie Augusti, 537, 558. in nummis Cæsarum & unde, 701, 702. anni imperii per eam signati, *ibid.* & 873. hinc plures anni Tribunitiæ Potestatis, quam principatus in iisdem. 701, 874

Tribunitiæ Potestatis & Tribunorum Plebis discrimen, 538, 702. vis illius Potestatis & prærogativa, 703. Tribuni plebis qui Impp. sed adhuc privati. 702, 703
Tribuni Militum in Fonteia. 558
Tributum capitis & soli Flaviæ Cæsareæ remissum, 784. Tributa remissa in certos annos. 814
Tricipitina seu Triumviri Reip. Constituendæ in nummis. 557
Tridens Apollini tributus apud Tarsenses, 294. Jovi. ibid.
Tripodes Draconе vel serpente involuti in nummis. 125
Triremis Sidoniorum inventum, 779. hinc in nummis eorundem, ibid. Triremis Sidoniæ prærogativa. 780
Trifanus Sanctamantius, ludicrus ejus error circa nummum Flaviæ Cæsareæ, 69. item Edessenorum, 87. Chiorum, 219. Coloniæ Nesibi, Col. Germeno, 767. Col. Viminensis, 876. Cæsareæ Cappadociæ, 895. passim alibi notatus, ut 125, 166, 198, &c. idem laudatus, ut 28, 163, 589, &c. Judicium de ejus Commentariis, 774. audax in refingendis ad libitum numismatum Græcorum inscriptionibus. 221, 773, 774
Triumphi in nummis Consularibus, 575. in Cæsarianis, 834, 838. Triunfu Quadorum in nummo, 81, 836. de Christianis in nummo Maximiani, 838. Triumfator Gentt. Barbar. in nummo. 81, 753
Triumviri Monetales in nummis, seu Auro, Argento, Ære Flando, Feriundo. 552
Tropæa olim è ligno, 14. cur in nummis Sullæ, 531. Tropæa de Perseo, Jugurtha, &c. in nummis Consularibus, 574. Τροπαιοφόροι inter titulos Augustorum ex Chrysost. 532
Trossuli pro equitibus & unde. 665
Tryphonis nomen commune in Oriente, 454. de Tryphonis Syriæ Tyranni morte dissensiones auctorum. 453
Tutela Orbis in nummis Cæsarum, 103. finis illius. 113
Tyrus *Eraclia* in nummo, 300. 877. Palmæ patria in vetere Epigram. 516. Colonia sub Severo deducta contra Scaligerum. 773, 877. hinc *Colon. Septimia* in nummis, ibid. eadem *Metropolis* in iis. 793, 877, 878. à temporibus Trajani juxta Suidam, 878. immo prídem è nummis, &c. ibid. inde Μήτηρ Φοινίκων Meleagro, 878. item *Splendidissima* & *Consularis* in Actis Concil. Calched. & quare contra Scalig. 877, 878. sedes Consularis Phœnices, & leges in eâ datæ. 880
Tyrus *Sacra* seu Ἱερὰ καὶ Ἄσυλος in nummis & lapidibus, 772, 775. Τύρε Ἱερὰς μεγαλόπολις in aliis, 878. Deorum sedes, 779. item Αὐτόνομος in lapide antiquo, 879. eadem *Autonomia* pretio à Tyriis redempta, & quando, 790, 872. inde petita eorum Æra, ejusque exempla. ibid.
Tyriorum contentiones cum Berytiis, 791, 878. cum Sidoniis, & cum iisdem concordia, 793. concha purpuræ Tyriæ in nummis, 273. alii cum clavâ Herculis Tyrii. 875

V.

V Pro B, ut *Damnvium* in nummis Romanis, 78
V pro O in iisdem. ibid.
V Roman. in nummis Græcis pro Τ ψήφον. 55
Τ ψῆφον à Palamede repertum. 75
Vacantes Tribuni Exercitus quales, 845, 846. an in nummo Postumi. ibid.
Vacca cum lactente vitulo symbolum Apolloniæ & Dyrrachii in nummis, 172. item Corcyræ earum Metropolis. ibid.
Vaccæus aut Vaccensis Exercitus unde. 845
Valeria gens apud Romanos unde, 228. Valerii olim *Valesii*. 60
Vallum Romanum in nummo Licinii, 848. Vallaris corona. ibid.
Vari cognomen quibus gentibus Rom. familiare. 168
Vasa cum Palmæ ramis Mensæ imposita & quare, in nummis Tyri, Nicomediæ, &c. 300. Ubique, Undique Victores in nummis. 836. Vectigalium locatio & constitutio omnis penes Cæsares, 746. eorum pars tertia ad publicas necessitates civitatibus concessa. 827. abolitio ut Vicesimæ, Quadragesimæ, &c. 797, 798, 799
Vehiculatio Italiæ Remissa in nummo Nervæ, 800. ejus symbolum Muli pascentes, ibid. Vehicularis cursus varia vocabula, ibid. prima origo. 801. institutio Augusti, ibid. mutatio circa eandem, ibid. commoda ejus, & Justiniani innovatio, 802. è quibus constabat idem cursus, ibid. ad Veredarios redactus sub Justin. ibid. Vehicularis Cursus an diversus à Cursu publico, 803. Italiæ, an & aliis Provinciis remissus, 804. Vehicula Principis, 805. Vehiculorum Præfecti in Inscr. antiquis, 806. alii Præpositi. ibid.
Vehiculatio illa quomodo & à quibus Impp. sublevata, 807. ad Fiscum & quando translata, ibid. onera ejusdem varia & incommoda, 808. cautelæ Impp. circa eandem, ibid. Mulorum, aliorumque animalium in eandem usus, 809. usus ad rem militarem apud alias gentes. 810
Venus mascula & barbata seu Ἀφρόδιτος apud Cyprios, 144, 563. cum Delphino, 200. Capro imposita, ibid. Paphia, & quæ ejus forma in nummis, 481. eadem alibi culta, quam

quam in Cypro, 483. apud Sardinios, Pergamenos, è nummis. *ibid.*
Venus Cnidia in nummo, 629. Erycina ejusque Ædes in nummo à Tiberio aut Claudio restaurata, *ibid.* Θεὰ πανταδὲς in inscr. 654. Cloacina &c in nummo. 578
Venus de Julia Augusti filia in nummo, 607. de Poppæa Neronis, 617. Venus πρωτοπάτωρ, 532. Veneri nummus datus in mysteriis ex Clemente. 764
Venus pro fortuna, 531. hinc imago Veneris & Cupidinis in nummo Felicis Sullæ, *ibid.* Venustus inde pro felice seu epaphrodito. *ibid.*
Veredi & Veredarii, 502, 808. à Vehiculis & Angariis distincti. 803
Vestæ simulacrum in Pritaneis Græcorum, 492. in nummo Smyrnæorum, *ibid.* sacra eidem à Cyro ante alios Deos facta, 493. Vestæ Ædes in nummo. 578
Τὺς & Ταυρὸς an idem piscis, 208. an idem cum Apro. *ibid.*
Vetera de Reliquis Tributariis in nummo & alibi. 813
Viæ Munitæ inter opera Cæsarum, 581. in nummis signatæ, *ibid.* Augusti, 856. Trajani. 858
Vicesimæ quales Romæ & in Provinciis, & à quibus inductæ, 799. Vicesimæ redemptores εἰκασταὶ Arriano. *ibid.*
Victor Constantini & Constantii prænomen in nummis. 380
Victor Gentt. Barbarr. in aliis, 753. Victor Omnium Gentium in nummo Constantii. 837
Victoria muliebre nomen in Epitaphiis. 380
Victoriæ Cæsarum in nummis, 834. Victoria Germanica, 835. Carpica, 836. Sarmatica, Gothica, 836. Victoria alata in cœlum vehens. 859
Villa Publica in nummo. 578
Vina è dactylis & quidem vilibus, 318. optima Caryotis, unde Talmudica vox, 331. vina palmea capiti noxia, 331. inde Orientalium *sacar* seu *sicera* de vino dactylorum & potu inebriante, *ibid.* usus illius communis in Oriente, 333. inde eædem Arabum voces de *Palma* aut *Vinea* custodia & cultura. *ibid.*
Virga Aaronis in Siclis Hebræorum. 334
Virtutum symbola in nummis. 94. *& seq.*
Virtus Exercitus Romani, item Gallicani in nummis, 846. Virtus Illyrici in aliis, *ibid.* Virtus Augusti Tigris in nummo Trajani. 858
Vitellius an & cur ἄπαις Josepho, 654, 650. Augusti appellatio sero ab eo admissa, 676, 852. hinc rariores ejus nummi cum nomine Augusti, *ibid.* *Germanicus* ictus in nummis, 850. singularis cum eo nomine. 851
Ulpiæ quæ urbes dictæ in nummis ab Ulpio Trajano. 285, 772
Ulysses pileatus cum cane cur in denariis gentis Maniliæ. 536
Unicornes Capræ, 160. Unicornu animal in Æthiopia cum hircina barba & cornu in fronte. 160
Vologesis Parthorum Regis vera scriptura è singulari ejus nummo. 86
Volosenna Proconsul Asiæ sub Nerone in nummo. 570
Voluptas ex imaginibus Illustrium in nummis. 30, 36, 497
Vota pro salute Principum, 115. Augusti in nummis, 584. Vota Decennalia suscepta, item soluta, in iis. 876
Upupa symbolum Pietatis. 129
Urbes cognomines Reginis, ut *Amastris* &c. 467. Urbium & Conditorum nomina quandoque eadem, *ibid.* Urbium nomina cum transpositis litteris apud auctores, ut *Arsamosata* pro *Armosata*, alia exempla è nummis & auctoribus, 903. Urbium Palæstinæ, Syriæ &c. varia nomina neutro plurium numero, ut Ἱεροσόλυμα, Γάζαια, &c. 903
Urbium Prærogativæ in nummis sacræ, Asyli, Libertatis, Primatus, Metropoleos &c. 491, 492, 884, *& seq.* Insignia, Origo, Conditores, 883, 884. situs in iisdem expressus ad Fluvios, 888, *& seq.* Mare, 891. Montes, 892. in quibus Regionibus, 896. Urbes ignotæ in nummis, 898, 899. Urbium διπλογραφία unde, ac è nummis illustrata, 507, *& seq.* Urbium nomina à barbaris corrupta, 908. Urbis nomen pro Gentili. 913
Urbs ad Bosporum de Constantinopoli. 891
Vulcanus Asino alato in cœlum à Baccho reductus. 239
Vulpium caudis faces adligatæ, 128. Vulpes λαμπαδηφόροι Lycophroni. *ibid.*
Uxorum J. Cæsaris, Tiberii, Caii, Galliæ &c. nulla mentio in nummis & quare. 606

X.

X pro Σ in nummis. 72

Z.

Z ῶτα & Ξι litteræ confusæ. 54
Z pro Σ in Græcis nummis ut Ζμυρναίων &c. 75, 907, & in *Addit.*
Zamolxis & Samolxis in antiquis Codicibus. 75
Zenobia *Augusta* juxta ejus nummos. 637
Zeuxidis picturæ superstites ævo Petronii. 15
Zmyrnæi in Romanis lapidibus. 75

Errata Typographica emendanda.

Pag. 8. vers. 19. Vasis. p. 26. v. 7. *Lastanosæ.* p. 27. v. 11. *Marquardum.* p. 33. v. pen. quum. p. 34. v. 10. videas. *Ibid.* v. 12. insculptus. p. 40. v. 21. *Asandri, Polemones,* &c. p. 42. v. 10. *dele,* Laodicensium Dracus. p. 44. v. 2. *dele,* & Eusebius. p. 46. v. 2. Mamææ. p. 55. v. 8. CEAAΣ. p. 57. v. 20. quadam. *Ibid.* v. 23. illâ. p. 58. v. 13. Alexandria Troas. *Ibid.* v. 14. Deultum. *Ibid.* v. 16. Sephyrus. p. 59. v. 16. præbet. p. 63. v. 3. continuo. p. 64. *adde.* discriminis inter. p. 66. v. 14. *adde.* incr. instructus. p. 70. v. 5. *Deulto.* p. 72. v. 13. inter Cimelia. p. 74. v. 15. HIMEPA. *Ibid.* v. 16. IMEPA. *Ibid.* v. 27. luculentam. p. 75. v. 15. ZMTPNAIΩN. p. 77. v. 28. ΘAAAΣΣAN. p. 78. v. 5. *pro* constanter, *lege* frequenter. p. 82. v. 13. TOTΔE. p. 89. v. 23. delabi. p. 91. v. 3. *dele* eundem. p. 105. v. 27. ABUNDANTIÆ. p. 108. v. 11. derivationes. p. 111. v. 17. Belli. p. 113. v. 10. quem. p. 114. v. 9. inverecunde profitebatur. p. 125. v. 2. Ælianus. *Ibid.* v. 4. Ανατρόχεα. *Ibid.* v. 7. Κατατρόχεα. p. 129. v. 13. Otaciliæ. p. 143. v. 30. *adde* (ut vulgo statuitur) Rosæ. p. 147. v. 31. Tigridum. p. 155. v. 12. *adde,* insigni var. pell. p. 156. v. 1. & seq. Henna. *item* Hennea. p. 165. v. 8. Hero. p. 171. v. 10. eidem Bonaso. *Ibid.* v. 21. Αδλιάκ. p. 175. v. 18. Lilybæi. p. 179. v. 14. ιπποδὶς. p. 185. v. 14. Mytilene. p. 186. v. 9. KTNTIAIANOT. *Ibid.* v. 25. Tomis. *Ibid.* v. *ult.* Tomos. p. 187. v. 5. Tomorum. p. 195. v. 2. Taras. p. 201. v. 18. παίνθμεον. p. 206. v. 17. Hesychii. p. 210. v. 18. *dele* digna. p. 214. v. 14. *dele* ignotum alias feræ genus. p. 219. v. 29. Asiatica. p. 221. v. 8. TPIA. p. 229. v. 17. Ponticæ. p. 233. v. 7. tenent. p. 236. v. 12. Severi. p. 239. v. 7. origines eruendas. *Ibid.* v. 13. Antinoi. p. 255. v. 29. ipsarum Cyrenarum. p. 261. v. 4. Osiridi. p. 229. v. 23. Vasis. p. 306. v. 23. Gabalorum. p. 310. v. 1. Cimeliarchæ. p. 315. v. 25. vel aliæ Syriæ Convalles palmariæ. p. 319. v. 15. & 320. v. 1. hybrida. p. 321. v. 15, & 27. *Juba.* p. 333. v. 23. Aruch. p. 336. v. 22. ad vulg. laurum. p. 337. v. 18. Hadriani. p. 355. v. 8. *adde,* NEPTUNO, FLV. p. 374. v. 17. occurrunt. p. 382. v. 7. σώζων. p. 439. v. 11. ΦIAOPΩMAIOI. p. 442. v. 30. Φιλαργυῶται. p. 447. v. 27. Ethnarchæ. p. 467. v. 14. RHESCYPORIM. p. 477. v. 10. $\frac{X}{\Lambda}$. p. 492. *dele* Fraternitates. p. 507. v. 3. additum. p. 514. v. 30. & 31. M'. p. 515. v. 7. & 8. M'. p. 519. v. 18. Mæciliæ & Vipsl. p. 527. v. 20. ad alteram. p. 535. v. 19. Ceteris ac Liberæ. *Ibid.* v. *penult.* Æneæ Anchisem ferentis. p. 537. v. 2. Quiritum. p. 549. v. 6. & à Sestia. p. 554. v. 1. Hinc mortuo. *Ibid.* v. 21. INDULGENTIA. p. 555. v. 18. pugnant id genus. p. 567. v. 10. *dele* Syriam, &c. p. 573. v. 7. Hinc de Dione Cassio. p. 576. v. 7. Neque enim mirum quæs. p. 578. v. 2. quæ Statio. p. 581. v. 7. videre liceat. p. 582. v. 11. Aqua Dirces. p. 583. v. 16. mari ac terra. p. 584. v. 11. & addita ejus rei. *Ibid.* v. 15. cum addita Corona. p. 588. *in tit.* SEPTIMA. p. 592. v. 26. nempe HERENNIUM. p. 596. *in tit.* SEPTIMA. p. 597. v. 6. CALPURNIUS. *Ibid.* v. 24. *Balbathi.* p. 598. v. 5. signati. p. 600. *in tit.* SEPTIMA. p. 601. v. 6. VETRA. p. 609. v. 25. Σκυθῶται. p. 615. v. 22. Acmonem. p. 627. v. 9. Thuanus. p. 633. v. 20. MANIAM. p. 635. v. 2. videas. p. 656. v. 6, &c. Ἀθηνᾶ. item Ἀθηνᾶ Θύρας p. 658. *in tit.* SEPTIMA. p. 675. v. 4. postremam. p. 695. v. 2. KHBHΣΣIKΩN. p. 762. v. 2. vulgus. p. 766. v. 25. *Uliam.* *Ibid.* v. 27. *Carteiam.* p. 773. v. 21. Chaliforum. *Ibid.* v. 24. *Julia Septimia Col.* p. 780. v. 21. Scylacis. p. 802. v. 27. omissas. p. 814. v. 5. certe. p. 836. v. 1. CARPICÆ. *Ibid.* v. 2. Balbino. p. 838. v. 21. distinguat. p. 843. v. 21. Rhœticus. p. 851. v. 4. typis. p. 857. v. 12. Matlianus. p. 858. v. 9. antea. *Ibid.* v. 31. Balbino & Pupieno. p. 862. v. 20. latercula. p. 863. v. 3. Barygazæos. *Ibid.* v. 14. *Ariarathia.* p. 865. v. 16. ZMP. p. 880. v. 7. earum. 883. v. 18. Inscriptionibus. p. 885. v. 30. Tomis. *Ibid.* v. 32. Περῶται. p. 888. v. 15. vulgo. p. 901. v. 12. uberior. p. 904. v. 1. *Diospontus.* p. 913. v. 22. Livius, *aut* apud Livium.

Omissa sequentia verba typothetarum incuria, pag. 180. v. 28. *post* non abnuet, *adde.* Illud vero vel ex Goltzii numino cum adscripto Glauconis nomine indubie colligas, à pinguibus Paphlagonibus ex parte id consequutum præstigiatorem illum Alexandrum, quod à Cæs. &c.

SPANHEMIUS
Th
5934